
8
9 F
29

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII,

E SOCIETATE IESV,

DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ


Libri duodecim.

IN QVIBVS MVLTA SCRIPTVRÆ LOCA EXPLANANTVR, ET ANTIQVITATES EX sacra, profanâque eruditione eruuntur.



LVGDVNI,
Sumptibus PETRI PROST.

M. DC. XLI.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



EMINENTISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

S. ROM. ECCLES. CARDINALI,

DOMINO,

D. ALPHONSO LVDOVICO

DV PLESSIS

DE RICHELIEV,

ARCHIEPISCOPO

ET COMITI LVGDVNENSI,

GALLIARVM PRIMATI,

ET

MAGNO FRANCIÆ ELEEMOSYNARIO.



VDEO penetrare in conspectum tuum (CARDINALIS EMINENTISSIME) vincitque dignitatis reuerentiam, virtutis quæ in Te est, amor, & beneficiorum à te acceptorum magnitudo. Non sufficit mihi Tuum esse, quia Lugdunensis sum: ambit animus singulare erga Te obsequium profiteri, & in publicâ beneficentiâ priuatam testari gratitudinem. Adeò enim multa sunt & tam ampla, tua de omnibus merita, vt necesse sit omnium studia in laudes & gratias conuerti: cùmque omnia præstabimus, nihil erit tamen quod eorum dignitatem expleat aut adæquet. Quid enim nostra sunt omnia ad illam propè diuinam charitatem, quâ vt periculum à capitibus fortunisque nostris auerteres, in Te ipso suscepisti? Horret animus meminisse quod æternâ celebrandum memoriâ, nullâque delendum est obliuione; forti-

† 2 *tudinem*

tudinem illam incredibilem quâ luem nimis iam in grege grassatam, & custodes ipsos insolenti ausu inuadentem, paucis abhinc annis adorsus es, ingressúsque tuguriolum in quo velut in Arce latitabat, collato pede oppugnasti, expugnasti, atque sic fregisti, vt ausa postmodum aliquoties recurrere, statim atque sensit vocem & curas tuas, abierit, aufugerit, auolarit, euanuerit. Eâ planè ratione, quâ lupus à Pastore egregiè aliquando mulctatus, nonnunquam impellente fame, furtim è latibulis prorepit ad gregem; sed ad primos & infeliciter notos clamores, præcipiti fugâ se se experto malo eripit. Cogitabas ante hos dies de discessu; solabatur nos de absentiâ iam impendente spes valetudinis firmioris, quam te cum aquis hausturum asserebant Medici: Erupit subitò è latebris ferox illa bestia, & Te iam absentem rata, vix vnum aut alterum prostrauit, cùm Te ostendisti præsentem, profectionem distulisti, pedem fixisti, valetudinis curam abiecisti, vt saluti nostræ consuleres, & vitam pro nobis discrimini objiceres. O miram animi tui magnitudinem! O nunquam satis laudatam amoris tui vim! O simul horrendum nobis & æternâ memoriâ recolendum consilium, quo & valetudinem & vitam pro nobis perdere statuisti! Non sunt hæc vetustate oblitterata, aut iam antè decantata, noua sunt, & hodierna antiquæ charitatis tuæ, & ante Te inaudita aduersùs Lugdunenses beneficentiæ documenta, quibus æternùm deuinctos nos fateamur necesse est. Putidum iam esset quæ pro fortunis nostris fecisti percensere. Satis est dicere nos in hac temporum difficultate hoc vno fortunatos esse, quòd Te defensorem habeamus, & Lugdunum quamdiu tuum erit, felici omine à Te, tuóque nomine habiturum quòd DIVES LOCVS *sit. Quid dicam amplius? vt numeremus beneficia tua, numeranda sunt cæterorum, quibus immunes sumus, mala: & tum demum satis æstimamus patrocinium tuum, cùm alienas intuemur miserias. Ita infinitis tibi nominibus obstricti quid æquius est quàm vt singuli pro virili gratias agamus & acquisita Tibi capita vltrò deuoueamus. Hac ego mente, quod in censu meo præstantissimum fuit, Tibi offero. Opus varium ac eruditum, multâ antiquitate refertum, in quo obscuri sacræ paginæ textus passim explicantur, & cùm pleraque curiosè indagata, tum omnia ad sacrorum librorum notitiam summo labore comparata continentur. Non potest tuum non esse, cùm sit sacrum, cùm diuinarum litterarum, quas vnicè amas & colis, Originem inuestiget, cùm Lugduni natum sit, licèt foris conceptum, cùm denique obstetricantibus curis meis in lucem editum. Auctor (peregrinus homo, sed vir doctrinæ ac pietatis summæ) gestiet sibi licuisse Virtutem tuam propiùs spectare, & impensiùs venerari. Ego verò gloriabor ex alienâ gente illustrem Tibi cultorem accersisse. Cùmque ea sit Virtus tua, quæ nec temporum nec locorum spatiis circumscribi debet, sed quæ Orbis meretur admirationem, gratulabor mihi*

non

non leuiter, si quid ad eam toto Orbe & futuris temporibus celebrandam contulerim. Audeo enim, CARDINALIS EMINENTISSIME, audeo, inquam, de operâ nostrâ magnificè sentire, & munus hoc quod tibi appendo, nonnihil æstimare: cum hoc enim libro transmittam in omnes gentes quæ ratione pollent & oratione, virtutum tuarum famam, & eruditæ posteritati gloriam tuam commendabo. Gloriæ meæ & felicitatis culmen assequar, si offerentem non dedignaberis, si cum munere animum recipies; si me Tuum esse patieris; si demum consenties vt omnibus testatum hic relinquam, quanto studio, quantâque sim cum veneratione

EMINENTIÆ TVÆ,

Humillimus, & obsequentissimus seruus,

PETRVS PROST.

† 3 *APPRO*

APPROBATIONES.

IOANNES DE MONTALVO Societatis Iesu, in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi factâ à Reuerendo admodum Patre nostro Mutio Vitellescho, Præposito Generali, facultatem facio, vt liber inscriptus *De Origine Sacra Scriptura*, Auctore P. Ioanne Eusebio Nierembergio, nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio, die 21. Octobris, anno Domini 1635.

IOANNES DE MONTALVO.

NOS BENEDICTVS PVYS Magister in Theologia, Caput Capituli, & Canonicus Insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Nicetij Lugdunensis, Vicegetens in Officialatu Primatiali Galliarum: Fidem facimus in hoc Opere, quod inscribitur, *De Origine Sacra Scriptura, libri XII.* per R. P. Ioannem Eusebium Nierembergium è Societate Iesu: nihil alienum à fide, & Doctrina Orthodoxa reperisse; imò omnia, & singula exquisita, & quæ animo studioso, & arcana, remotiora & abstrusiora super hac materia inuestiganti, possunt plurimùm satisfacere. Lugduni apud Sanctum Nicetium pridie Nonas Septembris anno Domini M. DC. XLI.

BENEDICTVS PVYS.

Superioris Ecclesiastici Approbatio & Consensus.

VIsâ eruditissimi Doctoris superiùs exaratâ Approbatione, & iudicio de hoc Opere, cui inscriptio est, *De Origine Sacra Scriptura*, &c. per R. P. Ioannem Eusebium Nierembergium, è Societate Iesu, &c. animum illicò inuasit illud euoluendi cupido, nec haud dubiè vana: quippè in eo literarum omnium & linguarum insolita scientia, multiiuga grauissimorum Authorum & sanctorum Patrum lectio, inusitatarum, earúmque perutilium quæstionum cum admiratione accurata discussio, in enucleandis Sacræ Scripturæ locis difficillimis splendor dilucidissimus. Quæ omnia sanæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ conformia, iure suo publicum bonum prælo subiicienda dum conclamat, mearum partium duxi esse assentiendum. Lugduni 5. Septembris 1641.

DE VILLE Vic. Gen. Substitutus.

Facultas R. P. Præpositi Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi.

IOANNES GAYET Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III.* 10. *Maij* 1583. *Henrico IV.* 20. *Decembris* 1606. *& Ludouico XIII. nunc regnante*, 14. *Februarij* 1611. *concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne Libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant; permittit PETRO PROST Bibliopolæ Lugdunensi, vt Librum cui inscriptio est*, Ioannis Eusebij Nierembergij è Soc. IESV, De Origine Sacræ Scripturæ Libri XII. *ad sex proximos annos imprimere, ac diuendere posit. Datum Lugduni die* 12. *Septembris, anni* 1641.

IOANNES GAYETVS.

SVMMA



SVMMA HVIVS OPERIS
& Capitulorum eius.

LIBER PRIMVS.

In hoc primo Libro monstratur origo sacræ Scripturæ ab ipsa mundi constitutione, vsque ad inuentionem literarum, in quo proponuntur multa argumenta, quibus probari videtur ante sacram Scripturam alios libros fuisse scriptos.

Capitula hæc sunt.

LIBER II.

In hoc secundo libro ostenditur vsus literarum vnà cum sacra Scriptura per Moysem cœpisse. Capitula hæc sunt:

LIBER III.

In hoc tertio libro respondetur argumentis oppositis. Capitula hæc sunt:

Cap.7.

Operis summa.

LIBER IV.

In hoc quartò libro vestigantur libri Mosayci, & characteres quibus libri sacri scripti. Capitula hæc sunt:

LIBER V.

In hoc libro quinto agitur de variis scriptionis generibus, quæ libris sacris imputantur. Capitula hæc sunt:

LIBER VI.

In hoc libro sexto disceptatur origo linguæ Hebraicæ, & multis argumentis ostenditur reuelata ea lingua Moysi, vt sacram Scripturam Hebræo idiomate auspicaretur.
Capitula hæc sunt:

Cap. 7.

LIBER VII.

In hoc libro septimo disceptatur an ligata vel soluta oratio prior sacræ paginæ scriptio fuerit edita? Multa interim scitu digna explanantur. Capitula hæc sunt:

LIBER VIII.

In hoc libro octauo explanatur quo tempore, quibusque legitimis ritibus vetus & nouum Testamentum inchoata fuerint, multa eruditè notantur. Capitula hæc sunt.

Cap.26.

LIBER IX.

In hoc libro nono enarrantur Auctores sacrorum librorum: multa interim notanda exhibentur. Capitula hæc sunt:

LIBER X.

In hoc libro decimo procedit eadem materia. Capitula hæc sunt:

Cap.21.

LIBER XI.


In hoc libro vndecimo agitur de scriptione prima noui Testamenti, & aliis sacris Scriptoribus. Capitula hæc sunt:

LIBER

LIBER XII.

In hoc libro extremo explicatur sigillatim initium multarum particularum sacræ Scripturæ. Nonnulla de septuaginta Interpretibus disputantur,& alia non indigna scitu. Capitula hæc sunt:

IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII, E SOCIETATE IESV, LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Origo ſacræ Doctrinæ non ex verbis, ſed ex rebus auſpicia ſumpſit.

Explicatur locus Iſaiæ Cap. 16.



ACRAM SCRIPTVRAM, etſi multis nominibus, venerabilem, & commendatam, in ipſis quoque ſui auſpiciis, vt pleræque res origine nobilitantur, admirandam miror. Quod cùm à paucis animaduerſum, à nemine diſputatum viderim, iuuat nunc iſtam prouinciam ſuſcipere, neque exiguæ pretium operæ reor futurum, eius ſerutari exordium, vt diſcamus quanti nobis facienda ſit cæleſtis in ea tradita doctrina, poſtquam viderimus quanti à Deo facta ſit, vt traderetur. Dicturus igitur de origine ſacræ Paginæ, in qua diuina eloquia veneramur, non humani inſtar ſermonis verbis tantùm, ſed rebus quoque ipſis nos alloquentia, de hoc quoque loquendi genere nonnihil prius dicendum. Ea decebat maieſtas diuinum ſermonem, vt non vni affandi methodo ſtringeretur, ſed ad multos ſignificandi pateret modos. Conſtans eſt Patrum omnium aſſenſio multa nobis per res ſignificari diuinitùs; neque enim ignobilis hic effandi ritus, ſed ſignificantior quidem, & ſapientior. Etenim ipſi ſummi gentium ſapientes hoc modo ſapientiùs ſe loquuturos rati, magni momenti dogmata contemptis verbis, rebus & actionibus repræſentarunt. Periander, qui inter ſeptem Græciæ Sapientes nobilem ſibi locum & nomen comparauit, vt præcepta politica intimiùs commendaret; non vocum pronuntiatione, ſed rerum repræſentatione explanauit. Namque vt omnium in ciuitate ciuium æqualitatem procurandam dictaret, tacito ore ſupereminentes ſpicas demetebat, & æquabat, prout in tertio Politicorum libro Ariſtoteles ſcripſit. Similiter & Tarquinius, teſte Liuio, papauerum cadauera decuſſit, vt Gabinios è medio tollendos demonſtraret. Idanthuras Scytharum Rex prudentiſſimus, quemadmodum prodidit Pherecides Syrius, cùm Darius traiecto Iſtro fluuio bellum ei per litteras, & Regionis vaſtitatem denuntiaret, niſi Perſis parerent Scythæ: nihil verbis reſpondit, ſed rebus, mittens ad Darium murem,

ranam, auem, iaculum, aratrum; quas res ita legit & interpretatus ad Darium Xyphodres: Nisi protinus tanquam aues euolauerimus, aut tanquam mures terrani, vel tanquam ranæ aquam subierimus, illorum iacula non effugiemus, sed eorum agros, aut cæsi impinguabimus, aut capti, & sub iugum missi aratru scindemus. Alij dominaturi in aliquam regionem, agnum intus emittebant, bellum inferendum, & dominatum acquirendum hoc signo sine aliis literis, aut verbis denuntiantes. Quod sic in secunda Centuria Diogenianus testatur: *Qui bellum suscepturi essent, Caduceatorem cum agno ablegabant, quem dimittebat intus. Significans ipsorum bona, & ciuitatem deuastatum iri, vt pecudes ibi pascant.* Hinc parœmia orta, de qua in stromateis prouerbiis *ἄγρα προβάλλ emittit agnum*; Atque vt obiter aliqua moneam ab aliis fortasse, non animaduersa, & vindicem aduersùs Rabbinos egregium de Christo Domino locum Isaiæ; videtur ad dictum morem allusisse Propheta, cum capite decimosexto ait: *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ.* sic legendum est, & legunt etiam Septuaginta, non vt Rabbi Salomon: *Dominatori terræ,* & plerique Hebræorum, detorquentes hunc locum à Christo, ad Regem Ezechiam, cuisuadeat Isaias pendi antiquum tributum centum millium agnorum, de quo in tertio capite libri quarti Regum. Quid enim cum Rege Iuda Moabitis, qui tributarij non fuerunt Regibus Iuda, sed Israël, quod regnum ab Assyriis iam erat excisum: Quare intelligendum est de Christo, quo misso in terram tanquam agno immaculato, dominaturus gentibus erat Deus, & vastaturus peccatores, & idololatras. Cyrus quoque, vt testatur Iustinus, iubens Persas securibus exscindere syluam, & postera die apparatis epulis inuitans, persuasit omnibus imperium Medorum à se excutere, vt gaudium libertatis breui labore emerent. Sic quod verbis solis vix posset, eloquio rerum facillimè obtinuit.

Et quidem vt egregiè dixit Augustinus libro secundo de doctrina Christiana: *Sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia.* Hic loquendi modus apud homines rarus est, & mirandus; apud Deum frequens & salutaris, prius per res, & opera, quàm per verba nobis locutum; meritò propterea sacræ linguæ dialectus opera diuina appellat verba, & fieri verbum dicit. Cùm autem verba sua scriptis mandare voluit, non desiit loqui per res. Vtrumque loquendi genus in sacris libris complexus. Hoc est, quod Apostolus dixit: *Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Et alibi: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Quantò enim prudentior quisque, tantò paucioribus rebus plura concludit. Sic oracula Dei, & diuinæ Sapientiæ verba multa dicere vna sententia decuit. Loquitur Deus verbis significantibus res, & ipsis etiam rebus, alias significantibus res; ità vt semel loquente Deo duo saltem audire, & intelligere cum Dauide possimus; Apud Hieremiam quoque aptè comparantur Dei verba malleo conterenti petram; ex cuius vna percussione scintillæ plurimæ nitent. Significantius ab Ezechiele rota dicitur in medio rotæ, & singulas quatuor facies habere: quoniam sensus sensui inest, & multas singuli facies habent.

CAPVT II.

Prima Dei Scriptura ipsa natura est.


ERGO diuinam sacræ Scripturæ doctrinam, non tunc solùm inchoasse reor, cùm scriptis mandari cœpit, sed multò antè, cùm ad nostram eruditionem, & sublimiora mysteria significanda mundanas res prouidebat Altissimus, qui per Patriarcharum gesta, per admirandos mundi euentus, per ipsam naturæ conditionem cœpit erudire mortales. Vnde non insulsè meditati videntur, qui primam Dei Scripturam ipsam dixerint naturam, siue vniuersum multis constans naturis. Sanctus Dauid propterea dixit, cælos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiare firmamentum, neque esse loquelas, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Hermes Trimegistus, librum Diuinitatis Mundum appellauit, vbi naturæ ipsæ pro literis, & sententiis sunt. *Est enim natura,* inquit, *liber vnus diuinitate plenus.* Similiter S. Basilius Homilia prima Hexameron:

Vniuersa

Vniuersa hæc mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus. Egregiè etiam Sanctus Chrysostomus Homiliâ in Psalmum centesimum decimum, exponens eum locum, *Exquisita in omnes voluntates eius*, ait: *Ad precepta eius (inquit) ad mandata eius: non solùm autem ad præcepta eius, sed vt ipse etiam cognoscatur ab hominibus, quæ quidem est principalis eius voluntas, & propter quam hæc maximè fecit. Quod itaque dicit Propheta est eiusmodi: ea, qui attendunt, & sapiunt perfectissimam, apertissimam & euidentissimam Dei cognitionem hominum menti afferunt. Ad hanc enim eius voluntatem, ea ab initio ab ipso maximè constituta sunt, vt magnitudine, pulchritudine, positurâ, operatione, ministerio, & aliis omnibus animum spectatoris commoneret, mentémque & intelligentiam excitaret, & ad opificem, & præstantissimum artificem Deum inquirendum, & adorandum eum, qui illa fecerit, & vt vniuersum corpus totius creaturæ esset ei pro libris & literis.* Conueniunt igitur tam oracula Scripturarum, quàm Patres, quot rerum & supernarum, & terrenarum genera sunt, tot voces esse, siue characteres, seu verba, vel orationes, diuinam immensam maiestatem notificantia. Si create, est Dei dicere, res conditæ verba Dei censebuntur: Mundus verò liber, in quo exarata sunt Dei verba, maiestatem illius proferentia. En liber ille scriptus intus & foris, signatus sigillis septem; scriptus, inquam, intrà, & extrà; quia intùs spectantur creaturæ spiritales, foris corporeæ; signatus sigillis septem, septem sphæris quasi circumseptus, sphærâ nimirum instellari, firmamento, planetaribus globis, igne, aëre, aquâ, & terrâ. In hoc libro elogia amplissima, præconiáque exarata sunt diuinæ maiestatis, potentiæ ipsius infinitæ, sapientiæ inenarrabilis, bonitatis immensæ, adeò vt asserere quoquo modo possimus, elementa esse litteras, mixta imperfecta syllabas, perfecta dictiones, hominem demum orationem absolutam. Vel quod rerum species omnes, verba sint, Dei maiestatem explicantia; in his enim conscribendis, manus Verbum fuit æterorum; calamus sapientia; tabella mundus; atramentum materia prima; charactéres, formæ, & qualitates specificæ; nexus ordo rerum; virgula & comma, rerum distinctio: rerum conditarum congeries Dei laudes complexim pronuntiat, atque orationem conficit. In hoc libro legere datum est tum rudibus, tum eruditis, tum viris, tum mulieribus, tam die quàm nocte, tam sæpè, quàm tarò, tam citò, quàm lentè; legentibus autem natura pædagogus est, intellectus lumen præstat. Eleganter Georgius Pisides in libro de mundi opificio incinuit:

Ὦ τὴν ἀνερμήνευτον ἐξοχὴν ἔχων,	*Tu effabilem nulli obtines præstantiam,*
Δεικνὺς δὲ σαυτὸν ἐν κατόπτρῳ τῇ κτίσει,	*Téque velut in speculo indicas re in condita,*
Ὅπως ἕκαστος ἐν μαθεῖν ἠπειγμένος,	*Vt quisque discendi auidior mortalium,*
Τὰς σὰς δι᾽ αὐτῆς, ὡς ἐφικτόν, ἐμφάσεις,	*Tui per ipsam imagines, quantum licet*
Μὴ τοὺς ὑπὲρ νοῦν ἀδεῶς ζητεῖ λόγους·	*Non altiores mente rationes petat:*
Ἀλλ᾽ ὡς νέος τις ἐκδοθεὶς διδασκάλῳ,	*Sed traditus puer vt magistello suo,*
Καὶ πρὸς τὰ πρῶτα ταῦτα γράμματα τρέχων,	*Ad litterarum primulas currit notas:*
Τέως τυπωθῇ τοῖς κάτω μαθήμασι,	*Hæc interim doctus rudimenta infima,*
Πρὸς καρτερήσεις τῇ σχολῇ τῶν κτισμάτων.	*Se se applicet studio creatorum omnium:*
Καὶ συλλαβὰς μὲν ἐμφρόνως τὰς οὐσίας,	*Ac syllabas solerter, vt substantias,*
Τὰς εἰς ἑαυτὰς συντεθείσας ἐκμάθῃ·	*In se inuicem perdiscat annexas probè:*
Τὰς ἡλίου δὲ καὶ σελήνης ἐκθέσεις,	*At Solis & Lunæ positiones, quasi*
Ὡς τῶν χρόνων ἔντεχνα σημεῖα, ξέσῃ,	*Distincta ritè puncta signet temporum,*
Ὅταν δὲ πᾶσαν τὴν προπαίδειαν μάθῃ,	*Et quando doctrina hac sciet primordia,*
Καὶ ταῖς καθολικαῖς ἐκτελεσθῇ προσῳδίαις,	*Communiores ac tenebit regulas,*
Πήξῃ τι τοῦ νοῦ εἰς τὰ τοῦ λόγου μέρη,	*Eritque mens affixa particulis in his*
Καὶ ῥητορεῦον ἐκφράσῃ τὰ κτίσματα,	*Sermonis, oratoriè ac res exprimet:*
Τοῖς κοσμικοῖς δὲ πᾶσιν ἐντύχῃ νόμοις,	*Legúmque mundi euadat hinc peritior:*
Καὶ τοῖς παλαιοῖς μὴ παρατρέπων ὅροις,	*Nec terminos transiliat antiquitùs datos,*
Εἰς διαλέξεις ἀκολουθῇ τὰς νέας·	*Nouísque studeat constitutis legibus:*
Καὶ πολλὰ πράξας, καὶ προκόψας εἰσέλθοι,	*Tum multa peragens, ac progressus longius,*
Ταῖς εἰσαγωγαῖς τῆς ἄνω θεωρίας,	*Speculationi alta viam faciat sibi:*
Καὶ τὴν ἐκεῖ σύνταξιν εἰς φρένας λάβοι,	*Atque ordinem concipiat animo eius loci,*
Τὴν τῶν μεγίστων πραγμάτων παιδοτρίβειαν	*Hunc maximarum ceu magistrum rerum habens:*
Τότε προβαίνων ἐντελέστερον μάθοι.	*Perfectius cognoscat inde & plenius,*
Ὡς οὐδὲν ἔγνω πλὴν σκιᾶς κεκρυμμένης,	*Nil ante cæcam præter vmbram nosse se:*
Οὔποτε λοιπὸν εἰ τὸ ἐξ ἀγνωσίας,	*Dumtaxat ita, tanquam ex mera ignorantia,*
Τὸ γνῶθι σαυτόν, εἰς διάσκεψιν λάβοι.	*Se noscat ipsum, mentis, & spectet bona.*

Itaque non minor antiquitas est sacri elogij, quàm rerum naturæ, neque minus mirandum eius exordium quàm vniuersi: eum ipsa mundi creatione creata Dei locutio exorsa fuit, vt primum Hieroglyphicæ scriptionis authorem Deum dicere possimus, qui in ipsa mundi digestione multa per rerum signa prænotauit; in ipsa natura delineauit gratiam; in rebus naturalibus mysteria præstruxit diuina, eadem postea in sacris explicaturus libris.

Sorores sunt Natura & Gratia, eundem optimum Patrem Deum habent, & mira quadam sibi assimilitudine respondent. Quæ Deus postea expressit eloquio, prius rudi adumbrauit typo; eo consilio architectatus est naturam, vt ea ipsa præsignaret, quæ sacris postmodum declararet scriptis, atque aliter rerum meditaretur vniuersitatem, mundi præpararet euentus, priscorum hominum actus ordinaret. Si aliter scripsisse vellet, & mysteria sancta diuerso decreuisset consilio.

CAPVT III.

Naturalia opera sunt signa & aduersarij, quibus Deus præfatus est sacram doctrinam.

Explicatur locus Psalmi decimi octaui.

N hoc quippe multa sunt, quæ miremur. Illa sacramenta, illa gratiæ mysteria, quæ in veteri Testamento adumbrata, quæ in nouo declarata; in natura quoque delineata inspicio, vt mihi videatur in natura velut aduersariis annotasse Deus quæ in sacra Pagina digessit: adeò vt notarit Anastasius Sinaita libro in Hexameron septimo totidē fuisse Dei opera ac libri sacri sunt: *Viginti enim duo fecisse opera Deum dicunt & Iudæorum & Christianorum interpretes*, &c. *propterea viginti quoque duobus libris enumerant omne vetus suum Testamentum.* Quod de sacramentis, & mysteriis dico, idem de salutaribus consiliis, vitiorum pœnis, & virtutum præmiis censeo: omnia per rerum naturas sapientissimus artifex, & Doctor omnium præsignauit. Latiùs hoc, & adhibitis exemplis comprobaui in occulta mea Philosophia, vbi de artificio naturæ disceptaui, & nullum operæ prerium æstimo eadem iterare. Sicut autem in Abel, & Isaac præsignificatum Christum; in Cain peccatores; in arca Noë Ecclesiam: in Esau reprobos agnoscunt Doctores sacri: Ita etiam in ipsis rebus naturalibus similium arcanorum mirantur effigies, nec aliter quàm sacra verba interpretantur naturam S. Anastasius Sinaita, S. Epiphanius, S. Augustinus, S. Basilius, S. Ambrosius, Michael Glycas, & alij. Hinc Moyses legem & doctrinam Dei scripturus, conditionem naturæ tanti fecit, vt ab ea exorsus fuerit, quippe qui agnoscebat in ea magnam doctrinam, & magnarum rerum significatus contineri. Vnde Sanctus Augostinus enarratione in Psalmum quadragesimum septimum, ait: *Non frustrà Dominus ait de Moyse; de me enim ille scripsit, nisi quia omnia, quæ scripta sunt, etiam cùm Deus conderet creaturam, possunt interpretari ad significationem futurorum, vt intelligas Deum fecisse lucem, cùm Christus à mortuis resurrexisset. Tunc enim re vera lux illa diuisa est à tenebris, quando immortalitas à mortalitate discreta est.* Animatas etiam naturas eâ ratione fabricatas fuisse intelligemus.

Prolixum esset similia ex Patribus interpretamenta congerere. Paucula dumtaxat producam, quibus ostendunt præparatas à Deo res naturales, vt altiora nobis dictarent Mysteria, atque ipsi excerpunt inde tanquam ex sacris verbis mirandos sensus. Et si quidem Deus per artificialia, quibus Arcam fœderis, Tabernaculum, & Templum exornauit, mysteria gratiæ, morúmque documenta prænotauit, atque hoc fine tot artificialia fabricari iussit, cuius gratiâ infudit Beseleel mirandam fabrefaciendi artem, cur non dicemus etiam naturas fuisse fabricatas, vt similia mysteria, similia morum documenta præumbrarent? Hoc ipsum quidem peruidit Apostolus, & ante Apostolum, Dauid. Nam cælos, & cælorum sonitum in omnem terram exeuntem, Apostolos, & Apostolicam prædicationem Sanctus Paulus intellexit: non quod Dauid de cælis non fuisset locutus, sed quoniam in eo, quod de cælis dicebat, prædicebat etiam Apostolos, simul cælos, & Apostolos denotans. Nam quamuis verba significarent

ficarent cælos, ipsi cæli significabant Apostolos. Vtrosque in mente habebat, quamuis in verbis solos cælos nutasset, sed per cælos Apostolos. Hinc est, cum duo in mente haberet, cur ad duo videatur referri cùm ait: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Dixit *quorum*, & statim *eorum*, quod necesse non erat, si in vnam rem tantum intendisset: At quia duo in mente habebat, ad duo retulit verba; agnoscens prius prophetasse Deum per cælos prædicationem Apostolicam, quam ipse per verba pronuntiauit. Ita in rerum naturis mysteria gratiæ præscripta legunt Sancti, & primùm Sanctus Cyrillus Alexandrinus audiendus est, sic canens in Iambis de animalium proprietate:

Τίς ἀσπόρως τὰς γῦπας ἐξάγει τόκῳ,	*Quis vultures educit absque semine*
Θήλεος παρ' αὐτοῖς οὐχ ὑπείσης ἄρρενος·	*Partu, marito non subacta femina*
Οἱ τὴν καθ' ἡμᾶς προφέρουσαι παρθένον	*Perlucidam nostram exhibentes Virginem*
Δεικνῦντες αὐτὴν, ὡς ἐφικτὸν ὄρνισι;	*Ipsam, vt volucribus licet? nam oportuit*
Ἔδει γὰρ οἶμαι τοῦ τοσούτου θαύματος	*Miraculi obscuras habere imagines*
Ἔχειν ἀμυδρὰς ἐμφάσεις.	*(Vt credo) tanti.*

Similiter Origenes scribens contra Celsum: *Præterea (ait) dicendum ad Græcos non credentes Iesum natum de Virgine, mundi opificem, in animantium genitura tam varia, satis declarasse, potuisse si libuisset in vnoquoque animali, quod in aliis fecerit, atque etiam in homine facere. Reperiuntur autem inter animantes quædam feminæ, quæ maris congressum prorsus nesciunt, sicut produnt de vulturibus, qui scripserunt de naturis animalium: nihilominus hoc animal perpetuat successionem sui generis. Quid igitur mirum si volens Deus diuinum quemdam magistrum generi hominum mittere, fecit, vt vice seminationis, quæ fit ex congressu maris, & feminæ, alia quadam ratione consuleretur futuro partui?* Hactenus ille: Cyrillus autem satis explicuit eo fine constructas aliquas naturas vt imagines maiorum mysteriorum præcederent, eáque repræsentantes præpararent fidem ad altiora sacramenta. Neque obscurè de Elephante loquens Michael Glycas, ait: *Nec ad Venerem Elephantus accedit, quemadmodum harum rerum periti tradunt, nisi mandragoram degustet; nam priùs quàm hoc fiat, nullam coitus libidinem experitur. Quapropter femina sumptam mandragoram comedit, eandémque mari porrigit, & hoc pacto ad consuetudinem veneream accedunt. Hoc autem manifestò referri ad homines illos primùm conditos debet: nam & illi ante ligni vetiti degustationem, libidinibus superiores erant. Verùm post eam, cum Eua rem Adamus habuit, eáque Cainum peperit.* Hactenus Glycas, qui in Elephantina hac proprietate lapsum Adami repræsentatum vidit. Magis methodicè S. Epiphanius dixit in suo Physiologo: ἡ θήλεια ζητεῖ βοτάνην τὴν λεγομένην μανδραγόραν, καὶ μεταλαμβάνει ἐξ αὐτῆς, καὶ εὐθέως πυροῦται καὶ πορεύεται πρὸς τὸν ἄρρενα, καὶ παραβιάζουσα κομίζει αὐτῷ τὴν βοτάνην· καὶ μεταλαμβάνει ὁ ἄρρην ἐξ αὐτῆς, καὶ εὐθέως πυροῦται, καὶ συγγίνεται τῇ θηλείᾳ. ἐπερχομένου δὲ τοῦ καιροῦ τοῦ τεκεῖν, εἰσβαίνει εἰς τινὰ λίμνην τοῦ ὕδατος, τὸ ὕδωρ καταμετροῦσα ὡς τοῦ ἐπιπάσαι τοῖς μαστοῖς, καὶ ταύτῃ γεννᾷ. ἐὰν γὰρ τέξῃ ἐπὶ τῆς γῆς, ἀδυνατήσει ὁ σκύμνος ἐγερθῆναι ἀμοιρῶν ἁρμονιῶν. ΕΡΜΗΝΕΙΑ. Πρόδηλον δὲ ὅτι ὁ πρωτόπλαστος Ἀδὰμ οὐχ ὥσπερ ἡ Εὔα τοῦ παρακοῆς ξύλου προσεγεύσατο προσκομιζομένη τῷ ἑαυτῆς γαμετῇ, ὅτε μετὰ τὴν γεῦσιν, εὐθέως δὲ παραβεβηκέναι ᾔσθετο. τί δὲ ἐγέννησε; τὸ ἐν δίκῃ τὸ ἁμαρτάνειν· τίς γὰρ ἡ τῆς γονῆς λίμνη; ὁ παράδεισος. *Femina herbam, quæ mandragora dicitur, quærit, quam gustat, & coëundi cupiditate accensa, ad marémque properans illam ipsi offert. Mas verò, vt comedit, ardet libidine, & feminæ miscetur. Iam cùm instat pariendi tempus lacum ingreditur, pertentátque aquam; quâ mamillas vsque pertingente parit: si enim in terram ederet fœtum, haud eleuari posset cùm membrorum compagibus careat. INTERPRETATIO. Manifestum est, primum parentem Adamum, non vt Euam obedientiæ lignum prægustasse: illa enim dedit viro; qui vt comedit, sensit præceptum Domini transgressum esse. Quis igitur partus? peccatum: & lacus vbi peperit quis? Paradisus.* Ecce tibi quo pacto interpretatus naturas rerum, eas refert ad mysterium; quo minimè caret perdix celebris in Ieremiæ vaticinio: Quapropter Philastrius in Præfatione libri de hæresibus sic ait: *De hæreseon diuerso pestilentia, variísque erroribus, qui ab origine mundi emerserint, & sub Iudæis defluxerint, & ex quo venit Dominus noster Iesus Saluator in carne, pullulauerint, dicere oportet, numerúmque earum paulatim exponere; inimicúmque humani generis perdici fuisse à Hieremia Propheta non immeritò comparatum agnoscere; qui cùm infœcunditatem patiatur, fœtus alienos furtim fœtus incubans, quasi suos iam fouet, ac vindicat filios, vsque ad tempus aliquod: cúmque eis iam tempus ætatis discernens accreuerit, tunc amissis falsis parentibus, iura parentum sensu proprio recordantes, palámque oculis intuentes, sequi eos ampliùs non demorantur:*

raItur: Quorum causa nobis similitudo hæc denunciata est, quod Diabolo relicto impietatis causâ, eius qui orbem terrarum sua sub ditione cùm tenere putaret: postquam vero Christo parente à nobis viso ac recognito, omissâ falsitate parentis mendacissimi, tam veri parentis Christi vestigia sequi omnis homo non moratur, agnoscens quotidie per ænigma: compleri enim cognoscimus prophetiam Hieremiæ Beatissimi ita dicentem: Clamauit perdix, collegit quæ non peperit, faciens sibi diuitias non cum sapientia, in medio dierum derelinquent eum, & in postremo erit insipiens. Hactenus Philastrius.

Quid de Turture, inquam, de Boue, de Leone, de Aquila, de Columba, de Oliua, de Palma, de Serpente, de Sole, Luna, Stellis, quibus tanquam signis & visibilibus verbis, vt cum Augustino loquar, magnarum rerum, sacri scriptores vtuntur.

CAPVT IV.

In conditione naturarum meditatus est Deus, quod in sacra Scriptura præcepturus erat. Declaratur claudicatio Aquilæ, & cur immunda habeatur?



HAVD dubito quidem in harum omnium rerum naturalium conditione respectasse Creatorem doctrinam nostram, quam in libris sacris postea complexus est, & in quibus propterea multis naturarum ingeniis fuit ad vsum nostrum, & eruditionem adiutus. Quæque in lege præcipit, aut mundorum animalium licentiam, aut immundorum interdictum, in ipso exordio naturæ meditatus fuit. Vnum proferam exemplum, vt innumera compendij causâ supprimam. Aquilam Ætheris principem, & Reginam auium, licèt multis commendatam nominibus, sæpè in sacris Literis damnatam video, atque eius esum interdictum. Quapropter eius mores conferre iuuat, vt exploremus, quod vitium præponderet tot virtutibus. Et video ob ipsum maiestatis affectum, & superbiæ labem penè indiuiduam Regno, inter immundarum volucrum satis censeri vulgus. Quod etiam Radulphus Flauiacensis obseruat libro octauo in Leuiticum, capite tertio: *Aquila* (inquit) *quæ inter cæteras aues altiora volando petere solet, superbiam exprimit potentium, de quibus scriptum est: Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* At sunt alia huius regiæ volucris vitia, quæ notari merebantur, & quæ artificium Dei magis explanabunt præparantis in naturis rerum, siue præludentis, quæ ad Scripturæ sacræ doctrinam spectabant. Aldrouandus obseruauit libro primo Ornithologiæ inæqualibus, & discoloribus constare Aquilam pedibus dextro sinistrum superante. Pedum autem culpam sæpè Scriptura damnat: in Leuitici capite vigesimo primo arcetur claudus ne offerat panes Deo: & Deuteronom. 15. cauetur ne claudum animal immoletur: & capite Malachiæ primo sic queritur Dominus: *Si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est?* Quod vitium morum significet pedum inæqualitas ex Platonicorum medulla explicuit Chalcidius in Timæum: *Consequenter namque sibi hominem componit* (Plato nimirum) *ex anima & corpore. Quotusquisque igitur vtrumque curabit, erit incolumis, & fortis: qui neutrum, mancus & debilis: qui alterum ex duobus claudus. Ergo indocilis, & corpori tantùm diligentiam impertiens, claudam habebit vitam; procul dubio claudam quoque illius animam fore, cuius recta quidem sint opiniones, sed nequaquam sacris intelligibilium sit initiatus.*

Psalm. 17. Quare animus claudus non minùs damnatur in sacra pagina? Dauid inquit: *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Et Elias re-

3. Reg. 18. prehendens inconstantiam, & infidelitatem Israëlis, ait: *Vsquequò claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Nec ingenio Aquilæ claudicatio defuit; inæqualitatis enim labe maiestatem dehonestat: Plures enim aues pascit ex aliarum rapina; occidit aliquas, ex quibus alias liberaliter alit. Omnibus enim pedissequis, & adulatricibus volucribus suppeditat splendidè cibos ex venatione sua. Non est autem integra beneficêtia cum damno prodesse: sed velut clauda, & deformis, cùm in violentiæ iniuria deficiat tyrannico ritu. Itaque in hoc aquilino ingenio, imò corpore videtur Deus respexisse quæ in lege præcepturus erat: obinde naturæ cognitionem necessariam duxit Augustinus intelligendæ Scripturæ, cuius

culus etiam ignorantia *facit*, inquit, *obscuras figuratas locutiones, cùm ignoramus, vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarúmve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicuius gratiâ panuntur. Nam & de serpente, quod notum est, totum corpus eum pro capite obiicere ferientibus, quantùm illustrat sensum illam qao Dominus iubet astutas nos esse sicut serpentes; vt scilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potius persequentibus offeramus, ne fides Christiana tanquam caput necetur in nobis, si parcentes carpori negemus Deum; vel illud quod per cauernæ angustias coarctatus, depositâ veteri tunicâ vires nouas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipsius serpentis astutiam, exuendúmque ipsum veterem hominem, sicut Apostolus dicit, vt induamur nauo; & exuendum per angustias dicente Domino: intrate per angustam portam. Vt ergo notitia naturæ serpentis illustrat multas similitudines, quas de hoc animante Scriptura dare consueuit, sic ignorantia nannullorum animalium, quæ non minus per similitudines cammemorat, impedit plurimùm lectorem. Sic lapidum, sic herbarum, vel quæcumque tenentur radicibus. Nam & carbunculi notitia, quad lucet in tenebris multa illuminat etiam obscura librorum, vbicúmque propter similitudinem ponitur, & ignorantia berylli, vel adamantis claudit plerumque intelligentia fores. Nec aliam ob caasam, facile est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ramusculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia nouimus, & olei lenem contactum non facile alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem propter ignorantiam hyssopi dum nesciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel vt dicitur, ad saxa radicibus penetranda, cùm sit herba breuis, atque humilis, omnina inuenire non possunt, quare dictum sit: Asperges me hyssopo, & mundabor.* Hæc Augustinus. Lib. 2. de doctrina Christiana c.16.

CAPVT V.

Quando res naturales in Scriptura non significant proprietates naturales?

Explicantur ardua verba Psalmi 67.

ITAQVE in ipsa naturæ fabrica collimauit, & attendit Deus, quæ postea scripturus literis erat, quæ arcano intelligenda sunt significatu iuxta ipsarum rerum naturam, & ingenia, nisi obstet accidens, mos, aut allusio; vbi enim aquila, turtur, columba auditur, substituitur significatio eius proprietatis, quam in ipsa eius rei natura Creator insculpsit aut agilitatem aquilæ, aut fidem turturis, aut simplicem mansuetudinem columbæ, quamuis vt dixi accidens allusio ad contrarios significatus has flectere queat voces. Quamobrem apud Ieremiam capite vigesimo quinto, furor per columbam indicatur, quia inquit: *facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ.* Assyrij quippe in vexillis, & labaris columbas præferebant, sicut Romani & Persæ aquilas, in memoriam (quod obseruat Diodorus Siculus) & honorem Semiramidis Babyloniorum primæ Reginæ, quæ à columbis enutrita infans fuit, sicut Gnidius scripsit, atque post mortem in columbam versam vulgus credidit, & Lucianus prodit; ipsúmque nomen Semiramis columbam notat. Hinc factum per columbam relictâ naturali eius significatione, Assyrias copias, & Reges notari. Hinc Ieremias inducit, quasi debellantes leonem, & columbam, hoc est, Iudæos, & Chaldæos: sed columbam vicisse, & protriuisse leonem, qui fugam capessere, & latibulum derelinquere coactus est. Similiter & Dauid dixit: *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Puto in his versibus prædixisse Assyriorum fugam trucidato Holoferne ab Iudith. Implexa & ardua, & profunda est Dauidis sententia ab illis verbis: *Rex virtutum dilecti dilecti*, neque ingratum erit eam explanare; nam iuxta obseruationem prædictam valde læuigabitur: is enim Psalmus est triumphale carmen de variis victoriis populi Dei, inter quas debuit etiam commemorari egregium factum, & victoria Iudith. Lib.3.c.8. Lib. de Syria Dea. Psalm. 67.

Rex igitur *virtutum*, hoc est, exercituum est Nabuchodonosor, seu eius nomine tanquam ipsius Vicarius Holofernes, de quo in libro Iudith dicitur: *Præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethuliam:* Et capite quinto eiusdem libri: *Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere Regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius?* Exercitus autem *virtutis*

nomine

nomine notatur capite secundo, vbi dicitur: *Holofernes vocauit Duces & Magistratus virtutis Assyriorum.* Hic igitur *Rex virtutum*, & maximus exercituum Imperator erit populi *dilecti dilecti* Deo, hoc est, à valde dilecto populo vincetur. Quod clariùs expressit aliorum lectio: *Reges ingentibus copiis instructi fugerunt, fugerunt*, Duces, & Populi, quos in suo exercitu Holofernes ferebat, ipso interempto diffugient, sicut in capite decimo quinto dicitur: *Inclinato capite relictis omnibus euadere festinabant Hebraos, quos armatos super se venire audiebant fugientes per vias camporum*, &c. Quid inde? *& species domus diuidere spolia.* Egregiè Caietanus hic vertit: *Et habitatrix domus diuidet spolia.* Iudith nimirum, quæ pro eximia pudicitia domi semper reclusa manebat, de qua in capite octauo suæ historiæ dicitur: *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Nam נְוַת בַּיִת *nevath bajith* significat (etiam Bellarminus notauit) *habitatricem domus*, & mulierem speciosam & delicatam, quæ ferè semper domi manet, & inde translato vocabulo significat *speciem* & *pulchritudinem*, sicut Septuaginta verterunt. At quovis modo satis indicatur fœmina illa speciosa Iudith domus suæ custos, huic diuiserunt spolia, & ipsa diuisit cum Deo spolia Holofernis; nam capite decimo quinto dicitur: *Per dies autem triginta vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israel. Porrò autem vniuersa quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo.* Et capite extremo dicitur: *Porrò Iudith, vniuersa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis.* Hoc autem fiet, *si dormiatis inter medios cleros*, hoc est, si dormierint ex populo Dei, Iudith, & ancilla eius inter hostiles terminos, & Assyriorum castra, seu *Aulas*, vt Chaldæus vertit, vbi sunt *pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri:* In fuga enim Assyriorum videbantur dorsa suarum columbarum, quæ tunc habebant opus præpetibus pennis. Dicuntur pennæ deargentatæ columbæ, nam alba erat columba, quam venerabantur Assyrij, & Syri, iuxta quod Tibullus cecinit.

Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro.

Argenteum enim, siue argentatum notat eximiam albedinem, sic Petronius lusit:

Argento stat facta manus.

Cassiodorus quoque equos argenteo colore vestitos dixit pro equis albissimis: sic
4 Var. epist. 2. Sanctus Zeno sermone primo ad Neophytos: *Dauid Regius Pastor omnibus momentis lac argenteum subministrat.* Virgilius quoque in octauo Æneidos:

Atque hic auratis volitans argenteus Anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.

Porrò columba Assyria præter alborem argenteum aureo quodam torque exornabatur, vt videretur torquata columba. Apuleius libro sexto Asini ait: *Procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilares incessibus, pura colla torquentes*, siue vt Passeratius vult, *torquata.* Propertius libro quarto:

Sed cape torquata Venus, ô Regina columba,
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

Dixit quoque S. Hieronymus contra Ioannem Origenistam: *Columbarum colla ad singulas conuersiones colorem mutantia.* Et Cæsar Neró concinit:

Colla Tyberiacæ splendent agitata columbæ.

Apuleius in secundo floridorum: *ceruicula eius circulo minio velut aureo torque, pari fulgoris circumactum cingitur, & coronatur* Albertus Magnus scribit columbas auri splendorem in pennis colli sui intuentes oblectari. Igitur quia eximiæ columbæ torquatæ erant, & quia olim torques Regium stemma fuit, sicut modò corona, vt constat ex historia Iosephi, & Danielis; idcirco sicut aliæ gentes in insignibus præferebant leones, aut aquilas coronatas, Assyrij in vexillis suis columbas ostentabant albas aureo torque cinctas collum tanquam corona, aut Regio stemmate, iuxta illud Næuij:

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Quid tandem? addit Dauid, *Dum discernit cælestis, Reges super eam niue dealbabuntur:* nam dum Deus Rex cælestis diiudicauit, & puniuit Holofernem, & Assyrios Duces, & Regulos per Iudith, occiso Holoferne, & fugatis reliquis Ducibus, & copiis Assyriis, maximoperè lætati sunt Hebræi; hoc significat *niue dealbabuntur.* Vestes enim & color candidus lætitiæ signum erat; sic Lactantius carmine Paschali cecinit:

Fulgentes

Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Et S. Gregorius dixit: *In vestibus albis gaudium & solemnitas mentis attenditur.* Quanta fuerit hæc lætitia Iudæorum satis significat sacer Textus capite decimo quinto Iudith: *Omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus in organis, & citharis.*

Cæterùm difficultatem arduæ huius loci Grammaticæ meritò non magni facimus, quæ communis est aliis sacræ paginæ locis. Nec enim Diuinus Spiritus, nec stylus præceptiunculis mortalium stringitur. Mirum est, quod S. Hildegardi accidit, quæ diuinitùs accepit notitiam linguæ Latinæ, non eius Grammaticæ. Sic Theodoricus author eius vitæ, initio libri secundi prodit: *Magnum est etiam illud, & admiratione dignum, quod ea quæ in spiritu audiuit, vel vidit, eodem sensu, & eisdem verbis circumspectâ, & purâ mente manu propriâ scripsit, & ore edidit, vno solo fideli viro symmysta contenta, qui ad euidentiam Grammaticæ artis, quam ipsa nesciebat, casus, tempora, & genera quidem disponere, sed ad sensum, vel intellectum eorum nihil omnino addere præsumebat, vel demere. De hoc certè etiam ad Adrianum Papam scripsit, quod sic in cælesti visione sibi dictum audiuit: Cùm desuper tibi ostensa ad formam humanæ consuetudinis non protuleris in Latina lingua, quia hæc consuetudo tibi non est data, ille qui limam habet, ad aptum sonum hominum explere non negligat.* Ipsa Sancta idem alibi fatetur; ait enim sic in libro suo, qui *Scinias* prænotatur: *Cùm quadraginta duorum annorum, septémque mensium essem, maxima coruscationis igneum lumen aperto cælo veniens, totum cor, totúmque pectus meum velut flamma, non tamen ardens, sed calens, ita inflammauit, vt Sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos ponit. Et repentè intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterij, Euangelij, & aliorum Catholicorum, tam veteris, quàm noui Testamenti voluminum sapiebam, non autem interpretationem verborum textus eorum, nec diuisionem syllabarum, nec cognitionem casuum, aut temporum habebam.* Donum quoque linguarum non ad concinnam elegantiam Apostolis impertitum. Hinc est diuersum esse Pauli stylum in epistola ad Hebræos, quàm in cæteris: Illam quia natiuâ linguâ elegantiori calamo profudit; reliquas ex dono linguarum minori sermonis dictauit ornatu. Deinde scriptores sacri Hebræi fuerunt, & Hebræis scripserunt, & pleraque Hebraicè, quorum verborum veneratione Interpretes Latini & Græci phrasi & stylo inhærentes Hebraico, crebrissimè hebraizant, & subinde Latinæ Grammaticæ solœcismos non curant, quod obseruauit Sanctus Hieronymus libro secundo Commentariorum in Epistolam ad Ephesios. Cúmque casibus careant Hebræi, Interpretes casum pro casu per Antiptosin vsurpant. Sic in secunda ad Corinthios octauo capite dicitur: *siue pro Tito, siue fratres nostri*, cùm deberet scribi *fratribus nostris*. Huiusmodi multa in sacris voluminibus reperiuntur, vt mitior sit huius loci Grammatice: *Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus diuidere spolia.* Nec enim in hoc loco peccatum Grammaticæ est, sed concisa & prægnans locutio, vbi nonnihil supplendum, quod non insuetatum Latinissimis, & elegantissimis, quibus propterea interdum vsus est Infinitiui modi pro Indicatiuo. Hanc expositionem huius loci Dauidici nuper enarratam, acceptam refero R. P. Ioanni Robledo Prouinciali Sardiniæ, nunc Rectori huius Collegij Madritensis, à quo, cùm aliorum Scripturæ locorum interpretamenta hausi, tum huius explanationem didici, nec pudet, imò ingenui, & grati animi est laudare per quem profecerit.

CAPVT VI.

Aliquando coniungitur significationi ex natura artificium, aut accidens vsus.

Explicatur locus Isaiæ 7.

ALiquando tamen sociantur & natura & ars, & accidens vsus, qualiter vt nonnihil minus tritum producam, in illo Isaiæ vaticinio de Emmanuele, *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Butyro enim præter naturam lactis artificium humanum accedit, & accidens, fortasse, tunc temporis frequens, vsus medicandi infantes cum melle, vt expeditum eloquium comparent. Sic Cap. 7.

Tortula affirmat libro de Passionibus mulierum, capite decimo octauo, vbi de regimine infantis agit, dicens: *Postquam hora loquendi appropinquarit, nutrix eius linguam frequenter cum melle, & butyro vngat.* Et paulò pòst: *Vt rectè loquatur, vnge palatum cum melle.* Oribasius quoque libro synopseos quinto, capite etiam quinto sic iubet: *Puer nuper in lucem editus melle primùm nutriatur, deinde lacte.* Cùm igitur Emmanuel cælestis doctrinæ Prædicator aduenturus erat, rectè notatur per butyri, & mellis vsum impeditam linguam non habiturum, quominùs intrepidè mala reprobet, & bona probet, laudet, & præcipiat. Iuuant quoque lac & mel, sicut Galenus, & Plinius conscribunt, dentationem infantis ex qua eloquutio pendet; proficit pariter eorum esus perspicacitati iudicij, quod Ioannes Huartus multis probat: nam licet Saluator mundi his rebus non egeret, per ea tamen aptè indicatur mira eius prædicatio, & sapientissima doctrina; atque ostenditur à Propheta non phantasticus homo futurus, sed communis naturæ cum aliis hominibus. His adiiciuntur symbola ex ipsa lactis, mellisque natura. Plura Richardus Victorinus dabit in libris de Emmanuele. *Mel* (inquit) *de cælo venit mediante rore, butyrum de carne mediante lacte; quid est enim butyrum, nisi quædam pinguedo lactis? Et quid est mel nisi quædam dulciflua crassitudo roris? in lacte intelligitur cordis dulcedo, in butyro cordis exultatio. butyrum de lacte colligitur, & vera cordis exultatio de vera cordis dulcedine generatur. Iuxta abundantiam benignitatis, erit & abundantia iucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nullum cor corde illo vberius exultauit.* Idem alibi: *Si Dominus*, inquit, *Angelorum propter homines comedendo, & bibendo factus est particeps iumentorum, cur è conuerso homo propter ipsum non multo magis fiat particeps Angelorum? Butyrum, inquit, & mel comedet; cur non potius panem & carnem dixit? quid sunt mel, atque butyrum, nisi delicta muscarum? & certe hoc immundarum, illud venenosarum. Nam apes aculeum portant, & venenum habent. Et vide quomodo pro melle laborant, ac pugnant, ita vt sæpe & animas in vulnere ponant, & muscæ lacti se ingerunt, & immergunt, modò & vitam deponunt. Emmanuel itaque noster butyrum & mel comedit, & propter nos ad muscarum participationem descendit. Siccine Deo parum fuit propter homines participare cum iumentis, nisi participaret propter nos etiam cum muscis?* Satis in excursu hæsi, regrediamur ad institutum sermonem.

Galen. lib. 10. de medic. simp. c. 10.

Plinius libro 18. c. 19.

Lib. 2. p. 1. de Emmanuele, cap. 21.

CAPVT VII.

Non solùm per res naturales, sed artificiales, & actus humanos etiam loquutus Deus, sacram Scripturam præparauit.



NEque solùm per naturas rerum, priùs loquutus Deus, quàm per sermonem inscriptum, sed etiam per artificia. Quemadmodum enim naturas fabricatus est, vt præcepta morum, aut altiora sacramenta muto eloquio pronuntiarent. Sic etiam multas res artificiales fabrefieri iussit, vt similia documenta, & arcana gratiæ sacramenta dictarent. Et quemadmodum per naturalia opera doctrinam sacræ Scriprutæ præparauit; sic etiam per artificialia vberiorem cælestis eruditionis materiem adornauit. In hoc genere sunt Arca Noë, Tabernaculum fœderis, Arca testimonij, Candelabrum aureum, Labrum æneum, Altare Thymiamatis, Propitiatorium, Velum; per hæc significantur, quæ in natura Deus adumbrauit, & quæ demùm in nouo Testamento declarauit: ita vt mirâ quadam consensione sibi respondeant naturæ dispositio, & artificialis Tabernaculi structio, vtraque conueniens cum scriptis noui Testamenti mysteria diuina magis declarantibus. Hanc proportionem rerum naturalium, & artificialium pronuntiantium eadem mysteria supposuit (ne plura cumulem) Petrus Cellensis initio libri de panibus, vbi ait: *Sicut firmamentum posuit Deus, vt diuideret aquas ab aquis: sic Moyses velum interposuit, extra quod vulgus immolaret animalium carnes, & intra quod accenderet incensum solus Pontifex, id est, Sacerdos summus. Iesus autem penetrauit cælum, & ascendit supra firmamentum.* Ecce tibi id ipsum putat significare firmamentum naturale, & velum artificiale. Philo, Iosephus, Clemens Alexandrinus, pluribus exemplis, harmonicam istam consensionem explanant.

At

At quid mirum artificia? mores quoque, actúsque humani fuerunt voces & documenta Dei. Occisus Abel, cuius sanguis clamauit ad cælum Christum prophetauit tacens, sicut Esaias clamans: Per Iacobum quoque iam fugientem, iam luctantem, iam amantem multa prædixit Deus. In summa cum Sancto Gregorio Nysseno pronuntio: *Quidquid cum sapientia fecit, Dei oratio est, quæ non sonantibus quibusdam instrumentis distinguitur, & exprimitur; sed per ea, quæ in apparentibus rebus existunt miracula, pronuntiatur*. Hæc omnia vt Sanctus Paulus ait, in figura contigerunt, vt posteà scriberentur ad correptionem nostram in quos fines sæculorum deuenerunt: ita vt sacra Scriptura præparata fuerit ab ipso naturæ exordio, ab ipsis artificiis, à Patriarcharum, & primorum hominum gestis: tot modis præfatus Deus fuerat. Necessitatem hanc præloquendi rebus Mystica gentium Theologia ostendit, quæ confinxit varia animalium ingenia, rerum artificia, Heroum historias, vt sese humanæ insinuaret menti, multis commendata commentis, quibus ipsa bonorum morum veritas indiga reputabatur. At plus quàm humanum ingenium mentiri, aut comminisci poterat: diuinum reipsâ operatum video; plus quàm gentes per fabulas, Deus per historias docet; plus quàm illæ per mendacia, Deus per veritates significat: idcirco signa quæ humana eruditio confinxit, diuina sapientia, quia omnipotens, perfecit in natura, aut per euentum prouidit, aut ex arte ostendit.

In constructione Israëlitici Templi hoc prorsus clarebit, tum Sanctorum priscorum acta, tum artificia Dei iussu elaborata: sic miro Sapientiæ diuinæ meditata consilio, sic disposita, vt Euangelij prænuncia euaderent, atque in omnibus prouisam futurorum significationem, cuius consideratione quædam aliquibus opera impedita & eadem aliis demandata. Velut enim peritus scriba eas singulis dictionibus literas assumit, quæ verbum animo conceptum probè, & orthographicè repræsentent, cæteras reiicit; sic Deus eas personas elegit, eos actus disposuit, ea artificia iussit, quæ Verbum incarnandum, Euangelium promulgandum, & Ecclesiam Christianam ædificandam adumbrarent; nam sicut scriptor literis se explicat, & ideo commodis, & aptis ad se explicandum elementis vtitur, sic etiam quoniam Deus per res loquebatur, eas disposuit, quibus mentem significaret suam. Hoc igitur clarescet in Dauidis interdictione, ne templum Domino construeret, si causam eius prohibitionis expendamus. In primo Paralipomenon libro hæc redditur: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Et postea capite vigesimo octauo similiter dicitur: *Eò quòd sis bellator, & sanguinem fuderis.* Ratio quæ hinc apparet est, Dauid reiectum, ne ædificaret domum Domini, siue in pœnam sanguinis effusi cum peccato, siue ob minorem decentiam cruentatæ manus Regiæ in multorum clade hostium, quantumuis sine peccato. Primum non videtur, quia non Vriæ sanguis obiicitur, sed hostium licitè effusus in bellis, quę Dauid agebat, vt constat ex ipsis verbis; *Plurima bella bellasti*, & epitheto *bellator*, & *tanto effuso sanguine coram me*; hæc referenda sunt, (quod Hugo Carensis obseruat,) ad diuinum iussum, oraculum, & voluntatem quâ Dauid populi Dei dux, & quasi pro Deo Vicarius, bellorum Dei bellator creatus fuerat: idcirco Abigail dixit: *Prælia Domini tu præliaris*. Neque alterum Dauidi potuit esse impedimentum templi ædificandi ob minorem decentiam; cùm potius cruor profusus hostium populi Dei quasi sancto quodã oleo consecrationis vnctos & consecratos reddebat, quemadmodum Theodoretus, Procopius, & noster Pineda notarunt. Idcirco Moyses ad vlciscendum non alienigenarum impietatem, sed ipsorummet Israëlitarum idololatriæ scelus, stans in porta castrorum, ait: *Si quis est Domini iungatur mihi.* Congregatíque sunt ad eum filij omnes Leui, quibus ait: *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium suum super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi: cecideruntque in illa die quasi viginti tria millia hominum: & ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*: quasi diceret, eodem, quem effudistis sanguine, veros nunc vos Sacerdotes consecratos, & inunctos existimate: fit enim manifesta allusio ad illam minorum Sacerdotum consecrationem, siue initiationem manuum, & vnctionem pollicum dextræ manus, & pedis dextri, quæ arietis Exod. 29.
sanguine fiebat. Paulò aliter eam manuum consecrationem accipiunt Septuaginta legentes: *Impleuistis manus vestras hodie Domino.* Quod Chaldæus clariùs: *Offerte oblationem manibus vestris*: nam sumendo in manus victimã, quod dicebatur, implere manus,

Sacerdotes offerebant Domino, vt constat Exod. 28. 41. & 29. 35. Leuit. 8. 33. Iudic. 15. 5. 3. Regum 13. 33. Cuius hæc ratio, quod victima cædebatur loco peccati, & peccatoris. Qui ergo peccatorem ex Dei voluntate, & honore interficiebat, censebatur victimam offerre. Merito autem huius ingentis stragis editæ à Leuitis, videtur illis perpetuò conseruata benedictio, id est, sacerdotij prærogatiua, vt indicat Philo in vita Moysis. Accedit Phinees filius Eleazari propter interfectum Zambri, & scortum Madianiticum, sacerdotio muneratus: tum viginti quinque Duces Machabæi, qui simul cum belli sanguine, sacrificiorum sanguinem tractabant, quippe summi Sacerdotes. Et Leuitæ in bellum prodeunt, 1. Machab. 5. Sanguis itaque non reddebat illos sacris tractandis ineptos, qui ministerium suum, non nisi sanguinis profusione obibant. Et per sanguinem hircorum, & vitulorum introibant in sancta; & tabernaculum & omnia vasa ministerij, & omnem populum sanguine similiter aspergebant. Igitur causa cur Dauid inhibitus ne templum ædificaret Domino, non fuit demeritum effusi sanguinis, & videri posset non fuisse indecentia aliqua. Quapropter Theodoretus, Diodorus, Procopius, Dionysius, & Ribera censent non ob aliud prohibitum fuisse Dauid, quàm propter mysterium, quia non æquè aptè bellator homo significaret, quod Deus intendebat in constructione sui templi, ac is qui pacificus esset, & qui filius bellatoris. Theodoretus huiusmodi mysterium agnoscit, quod videatur Dauid figuram gerere Dei Patris; Salomon, filij. *Quoniam,* (inquit) *Christus secundùm carnem Dauidis filius erat ædificaturus Ecclesias, quæ sunt in toto Orbe terrarum, non siuit Dauidem ædificare templum, sed iussit illius filium hoc facere.* Diodorus super id: *Si altare lapideum feceris mihi, si leuaueris cultrum super eum, polluetur. Ratione* (inquit) *quâ & Dauid prohibitus est ne templum ædificaret, propterea quod copiosum sanguinem in bello effuderat; eâdem ratione lapides ferro cædi prohibebat, cædem ac sanguinis humani effusionem hoc exemplo vitandam, fugiendámque omnino docebat.* Procopius autem, *vt doceret* (inquit) *omnes humanitatem quotquot in templo Deum erant inuocaturi. Nam qui vident Dauidi propter cædes quantumuis iustas, non concedi, vt Deo ædificet, puras manus habere docentur.* Ribera existimat, non ob aliud voluisse Deum suum templum ædificari, non ab iis qui præcesserunt, neque à Dauide, sed à Pacifico Rege Salomone, quia expressior typus erat Christi ædificaturi Ecclesiam.

Ego in his omnibus rationibus suspicio mysterium, quod sic explano: Dauid bellator figura fuit Dei Patris, qui populum Israëliticum in terram promissam introduxit bellis, cædibus, & fuso innumerabilium hostium sanguine, ipsámque synagogam armis ampliauit, & seuerissimè gubernauit, maximis puniens suppliciis delinquentes, iam absorbente eos terrâ, iam igne cælitus demisso eos deuorante, iam crudeli gladio eos depopulante. Idcirco in tabernaculo sub pellibus instar papilionis militari ritu adesse dicebatur Dominus, & ibi colebatur, non in domo aliquâ: Salomon autem Pacificus, & filius Dauidis bellatoris, figura fuit mitissimi IESV filij Dei, qui non bello, nec armis, sed summâ patientiâ Ecclesiam Euangelicam introduxit, & per vniuersum Orbem propagauit, commendans omnibus patientiam, & pacem hominibus afferens in sua Natiuitate, & relinquens in sua Resurrectione; mitiùs deinde, neque tot suppliciis Ecclesia gubernatur. Cùm igitur Templum futurum erat typus Ecclesiæ filij Dei, in qua velut domo permanenter Deus habitabit, vt hoc significaretur, oportuit construi domum illam Dei materialem ab eo qui filium Dei pacificum repræsentabat. Vt igitur hæc mysteria præsignificarentur, negata fuit Dauidi bellatori ædificatio templi; concessa tamen eius filio pacifico. Rationes Abulensis propter occupationes Dauidis, & penuriam operariorum, non congruunt verbis Scripturæ. Illud præterea obiter monendum quadringentis octoginta annis noluisse Deum templum, hoc est, domum sibi ædificari, habitantem interim in tabernaculo sub pellibus eodem modo, ac in deserto. Quoniam totam terram promissam nondum occupauerant Israëlitæ; postquam autem tempore Dauidis promissio Dei impleta fuit, tunc domum acceptauit Dominus, & dimisit militarem, & viaticam tabernaculi habitationem, in quo etiam multa mysteria pro moribus nostris demonstrantur.

Benè igitur Sanctus Paulus pronuntiauit omnia in figura contigisse Hebræis, cuius optimam rationem scripsit Basilius Seleuciensis in homilia de Iona, & operæpretium erit hîc appendere: *Solitus est* (inquit) *à principio Deus adumbrare tanquam in vetere imagine noua gratiæ opera. Etenim quia quæ superant leges naturæ, auribus, & oculis hominum incredibilia*

credibilia ſunt. Idcirco Deus imagines miraculorum prius tanquam fundamentum iecit vt homines ſpectaculum illorum mirabilium in ipſis illis imaginibus præmeditati, & tenues eorum vmbras in contemplatione rerum vſitatâ, ceu in ſpeculo proſpicientes, illa poſtea, quæ natura antecellunt, credere poſſent. Sicuti pictores prius ſpecies ac formas adumbrant, quàm coloribus exprimant; vt verbi cauſa quia erat Paſſio Chriſti futura hominibus glorioſa, ac ſalutaris; prius in typo miracula delineauit, in Abraham ſcilicet, & Iſaac, qui Patri in ea re cooperatus eſt. Rurſus quia futurum erat, vt Virgo pareret, ne dicerent homines incredibilem eſſe Virginis partum, prius ſteriles miraculum præmeditantur: & Sara anus iam ſterilis in partu ſuo, fidem Virginis partus peperit. Erat præterea ſanguis Chriſti ſalutem mortalibus allaturus, & ne rei nouitas incredibilis eſſet, ſanguis Agni ianuis illitus, fecit vt foris maneret interfector, & Angelus morte armatus, viſo ſanguine in fugam compelleretur. Ad hæc, quia dandus erat hominibus Baptiſmus qui promitteret mortis tranſitum, & vitæ reditum, prius mare ſubſeruit typo, & virgo percuſſum, pedibus peruium efficitur, vnde Paulus: Omnes, inquit, mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt: Baptiſmum vocat viam moris; erat enim figura mortis per aquam impleta. Deinde quia erat ſepultura Chriſti mortuos liberatura, & futura mors interitus mortis, ac paſſio paſſionum medicina; ne tu Iudæe non credas, & miraculum calumnieris; vide tuum Moyſem, qui huius rei imaginem in æreo ſerpente adumbrauit. Serpens mordebat, & ſerpens ſanabat. Sicut Moyſes, inquit, exaltauit ſerpentem, & quæ ſequuntur. Erat etiam Chriſtus mortuos à mortuis excitaturus. Canet enim, inquit, tuba & mortui reſurgent: At quia tu Iudæe, non credis Paulo Apoſtolo; idcirco anteceſſit Elias, qui primus mortuum ad vitam reuocauit. Item Enoch remanſit extra ſagenam mortis, & Elias non ceſſit legibus naturæ; omnia enim in figura contingebant illis. Denique quia erat Chriſtus gentes linguis piſcaturus, concluſurúſque in ſagenam, & orbem impietate implicatum ad ſe aggregaturus; erat autem Prophetis incredibile adducendas eſſe gentes ad pietatem, ac verum cultum Dei, factis ipſis ſuadet hoc Deus non credentibus. Idcirco Ionam ad Niniuitas mittit, docens Prophetas, quanto ſint gentes magis gratia, quàm Iudæi, de ſalute; quanto item gentiles ad capiendam fidem feruidiores, quàm Iſraëlitæ. Hæc Baſilius Seleuciæ, ſcribens de Iona typo Chriſti, qui gentes ad fidem & Dei culturam vocaturus erat.

CAPVT VIII.

Quæ fuerint primæ res artificiales, per quas loquutus eſt Deus? Explicatur Tertullianus libro de Pallio.



CErtè hæc Dei locutio, ſiue diuinorum ſignificatio per artificiales res, artificioſiſſima, vt ita dixerim, eſt; neque Deo indigna, quippe quæ vno ſigno pro multis ſententiis ſit. Aliquot indicabo ſignificatus rei artificialis, per quam dignatum eſt ineffabile illud Numen affari nos, per quam non ſolùm loqui, ſed quam ipſe arte feciſſe ſcribitur. Namque primum Dei artificium in illis agnoſco tunicis pelliceis, quibus Adam & Euam exules paradiſo induit Optimus Dominus, qui peſſimos ſeruos noluit nudos atriis ſuis pellere. In his veſtibus plurima nobis pronuntiantur. Nam præter ſignificatum induendi noſtrâ carne filij Dei; mortalitatem ſuam primi Parentes monentur, & miſeram conditionem, in quam nuper deuenerant; quippe qui rebelles paſſiones corripere, & ſolicitè dirigere, opus deindo haberent. Neque enim ſine cauſa, non Paſtorem ſed Hortulanum hominem in Paradiſo Deus conſtituit, eiectum tamen Paradiſo, paſtoritio habitu donat; & deinde paſtoritiâ arte ſeruos ſuos priſcos voluit exerceri Abelem, Iacob, Moyſem, Dauidem: namque ante peccatum nihil in nobis brutum erat, nihil repugnans, omnia quæ in nobis erant ſine diuerſo impetu rationi parebant, velut plantæ Horticolæ, quem non fugiunt, cui non reſiſtunt, quæ non vagantur. At poſtquam extorres Paradiſo ſumus, inſunt nobis pecora paſſionum, & brutum aliquid, quod diuerſum à ratione impetum habet; grex ſenſuum iam procax, & cupiditatum armenta, quas oportet corrigere, & in officio continere, ne palentur à ratione, in veritá.que ſe immittant, & vagentur. Meritò quidem, quoniam homo, cùm in honore eſſet, non intellexit comparatus iumentis & pecoribus, & ſimilis factus eſt illis; atque ſimili habitu, vt id agnoſceret, debuit amiciri.

Quod ſi iuxta poſteriora tempora, quæ vſque reſpexit ſumma Dei ſapientia, con-

siderentur illæ pelles, destinatum hominem labori, atque sudori agnoscemus, & damnationis suæ titulum. Huiusmodi contemplatus Tertullianus primos Parentes, legit in pelliceis tunicis eorum pœnam, dicens de primo homine capite tertio de Pallio: *Quippe deliqueras, pellitus orbi vt metallo datur.* Abdita aliquibus visa est sententia isthæc; mihi verò luculenta, quam postmodum non singularem noui. Eamdem ipsam reperi in Magno Albino Alchuuioo, Discipulo Venerabilis Bedæ, ac Magistro Caroli Magni. Is in libello Carminum, poëmate trigesimo septimo canit de Protoplastis:

Pellibus accinctu peccati signa ferentes;
Pœnarum famuli linquunt felicia Regna,
Semper amica piis peccantes respuit aula.

Ecce vocat illos, quia pellibus induti, pœnarum famulos, hi erant ij ipsi, qui metallo condemnabantur, vt constat ex Martiano libro primo Institutionum, qui datos metallo vocat seruos pœnæ. Verba eius sunt: *Sunt quidam serui pœnæ, vt sunt in metallum dati, & in opus metalli, & si quid eis in testamento datum fuerit, pro non scriptis est, quasi non Cæsaris seruo datum, sed pœnæ.* Similiter Hermogenianus in lege trigesima sexta Pandectis de Pœnis: *In metallum sed & in ministerium metallicorum damnati serui efficiuntur, sed pœnæ.* Dicebantur enim famuli, seu serui pœnæ hi, qui in metallum dabantur, quoniam nullius essent serui, nisi solius suæ pœnæ, & omnino mortuis similes habebantur. Quippe non bello, non natiuitate fraudabantur libertate, sed merâ suâ voluntate per delictum aliquod libertatem amittebant, quam recuperare, nec manumissione, nec necessariâ hæreditate poterant, sed solâ Principis indulgentiâ. Nunc liquet quàm aptè Tertullianus, & Alchuuinus seruum pœnæ reputassent Adamum pelliceo amictu id indicante; quia priuilegio illius felicis vitæ expunctus, mortuóque similis, libertatem illam innocentiæ amisit, factúsque est seruus suæ pœnæ: nam pœna inobedientiæ illius erga Deum fuit inobedientia appetitus erga rationem, totáque vis libidinum nostrarum pœna est illius peccati, quibus tamen seruimus; quisque enim seruus fit suæ libidinis, quare meritò dicetur homo, *seruus pœnæ.* Huic existimationi occasionem fecit Tertulliano, & Albino modus vestimenti eorum, qui addicebantur ad metallorum opera, quibus vestes pelliceæ dabantur illi ministerio idoneæ, vt Sanctus Isidorus obseruat, qui genera amictorum narrans inquit: *Melotes quæ etiam pera vocatur, pellis est caprina à collo pendens præcincta, vsque ad lumbos; est enim habitus propriè necessarius ad operis exercitium.* Hieronymus Magius etiam lib. 3. Miscell. cap. 7. vbi plura de pelliceis amictibus, eos fatetur seruis præcipuè fuisse in vsu. Cæterùm nec incommodè ad exilium nostrum in hac lachrymarum valle pelles referri possent: *nam lugentes quoque*, scribit Festus, *diebus luctus in pellibus sunt.* Antiquitus sincerus, & vtilis ferè omnium amictus fuit è pellibus, ideo idem Festus scribit: *Pellem habere Hercules fingitur, vt homines cultus antiqui admoneantur.* Absque dubio frugalitatis commendatio in ipsis tunicis pelliceis commendatur. Non purpurâ, non serico, non panno debebat indui, qui immortalitate nudus è Paradiso exul euasit: ad necessitatem quippe vestitur, non ad luxum.

Lib. 19. orig. c. 24.

Ante istud tamen artificium aliud præcessit, & quidem non mutum, sed prudentissimè loquax, plenum sensu & doctrinâ; Perizomata enim quæ ex arboris foliis sibi fecerunt Adam & Eua, statum quoque eorum pronuntiant, qui gusto & nutritione deliquêre. Egregiè Plotinus edaces dixit fieri plantas, quippe quarum vita nutriri sit, & aliis animalium potentiarum functionibus, sensatione ipsâ obtusâ, inutiles instar plantarum reddantur. Quapropter Adamo peccanti ob nutritionem, foliorum perizomata congruunt. Gymnosophistas scribit Clemens Alexandrinus *Arborum modò foliis vestitos.* Id ipsum accidit Adam, comparatus enim non solùm iumentis, sed truncis, arborum instar foliis amicitur. Sed & deciduam, & citò transeuntem voluptatem folia dictant.

1. Strom.

CAPVT

CAPVT IX.

Vbi primùm Deus Passionem Filij sui præsignauit.



Vid dicam de primo pronunciatu & signo maximi omnium sacramenti Iesu pro nobis passi? Quàm citò, & quàm aptè id prælocutus Deus in Abel, qui vt Sanctus Aldhelmus ait: *Propter dignitosam innocentiæ palmam & originalis patientiæ titulum spreto fraterni libaminis sacrificio rata & grata diuinis conspectibus holocaustomata primus mortalium offerre promeruit.* In Abelis igitur morte mortem filij Dei legit Paulus hieroglyphicis Dei literis; atque ideo permissa fuit, vt prænuntia filij Dei mortis mirando modo præiret: Egregiè Basilius Seleuciensis in oratione quarta ait: *Primus enim iustus Abelus lethi portas intrat. Abelus secundùm Pauli sententiam, Christi vmbra, sanguinis adspersionem melius loquentem, quàm Abel; conueniens enim erat iusti sanguine resurrectionis columnas adumbrari. Si enim mortis causa est præuaricatio, qui morti materiam non suffecit, vel inter vità functos, ex æquitate liber manet. O res inopinatas! in mortis vestibulo resurrectionis tabula legitur. Cur enim non primus mortis portas ingreditur Adamus, quandoquidem à recta naturæ lege deerrans ipse mortem contra naturam acciuit? cur non prius Eua mortis sententia obnunciatur? quos propter natura iudicatur. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Sed primùm Deus concedit Abelum tolli de medio (concedit, non prodit: non enim iustum Deus morti dedidit, sed in eum inuadentem mortem non defendit) vt aggressoris nequitiam vsu meliore commutet, vt ruinosum morti subiiciat fundamentum, mortisque sui infirmius euadat. Iustus enim iniustè à morte occupatus iustæ causæ dictionem inferno eripit: & primam mortis viam, mortis dissolutionem fore spondet. Hanc enim in semet Christus excipiens hominum causa controuersiam patefacto mortis iniusto dominatu dissoluit. Carnem enim impeccabilem per iniuriam ad se trahens infernus, iustos etiam, quos tenebat, per illam euomuit.* Hactenus Basilius. Et cur non audiendus Rupertus, qui alios Abelis actus contemplatus præstantiores filij Dei relegit virtutes: *Totum*, inquit, *quod fecit Abel, quod pertulit, parabola est, vel figura Domini nostri Iesu Christi. Primò, quod fuit ille pastor ouium, à mysterio non vacat. huius qui dicit: Ego sum pastor bonus, Ego sum pastor ouium. Planè qui hunc pastorem bonum, pastorem magnum despectui habuerunt, præcipuè Annas, & Caiphas, cæterique fures & latrones, qui hunc pastorem ouium occiderunt, omnes omnino cum illo Cain vnum corpus fuerunt. Alia fuère membra, sed vnum corpus ex eis, & ex omnibus quicumque innocentiam, vel iustitiam persequuntur; & vnus spiritus, vnum caput est eorum Diabolus. Et pro diuersis quidem officiis siue personis, plures erant iuxta parabolam Euangelicam, malè & malè perdendi agricolæ; sed pro vnanimi crudelitatis intentione, totus eorum cœtus vnus erat Cain, & vnus agricola, qui Dominicæ vineæ fructus, non ipsi Domino, sed sibimet male congregabat. Ventum est ad horam legitimi sacrificij, & obtulit iste talis Cain munera Domino de fructibus terræ. Abel autem de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Hora quâ huius Abel sacrificium sacrificio oppositum illius Cain fuit, & illo reprobato, istud complacuit, illa rectè intelligitur vespera Paschæ veteris, quando Iudæis ritu solemni suum pascha manducantibus, hic pastor, idémque verus agnus Dei, sacerdotio suo functus est, accipiens panem & vinum, & benedicens, Accipite, inquit, & bibite ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur: hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur. Tunc vtique obtulit Cain munera Domino de fructibus terræ, videlicet inanimatum, & sine fide sacrificium. Mortuum quippe erat sacrificium crudelium. Et si antè quandam habuerat vitam, vel sensum, illud Iudaicum sacrificium, scilicet in eo, quod verum Christi præsignabat, vel præcurrebat sacrificium, attamen ex tunc, & vsque in perpetuum mortuum est, & nihil boni conferre potest, quia sine charitate Dei, magno cum odio filij Dei oblatum est, imò quia tempus figurarum præterijt, & dies veritatis iam lucet. Vnde & bene dictum est, factum est autem post multos dies, &c. Multis enim antea diebus, sacrificium illud celebratum, & non reprobatum fuerat, quod nunc in fine sæculorum reprobatum est. Econtra tunc Abel obtulit de primitijs gregis sui, & de adipibus eorum, quia verè sacrificium, quod illa nocte Pontifex noster Iesus Christus instituit, quamuis exteriori specie, panis & vinum sit, in veritate agnus est Dei, primogenitus omnium agnorum, vel ouium, quæ pertinent ad caulas cæli, ad pascua paradisi. Et notandum, quod non dictum sit tantummodo de primogenitis gregis sui, sed additum, & de adipibus eorum. Etenim hoc verum panis, & vini sacrificium, non modo caro & sanguis, sed & spiritus & vita est, quia Verbum verum quod incarnatum est, & vera diuinitas in pane, & vino est. Vnde & verè credimus, & confitemur, quia panis vita æterna est, quia salutis perpetua est. Iste adeps in hoc primogenito est arietum*

Heb. 12.

vel

vel ouium, ſcilicet in carne & ſanguine eius vera diuinitas, & verum Dei Verbum. Vnde & nos ho-
Pſal. 19. *diéque cum Propheta dicimus illi: Memor ſit Dominus omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pinguo fiat, vt videlicet, ſicut tunc vbi per ſemetipſum hoc ſacramentum condidit, ita & nunc vbicumque idem per Eccleſia manus ipſe conficit, pinguedo ſpiritus, & vita adſit, ne quemquam noſtrum propter peccata ſua diuina virtutis adeps refugiat, & ipſe macrum ſacrificij corpus ſolummodo dentibus indignè conterendo, corporis & ſanguinis Domini reus exiſtat. Et reſpexit Dominus (inquit Scriptura) ad Abel & ad munera eius: Ad Cain verò, & ad munera eius non reſpexit. Palàm cum Prophetico quoque teſtimonio comprobatum eſt, quia iam non reſpicit Dominus ad iſtum Cain, & ad munera*
Pſal. 49. *eius. Dicit enim illi per Pſalmiſtam: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Ac deinceps: Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Et confeſtim de ſacrificio huius veri Abel, ad quod Deus reſpicit. Immola, inquit, Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſsimo vota tua. Et in Eſaia: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Deus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris? Et ſubinde: Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta. Et in cæteris Prophetis multa talia. Item cum Prophetico quoque teſtimonio palàm eſt, quia ad hunc Abel, & ad munera hæc eius, munera (inquam) panis &*
Pſal. 109. *vini Deus reſpicit. Dicit enim de iſto Spiritus ſanctus in Dauid: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Hactenus Rupertus. Adeò artificiosè per res, aut naturales, aut artificiales, aut morales, & prouidentiales nouit pronuntiare Deus ventura & ſanctas præſtruxit Scripturas.

CAPVT X.

Diuinitus eſt demonſtrata Moyſi ſcriptoria ars, vt ſacram Scripturam literis mandaret; ſicut Beſeleel infuſa fabrilis ars, vt Hieroglyphicas Tabernaculi effigies fabrefaceret.



Tiliſſimus tandem Dei alloquentis ritus, cùm poſtquam ſatis præſtructum fuerat de natura, de moribus, de arte, literis mandare voluit doctrinam ſuam vt ſermone ſcripto, etiam loqueretur, ſine præiudicio tamen rerum: reſumuntur enim in Scriptura verbis, quod rebus prius fuerat prolocutus. Tot autem præceſſerunt apparatus, tot inſtrumenta Scripturæ ſanctæ, quot opera Dei, aut in naturæ architectura nitent, aut in geſtis Patriarcharum prouiſa, aut in artificiis iuſſa fuerunt. Porrò iſtud opinor, totius Scripturæ authorem Deum eſſe mirando quidem modo: nam quemadmodum literarum, ſeu verborum naturalium, hoc eſt, ſignorum, quæ in rebus naturalibus præſculpſit ad maiorum & arcanarum rerum ſignificatum Deus ipſe author fuit: Sic & verborum, ſignorúmque artificialium, hoc eſt, earum rerum arte factarum, quæ myſteriorum poſtea ſcriptorum notæ fuerunt, ipſe Deus extitit inuentor. Similiter & literarum primum authorem puto, quibus ſacra eloquia ſcripta ſunt: nam cùm mundus literis careret, ſcriptoriam artem patefecit ſeruo ſuo Moyſi, vt ſcriberentur libri ſacri: ſicut enim infudit Beſeleel peritiam fabrilis artis vt per artificialia opera præloqueretur Dominus, & myſteria gratiæ & documenta morum: Sic Sancto Moyſi infudit ſcribendi peritiam. & admirandum literarum inuentum, quas tunc temporum populus Dei & fortaſſe mundus ignorabat, vt doctrinam ſacram æternitati per ſcripta mandaret. De Beſeleel ſic di-
Exod. 31. citur in trigeſimo primo Exodi capite: *Impleui eum ſpiritu Dei, ſapientiâ & intelligentiâ, & ſcientiâ in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum. Dedique ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan & in corde omnis eruditi poſui ſapientiam, vt faciant cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, & arcam teſtimonij, & propitiatorium, quod ſuper eam eſt, & vaſa tabernaculi,* &c. Si hæc Hieroglyphica doctrinæ ſanctæ & ſigna myſteriorum Deus ipſe minutiſſimè præcepit, & deinde peritiam eadem fabrefaciendi diuinitùs donauit, vt metalla, aut marmora rudibus notis dictarent, quod mutis illis, & vt ſic dicam, ignorabilibus penè vocibus ſignificare voluit. Quid mirum ſi vteretur prouidentiâ ſimili vt admirandam literarum artem, & vtiliſſimam mundo indicaret eximio ſeruo ſuo, quo perſpicuis

Alphabeti

Alphabeti notis doctrinam diuinam traderet. Censeo igitur, & meum sensum congruâ dissertatione comprobabo, primam literarum inuentionem & mirandum scriptoriæ artis vsum patefactum Moysi, vt diuinam doctrinam scriberet, atque sacram Scripturam primum omnium librorum fuisse: Tunc enim Orbis literarum vsum ignorabat. Hinc meritò libri sacri appellantur *Scriptura*; Siquidem in ipsis Scriptura cœpta est, hoc est, scribendi ars. Longiori hoc exercitatione opus est explorari, & hic præcipuus est institutæ disceptationis scopus. Priùs igitur quàm solidiori statuam argumento istud assertum, producam quæ aduersùs illud opponi possunt, ne ignarus difficultatum, & inconsultis priscis historiis affirmare aliquid videar. Erit & hoc indicium veritatis constare bene omnia; nam licet plura videantur repugnare inuento literarum tribuendo Moysi; postquam tamen ea ipsa dissoluerimus, & plana fiant, id ipsum adstruent, quod putabantur destruere. Quadruplex potissimùm scopulus est, in quem nostra potest dissertatio impingere. Primus, multorum librorum memoriam extare ante Moysem conscriptorum. Secundus, multis aliis repertas literas adscribi, quare controuersa adhuc, ne dicam, improbabilis nostrâ assertio videbitur. Tertius, prædicari Moysem eruditum omni literaturâ Ægyptiorum, quæ sine literarum vsu ad tantam gloriam, qualem vetustissima Ægyptiorum sapientia nacta est, vix credi potest venisse: Demum, quia auctor generis Adam, & nomenclator naturæ idem & litterarum, & multarum artium Doctor creditur; nec enim probabile videtur sapientissimum mortalium, & à Deo edoctum literarum artificium ignorasse. Quidquid ista quatuor roboris claudunt, nunc sigillatim aperiam, vt quò magis ardua videantur, maior ex eorum explanatione probatio eniteat.

CAPVT XI.

Quæ videantur suadere scriptionis vsum ante Moysem, imò ante Diluuium. Et qui libri ante Diluuium?



PRIMVM iaculum ex scriptionis vsu ante Moysem multa monumenta contorquent. Apostolus S. Iudas in Epistola sua Canonica memoriam fecit libri Prophetici Henoc; cuius prædictionem transcribit. Sanctus Augustinus libro decimo quinto de Ciuitate Dei palàm fatetur: *Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus.* Eiusdem Henoch scriptorum meminit libro decimo octauo. Origenes quoque homiliâ quâdam in Numeros scribit, Henoch libros quosdam propheticos posteris reliquisse. Idem in Anacephalæosi librorum de principiis, & lib. quinto contra Celsum citat librum de Angelis è cœlo lapsis. Tertullianus lib. de Idololatria, bis citat librum Henoch. Et in tractatu de habitu muliebri; Sic occurrit his qui eius authoritati derogant: *Scio scripturam Enoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor, non putauerunt illam ante cataclysmum editam, post eum casum Orbis omnium rerum abolitorem, saluam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem cataclysmi Noe, qui vtique domestico nomine, & hereditariâ traditione audierat, & meminerat de proaui sui penès Deum gratia, & de omnibus prædicatis eius: cùm Enoch filio suo Matusalæ nihil aliud mandauerit, quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione successisse, vel quia & aliàs non tacuisset, tam de Dei conseruatoris sui dispositione, quàm de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expeditè haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentiam cataclysmi, in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum. Sed cùm Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reiiciendum est, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem scripturam ædificationi habilem, diuinitus inspirari, à Iudæis posteà iam videri propterea reiectam, sicut & cætera ferè quæ Christum sonant. Nec vtique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coràm loquentem, non erant recepturi. Eò accedit, quod Enoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet.* Hæc Tertullianus. Quin & ab Irenæo, Iustino Martyre, Clemente Alexandrino, Athenagora, Methodio

Cap. 23.

Cap. 38.

Hom. 28.

Cap. 14. & 18.

Cap. 3.

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script. C Martyre,

Martyre, Cypriano, Lactantio, Seuero Sulpitio, Proclo, Psello tanti facta est authoritas librorum Henoch, vt inde nonnulla hauserint. Ioannes Annius in Commentatiis super Berosum, scribit in quodam Enoch volumine fuisse celebre vaticinium de totius Orbis duplici clade, alterâ per inundationem, alterâ per incendium futurâ.

Antiquior Henoch Seth fuit, qui etiam septem libros scripsisse dicitur, quemadmodum S Epiphanius prodidit in Sethianorum refutatione. Hæref. 39.

CAPVT XII.

Libri qui videntur scripti post Diluuium: sed ante Moysem.



TAQVE ante diluuium litterarum vsus videtur innotuisse, & ne cum ipsa inundatione mundi naufragatus putetur, Noë qui eausit incolumis scriptionis author creditur. Scribit quippe Berosus libro tertio Antiquitatum monumentum edidisse, in quo totam cataclysmi historiam ad æternam posteritatis memoriam scriptam reliquit. Idem Berosus statim subdit: *Tunc sentissimus omnium Pater Noa iam antea edoctos Theologiam, & sacros ritus, cœpit etiam eos erudire humanam sapientiam. Et quidem multa naturalium rerum secreta mandauit literis, quæ solis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendant. Neque enim fas est illa vlli inspicere, aut legere, vel docere, quàm solis Sacerdotibus, & inter Sacerdotes duntaxat, sicut & quos Rituales libros reliquit, ex quibus illis primum Saga nomen fuit inditum, id est, Sacerdos, & Sacrificulus, & Pontifex. Docuit item illos astrorum cursus, & distinxit annum ad cursum Solis, & duodecim menses ad motum Lunæ: quæ sciens prædicebat illis ab initio quid in anno, & cardinibus eius futurum contingeret. Ob quæ illum existimauerunt diuinæ naturæ esse participem, ac propterea illum Olybama, & Arsa, id est, Cælum & Solem cognominauerunt, & illi plures ciuitates dedicauerunt. Nam & ad hæc tempora Scythæ Armeni vrbes habent Olybama & Arsa, Racha, & eiusmodi. Cúmque iuisset ad regendum Cytim, quam nunc Italiam nominant, desiderium sui reliquit Armenis, ac propterea post mortem illum arbitrati sunt animam cælestium corporum, & illi diuinos honores impenderunt. Et ob id solùm hæc duo Regna, Armenum quidem, quia ibi cœpit; Italicum verò, quia ibi finiuit, & docuit, & regnauit, naturaliúmque, atque diuinorum, quæ eos erudiuit, libros plenissimè illis conscriptos reliquit, illum venerantur, similíque cognominant Cælum, Solem, Chaos, semen mundi, Patrémque Deorum maiorum, & minorum, Animam mundi mouentem cælos, & mixta, vegetabiliáque, & animalia, & hominem: Deum pacis, iustitiæ, sanctimoniæ, expellentem noxia, & custodientem bona.* Hactenus ibi. Sanctus Clemens Romanus in Recognitionum libris, scribit Cham filium Noë aliquos scripsisse libros. Cassianus quoque octauâ collatione ait: *Cham filius Noë, qui superstitionibus istis, & sacrilegis, ac profanis fuerat artibus institutus, sciens nullum post se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in qua erat vnà cum patre iusto, ac sanctis fratribus ingressurus; scelestas artes, ac profana commenta diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum corrumpi inundatione non possent, & durissimis insculpsit lapidibus: quæ peracto diluuio, eâdem quâ celauerat curiositate perquirens sacrilegiorum, ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros.* Berosus quoque libro quinto scribit: *Anno quarto Nini literis, & legibus Germanos format, Tuiscon Gigas, Seltas verò Samthes, & Celtiberos Tubal.* Strabo quoque qui Octauiani tempore floruit, testatur in tertio libro Geographiæ Bæticæ affirmasse Hispanos se habuisse literas iam ante sex millia annorum Ibericorum, qui efficiunt duo millia solarium: si verò ab Octauiano supputes retrò duo millia annorum, peruenies ad vigesimum annum Nini. Quare consentiunt ferè Berosus, & traditio Strabonis, antiquissimum vsum literatum, apud Hispanos ante Moysem viguisse. Sed & scriptorem faciunt Hebræi Melchisedech, cui Psalmum centesimum nonum adscribunt; similiter & Abraham scripsisse aliqua produnt, & authorem Psalmi octogesimioctaui affirmant Sanctus Iob antiquior Moyse fuit, & sui libri scriptor à doctissimis viris appellatur. In eius libri capite octauo Baldad Suhites remittit Sanctum Iob ad pristinos Annales, dum ait: *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam.* Idem Iob capite decimonono: *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo?* Hoc supponit vsum literarum, librorúmque

Lib. 4.
Ca. 21.
Num. 8.

ſicut & id, quod capite trigeſimo primo ait: *Quis mihi tribuat vt deſiderium meum audiat Omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui iudicat?* Et quidem de fide eſt à Moyſe in capite vigeſimoprimo Numerorum citari librum quemdam bellorum Domini: quare ante Moyſem aliqua fuiſſe ſcripta videntur. Og quoque Rex Baſan, cuius in Numeris, & Deuteronomio Moyſes meminit, auctor cuiuſdam libri dicitur, cuius mentio fit apud Sixtum Senenſem, & in Catalogo ſcriptorum illum appingit. Imò teſte Ariſtotele, inter Philoſophiæ apud Phœnices Auctores Og numeratur, quem Otto Heurnus in Chaldaico ſuo ſcribit fuiſſe hunc Regem Baſan, cuius ſacra Biblia toties meminerunt. Tempore quoque Moyſis floruiſſe in Meſopotamia literas affirmare videtur Origenes, dum de Balaam loquens homiliâ decimatertiâ in Numeros, ita ſcribit: *Si à Moyſe prophetia Balaam ſacris inſerta ſunt voluminibus; quantò magis deſcripta ſunt ab his, qui habitabant tunc Meſopotamiam; apud quos magnificus habebatur Balaam, quóſque artis eius conſtat fuiſſe diſcipulos? Ex illo denique fertur Magorum genus, & inſtitutio in partibus Orientis vigere: qui deſcripta habentes apud ſe omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quod Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſraël. Hæc ſcripta habebant Magi apud ſemetipſos; Et ideo quando natus eſt Ieſus, agnouerunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipſi, quàm populus Iſraël; qui ſanctorum Prophetarum audire verba contempſit. Illi ergo ex his tantum, quæ Balaam ſcripta reliquerat, agnoſcentes adeſſe tempus, venerunt; & requirentes eum, ſtatim adorauerunt.* Hæc ille. Vetuſtiſſimus quoque eſt *Liber teſtamenti*, ſeu teſtamentorum *duodecim Patriarcharum*, quem Rupertus, ſiue Robertus Lincolnienſis Epiſcopus è Græco in Latinũ ſtylum tranſcripſit, & cuius meminère Origenes quintadecima homilia in Ioſue. Et Procopius Gazæus in trigeſimumoctauum caput Geneſeos. Et licet ſe fefellerint cum Procopio, qui illum authori Henoch imputent, cùm Henoch multò antè vixerit quàm duodecim Patriarchæ; & in ipſo libro non ſemel libet Henoch citatur; fuerunt tamen Patriarchæ vetuſtiores Moyſe, atque ibidem citantur ſcripturæ Moyſe antiquiores, vt conſtabit ex teſtamento octauo. *Librum iuſtorum* citatum à Ioſue, non eſt opus commemorare, cùm Moyſes eius author potuerit eſſe.

In Magico.

CAPVT XIII.

Monumenta ante Moyſem inſcripta.

SVADENT quoque vſum ſcribendi antiquiorem Moyſe multa monumenta ante ipſum conſcripta, quemadmodum ſepulchrum Beli, multos ante Moyſen annos extincti, de quo narrationem ab Æliano traditam huc tranſcribere lubet ex libro decimotertio variæ hiſtoriæ: Cap. 3. *Xerxes Darij filius, effoſſo vetuſti Beli monumento, vitream vrnam reperit, vbi iacebat in oleo cadauer, non tamen plena fuit vrna, vacuùmque è ſummis labris ferè palma ſpatium habuit. Adiacebat vrna columna exigua, in qua ſcriptum continebatur, eum qui ſepulchrum aperuiſſet, neque repleuiſſet vrnam, peſſimè habiturum. Quo lecto Xerxes expauit, & oleum celerrimè iuſſit infundi. Non tamen impletum eſt. Quì iterum infundi iuſſit: ſed neque ſic implere potuit, donec fruſtratus omni labore infundendi, ceſſaret, clauſóque monumento ſumma cum mæſtitia, diſcederet. Neque verò falſum eum habuerunt, quorum prænuntia ſignificatrix extiterat columna. Nam quinquaginta myriadum exercitu aduersùs Græcos conſcripto, magnam cladem accepit, reuerſúſque turpiſſimâ morte vitam finiuit, noctu in ſtratis à proprio filio peremptus.* Hactenus ille. Semiramis Regina, vt vult Plutarchus, ſiue Nitocris, vt mauult Herodotus (vtraque autem ante Moyſen regnauit) ſepulchrum ſibi exexit cum admirandis monitionibus, de quo hęc habet Herodotus libro primo: *Supra portas vrbis celeberrimas, in loco edito, atque conſpicuo, ſepulchrum ſibi extruxit atque his literis inſcripſit:* SI CVI REGVM BABYLONIS POST ME FVTVRORVM FVERIT PECVNIÆ PENVRIA, APERTO SEPVLCHRO SVMAT QVANTVMCVNQVE LIBVERIT PECVNIÆ, DVMTAXAT INDIGENS, ALITER NE APERIAT. NON ENIM SATIVS FVERIT. *Hoc ſepulchrum tam diu fuit immotum, dum Regnum peruenit ad Darium. Is indignum eſſe ratus, ſe neque vti quippiam his portis (ideo autem non vtebatur, quod ſupra caput ipſius tranſeuntis mortuus ſitus eſſet) neque*

ſumere pecunias repoſitas, & eas ipſum prouocantes, reſerauit monumentum: in quo non quidē pecunias inuenit, ſed literas ita dicentes: NISI PECVNIA ESSES INEXPLEBILIS, ET TVRPIS LVCRI CVPIDVS, HAVD APERVISSES VRNAS DEFVNCTORVM. Xenophon verò in libro de Æquiuocis ait: *Semiramis in columna Nino ita excidit:*

MIHI PATER IVPPITER
BELVS, AVVS SATVRNVS
BABYLONICVS: PROAVVS
CVZ SATVRNVS ÆTHIOPS:
ABAVVS SATVRNVS ÆGYPTIVS:
ATAVVS COELVS
PHOENIX OGIGES.
AB OGIGE AD MEVM AVVM SOL ORBEM
SVVM CIRCVMLVSTRAVIT SEMEL AC TRICIES
ET CENTIES.
AB AVO AD PATREM SEXIES ET QVINQVAGIES.
A PATRE AD ME BIS, ET SEXAGIES.
COLVMNAM, TEMPLVM, STATVAM
IOVI BELO SOCERO
ET MATRI RHEÆ
IN HOC OLYMPO SEMIRAMIS DICAVI.

Ad memotias vetuſtas referenda ſunt quæ Philo libro Biblicarum antiquitatum ſcribit de ædificatoribus turris Babylonicæ, eos ſcilicet dixiſſe adinuicem: *Accipiamus lapides & ſcribamus ſinguli quique nomina noſtra in lapidibus, & incendamus eos igni, & erit quod peruſtum fuerit in luto & latere.* Ex quo videtur vſus literarum ante Moſaicum ſæculum multa per ſæcula præceſſiſſe & viguiſſe. Hercules quoque Libyus ante Moyſen à noſtris Chronicis conſtituitur, atque eius ſucceſſorem Hiſpalim cum temporibus Iacob, & Eſau incidiſſe. Is Hercules in freto Gaditano columnas erexit cum celebri, vt fertur, & notiſſima inſcriptione, NON PLVS VLTRA.

CAPVT XIV.

Tituli aliqui in ſacris Literis, qui videntur ante Moyſen ſcripti.



SED in ſacris Literis veſtigia aliquotum ſimilium titulorum, & monumentotum inſcripturum reperiti videntur. In vigeſimo octauo capite Geneſeos dicitur: *Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum.* Et paulò pùſt ait: *Lapis iſte quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Hic titulus & votum Iacob videtur illi ſaxeo monumento inſcriptum. Deinde cùm hunc eundem lapidem in altare conſecrauit, ptovt capite trigeſimo quinto dicitur, nobiles interpretes affirmant inſcriptum à Iacob nomine *Bethel.* Et quidem ſi conſulamus Hebræum textum, id innuit, nam dicit: *Et ædificauit altare & vocauit locum* אֵל בֵּית-אֵל *El beth. el,* indicat hoc Hebræum numen quaſi titulum ibi ſcriptum, *El Bethel,* id eſt, *Deus fortis Bethel,* hoc eſt, altare dicatum Deo Bethel, ſiue Deo, qui in Bethel, quaſi domo ſuâ habitat. Eodem capite mortuâ Rachel, dicitur: *Erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius, hic eſt titulus monumenti Rachel vſque in præſentem diem.* Multorum eſt interpretamentum Iacob inſcripſiſſe ibi ſepultam Rachel; imò Adrichomius ſcribit reſtaſſe ad noſtra vſque tempora in illo loco titulum, qui indicatet ſepultam ibi Rachel. Hos titulos aliquam inſcriptionem continuiſſe ex iis Pſalmis colligi poteſt, qui huiuſmodi inſigniuntur, *Inſcriptio tituli,* ſiue στηλογραφία, *inſcriptio columnæ.* Abſalom quoque titulum, quem erexit, fertur inſcripſiſſe. Cæterùm communia fuiſſe inter vetuſtos Hebræos ſimilia monumenta, & titulos indicare videtur lex antiqua capite vigeſimo ſexto Leuitici promulgata: *Non facietis vobis idolum, & ſculptile: nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum.*

CAPVT

CAPVT XV.

Zoroaſtris antiquiſsima oracula ante Moyſem videntur ſcripta.

QVID dicam de Zoroaſtris otaculis, & ſctiptis valde antiquioris Moyſe, vt ex Euſebij, & aliorum Chtonicis conſtatitempore enim Nini vixit Zotoaſtres Bactrianotum Rex ſapientiſſimus, quem multorum librotum ſcriptorem faciunt. Clemens Alexandrinus in libris Sttomatum ait: *Pythagoras manifeſtauit Zoroaſtrem Magum illum Perſam. Huius viri libros ſecretos penès ſe eſſe gloriantur Prodici Sectatores.* Suidas copioſiùs ſctibit: *Zoroaſtres Perſomedus, ſapientiâ ſuperior Aſtronomis, primus auctor recepti apud illos Magorum nominis. Bellum Troianum anteceſsit annis D. circumferuntur eius libri quatuor de natura: de gemmis vnus, prædictionum ex inſpectione ſtellarum libri quinque.* Neque oblitus Plinius capite ptimo trigeſimi libri: *Magia ſine dubio orta in Perſide à Zoroaſtre, vt inter auctores conuenit. Sed vnus hic fuerit, an poſtea & alius, non ſatis conſtat. Eudoxus, qui inter ſapientiæ ſectas clariſsimam vtiliſsimámque eam intelligi voluit, Zoroaſtrem hunc ſex millibus annorum ante Platonis mortem fuiſſe prodidit. Sic & Ariſtoteles. Hermippus qui de tota ea arte diligentiſsimè ſcripſit, & vicies centum millia verſuum à Zoroaſtre condita, indicibus quoque voluminum eius poſitis explanauit; præceptorem, à quo inſtitutum diſceret, tradidit Azonacem, ipſum verò quinque millibus annorum ante Troianum bellum fuiſſe.* Euſebius Cæſarienſis extremo capite libri ptimi Euangelicæ præpatationis citat librum, & ſententiam eius Magi dicens: *Sed Zoroaſtres quoque Magus in libro ſacro, in quo res Perſicas collegit, hæc ad verbum ſcribit: Deus caput accipitris habet: is incorruptibilium primus eſt, ſempiternus, ingenitus, expers partium, ſibi ipſi ſimillimus, bonorum omnium auriga, munera non expectans, optimus, prudentiſsimus, pater iuris, ſine doctrina iuſtitiam perdoctus, naturâ perfectus, ſapiens, ſacræ naturæ vnicus inuentor.* Extant hactenus Otacula Magica Zoroaſtris, cum ſcholiis Phletonis, & Pſelli.

CAPVT XVI.

Magi videntur vſi literis ante Moyſem.

Agitur de Teraphim, *& columnis, lapidibúſque tempore Ioſue ſcriptis, & epiſtola Perſarum ad Ioſue.*

ADIICERE poſſumus, poſtquam Archimagi Zotoaſtris res tetigetimus, priſcis Magis ante Moyſem litetarum vſum innotuiſſe. Laban magicâ aliquâ augurandi cupidine tinctus, gnarus ſctiptionis videtut in vſu idolotum, ſiue Tetaphim, quæ idola Rachel furata eſt. Modum feralem quo illa fiebant ex capitulis Rabbi Eleazaris attulit Elias in Thisbi dicens: *Mactabant hominem primogenitum, cuius caput torquendo præſcindebant. Caput verò abſciſſum ſale, & aromatibus condiebant; ſcribebántque ſuper laminam auream, nomen ſpiritus immundi, qua ſuppoſita capiti eius, ponebant illud in pariete, incendentes coràm & candelas, & adorantes coram eo. Atque cum iſtiuſmodi locutus eſt Laban.* Penè eadem prodidit Paraphraſtes Pſeudo-Ben Vzielis. Vſum quoque eorumdem idolorum, ſeu Teraphim cum ſcriptione aliqua notauit S. Hieronymus explicans illud Ezechielis capite vigeſimo ptimo, verſ. 21. *Commiſcens ſagittas interrogauit idola*; nam in Hebtæo pro idolis eſt *Teraphim*, in quæ verba S Hieronymus ſcribit: *Stabit in ipſo compito, & ritu gentis ſuæ, oraculum conſulet, vt mittat ſagittas in pharetram, & commiſceat eas inſcriptas, ſiue ſignatas nominibus ſingulorum, vt videat cuius ſagitta exeat, & quam priùs ciuitatem debeat expugnare.* Hæc Hieronymus.

Intet Phœnices etiam Magus Og creditur ex teſtimonio Ariſtotelis, cuius vt diximus, liber olim ferebatur. Hoc videtur confirmare vſum literatum apud eas gentes antiquiſſimum, iuxta id quod ſcribit Procopius in Vandalicis libro ſecundo de columnis Phœnicum, cùm magna Phœnicum vis bello ſacro profligata ab

Iſraëlitis maritimas Africæ Regiones occupaſſet, binas columnas erexit in Tingitana, Phœnicio eiuſdem ſæculi ſermone inſcriptas, verbis ſic Græcè ſonantibus:

ΗΜΕΙΣ. ΕΣΜΕΝ. ΟΙ. ΦΥΓΟΝΤΕΣ.
ΑΠΟ. ΠΡΟΣΩΠΟΥ. ΙΗΣΟΥ.
ΤΟΥ. ΛΗΣΤΟΥ. ΥΙΟΥ. ΝΑΥΗ.

Hoc eſt, *Nos fugimus à facie Ioſue latronis filij Naue.* Cùm igitur non habuerint tempus, vt literæ ſibi communicarentur ab Iſraëlitis hoſtibus ſuis immani bello territi, & occupati, videntur anteà literas poſſediſſe. Extat quippe in libri Ioſue decimoquinto capite magnum monumentum literarum, pro earum antiquiſſimo apud Chananæôs vſu ante Moyſem: nam de Caleb dicitur: *Venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariathſepher, id eſt, ciuitas literarum.* Cùm igitur Ioſue, imò Moyſis temporibus *Dabir* vocaretur, quæ pridem ciuitas literarum, antea multò notitia literarum ibi floruit, & adeò vetuſtè, vt in deſuetudinem primum abierit nomen vſurpatum. Accidit his temporibus fuiſſe, vt narrant aliqui, vſum literarum Armeniis, Perſis, & Medis, quorum Reges ſcripſerunt Epiſtolam ad Ioſue, in qua pariter *Latronis* epithetum ſanctiſſimo Duci tribuunt. Hiſtoriam narrant Rabbi Abraham Zachut in libro Iuchaſim, & Rabbi Godolias in ſua catena, & eſt huiuſmodi: *Dixit Samuel Scholem: Inueni, & vidi in libro Chronicorum Cuthæorum, ſeu Samaritanorum narrationem, quam in quodam Iudæorum Midras, ſeu explicatione viderunt ipſi. Ea eſt eiuſmodi: Cum ſubegiſſet Iſraëlis terram Ioſue, & vnum ac triginta Reges occidiſſet, accidit, vt ex iſtis vni cuidam Regi eſſet filius Rex minoris Armeniæ, qui Schobach nominabatur. Et hic fletis, Regéſque Perſarum, ac Medorum congregauit, numero* 45. *Acceperunt autem hi ſecum Iapheth gigantem, ſeu robuſtiſſimum illum, qui contra multos haſtam ſolitus erat vibrare: ſimúlque arena, quæ eſt in littore maris, inſtar, exercitum collegerunt, & epiſtolam ad Ioſue miſerunt: Eius hoc exemplum eſt:* Ab eximia, *& fortunata congregatione Perſarum, ac Medorum Reges tibi, ô Ioſue, fili Nun, ſalutem. Tu lupus es veſpertinus. Cognouimus quæ in propinquos noſtros feciſti, quos in palatiorum noſtrorum vaſtationibus mactaſti, & nulli pepercisti, à puero ad ſenem: Patres occidiſti gladio, omnéſque famoſas eorum vrbes. Et idcirco audi hoc, & cognoſce, nos ab hoc die ad triceſimum ad te peruenturos, obtenturos etiam te in hæreditatis tuæ finibus, in monte Ephraim. Sumus nos quadragintaquinque Reges fortes: & noſtrum cuilibet ſexagintamillia fortium, qui ad iacula, & armis inſtructi omnes, tenentes gladium, reique periti bellicæ. In auxilio etiam noſtro eſt Iapheth gigas, (cuius antea meminimus.) Eapropter paratus eſto: paráque tibi arma: & ne dicas, faciam poſtea, quia contra te venimus citò, citò. Tradiderunt autem illi haſce literas nuncio cuidam prudenti ac ſapienti, qui abijt, & inuenit Ioſue ſedentem in ſolio ſuo Regio; circa ipſum verò totum ſtantem populum. Et iuſſit Ioſue ſuum in conſpectum illum adduci nuncium: ad quem tamen non attendit, quoad diiudicandis Iſraëlitarum negotiis finem impoſuiſſet. Tum verò ſcriptum illud è nuncij manu accepit, ipſúmque in Dei domo legit in ieiunio, fletu, ac planctu, & ſua in domo reſeruauit, donec feſtus Pentecoſtes dies, qui tunc erat proximus, præteriiſſet. Noluit enim eo tempore moleſtia populo quidquam creare: ſed vt dicebam, illas apud ſe literas interea cuſtodiuit: & cùm Pentecoſtes elapſum fuit feſtum, vniuerſi cœtum coëgit populi: eôque audiente, literas illas perlegit, & dixit: Ecce quot pugnas pugnaui ego hactenus? & quot deuici Reges? nihil tamen ij me conturbarunt. Nunc tamen iſto in caſu pauor me ac tremor inuadit. Ea cùm audiſſent viri illi, & dolore affecti eſſent, vacillarunt omnium renes, colliſa ſunt aliis alia genua: deiecerunt in terram capita, & Ioſue dixerunt: Quemadmodum Moyſem audiuimus: ſic & te audiemus. O Princeps, volumen accipe, digitum mitte, & ſcribe eo modo, ac ſtylo, quo ſolent homines iiſque, qui oderunt nos, reſponde, improbis nimirum, contumacibúſque verbis, quæ dura, ſeu velut abſinthium amara ſunt. Reſpondit iis Ioſue; Conſiſtite, & curabo audiatis literarum, quas ad illos concinnaui, formulam: & ſi vobis recta videtur, mittam illis. Et dixit omnis populus: Aperi os tuum, & illuſtria fiant verba tua. Tum legit, ac dixit:*

In nomine Dei Israel, *qui fortes ſuperbas infirmat, impios contumaces morte afficit, peccatores nocentes conſociatos diſſipat, diſſipatos iuſtos & ſanctos conſociat, ipſe Deus Deorum, & Dominus Dominorum, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob: Dominus vir pugnator. A me Ioſue ſermo Dei, & ab Eccleſia ſancta, electa, & beato cœtu Iſraëlis, filiorum Abrahæ, Iſaac, & Iacob, populo nocenti, cœtui exitiali eorum, qui colunt ſimulachra, & adorant varia, ſalus nulla; Dixit Deus: Scitote quia male feciſtis, quia excitaſtis leonem dormientem, & exſuſcitaſtis leonem. Nam cruentabitur, ſeu rubeſiet ad dandum gladium in manum eorum. Ego, ego euigilaui in iuſtitia ad referen-*

dam

dam in caput vestrum mercedem vestram. Et quid vobis vt veniatis in locum sanctum ? & venietis vos, atque terram nostram contaminabitis ? Parate vos ipsos, & ne egrediamini è loco vestro, quia vna dierum hebdomadæ veniam ego ad vos, & interimam fortes, & peribit à vobis fuga. Ecce vos gloriamini, vos esse Reges 45. & cum vestrûm quolibet sexaginta esse millia fortium. At non gloriabor ego nobiscum esse Reges terræ, sed Angelos Excelsi, quorum vnus Sodomam euertit, & Gomorrham; vnus diluuium induxit; vnus terram diuisit in 70. Populos, & populus, qui mecum est, 600000. fortium robore, iique transierunt mare, atque aridam: & ante ipsos præiuit Deus noctu & interdiu in columna nubis, & columna ignis, ex iisque electi duodecies mille interemerunt quinque Reges Madian, & Baalam filium Behor occiderunt, omnêsque masculos: & non factus ex ijs reliquus quisquam. Sacerdos autem quidam, cuius nomen Phinees, cùm sonoras in manu tubas habet, iisque clangit, confestim hostes nostros omnes cogit ruere. Annon audistis de Pharaone, omníque ipsius multitudine? infixi sunt in mare, & nos velut in arida transiimus. An vobis non nunciatum quid Amalecho, eiúsque populo fecerimus ? An non vidistis, quæ Seoni, & Hogo duobus Amorrhæorum Regibus intulerimus ? Et si vobiscum est Iapheth ille robustus, nobiscum est robustorum robustissimus Excelsus super omnem excelsum. Et audierunt filij Israël verba hæc, & steterunt in statione sua: dimisitque Iosue nuncium illum in terram suam. Is verò venit ad eos, à quibus missus fuerat, iisque retulit, quod viderat: Populi scilicet ordinem & descriptionem staturæ Iosue, quæ fuit cubitorum quinque: & quemadmodum is indutus hyacintho, & purpurâ, haberet in capite coronam Regiam, in qua Dei nomen inscriptum esset. Ista illi cùm audiissent, ceciderunt in terram, & dixerunt: Quid est hoc, quod fecimus nos? Circumdedimus nobis ipsis omne malum hoc. Hactenus illi. Postea tradunt victoriam obtentam à Iosue de illis Regibus. Plus roboris habet, quod *Seder Holam* capite vndecimo refert de iis duodecim lapidibus, qui iussu Iosue, è Iordane extracti, in monimentum positi sunt. *Vbi autem*, inquit, *eos compegissent calce supernè, inscripserunt legem septem linguis.* Ecce quàm propagata tunc temporis scriptoria ars ad diuersas, & peregrinas gentes.

CAPVT XVII.

Aliquæ Sibyllinæ Prophetiæ Moysem præcessisse dicuntur.



VLTA quoque Sibyllina Oracula ante Mosaica tempora literis mandata, ipsæ Siybllarum prophetiæ notant, nam de Iosue, & ipso Moyse vaticinantur, imò de rebus quæ Moysem præcesserunt. Quædam sic canit:

—— τότ' ἔσεται ἤματ' ἐκείνῳ
Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων,
Οἳ περιναιετάουσι θεοῦ πόλιν ἐν μεσογαίοις,
Ἄχρι δὲ καὶ Ἰόπης τεῖχος μέγα κυκλώσαντες,
Ὑψόσ' ἀείρονται ἄχρι καὶ νεφέων ἐρεβεννῶν.
Οὐκέτι συρίξει σάλπιγξ πολεμόκτυπον ἦχον
Οὐδὲ ἐπιμαινομένας παλάμαις ἐχθροῖς ἀπολοῦνται.
Ἀλλὰ στήσουσι κακοῦ αἰῶνι τρόπαια.
Εἷς δέ τις ἔσεται αὖθις ἀπ' αἰθέρος ἔξοχος ἀνήρ,
Οὗ παλάμας ἥπλωσεν ἐπὶ ξύλου πολυκάρπου
Ἑβραίων ὁ ἄριστος, ὃς ἠέλιόν ποτε στῆσεν,
Φωνήσας ῥήσει τε καλῇ καὶ χείλεσιν ἁγνοῖς.

—— Tunc illo tempore viuet
Iudæûm diuum genus, & cæleste beatum,
Qui terræ medijs habitabunt finibus vrbem
Diuinam, & magnis ambibunt mœnibus vsque
Ad Ioppen, celsas tangentes culmine nubes.
Non iam terribili sonitu tuba bella ciebit,
Non hostes manibus furiosis interimentur.
Sed statuent mundo præclara trophæa malorum.
Existétque olim quidam vir ab æthere præstans,
Cuius frugiferâ distendit in arbore palmas
Optimus Hebræus, licuit cui sistere Solem,
Clamando pulchris verbis, castísque labellis.

Libro

Libro tertio ſic de ipſo Moyſe præcinitur:

Ἡνίκα δ' Αἴγυπτον λείψει, καὶ τερπνὸν ὁδεύσει
Λαὸς δωδεκάφυλος ἐν ἡγεμόσιν θεοπέμπτοις,
Ἐν σύλῳ πυρόεντι τὸ νυκτερινὸν διαδοῦσαν,
Καὶ σύλῳ νεφέλης πᾶν ἠῶς ἦμαρ ὁδεύσει
Τούτῳ δ' ἡγητῆρα καταστήσει μέγαν ἄνδρα
Μωσῆ, ὃν παρ' ἕλους βασιλίς εὑροῦσ' ἐκόμιζε,
Θρεψαμένη δ' υἱόν τ' ἐκαλέσατο.
Cùm verò Ægyptum linquet, deſertáque vadet
Per loca bis ſenâ populus de prole creatus
Sub ducibus miſsis diuinitus, ínque columna
Ignita per iter noctis gradietur opaca,
Per totúmque diem nebulæ præeunte columna,
Huic populo ductor dabitur vir magnus ab illo
Moſes, quem inuentum propter Regina paludem
Suſtulit, & nati nutritum nomine dixit.

Quid? quædam Sibylla libro primo clariſſimè fatetur ſe fuiſſe de familia Noë: nam vbi deſcribit egredientem Noë ab arca, ſic canit:

Ὡς ἔφατ' ἀμβροσίη φωνή. Νῶε δ' ὡς ἀπὸ κοίτης
Ἠς ἀποθαρσήσας ἐπὶ γῆς, υἱοὶ δὲ σὺν αὐτῷ,
Ἠδ' ἄλοχος νύμφαι τε, καὶ ἑρπετὰ, καὶ πετεινὰ,
Τετραπόδων θηρῶν τε γένη, καὶ τ' ἄλλ' ἅμα πάντα
Οἴκου δουρατέου ἐξήεσαν εἰς ἕνα χῶρον.
Καὶ τότε δὴ τοι Νῶε δικαιότατος ἀνθρώπων
Ὄγδοος ἐξῆλθεν δὶς εἴκοσι καὶ μίαν ἠῶ
Πληρώσας ὑδάτεσσι, θεοῦ μεγάλου διὰ βουλάς.
Ἔνθ' αὖθις βιότοιο νέη ἀνέτειλε γενέθλη,
Χρυσείη πρώτη, ἥ τις πέλετ' ἕκτη, ἀρίστη
Ἐξ οὗ πρωτόπλαστος ἀνὴρ γένετ'. οὔνομα δ' αὐτῇ
Οὐρανίη, ὅτι πάντα θεῷ μεμελημένη ἔσται.
Ὦ γενεῆς ἕκτης πρῶτον γένος, ὦ μέγα χάρμα,
Ἧς ἔλαχον μετόπιν ὅτε ἔκφυγον αἰπὺν ὄλεθρον,
Πολλὰ κλυδωνισθεῖσ' ἅμ' ἐμῷ πόσει, ἠ δαέρεσιν,
Ἡ δ' ἑκυρῷ θ' ἑκυρῇ, ὁμονύμφοισίν τε παθοῦσα.
Ille ſuo nihil addubitans exire cubili,
Ingreditur terram: necnon natique, nurúſque,
Et coniux, necnon ſerpentes, atque volucres,
Quadrupedum, pecudúmque genus, tum cætera cuncta,
Egreſsi pariter liquerunt lignea tecta.
Noë igitur cunctos homines, iuſtiſsimus inter,
Exijt octauus, vicenos cùm bis, & vnum
Compleſſet Soles (Deus ipſe volebat) in vndis.
Hinc noua progenies, hinc ætas aurea prima
Exorta eſt hominum, quæ venit in ordine ſexta,
Optima poſt homines natos, & nomine fertur
Cæleſtis, quod eam cura Deus vnus habebit.
O æui ſexti ſtirps prima, ô gaudia magna,
Quod ſortita fui, poſtquam diſcrimina mortis
Effugi, iactata meo cum coniuge multum,
Necnon cum leuiris gloſſes, ſoceróque, ſocrûque.

CAPVT XVIII.

Ex narratione Io *ſeu* Iſidis, *& ex mutatione nominis Abrahæ & Saræ literarum antiquitas ante Moyſem poſſet adſtrui.*

PRÆTEREA, Sibylla, quæ libro quinto loquitur, Iſis ſoror fertur; Iſis autem anteceſſit Moyſem multos annos, quippe Euſebius in Chronico Inachum, Regem, qui genuit Iſidem, ſiue Io, regnaſſe ſcribit circa annum mundi 3340. quo

tempore

tempore Isaac filius Abrahæ viuebat; Moysen autem constituit circa annum mundi 3610. Quid iam opus est Mysticam Theologiam gentium attingere, in qua etiam vetustissima literarum vestigia repetiemus. Ouidius libro Metamorphoseon primo scribit Inachum agnouisse filiam Io, quæ postea Isis dicta fuit, ex literis quas bouino pede impresserat terræ.

Littera pro verbis quam pes in puluere duxit
Corporis indicium mutati triste peregit.

Inachum autem, non solum Eusebius, vt dixi, sed sanctus Augustinus valde antiquiorem Moyse faciunt. Clarissimè id confirmat Philippus Abbas libro de silentio Clericorum capite quadragesimo sexto, vbi ipsam Isidem, siue Io literarum inuentricem fusè pronuntiat. Nec proinde pigebit eius sententiam exhibere, sic ait: *Ante quidem quàm in Ægypto Moyses nasceretur, cùm Isaac in terra Chanaan geminorum Iacob, & Esau iam pater haberetur. Argiuis, id est, Græcis primus Rex Inachus præfuisse, & post ipsum Phoroneus filius eius legitur imperium tenuisse. Filia verò eius Io, quæ alio nomine Isis est appellata, illustris quidem genere, sed ingenio plurimùm illustrata, egressa fines Græciæ in Ægyptum deuenit, ibique latè, & iustè imperans, primùm literas adinuenit. Visum est enim illi, quod non solùm elegans, sed & necessarium haberetur, vt alter alteri nonnunquam in silentio loqueretur, & remotè abinuicem cùm verba mutua non audirent, secreta voluntatum mediantibus literis aperirent. Quod quia Ægyptiis non mediocriter fuit gratum, præsertim cum id muneris nullus adhuc, vel rari scirent gentibus esse datum, eandem Io, vel Isidem & mortuam, prout decuit, doluerunt, & post mortem velut deam errore deuoto coluerunt. Tanti siquidem beneficij esse non immemores voluerunt; & ideò templum illi deuotione miserâ construxerunt, in quo & ad repræsentandam illius memoriam, voluerunt simulachrum adhibere, cui suas decreuerunt preces, & hostias exhibere. Hoc autem simulachrum sic prudenti sunt consilio fabricati, vt ori suo digitum superponere videatur, per hoc innuens, quoniam ipsa Io, & loquendi superfluum deuitasset, & magistra discipulos ad silentium inuitasset: ob hoc enim credita est literas inuenisse, & eos quibus præerat artem literariam docuisse, vt cùm vellet quis, vel occulta præsentia manifestiùs indicare, vel ad memoriam quæuis præterita reuocare, non semper cogeretur verborum strepitum adhibere, sed tacente linguâ posset literis elegantiùs id explere. Denique nouerat prudens Regina quod indecentius nil habetur, quàm si rupto silendi repagulo mulier verbosetur, & ex iudicio prudentium argui promeretur, quæ maximè prudentibus viris audiri frequentiùs non meretur. Vnde Apostolus ad Corinthios: Mulieres (inquit) in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui; turpe est enim mulierem loqui in Ecclesia. Et ad Timotheum: Mulier, ait, in silentio discat. Salomon etiam, cùm in Prouerbiis ducit in medium mulierem impudicam, & incauto iuueni dolis, & blanditiis inimicam, de hoc inter cætera illam arguere comperitur, quod silentio non adstricta, sed garrula, & quietis impatiens inuenitur. Ecce, ait, occurrit illi mulier ornatu meretricio, garrula, & vaga, quietis impatiens. Quia ergo regina cùm inter plurimos versaretur, incongruum tamen duxit si inter eos loqui frequentiùs audiretur, pulchrè silentio studuit diligentiam adhibere, & occurrentia quæuis negotia non tam verbis quàm literis adimplere, vt patenter ostenderet non se loquaci procaciâ turpiter infrunitam, sed modestè, & grauiter, honestè & grauiter eruditam. Cuius prudentia, vt ad memoriam reuocetur, & ad silendi modestiam quisque intuens inuitetur, simulachrum illius, quod verbo quidem huiusmodi mandatum non imponit, vt id tamen significet, ori digitum superponit.* Subiicit deinde sequenti capite: *Vel fortè illud simulachrum ori suo digitum non superponere, sed apponere perhibetur, vt per id non silentium, sed locutio figuretur, vt scilicet quemadmodum digiti superpositio inuenitur locutionem reprimere, sic eam appositio figuraliter sciatur exprimere. Quia enim Io cùm aut videri loquax, aut garrula modestè recusaret, aut voluntatem suam remotis quibuslibet nuntiare verecundiùs affectaret, nouum quoddam loquendi genus dicitur inuenisse quod constat Ægyptiis non mediocriter placuisse; hoc in eius simulachro iidem Ægyptij signauerunt, cuius ori digitum non superponere, sed apponere voluerunt. Per os quippe conuenienter locutio figuratur, oris instrumento locutionem propriè fieri non negatur, & ipsa literarum exaratio quædam esse locutio perhibetur, quamuis non ori, sed manui exarandi officium assignetur. Cùm ergo statua Isidis suum digitum ad os ponit, quibusque intuentibus fortè, vt prædictum est, silentium non imponit, sed hoc indicio ad memoriam vult redire, quod Regina prudens Io quoddam loquendi genus studuit inuenire. Quod inuentum rudes Ægyptios erudiuit, & à propriis ignorantiæ maculis expediuit, dum huius beneficio plurimùm excitati, quorumdam altitudinem secretorum subtiliùs, & diligentiùs sunt scrutati. Adepti enim literarum honestam, & necessariam notionem, accinguntur præcipuè ad inuestigandam siderum rationem. Et quod inde subtili diligentiâ, & diligenti experientiâ priores perceperunt, vt ad cæteros eadem sententia largiùs deueniret, literis mandauerunt: sic amore sciendi, & studio legendi profectum capientes processu temporis fiunt Ægyptij sapientes, & præ cæteris nationibus quodammodo in cælestia*

se extendunt, dum stellarum & cursus & statiuas, & domicilia deprehendunt.

Adiici posset, quod nonnulli construunt, Isidem nupsisse Osiridi parenti Anubis, qui etiam literis commendatur nec inferior æuo Moyse fertur. Neque opus est iuuari ex transmutatu Hyacinthi in florem, pro quo deplorantem Phœbum sic Ouidius describit Metamorph. lib. 10.

Ipse suos gemitus folijs inscribit & Hya
Flos habet inscriptum, funestáque littera ducta est.

At verò cum verecundia hæc debent allegari, ne seriæ disquisitioni derogent intermixtæ mythologiæ. Quapropter seriora & sacratiora nunc appendemus, vt explicemus quæ diximus.

Ex mutatis & additis à Deo literis in nominibus Abraham & Saræ peritia literarũ ante Moysen posset cõfulciri, quoniam arcanum videtur latère in hac permutatione nominum quod sancto Patriarchæ Abrahæ non satis significaretur, si literarum vsum non haberet. Mysterium autem hoc ex literis constare, sic ex sancto Hieronymo adstruitur, qui ait: *Dicunt Hebræi, quod ex nomine suo Deus, quod apud illos tetragrammaton est,* ה *he literam Abrahæ, & Saræ addiderit. Dicebatur enim primum* אברם *Abram, quod interpretatur Pater excelsus, & postea vocatus est* אברהם, *Abraham, quod transfertur Pater multarum, nam quod sequitur, gentium, non habetur in nomine, sed subauditur. Nec mirandum, quare cùm apud Græcos & nos, a litera videatur addita, nos* ה *literam Hebræam additam dicerimus. Idioma enim lingua illius est, per* ה *he quidem scribere, sed per a, legere; sicut è contrario, a literam sæpè per e pronunciant.* Hæc ille. Expressius Lippomanus dixit, quia esset cacophonia, *m* nominis *Abram* demitur, fitque *Abraham* ex *Abra*, & *ham*. Ante ergo promissionem Isaac, nomen illius erat *Abram*, pater excelsus, postea autem paternitatis illius celsitudo ornatur interpositione ה literæ, quæ inter sacratiores literas, quibus nomina Dei scribuntur, principalis est. & bis scripta in nomine illo ineffabili, quæ & semel adscripta nomini Abrahæ, & secundò adscripta Saræ, indicat prærogatiuam quamdam maximam datam vtrisque, generandi Deum aliquando de semine suo in Christo nascituro de Beatissima Dei genitrice Maria, quæ vera fuit filia Abrahæ, & Saræ; vel ostendant Iudæi sacratiorem causam mutatorum nominum per duplex *he*. Quin & quartus locus literæ in nomine *Abraham*, significare poterit quartum millenarium, in quo natus Deus de semine Abrahæ secundùm Hebræorum supputationem. *Mem* verò clausum *he* sequens, interminabile Christi regnum, & gloriam Abrahæ notare potest, sicut & Isaiæ 9. Hæc ille.

Quòd si consideremus literas, vt numerorum notas, earum etiam ratio habita videtur R. Salomoni Iarki in caput decimum septimum Genesis, vbi scribit Deum adiecisse literam ה *he*, nomini Abrahæ, vt literæ nominis ipsius אברהם, humanis æquarentur membris, antequam cum ipso fœdus iniret. Statim enim post impositionem amplioris nominis iubet ipsum circumcidi. Eæ literæ conficiunt numerum 248. & totidem humana membra numerantur; vt hoc pacto Dominus totius hominis, omniúmque humanorum membrorum Deus significaretur, eáque Abrahamo largitus, nec rigidum esse vnius dumtaxat membri præcisionem exigere is qui omnium auctor & Dominus est & largitor. Præter mysterium placet adiicere, quod Sanctus Chrysostomus considerauit in hac nominis mutatione Homiliâ 2. de verbis Isaiæ hęc habet: *Abraham priùs dictus est Abram, quod sonat transitorem, post hæc verò nomine commutato dictus Abraham pater factus omnium gentium, & vnicum elementum adiectum tantum principatum vindicauit Iustos. Quemodmodum enim reges præfectis suis aureas porrigunt tabellas principatus signum; sic & Deus iusto illi honoris signum dedit literam.*

CAPVT XIX.

Narrantur multi literarum inuentores.



Veniamvs ad eos, qui de literarum inuento celebrantur apud diuersas gentes. Diodorus Siculus scribit libro primo, Mercurium fuisse apud Ægyptios literarum inuentorem; idipsum confirmauit Gellius & Cicero libro de Natura Deorum, & Tertullianus non semel; Plato autem in Phædro inuentum literarum tribuit cuidam nomine *Theot*, tempore Regis Tami, alij ex

ex testimonio Anticlidis eas inuenisse quemdam nomine Menona affirmant: alij à Syris repertas. Plinius libro septimo naturalis historiæ, Assyriorum inuentum scripturam credit. Lucanus Phœnices ob literas repertas sic laudat:

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Et nihil notius Græcas literas Phœniceas propterea appellari. Plinius libro quinto ait. Ipsa gens Phœnicum, cùm in gloria magna literarum inuentionis. Aristophanes, & Æschylus Prometheum literarum compositionem inuenisse canunt. Atqui Diodorus libro tertio ab Æthiopibus in Ægyptios literas manasse prodit. Rursus tamen libro quinto Musarum inuentum scribit. Cadmus à multis celebratus ob ingeniosæ scribendi artis inuentum Plinius libro septimo testatur: *Vtique in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum.* Idem ait: *In Latium eas attulerunt Pelasgi.* Idipsum Solinus affirmat. Alij malunt Nicostratam Euandri Arcadis matrem Latinis primùm dedisse. Dionysius in primo ait, ipsos Arcades primos attulisse in Italiam, qui post Pelasgos venerãt. Liuius Euandrum auctorem vocat, ita libro primo scribens: *Euander tum ea profugus ex Peloponneso, authoritate magis quàm imperio regebat loca, venerabilis vir miraculo literarum, rei nouæ inter rudes artium homines.* Idem iudicauit Tacitus qui prodidit Aborigenes ab Euandro Arcade didicisse literas. Philo Iudæus Abrahamum facit literarum repertorem. Cornelius Tacitus libro Augustæ historiæ secundo, author est, Demaratum Corinthium. Hetruscos primùm eas docuisse; Phrygias tamen literas Herculi debitas testatur Cicero de natura Deorum, vbi ait: Alter Hercules traditur Nilo natus Ægyptius, quem aiunt Phrygias literas conscripsisse. Sunt qui authores literarum celebrent Palamedem, Sionidem Melicum, siue teste Aristotele, Epicharmum; alij Danaum; alij Cecropem; alij Linum; alij Spurium Caruilium; alij Anubim; alij Parcas. Isis quoque apud Ægyptios de inuentu literarum formam meruit. Apud Assyrios Rhadamantus; apud Phrygios Hercules; apud Chaldæos Abraham; apud Getas VVilphila, siue Gulfila, quorum meminit vetustus Codex Bibliothecæ Septimianæ à Crinito, Gyraldo, & Heurno in suo Chaldaico laudatus. Saturnus quoque apud Latinos literarum inuentor creditus à Sancto Cyriano scribitur. Annius Vetulonius in libellum Xenoph. capite de æquiuocatione scribit: *Quod circa initium Nini fuerint literæ, atque leges, non solùm Hispanis, verùm etiam Gallis, & Germanis author est Berosus.* Et iterùm: *Iberi igitur, Samothes, & Tuiscones patres literarum inueniuntur, vt Aristoteles in Magico, & Zenon verè asserunt; & non Græci, vt Ephorus mendax.* Cur in tanta authorum varietate contemptis tot testimoniis suspicioni nostræ fides danda est?

Cap. 12.

Tract. 4. de idol. vanit.

CAPVT XX.

Omni sapientia Ægyptiorum eruditus Moyses literas videtur potius didicisse, quàm docuisse.

Accedamvs ad eruditionem Ægyptiorum, quorum sapientiâ imbutus Moyses à S. Stephano in Apostolorum Actis prædicatur. Quæ autem eruditio sine literis? Ægyptij, vt Diodorus libro primo scribit, excelluerunt, maximè Geometriâ, & Arithmeticâ, cuius notæ literæ apud ipsos erant, sicut apud plerasque gentes. Nam Arithmeticorum Barbaricæ notæ, quibus hodie vtimur ante annos trecentos dumtaxat in Europam penetrarunt. Ab Arabibus Hispani primùm eas acceperunt, à Mauris, & ab Hispanis omnes Latini. Sed & Diodorus libro primo loquutus de eruditione, institutionéque puerorum, apud vetustissimos Ægyptios literarum discendarum meminit. *Sacerdotes*, inquit, *duo literarum genera, tum quas sacras vocant, tum quæ communiorem habent disciplinam pueros docent, in Geometriæ, & Arithmeticæ studiis prolixius eos exercent.* Appositè Clemens Alexandrinus in primo Stromatum, dum de Ægyptiorum eruditione, & Moysis institutione loquitur, literarum meminit. *Arithmeticam*, inquit, *& Geometriam, Rythmicam, & Musicam doctus est, ab iis qui erant insignes inter Ægyptios, & præter eam, quæ traditur per symbola, seu signa Philosophiam, quam in literis ostendunt Hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem tanquam puerum Regium Græci eum docuerunt in Ægypto, vt dicit Philo in vita Moysis: didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum*

cælestium scientiam à Chaldæis, & ab Ægyptiis. Vnde in eius rebus gestis dicitur doctus fuisse in omni sapientia Ægyptiorum. S. Augustinus quoque loquens de Ægyptiorum sapientia ait: *Neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse, antequàm literas nossent.*

Lib. 18. de Ciuit. cap. 39.

CAPVT XXI.

Videtur ab Adamo literarum vsus deductus.

Denique Adam ignatum Grammatices quis dicet, qui totius generis Doctor futurus erat, qui nobilioribus naturis nomina Hebræa indidit, cuius causâ omnia Alphabeta ex Hebraico deriuari probantur, in qua lingua auctor nostri generis peritissimus, & nomenclator præluxit? Quin ipsum Adam scripsisse Psalmum nonagesimum primum Hebræi dicunt quem in die septimo, sabbato nimirum pro creationis beneficio pridie accepto, gratulatutus Deo concinnauit, quod multi ex Psalmi titulo confirmant, sic enim inscribitur: *Psalmus Cantici in die Sabbati.* Doctus à patre Adamo videtur Seth filius, & duo eiusdem Seth filij. Seth quippe aliquos composuisse libros ex S. Epiphanio retulimus. De filiis verò Seth scribit Iosephus in libro Antiquitatum Iudaicarum primo, cùm audirent ab Adamo duplex diluuium, aquæ, & ignis aliquando futurum, vt de posteritate bene mererentur, Astronomicas scientias, quas erant ab Adam perdocti, in duabus columnis, saxeâ vnâ, alterâ lateritiâ scripsisse; vt si lateritia aquæ diluuio solueretur, lapidea superesset, per quam eæ facultates ad posteros manarent. Contrà verò, si mundi incendio saxosa conflagraret, latcritia restaret. Ipse Iosephus testatur, lapideam columnam ad sua vsque tempora perdurasse in Syria. Quapropter æternas literas nonnulli dixerunt. Et Plinius libro septimo ait: *Epigenes apud Babylonios* DCCXX. *annorum obseruationes, syderum coctilibus lateribus inscriptas docet, grauis auctor in primis: qui minimum Berosus, & Critodemus* CCCCLXXX. *annorum, ex quo apparet æternus litterarum vsus.* In quarto etiam capite Geneseos mentio literarum est, dum dicitur. *Posuitque Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Hoc signum Lyranus censuit notabile quoddam signum in faciem eius impressum. Literam quâdam fuisse addunt aliqui; alij putant inscriptum in vultu prætulisse Cain iussum Dei, ne à quoquam occideretur. Alioqui inquiunt aliud signum vix poterat explicare diuinam voluntatem circa incolumitatem Cain. Congruit textus Hebræus qui pro signo habet אות, quæ vox literam significat, quasi diceremus *Letrero* hoc est, inscriptionem. Suffulcit hoc Suidas, qui vbi de Adam loquitur, hæc habet: *Huius sunt artes & literæ, huius scientia rationales, & non adstrictæ legibus rationis; huius prophetia, sacri ritus, purgationes, leges scriptæ pariter, & non scriptæ. Huius denique sunt omnia inuenta, & disciplinæ, & quæcumque ad vitam, atque conuictum vtilia sunt & necessaria.*

CAPVT XXII.

Primas Hebræorum literas decem tantùm fuisse, pugnat aduersùs principatum Moysis de inuento literarum.

Illud sigillatim primatui Moysis de scriptoria arte videtur obstare, quòd sanctus Irenæus libro aduersùs hæreses secundo scribit: *Antiqua, & prima Hebræorum literæ, & sacerdotales nuncupata, decem quidem sunt numero.* Quod pertinere videtur ad antiquitatem Hebraicæ linguæ. Rectè inde coniici posset primam omnium linguam Hebræam esse, cùm tam paucos characteres in nulla alia lingua primùm vsurpatos, nec vllus memorat auctor. Quapropter haud rectè Scaliger existimauit à Phœniceis literis Chaldæos, Hebræos, & Græcos descendisse characteres, cùm illæ (vt ipsemet numerat) fuerint semper viginti duæ; Hebræi characteres primùm solùm decem.

Græci

Græci autem vel ſexdecim iuxta Plinium, vel iuxta Ariſtotelem octodecim. Latini autem non plures. Igitur Moyſes non potuit primas Hebræorum literas inueniſſe, ſed multò antea præceſſerunt, ſi quidem tempore Moyſis plenum Hebræorum Alphabetum fuerit, cùm eius hiſtoricos libros non decem tantùm, ſed omnibus Hebræorum literis conſcriptos videamus.

CAPVT XXIII.

Qui damnarint vſum literarum?

Æc ſunt, quæ principatum Moyſis de literarum inuentu deſtruere videntur, quibus adiiei poſſet, non tam nobile, & vtile inuentum priſcis ſapientibus viſum, vt è diuina origine illud deducamus, ac propterea valde laboremus. Apud Phædrum Platonis ſic Socrates narrat: *Audiui equidem circa Naucratim Ægypti priſcorum quemdam fuiſſe Deorum, cui dicata ſit auis, quam Ibim vocant, Dæmoni autem ipſi nomen Theuth, hunc primum omnium numerum, & numeri computationem inueniſſe, Geometriámque & Aſtronomiam, talorum rurſus, alearúmque ludos, & literas. Erat tunc totius Ægypti Rex Thamus, & in eminentiſſima, ampliſſimâque ciuitate, quas Græci Ægyptias Thebas appellant, Deúmque ipſum Ammonem vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonſtrauit ſuas, dixitque eas diſtribui deinceps Ægyptiis cæteris oportere. Verùm ille quæ cuiuſque vtilitas foret, interrogauit: & ipſo referente, quod bene dictum videbatur, probabat quidē: quod contrà, vituperabat. Vbi multa de qualibet arte in vtramque partem Thamus fertur Theuti oſtendiſſe, quorum ſingula ſi enarrare pergamus, prolixior erit oratio. Cùm verò ad literas: Diſciplina hæc, inquit Theuth, ô Rex, ſapientiores, & memoriâ promptiores Ægyptios faciet, Memoriæ namque, & ſapientiæ remedium id eſt inuentum. At ille, ô artificioſiſſime Theuth, inquit, alius quidem ad artis opera fabricanda idoneus eſt, alius ad iudicandum promptior, quid emolumenti damnîve ſint vtentibus allatura. Atqui, & tu literarum Pater propter beneuolentiam contrarium quàm efficere valeant, affirmaſti. Nam illarum vſus propter recordationis negligentiam obliuionem in animo diſcentium pariet: quippe qui externis literarum confiſi monimentis, res ipſas intus animo non reuoluent. Quamobrem non memoriæ, ſed monitionis remedium inueniſti. Sapientiæ quoque opinionem potiùs quàm veritatem diſcipulis tradis. Nam cùm multa abſque preceptoris doctrina perlegerint, multarum rerum periti vulgo cùm ignari ſint, videbuntur. Conſuetudine quoque moleſtiores erunt, vtpote qui non ſapientiâ ipsâ ſint præditi, ſed opinione ſapientiæ ſubornati.* Accedit illud ſiue Ariſtotelis, ſiue Platonis dictum, quod Stobæus, dum de memoria agit tranſcripſit: Μεγίστη δὲ φυλακὴ, τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ' ἐκμανθάνειν. οὐ γάρ ἐστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν. διὰ ταῦτ' οὐδὲν πώποτ' ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα, οὐδ' ἔστι Πλάτωνος σύγγραμμα οὐδὲν, οὐδ' ἔσται. τὰ δὲ νῦν λεγόμενα σωκράτους ἐστὶ καλοῦ καὶ νέου γεγονότος. *Maxima ſtudiorum eſt conſeruatio, ſi non ſcribantur, ſed ediſcantur: Fieri enim non poteſt, quin ſcripta nobis excidant. Propterea nihil vnquam ego de his rebus ſcripſi, nec vllum extat opus à Platone conſcriptum nec extabit. Quæ verò iam ei tribuuntur, ea Socratis ſunt illius pulchri, & iuuenis.* Fuit quidem Philoſophus, aut fortaſſe idem Plato, qui eodem prorſus ſenſu, rogatus ſemel quid ſcriberet, cùm ſtylo occupatus ab amicis inueniretur, irridens literarum vſum, reſpondit, papyraceam memoriam conficio. Poſſunt quoque multa è literis damna oriri; quapropter Licinius Imperator virus, & publicam peſtem eas dixerit, prout ſcripſit Aurelius Victor. Sed & nationes aliquas literarum vſu abſtinuiſſe prodidit Sabellicus primo Enneadum tomo.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Multorum testimonio, vindicatur Moysi inuentio literarum.



ÆC omnia nec vtilitati literarum, nec gloriæ sancti Moysis quidquam detrahent, potiùs in multis construent. Et quidem licet humanæ literæ, & scriptæ artium institutiones, nõ valde vtiles fuissent retinendo sapientiam, At diuinæ literæ, Dei mandata, oracula diuina, scriptis tradi necessarium videbatur, eo tempore cùm Moyses scripsit, vt postea comprobabimus. Idcirco Paterna numinis prouidentia seruo suo Moysi scribendi artẽ opportunè reuelauit. Prius tamẽ quàm obiecta repellamus, & vtilitatem literarum vindicemus, atque opportunitatem diuina scribendi verba demonstremus, operæpretium erit producere quæ firment gloriam sancti Moysis ex inuentarum primatu literarum. Quatuor potissimum hæc sunt, authoritas in primis, & testimonia grauissimorum scriptorum: deinde indicia magna; tum congruentiæ probabiles denique nihil contra esse, hac vnicâ sententiâ bene omnia constare; cum alia minimè. Venio ad auctorum fidem, qui Principatum Moysi de inuentis literis concedunt. Rupertus Tuitiensis Abbas non semel hanc sententiam pronunciauit ac tuetur, libro tertio de victoria Verbi Dei multis hoc capitulis inculcat: in vigesimo primo ait: *Tanta ac tali studio Deus illis* (Israelitis) *eloquia sua credidit vt eloquiorum quoque signa scilicet literas traderet Moysi.* Statim capite vigesimo secundo subdit: *Quis denique alius nisi ipse Deus signorum huiuscemodi scilicet literarum auctar vel inventor existimabitur?* Postea clarissimè infit: *Ipse Deus literas, id est, ipsas elementarum figuras primus per semetipsum conscripsit, & ei qui primus ex omnibus hominibus scribere meruit, scilicet Moysi scriptas tradidit.* Post paucula addit: *Equidem Gracis Cadmus, quo tempore Dux Othoniel filiis Israel praerat, & Latinas literas tradidit Carmentis, qua tempare populum Israel iudicabat Iair. Sed hoc fieri patuit humana indastria per imitatianem Scriptura prioris, & diuini aperis, vt iam non esset impossibile fieri in alia lingua, quod hominis per semetipsum Deus ostenderat in vna, scilicet in Hebraica.* Idem supponens capite vigesimo tertio scribit: *Inter cuncta apera manuum hominum hoc vnum opus est quod habet homo ex artificio opificis Dei, & de cunctis aperibus Dei, qua multa sunt, hoc vnum opus est, quod homini manu sua iussit operari: nam & in tabulis opere suo scriptaram suam scripsit, & homini in libro scribere iussit.* Idem confirmat postea eodem ipso capite & sequentibus vigesimo quarto & vigesimo quinto, vbi inter alia

alia ait: *Abraham, Isaac, & Iacob, ad quos fiebat Dei verbum, non huiusmodi lectione, sed occulta inspiratione, & idcirco paucissimi verbum percipiebāt; quia tali instructione non multi digni erant. Litera data* (scilicet Moysi) *confestim viam fecerunt multitudini ad percipiendum verbum Dei. Ac per hoc rectè dixerim, quia literarum auctorem siue inuentorem primum non hominem quempiam sed ipsum Deum esse dicunt.* Qui scilicet eas Moysi reuelauit. Porrò Ruperto præluxerunt alij. Eupolemus vetustissimus auctor in libro de Iudææ Regibus scribit, *Sapientissimum hominem Moysem fuisse, & literas Iudæis primum tradidisse; & à Iudæis Phœnices accepisse, Graecos verò à Phœnicibus.* Artapanus quoque antiquissimus Scriptor in sua historia loquens de Moyse: *factum esse*, ait, *vt quasi Deus ab Ægyptiis coleretur, & propter literarum inuentionem Mercurium appellatum.* Vtrumque auctorem citant, & sequuntur Clemens Alexandrinus in primo stromatum libro, & Eusebius Cæsariensis libro nono de Præparatione euangelica. Sachoniaro diligentissimus auctor, Philo Biblius, Diodorus Siculus, Marcus Tullius, Plato in Phileto, & Phædro idem produnt, dum Mercurium, seu Tautum, seu Thoot, seu Theut, seu Thoit auctorem literarum faciunt, Moysem intelligentes. Sic in libro tertio de natura Deorum scripsit Cicero eundem fuisse Theut, ac Mercurium. Quem Græci Mercurium, *Ægyptios*, ait, *nuncupasse Thoth.* Philo quoque non Hebræus, sed Biblius in exordio historiæ Sachoniatonis hæc dicit: *Sachoniato vir peritissimus, atque curiosissimus fuit. It cùm nihil omnium, quæ ab initio facta sunt memoratu digna ignorasse videatur, diligentiùs tamen, quàm cætera ea inquisiuit, quæ Tautus excogitauit; non enim latebat ipsum, quod primus omnium mortalium Tautus literas adinuenerit, & res memorabiles ausus est æternitati commendare, quem Ægypti Theyt, Alexandrenses Thot, Græci Mercurium appellant;* non inuenitur antiquior historia quàm Moysis. Artapanus quidem clarissimè dicit eundem fuisse Mercurium, ac Moysem, quem Græci etiam Musæum appellarunt. Videri etiam potest Eusebius libro primo, & nono de præparatione Euangelica. Hinc Mercurius consecratus est inter gentes, & Deus eloquentiæ habitus propter inuentas literas, atque affictus illi Caducæus cum serpentibus, symbolum virgæ Moysis deuorantis incantatorum serpentes: vetustum quoque carmen fertur: lib.1.c.6. lib.9.c.4.

Moses primus Hebraicas exarauit literas
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.

Ex Recentioribus quoque Petrus Crinitus, Cornelius Agrippa, Ioannes Textor, Lilius Giraldus, Ioannes Mariana, Otto Heurnus, Andreas Hoius inuentorem literarum Moysem affirmant Mariana in præfatione annotationum in Genesim ait: *Moses primas literas prolationis notas inuenit magno miraculo viginti duabus literarum notis comprehensas voces omnes, quæ innumeræ sunt.* Otho Heurnus in Chaldaico suo dixit. *Alphabetarias autem literas ab ipso Deo acceperunt Israelitæ, cùm traderet Mosi (qui Troianum bellum nongentis ferè annis antecessit) decem præcepta huiusmodi literis conscripta. Et in sacra Scriptura nusquam mentio literarum, ante hoc tempus. Cumque Moses primus & solus accepisset à Deo hasce tabulas nouis literarum lineamentis exornatas, postea ipse eas ab hominibus historiarum, & antiquitatis rudibus inuenisse dictus est.* Addi potest sanctus Iustinus, vt mihi videtur, quantumuis non clarè locutus sit. Cyrillus quoque Alexandrinus primum Hebraicæ Grammaticæ auctorem Moysem tradit libro aduersùs Iulianum septimo, quod etiam fatetur Antonius Posseuinus libro secundo Bibliothecæ in quarto capite. Denique S. Augustinus scribit libro decimooctauo de ciuitate Dei, fuisse qui arbitrentur. *Hebræas literas à lege cœpisse, quæ data est per Moysem.*

CAPVT II.

Assyriæ literæ vocantur Hebrææ. Explicatur locus Prouerbiorum.



D ipsum partim confirmant multi ex his, qui literarum inuentum, aut Assyriis, aut Phœnicibus, aut Syris, aut Chananæis imputarunt. Variis his nominibus Hebræam originem denotari obseruant Eusebius, & post eum Polydorus libro primo, Ioãnes Annius, Guillelmus Postellius, Theodorus Bibliander, Carolus Sigonius. Hebræi enim illas plagas habitarunt, & variis nominibus appellata est Palęstina. Hinc Giraldus dixit. Sunt inter auctores, qui Phœnicias, & Hebræas easdē penè fuisse literas tradunt. Hinc Plinius, qui Assyrias literas cap.6.

primus

primus arbitratus est, easdem Syris, & Phœnicibus tribuit. Porrò Assyriarum literarum nomine Hebraicas, imò sacras intelligere Ethnicos auctores ex duobus Themistij locis iuuat confirmare, vt obiter illustrem locum vigesimi primi capitis Prouerbiorum pro benignitate Regibus commendãda. Verba illa Salomonis vbi *Cor Regis in manu Domini esse* dixit, citat ex Assyriis Themistius Euphrades oratione quinta, cuius integram sententiam exhibebo, quod luculenta sit, & digna animo, & memoriâ Regum: *ἀλλ' οὐ δὲ δύο πίθοι κατακείαται ἐν τῷ Βασιλέως ἐδάφει, ὥσπερ ἂν Ὅμηρος λέγει ἐν τῷ τοῦ Διὸς οὔδει κατακεῖσθαι δύο πίθους κηρῶν ἐμπλείους, τὸν μὲν ἐσθλῶν, τὸν δὲ ἕτερον, ἐναντίων. Βασιλεῖ δὲ οὐκ ἔστιν ὁ πίθος ὁ τοῦ θανάτου, ἀλλ' ὁ τῆς ζωῆς μόνος μεστὸς ἀεὶ καὶ ὑπερχειλής, ἐξ οὗ ἀκέρατον αὐτὴν ἀρύεται, καὶ χορηγεῖ τοῖς ἀνθρώποις. πεπίστευκε γὰρ εὖ ποιῶν τῷ λόγῳ τῷ Ἀσσυρίῳ, ὃς τὴν καρδίαν τοῦ Βασιλέως λέγει, ἣν λέγων ἐν τῇ τοῦ θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖσθαι, ἣν οὐχ οἷόν τε γράμμασι θανατηφόροις ἑαυτὴν συνεπιδοῦναι, ἀλλ' ἀνάγκη τὰ ἐκεῖνα τὰ γράμματα γράφοντα ἐκ χειρῶν ἐξολισθαίνειν τῆς χειρὸς τῆς ἀεὶ χορηγούσης ζωὴν ἄνωθέν τι, βασιλεῦ ἡ πολιτεία τὸ τῆς θειότητος ὄνομα ὑμῖν ἐπιφήμισεν: οὐχ ὅτι πολὺς χρυσὸς ὑμῖν ἐν ἐξουσίᾳ οὐδ' ὅτι στέφανοι καὶ ἁλουργίδες ἐν περιουσίᾳ, οὐδ' ὅτι πλούσιον ἐκ πένητος παραχρῆμα ποιῆσαι ῥᾷστον ὑμῖν (ταῦτα γὰρ πάντα χθαμαλώτερα τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς πρὸς ἐκεῖνον εἰκόνος) ἀλλ' ὅτι μόνῳ θεῷ καὶ Βασιλεῖ ἐν ἐξουσίᾳ ἐστὶ ζωῆς ἐπιδοῦναι, οὐδεὶς γὰρ ἐν τῇ ἐπικλήσει τοῦ θεοῦ τὸν νικητὴν ἤτοι θριαμβευτὴν ἀνακαλεῖται, ἢ τὸν Γερμανικὸν ἢ τὸν Σκυθικόν, ἀλλὰ τὸν φιλάνθρωπον καὶ τὸν εὐσεβῆ καὶ τὸν σωτῆρα. ταύτης ἀνθεκτέον σοι τῆς ἀρετῆς, καί σε οὐδέποτε ἐκείνη ἡ χεὶρ ἀφ' ἑαυτῆς ἀποσείσηται.* Hoc est: *Sed neque in Imperatoris pauimento duo posita sunt dolia, cuiusmodi duo Iouis in Solio collocata esse Homerus asserit; eademque fatorum plena, alterum bonorum; contrariorum alterum. At Imperatori nostro nullum mortis dolium est, sed vitæ dumtaxat plenum semper atque exuberans, quam ex eo meram, & sinceram haurit, atque in homines effundit. Praclarè siquidem huic Assyriorum sententiæ fidem adhibet, quæ cor Regis merito dicit in Dei manu custodiri, quod quidem in condemnationis literas minimè propendere potest. Necesse est enim, vt qui hásce literas facilè scribit, ex ea manu excidat, quæ vitam omnibus perpetuò largitur. Olim quidem vobis (Imperator) diuinitatis appellationem Reipublicæ consensus attribuit, non quod immensa auri copia vestra in potestate sit, non quod abunde corona vobis, ac purpureæ vestes suppetant, non quod diuitem ex paupere subito faciendi magna vobis facultas sit (hæc enim longè cœlo, cœlique imagine sunt inferiora) sed quod vnius in Dei Principisque potestate sit, vitam alteri concedere: Siquidem nemo cùm Deum inuocat, Victorem, aut Triumphatorem, aut Germanicum, aut Scythicum, sed amantem hominum, Pium, atque Seruatorem appellat. Proinde ea tibi amplectenda virtus est. Ita nunquam tete à se illa manus excutiat.* Hæc ille. Rursus in oratione nona fatetur in Assyriorum libris inuenisse idem dictum, & quia non minus eleganti, salubrîque sententiâ, nolo eius verba intercidere: *ἀλλ' ἐγώ ποτε ὑπερησθόμην καὶ τῶν Ἀσσυρίων γραμμάτων ταὐτὸ τοῦτο κομψευομένων, ὡς ἄρα ὁ νοῦς τοῦ βασιλέως ἐν τῇ θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖται). καὶ δεῖ τὸν κίνδυνον ὁρᾶν, πηλίκος αὐτῷ πρὸς ἀλλοτρίαν τοῦ θεοῦ πρᾶξιν ὁρμήσαντι, ἐκπεσεῖν τῆς χειρὸς φυλαττούσης. οὐ γὰρ σοὶ μόνον, ὦ βασιλεῦ, ἄξια προσήκει φρονεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς πρός σε διαλεγομένοις ἄξια φθέγγεσθαι, ὡς ἑκάστου ῥήματος τῶν εἰς τὰς σὰς ἀκοὰς ἐμπιπτόντων εἰς τὴν ἀκήρατον ἐκείνην παλάμην ἐγγραφομένων, διὰ ταῦτα τοίνυν, ὦ θεοφιλέστατε αὐτοκράτορ, καὶ τὸν ἄγριον ἐκεῖνον τυφῶνα λίαν ἀναιμακτὶ κατειργάσω, ὅτι σοὶ χρηστὰ ἐννοοῦντι τὴν χεῖρα συνεπιδέδωκεν ὁ θεός*: id est: *Atque ego sanè quàm eleganter hoc ipsum Assyriorum literis proditum animaduerti, Regis scilicet animum in manu Dei custodiri. Vnde ei quantum immineat periculi prouidendum, nisi ad agendum aliquid quod à Deo sit alienum feratur, custodiente sese Dei manu tandem excidat. Non enim tibi solùm (Imperator) quæ sancta sunt animo ac cogitatione tractanda, verùm etiam iis qui apud te sermonem instituunt eadem vsurpanda in dicendo, cùm vnumquodque verbum ex iis, quæ ad aures tuas accidunt in incorruptam illius manum inscribatur. Ac propterea (Deo gratissime Imperator) fædam illam, atque horribilem procellam sine cruore admodum sedasti, quod tibi præclara quædam atque egregia meditandi manum suam ad id Deus præbuerit.* Hactenus Themistius. Nec dubitandum quin per literas Assyriorum sacram Hebræorum scripturam intelligat, Assyrios vocans Hebræos, & Palæstinos. Nam diuersa sunt verba, quæ citat Themistius, quam reperire potuit in Græco apud Septuaginta Interpretes. Septuaginta enim ita transcripserunt: *ὥσπερ ὁρμὴ ὕδατος, οὕτως καρδία βασιλέως ἐν χειρὶ θεοῦ οὗ ἂν θέλων νεύσῃ, ἐκεῖ ἔκλινεν αὐτήν. Sicut impetus aquæ, ita cor Regis in manu Dei, quocumque vtique volens annuerit, illuc inclinauit illud*, à quibus dissidet Themistius, quamuis non inuenustam reliquerit sententiam: nam Septuaginta legunt *ἐν χειρὶ θεοῦ in manu Dei*. Themistius vtitur voce *παλάμη* Palmam manus significat, quo significantius indulgentia diuina exprimitur; ea enim quæ in pretio & amore habentur portari in palmis dicuntur. Tum præcipuè apud Græcos vox *παλάμη* fauoris

est

est quam apud Latinos *palma.* Pyndarus Olymp. *θεῶ σὺν παλάμᾳ, cum Dei palma.* Vsurpat pro ope diuina seu diuina virgula Theognis dixit *παντοῖαι δ' ἀρεταὶ καὶ βιότου παλάμαι omnes virtutes & vita palma*, id est, adminicula vitæ inuenta, & excogitatæ rationes, seu machinæ. Similiter Aristophanes in vespis accepit pro machinatione, astutiâ, & arte, *παντοίας πλέκειν παλάμας omnes nectere palmas* vsurpans pro artes, & dolos nectere. Quare cùm dicat Themistius in palma Dei custodiri cor Regis, significantissimè notatur indulgentia, auxilium, prouidentia singularis, excogitatum studium, & meditatio Dei circa Reges. Sed verbum *δορυφορεῖται*, quod habet Themistius, & non est in Septuaginta, id magis explicat, non dixit Themistius legisse apud Assyriorum literas cor Regis in manu Dei esse, sed custodiri, idque expressit eleganti verbo, & apto custodiæ Regiæ, quod Latinè simplici verbo exprimi non potest, nisi nouum fingamus à satellitio deductum, ita vt hæc sit sententia: *Cor Regis in palma Dei satellitatur*, denotans eximium & præclarius Regum satellitium fore protectionem, curámque diuinam, quam pietate & religione sua Reges merentur, *δορυφορέω* enim propriè significat lanceam gestare, & satellitis munus obire, & stipare, quamuis Herodotus, Lucianus, Demosthenes, Isocrates, Athenæus, Xenophon ad quamlibet aliam exquisitam custodiam protrahant. S. Basilius pro *seruire* posuit, quo significatu etiam commendatur diuina cura in Reges, tunc esset hic sensus *animus Regis in palma Dei seruitur.* Quouis modo diuersa est sententia Themistij ab ea quam Septuaginta expresserunt, qui voluntatem Regis cum impetu fluminis comparantes, vt fecit Ecclesiasticus capite quarto in illa admonitione: *Noli resistere contra faciem venti, nec coneris contra ictum fluuy*, eam denotarunt esse in manu diuina, Principúmque indignatione vti Deum ad coërcenda peccata, in eôsque dedocere illam, in quos voluerit animaduertere, illuc, & quocumque libuerit, inclinari: scilicet in contraria interdum consilia, ferè prout contigit Assuero, vt sanctus Augustinus capite vigesimo primo de gratia, & libero arbitrio, sic scribit: *Deus transtulit indignationem Regis Assueri in lenitatem; scriptum est enim in libro Prouerbiorum: sicut impetus aquæ, sic cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit declinabit illud.* Cæterùm nec cum vulgata consentit Themistij prouerbium, quæ sic habet: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* in quibus apta similitudine denotatur fauor, & indulgentia Regum esse in diuino arbitrio, perinde vt olitor & agricola per alueos suos ducit aquas in hunc, vel illum fundum, aut arcam pro libito suo ad rigandum. Ita Deus gratiam Principum in hos vel illos deriuat prout libuerit, vt proinde qui cupidus fuerit promerendi fauorem Principum prius debet obstringere Deum, eiusque fauorem promereri. Tandem Hebræorum modernos characteres Assyrios ab ipsis Hebræis vocari latè in libro quarto ostendam.

CAPVT III.

Indicia inuentarum literarum à Moyse.

SATIS itaque scriptorum suffragiis authenticus est hic Primatus Moysis de literis repertis. Addo indicia quorum similibus grauissimi auctores vsi. Diodorus Siculus libro Bibliothecarum primo non fuisse historicos antiquos, qui Regum gesta æternitati mandarent, excusat ex defectu inuentarum literarum: *Impossibile est*, inquit, *primas literas æquè, ac primos Reges vetustas extitisse.* Eadem coniectione Iosephus fuit vsus, Nam si vsus literarum antiquior esset, antiquiores possideremus historias. Tunc igitur cum inuentæ fuerunt Alphabetariæ literæ historia cœpisse potuit. Cum igitur ante Moysem nulla historia scripta fuerit, cum post Moysem omnes, cùm primus ipse Moyses scripserit, vnà cum ipso videntur literæ natæ. Et quidem post Moysem fuisse omnes scriptores eruditè probat Eusebius libro octauo, & decimo Præparationis Euangelicæ. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in libris contra Iulianum, & ante illos Tertullianus, & sanctus Iustinus in exhortatione ad Gentes, vbi ait. *Modis omnibus perspicuum est omnibus historiis Mosaicam esse longè antiquiorem: & rursus: sola Mosis præcessit historia, quam diuino spiritu afflatus ille scripsit literis Hebraicis; neque enim adhuc erant Græcæ literæ.* Afflatus diuinitus Moses fuit, non so-

lum quid ſcripſerit, ſed quo modo ſcriberet, inſpirato nimirum literarum Alphabetarum artificio. Idem probat ex Diodoro Siculo ſic Ethnicos affatus: *Diodorus quoque apud vos celeberrimus hiſtoricus, Bibliothecarum abbreuiator, qui ſe ait per XXX. continuos annos luſtrasse Europa, Aſiaque, propriis pleráque contemplatum oculis, hiſtoriarum libros XL. conſcripſit. Is in primo refert, ſe accepiſſe ab Ægyptiis Sacerdotibus, quod apud priſcos Moſes primus legiſlator fuerit, de quo his ipſis verbis loquitur. Nam poſt priſca illa inſtituta Ægyptiorum, quæ in Deorum, heroümque vitis narrant fabulæ, primus fertur Moſes ſcriptas leges tradidiſſe populo, eáſque obſeruaſſe vir magnanimus, & humanæ vitæ vtiliſſimus.* Aliquanto poſt in antiquorum Legiſlatorum mentione Moſem primum recenſet his verbis: *Apud Iudæos Moſem vulgò Deum appellatum, ſiue propter mirificum diuiníſimque huius inuentum profuturum populo, ſiue quod cæteros Legiſlatores facultate perſuadendi multùm antecelleret.* Nec futilis eiuſdem aſſerti pro literarum inuentu Moyſi tribuendo indicatio eſt, prodi memoriæ eum fuiſſe primum, qui legibus ſcriptis fuerit vſus. Nam ſi literarum vſus ante ipſum fuiſſet, mirum eſt nullum alium leges antea ſcriptis commendaſſe. Porrò hanc gloriam ſcriptarum legum tribuit Moyſi Diodorus Siculus, S. Iuſtinus, & ſanctus Cyrillus Alexandrinus, vt omittam multos alios.

CAPVT IV.

Aliud indicium. Explicatur qui fuerint γραμματέων εἰσαγωγεῖς quorum mentio in Exodo, & Deuteronomio.



Maius fortaſſe veſtigium eſt primarum literarum per Moyſem introductarum, quod in nonnullis Pentateuchi locis dicatur, prout in Græca Septuaginta interpretatione habetur, conſtituiſſe Moyſem γραμματέων εἰσαγωγεῖς, hoc eſt, *literarum introductores*, de quibus in capite decimooctauo Exodi fit mentio, quę iteratur in Deuteronomij capitibus decimo ſexto, vigeſimo nono, & trigeſimo primo. Multis difficile fuit, quale fuerit horum hominum munus ignorantibus cauſam eius appellationis. Sanctus Auguſtinus in quæſtionum ſecundo libro, qui quæſtiones ſuper Exodum continet; ſic palam fatetur: *Quos autem dicat γραμματέων εἰσαγωγεῖς poſt Decuriones, non facile ſciri poteſt. Quoniam hoc nomen in nullo vſu habemus vel officiorum, vel magiſteriorum.* Et quidem ita eſt, nec antè nec poſtea opus fuiſſe ſimilibus officiis, tunc ſolùm opus habebat Moyſes coadiutoribus, vt inuentum ſuum ſcribendi introducerent, & communes facerent literas. Quare huius Magiſtratus, ſiue Magiſterij vſus non erat neceſſarius poſt Moyſem, poſtquã iam vſualis fuiſſet ſcriptoria ars. Ante Moyſem verò, cùm literarum Alphabeticarum notitia, & vſus non erat, talis magiſtratus nequiuit eſſe. Idcirco rectè pro tempore Moyſis eiuſmodi memoratur officium. Hoc pacto ardua vox ignorata multis, clarebit omnibus, qui inuentorem literarum ſanctum Moyſem credent. Accedit, quod etiam notauit Auguſtinus, inſtitutum huiuſmodi officium ante legem ſcriptam, & datam, vt doctores, & interpretes legis intelligi nequeant, ſed eos ſimpliciter, qui curam habebant literas recèns inuentas introducendi, qui præerant, vt illæ diſcerentur, ſicut in libro decimo octauo de ciuitate idem Auguſtinus dicit: *Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquam diuinæ legis vllas literas noſſent.* Obinde fortaſſe Ioſephus libro ſecundo contra Appionem ſcribit, Moſem inter cætera curam habuiſſe literis erudiri ſuos.

Cap. 69.

Cap. 39.

CAPVT V.

Aliud indicium: & de ſignificatu Hebraici alphabeti.



Svvabit hoc ipſa Euſebij Cæſarienſis ratio, quâ vſus fuit, vt literarum inuentum nullius alterius nationis probaret, niſi Hebrææ, primáſque literas Hebræas fuiſſe; quoniam nulla alterius nationis literarum nomina aliquid ſignificent. Solùm nomina Hebraicorum Elementorum ſignificatiua ſunt. *Argumento,* inquit,

Lib. 10. cap. 2.

inquit, *illud maximo est, ab Hebrais repertas esse literas, ipsarum literarum apud Gracos appellatio. Singula enim apud Hebraos elementa appellatione significatiua vocantur: quod apud Gracos nullo modo fieri potest. Vnde non esse ab illis inuenta, sed ab aliis accepta declaratur. Omnes autem litera apud Hebraos viginti dua sunt: quarum prima Aleph dicitur, quod Latinè disciplina dici potest. Secunda Beth, quod domus significat. Tertia Gimel, quod vocis plenitudinem significat. Quarta Daleth, quod librorum dici potest. Quinta He, quod vocabulum ista significat, qua omnes voces talem sensum efficiunt, Disciplina domus plenitudo librorum hac. Sextum elementum apud eos Vau dicitur; qua vox Latinè in ipsa dici potest. Deinde Zain, quod vocabulum significat viuit. Octauum Heth, quod significat viuens: totum hoc simul, in ipsa viuit viuens. Nonum Teth dicitur, id est, bonum. Decimum Iod, & interpretatur principium, Simul hac duo bonum principium significant. Vndecimum Caph, Latinè tamen. Duodecimum Lamed, quod, disce, & postea Samech, quod interpretatur auxilium: totum hoc simul significat, Tamen disce auxilium. Deinde sequitur elementum, quod Mem appellant, quod interpretari potest ex ipsis. Deinde Nun, id est, sempiternum auxilium. His accedit Ain, quod Latinè fontem, aut oculum significat. Phe, quod os dici potest. Deinde Sade, qua vox iustitia interpretari potest. Simul sensus est, Fons aut oculus, & os iustitia. Elementum deinde accedit Coph, id est, vocatio. Deinde Res, quod caput significat. Deinde Sin, quod dentes dicere possumus. Postremo Thau, quod signa dici potest. Omnium igitur sensus elementorum hic est, Disciplina domus, plenitudo librorum, hac in ipsa viuit viuens, bonum principium; tamen disce ex ipsis sempiternum auxilium, fons aut oculus, atque os iustitia, vocatio capitis, & dentium signa. Hac est elementorum Hebraicorum Latinè dicta sententia, qua disciplina literarum summoperè conuenit, quod apud alias gentes inueniri nequit. Vnde fateri necesse est, non ab aliis, quàm ab Hebrais literas esse inuentas: Gracos verò ab Hebraicis accepisse, ipsa literarum appellatio significat. Hebrai enim Aleph, Graci Alpha dicunt; illi Beth, Graci Vita: Gamma Graci, Gimel illi: Deinde Daleth illi, Delta isti: & alteri Zain, alteri Zeta. Catera quoque similiter. Vnde patet ab Hebrais literas inuentas ad alios, & ad Gracos tandem peruenisse. Hac de literis dicta sufficiant.* Hæc Eusebius.

Hinc simili argumentandi genere, non tam ab Adamo, quàm à Moyse literas excogitatas colligo, siquidem Hebraicarum literarum nomina eas significant res, quas Adam primis annis non potuit nosse: quare earum rerum nomina literis assignare nequiuit. Domorum quippe, librorúmque vsus primis illis temporibus non erant. Quare ab Adamo alphabetum tam festinè introductum non videtur. Si ab Adamo non fuit, probabilius à Moyse, vt postmodum comprobabimus. Quod si alios auscultemus, quid significent Hebraica literarum nomina, aliqua sunt, quæ ignota prorsus Adamo multos per annos fortasse fuerunt. *Daleth* significat portam; *Vau* vncinum, *Zain* clauam seu arma; *Lamed* veru, *Tsade* venabulum. In his sunt quædam artificialia, quæ rudis, & infans mundus non agnouit: pro tempore autem Moysis omnia congruunt. Accedit, si vllus alius, siue Henoch, siue Abraham alphabetarum literarum artem inuenisset, absque dubio eius meminisset Moyses, & ab inuento illo commendaret auctorem, vtpote qui beneficentissimus humani generis fuisset; meminit quippe primorum aliarum rerum inuentorum, ferrariæ artis, architecturæ, musicæ, agriculturæ. Notauit Iubal primum fuisse Citharistam, Cain architectum, & fundatorem ciuitatis, Tubalcain malleatorem, & fabrum ferrarium. Sella tentoriorum auctorem, Noë agricolam: Nembrod primum Regni, seu Tyrannidis institutorem: quomodo inuentarum literarum vtilissimæ omnium artis auctorem taceret, si aliquis ex priscis fuisset? Cùm autem ipse Moyses inuentor literarum esset, alto id suppressit silentio; summa enim modestia est scriptorum sacrorum, propriásque commendationes ad mirum modum subticent, & sua potius errata promulgant, nec nisi coacti cùm necesse est pro re Dei, aliquam propriam mussitant laudem, quod Eusebius exemplo sancti Matthæi, Ioannis & Petri satis comprobat libro tertio de Demonstratione Euangelica. S. Matthæus Apostolus vitæ genus, quod prius sectatus est, nullo grauiore studio, aut consuetudine refertum sibi delegit, sed inter publicanos, & eos qui pecuniæ colligendæ vacarent. Hoc quidem nullus Euangelistarum indicauit, non coapostolus eius Ioannes, non Lucas, non Marcus, sed ipse Matthæus suam ipsius vitam non dissimulans, planéque ipse se ipsum accusans. Audi igitur quomodo palàm sui nominis meminit, in eo quod ipse scripsit Euangelio, & mores proprios notauit. *Et præteriens illinc Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & dixit ei. Sequere me, & surgens secutus est eum. Et factum est, discumbente illo in domo, ecce multi publicani, & peccatores simul discumbebant cum Iesu, & discipulis eius.* Deinde sermone progressus, ac discipulorum nomina enumerans, ipse sibi ipsi Publicani nomen adiungit, dicit

igitur: *Duodecim verò Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius. Philippus, & Bartholomæus. Thomas & Matthæus publicanus.* Itaque Matthæus abundantiâ quadam modestiæ, studium præ se ferens veritatis in suis moribus indicandis, publicanum se appellauit, neque priorem suam vitam occultare voluit. Et secundo loco post æqualem suum se nominauit. Quum enim singuli singulis comparentur, ipse Matthæus Thomæ, Petrus Andrææ, Iacobus Ioanni, Philippus Bartholomæo, Thomam sibi ipsi præponit, priorem illi locum quamuis coapostolo, tanquam honoratiori tribuens, tametsi reliqui Euangelistæ contrarium faciunt. Audi itaque Lucam, vt Matthæi mentionem faciens, non publicanum dicit, neque post Thomam collocat, sed præstantiorem illum cognoscens, priorem quoque nominat, Thomam illi secundo loco subiungens, quod ipsum Marcus quoque seruauit. Verba igitur illius sic se habent: *Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex eis quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem etiam Petrum vocauit, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum, Matthæum & Thomam.* Sic Matthæum Lucas anteponit, quemadmodum ipsi tradiderant, qui ab initio ipsi viderant, & ministri fuerant sermonis. Ioannem quoque similem Matthæo inuenies. Nam in suis epistolis, ne meminit quidem suæ appellationis, sed seniorem se nominat; nusquam verò Apostolum, aut Euangelistam. In Euangelio autem, cùm significasset illum, quem diligebat Iesus, nomen suum non posuit. Petrus verò ex nimia quadam reuerentia, ne dignum quidem se scriptione Euangelij existimauit. Sed eius familiaris ac Discipulus Marcus, in commentarium retulisse eiusdem de rebus gestis Iesu narrationes memoratur. Qui cùm ad illum historiæ locum venisset, vbi Iesus interrogauit, quem se esse homines dicerent, ipsique sui discipuli quam de se opinionem haberent, subiunxissetque Petrus, tanquam de Christo; nihil illi respondentem Iesum, aut dicentem describit, sed illis comminantem dumtaxat, vt nemini de ipso dicant. Non enim interfuit Marcus iis quæ à Christo dicta sunt: ac ne Petrus quidem quæ ad ipsum, ac de ipso dicta sunt ab Iesu; proprio testimonio proferre æquum putauit. Quæ autem illa sint, quæ videlicet ad ipsum Petrum dicta sunt, Matthæus his indicat verbis: *Vos autem quem me esse dicitis? Et respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Respondens Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & dabo tibi claues Regni cælorum, & qu cumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quacumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Quum hæc tam multa dicta sint Petro ab Iesu, Marcus nihil horum commemorans, propterea quod ne Petrus quidem, vt verisimile est, talia in suis narrationibus enunciauit: Audi quid dicat, post Iesu interrogationem, *Respondens, inquit, Petrus dicit: tu es Christus, & comminatus est eis, vt nemini dicerent de ipso.* Hæc sanè Petrus meritò tacenda iudicauit; quare etiam Marcus ea præteriit. Quæ autem ad negationem suam pertinebant, in omnes homines protulit, ac publicauit, quoniam post illam fleuit amarè. Inuenies itaque de eo narrantem Marcum: *Et cùm esset Petrus in atrio, venit ad eum vna ex ancillis summi Sacerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras? At ille negauit, dicens: Neque noui, neque scio quid dicas: & exiuit foras ante atrium, & gallus cantauit. Rursus autem, cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Hic ex illis est, at ille iterum negauit; & post pusillum, rursus qui astabant dicebant Petro: Verè ex illis es, nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare, quod nescio hominem istum, quem dicitis, & statim gallus iterum cantauit.* Marcus quidem hæc scribit, ac Petrus hæc de se ipso testificatur: omnia enim quæ apud Marcum leguntur, narrationum, sermonúmque Petri dicuntur esse commentaria. Qui igitur ea quæ poterant ipsis afferre bonam famam, recusant: criminationes verò contra se ipsos sempiternæ memoriæ in scriptis suis commendant, & eorum quæ ab ipsis peccata sunt accusationes, quas posteriorum nullus vnquam cognouisset, nisi de ipsorum scriptis didicisset, publicè ab omnibus legendas proponunt: cur non ab omni de se ipsis opinione, omníque mendacio meritò abhorrere credantur? studiúque erga veritatem argumenta certissima præbere. Hæc optimè notauit Eusebius.

Eundem spiritum veritatis habuit sanctus Moyses, eundem humilitatis spiritum possedit, & à se inuenta plura suppressit; quæ tamen alij scriptores quamuis Ethnici memoriæ mandarunt æternæ. Egregia quoque facinora, quæ in Ægypto aduersus Æthiopas belligerans patrauit supremus Dux Ægyptiarum copiarum, tacuit; ea tamen

men historici alij memorarunt, quorum & Eusebius, & Cedrenus meminerunt. Quid de illo heroico facto, cùm Pharaonicū diadema repulit Moyses? nihil ipse dixit. Nec sciremus, nisi Apostolus euulgasset, negasse se esse filium filiæ Pharaonis, & magis elegisse affligi cum populo Dei quàm temporalis peccati habere iucunditatem, & maiores diuitias æstimasse thesauro Ægyptiorum improperium Christi.

CAPVT VI.

Alphabetum Hebraicum videtur pro sacrà Scriptura meditatum.



OPvs est vt regrediamur ad Alphabeti Hebraici significatum. Dicam eo consilio fabricatum, vt sacrorum librorum vsum denotaret, & pro ipsis constructum. Paulisper illius sensum expendamus. Sic incipit, *Disciplina domus, plenitudo librorum.* Profectò disciplina dumus Dei Ecclesiæ, copia sacrorum librorum est, qui quàm meritò plenitudinem librorum vocentur, postea dicemus. Subdit: *In hac ipsa viuit viuens horum principium.* Siquidem in sacris Scripturis, quasi in vitali quodam totius boni, & omnium bonorum morum domicilio optimum & viuens rerum omnium, bonorúmque omnium principium inuenitur, & noscitur. Vndique Deum spirant, Deum prædicant, Deum ostendunt, & quibus modis promereri de illo possimus, docent. Quid amplius? *Disce ex ipsis sempiternum auxilium.* Proh! quantam in nobis spem æternitatis, & fiduciam diuini auxilij ingenerant sacra eloquia! vndique hoc exhalant. Deinde additur: *fontem atque os Iustitia*: vbi hoc nisi ex sacra doctrina? Itaque Hebraicum Alphabetum totum pro Scriptura sacra meditatum videtur, & diuinam commendat doctrinam. Hoc idem confirmo ex sancto Hieronymo ex Epistola ad Paulam Vrbicam, & Præfatione Commentariorum in Threnos, vbi elementa Hebraici Alphabeti, ferè vt iam dedimus, interpretatur, dicens: Verùm iam complēdum est, quod petiisti, vt sensum vniuscuiusque elementi interpretatio annexa significet. *Aleph*, doctrina interpretatur, *Beth* domus, *Ghimel* plenitudo, *Daleth* tabularum, *He* ista, *Vau* &, *Zain* hæc, *Het* vita, *Teth* bonum, *Iod* principium, *Caph* manus, *Lamed* disciplinæ, siue cordis, *Mem* ex ipsis, *Nun* sempiternum, *Samech* adiutorium, *Hain* fons, siue oculus, *Phe* os (ab ore, non ab osse dictum intellige, ne literarum ambiguitate fallaris:) *Zaddi* iustitia, *Coph* vocatio, *Res* capitis, *Scin* dentium, *Thau* signa. Post interpretationem elementorum intelligentiæ ordo dicendus est; fiunt enim ex his literis septem connexiones; quarum prima est *Aleph, Beth, Ghimel, Daleth*, doctrina domus, plenitudo tabularum, quod videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum. Secunda connexio est *He, Vau, Zain, Heth*, ista & hæc vita; quæ enim alia potest esse vita sine scientia scripturarum? per quam etiam ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium. Tertia cōnexio habet *Theth, Iod*, bonum principium; quia quamuis nunc sciamus vniuersa, quæ scripta sunt; tamen ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; & nunc per speculum in ænigmate videmus. Cùm autem meruerimus esse cum Christo, & similes Angelis fuerimus, tunc librorum doctrina constabit, & tunc videbimus facie ad faciem bonum principium, sicuti est. Quarta connexio est *Caph, Lamed*, manus disciplinæ siue cordis, manus intelliguntur in opere, cor & disciplina intelliguntur in sensu; quia nihil facere possumus, nisi prius quæ facienda sunt, scierimus. Quinta connexio est *Mem, Nun, Samech*, ex ipsis sempiternum adiutorium, hoc explanatione non indiget, sed omni luce manifestius est, ex Scripturis æterna subsidia ministrari. Sexta connexio habet *Hain, Phe Zaddi*, fons, siue oculus oris iustitiæ, secundùm illud, quod in quarto numero exposuimus. Septima connexio est (quæ & extrema, quo & in ipso quoque septenario numero fit mysticus intellectus) *Coph, Res, Scin, Thau*; vocatio capitis, dentium signa. Per dentes articulata vox promitur, & in his signis ad caput omnium, qui est Christus peruenitur, per quem venitur ad Regnum sempiternum. Hæc Hieronymus, qui satis monstrat Hebraicum Alphabetum pro sacra Scriptura & occasione sacrorum librorum institutum fuisse.

CAPVT VII.

Ex Alphabeto Hebraico pro sacra Scriptura meditato, ostenditur omnes docendi methodos contineri in illa.



NVNC stemus promissis,& explanemus cur sacra Scriptura plenitudo librorũ appelletur in Alphabeto Hebraico pro eius scriptione meditato? Suspicor,quia pro multis,imò pro omnibus libris sit scriptura, atque consummatio totius doctrinæ. Et quidem quàm plena, & consummata in se ipsa sit apparebit ex modo:omnibus modis traditur,quia ipsa omnis doctrina est.Nescio an à proposita dissertatione abducar, & extra chorum elabar. Sit ita ; Iuuat hic incisà disputatione paulisper pro libidine vagari. Sex video disciplinæ tradendæ vsus, seu methodos apud vetustos sapientes, & florentiores Respublicas: Politicè, Poëticè,Historicè,Declamatiuè,Dialecticè,Ethicè.Plato maximus Philosophorum & Charondas legibus scriptis præcipuam Philosophiam suam tradiderunt,hanc docendi populos methodum optimam rati, vt authoritas & grauitas scriptiunis commendaret scripta. Homerus, Theognides, Orpheus suam Philosophiam, imò Theologiam metro,& Poësi adstrinxerunt, præstantissimum hunc instituendi rudes modum æstimantes, quippe qui mentibus diutiùs insideret, & iucundiùs subiret. Xenophon autem,& Plutarchus historiarum enarratione maluerũt docere,vt egregiis exemplis propositis ad similes virtutum actus prouocarent. Dion Chrysostomus, & Epictetus declamatoriis exhortationibus plebem instituere prælegerunt. Chrysippus,& Aristoteles Dialecticis argumentationibus, de virtutibus differentes bonos mores explorarunt.Antisthenes autem,& Demetrius Ethicis sententiis & salutaribus consiliis egregiam morum doctrinam tradiderunt. Hæc de Philosophis. Quod si Respublicas spectemus, similes docendi modos inueniemus. Æthiopes legibus,Thebani carminibus,Persæ historiis, Rumani declamationibus, Athenienses dissertationibus, Lacedæmones egregiis, & succinctis sententiis rerum suarum publicarum mores procurauêre. At istæ omnes methodi tradendæ doctrinæ, & salutis publicæ procurandæ in vna sacra Scriptura inuenientur. Audiamus hoc ex Aureolo peruetusto,& acuto Theologo, qui de Scriptura sacra loquens ait: *Docet namque politicè,& legislatiuè in prima sui parte, scilicet in Pentatencho ; Docet verò secundò chronicè,seu historicè,& enarratiuè,in altera sui parte, scilicet in decem libris: Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon,Esdra,Tobia,Iudith, Hester,Machabaorum. Docet verò tertio hymnidicè & quasi poëticè, seu decantatiuè in altera sui parte, videlicet in tribus libris Psalmorum,Threnorum,& Canticorum. Docet verò quartò dialecticè,& disputatiuè in alia sui parte, scilicet in duobus libris Iob,& Ecclesiastes.In vtroque namque disceptatiuè,concionatiuè,& disputatiuè proceditur. Docet verò quintò propheticè & declamatiuè,quasi per modum homiliarum, sermonum,& prædicationum in alia sui parte,videlicet in sex libris, Esaia, Hieremia, Ezechielis, Danielis, & in libro duodecim Prophetarum. Docet verò sextò monasticè, seu Ethicè, & consultatiuè in alia sui parte, scilicet in tribus libris, in Prouerbiis,Sapientia,& Ecclesiastico. Et sic sub istis sex modis docendi comprehenduntur omnes libri veteris Testamenti.* Rectè igitur sacra Scriptura plenitudo librorum, & plenitudo doctrinarum dicetur,quæ omnem doctrinam,& omnibus docendi modis tradit.

In nouo Testamento eosdem omnes docendi modos reperiemus, vbi lex sancti Spiritus promulgatur,edicta filij Dei intimantur. & Apostolica præcepta traduntur; ibi Poësim, & Cantica reperiemus B.Virginis, & Zachariæ:ibi vita Iesu Christi, & Apostolorum gesta verissimis traduntur historiis:ibi Iesum Christum, Petrum, & Paulum,iam declamantes,iam disputantes,iam consulentes miramur. Addo præter sex dictos erudiendi modos, alios duos ab aliis signari. Vnum per authoritatem, & testimonium ; alterum per epistolas. Nam authoritate vsi omnes Pythagorici, qui Magistri sui Pythagoræ testimonio Philosophica commendabant præcepta. Epistolarem autem methodum elegit Seneca ; hos etiam docendi modos sacra Scriptura complexa est. Vnde idem Aureolus addit: *Docet verò septimò testimonialiter, & affirmatiuè ex modo quo Notarij de veritate consueti sunt informare homines, & hoc in prima parte noui Testamenti,videlicet in Euangeliis. Docet octauò epistolariter,& destinatiuè; & hoc in secunda parte*

noui

noui Testamenti, videlicet in quatuor libris, in decem Pauli epistolis & in Actibus, qui liber fuit epistola ad Theophilum missa, sicut in principio patet : Primum quidem sermonem feci de omnibus ó Theophile. Similiter & in libro septem Canonicarum, & vltimò in libro Apocalypsis, qui liber est epistolaris missus septem Ecclesiis. Vnde & in principio dicitur, Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit Deus palàm facere seruis suis mittens per Angelum seruo suo Ioanni. Et statim sequitur epistolare exordium cum sua salutatione. Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & sequitur narratio. Ego Ioannes frater vester, & particeps, & socius in tribulatione fui in insula, quæ appellatur Pathmos; & fui in spiritu. Dominica die, & audiui post me vocem magnam, &c. Quid de ipsa doctrina dicam? non tantùm Theologiam libri sacri docent, non tantùm morum disciplinam, sed etiam Philosophiam naturæ, atque vt taceam de libro Iob, & aliis Scripturæ partibus, In vno dumtaxat capite primo Geneseos puto plus docuisse Moysem quàm cæteros omnes Philosophos, & naturæ interpretes.

CAPVT VIII.

Aliud indicium. Et qui ante Moysem libri fuerint, vbi de Ægyptiis, & Æthiopibus literis.

ALIVD etiam indicium est, Alphabetum Hebraicum ab Adamo institutum non fuisse, imò neque ab illis primis generis humani propagatoribus, quod inter eius Alphabeti nomina libri significentur, quemadmodum ex Eusebio produxi. Signum quippe hoc videtur, tunc viguisse aliquorum librorum vsum, qui certè non ita constat fuisse, nisi inter Ægyptios; qui tunc temporis, cùm Moyses primùm inuenit literas, libros aliquos possidebant. Arbitraberis pugnantia me dicere, & inuentorem primum literarum fuisse Moysem, & ante illum fuisse libros; libri enim sine literis non sunt. Egregiè quidem. At duo genera literarum fuêre: quædam Hieroglyphicæ, aliæ Alphabeticæ: quędam rudes, quæ immediatè significabant res, non voces; aliæ ingeniosiores, quæ non tantùm voces, sed syllabas, & quamlibet oris prolationem indicant, harum authorem facimus Moysem, illas potiùs antiquiores putamus, quod Lucanus etiam cecinit.

Nondum flumineos Memphis contexere biblos
Nouerat, in saxis tantùm volucrésque, feræque
Sculptáque seruabant Magicas animalia linguas.

Neque harum literarum tantus vsus esset, nec inuentio tam grata, neque ita commemoranda. Hoc oportet notasse, vt & obiectis argumentis faciamus satis, & sensum nostri asserti explanemus; quapropter de his literis nonnullum hîc sermonem inseremus. Duplex apud Ægyptios literarum modus, priscus & recens. Antiquissimus per hieroglyphicas literas saxis incisas, apertè de eo Aristoteles: *Conceptus animalium scribunt, vti oculatâ fide legimus, in lapidibus per figuras: idem in omnibus scientiis, artibúsque faciebant: quos locabant in templis, tanquam paginas perlegendas, taléfque illis pro libris erant.* Quæ clariùs Cornelius Tacitus dat: *Primi per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effingebant; & antiquissima monumenta memoriæ humanæ, impressa saxis cernuntur.* Plinius libro trigesimo sexto ait: *Scripturæ illa effigiésque quas videmus, Ægyptiæ sunt literæ.* Tacitus iterum libro Annalium secundo: *Manebant structis molibus literæ Ægyptiæ priorem opulentiam complexæ.* De his literis Chæremon & Horus Apollo plura. Ex Diodoro Siculo satis earum artem demonstrabimus: is in parte quarta suæ Bibliothecæ, dum ab Æthiopibus in Ægyptum manasse has literas scribit, mox addit: *De Æthiopum literis, quas Ægyptij sacras vocant, ne quid de priscis rebus omittatur, dicendum. Sunt Æthiopum literæ variis animantibus, extremitatibúsque hominum, atque instrumentis, sed præcipuè artificum, persimiles. Non enim syllabarum compositione, aut literis verba eorum exprimuntur, sed imaginum formâ, earum significatione vsu memoriæ hominum tradita Scribunt quidem accipitrem, crocodilum, serpentem, hominis oculum, manus, faciem, & cætera eiusmodi. Accipiter rem denotat citò factam: quoniam hæc aliarum fermè omnium auis sit velocissima. Transfertur hæc nouatio ad domesticas res, quæ velociter fiant. Crocodilus malum significat. Oculus iustitiæ seruator, & totius corporis interpretatur custos. Reliquarum corporis partium dextera manus digitis passis libertatem designat; sinistra verò compressis tenacitatem,*

Vide Otho nê Heurnium in Chaldaico.

Cap. 8.

tatem, atque auaritiam. Eodem modo & caterarum corporis partium figura, atque instrumenta certum aliquid notabant. Qua memoria hominum longo vsu, ac meditatione obseruata, è vestigio quid exprimerent internoscebant. Hæc Diodorus. Porrò hæc Συμβολικὴ scriptio vt notat Clemens Alexandrinus, apud Ægyptios triplex erat, nempe, Imitatiua, Tropica, & Ænigmatica, quarum Imitatiua dicitur, quæ res, quæ per characteres rebus ipsis persimiles designat: vt qui Solem volunt scribere, circulum delineant; & Lunam volentes significare, duorum lunarium cornuum imaginem pingunt. Tropica, siue Translatiua est, quæ varias diuersarum rerum, præsertim animalium, formas, figurásque transfert, ad significandum vel Deorum, vel hominum dignitates, fortunas, mores, virtutes, vitia, affectiones, & actiones secundùm quam significationem apud Ægyptios Theologos Accipitris imago significat Deum, Scarabei figura Solem, Ibicis pictura Lunam, Hominis forma prudētiam & solertiam, Leo fortitudinem, Equus libertatem, Crocodilus impudentiam, Piscis odium. Ænigmatica est, quæ ex coniunctione, & mutuâ permistione harum imaginum resultat, quo quidem modo Sphinx, ex humano capite, & leonis corpore composita imago, templis, altaribus, aliisque sacris rebus insculpitur, ad significandum quod nobis diuina omnia sint ænigmatica, & obscura. Sol in Crocodilo, qui in aqua non minus quàm in terra nutritur, impressus, significat Solem ad similitudinem Crocodili, partim ex aqua, partim ex terra alimentum rebus meteoris assumere. Sceptrum Regium, cuius vertici oculus, & auris superstant, Deum significat moderantem, videntem, audientem omnia.

His solùm arduis, & difficilibus literis libros scribebant olim, donec Moyses faciliorem scriptionem introduxit. Martianus Capella libro secundo ait: *Erant quidem libri sacra nigredine colorati, quorum littera animantium credebantur figura, quásque librorum notas Athanasia conspiciens quibusdam eminentissimis saxis iussit adscribi.* In obeliscis enim, & in plumbeis libris figuras suas scalpebant; prisci enim libri ex plumbeis pagellis, vt plurimùm compingebantur. Sic Iob dixit: *Quis mihi det, vt sermones mei exarentur in libro, stylo ferreo, & plumbi laminâ?* Interpres Pausaniæ in Bæoticis refert Hesiodi librum plumbeis laminis confectum fuisse in Bæotia. Plinius ait: *Plumbeis voluminibus monumenta publica fieri cœpta sunt.* Eadem apud Gallos argentea, teste Trithemio, fuerunt, ærea apud Romanos. Frontinus quoque libro tertio literas lamellis plumbeis inscriptas per vrinatorem sub aquas missas narrat. Plura de hoc apud Hermanum Hugonem. Hinc potissima contrariarum sententiarum obiecta dissolui possunt, nam de literis Hieroglyphicis possunt accipi, quæ de scriptis libris ante Moysem aut literarum authoribus exhibuimus.

Cap. 13.

Lib. 13. c. 11.

CAPVT IX.

Aliud indicium ex Ægyptiis Sacerdotibus ignorantibus legere scriptionem à Moyse propositam.

RVDEM istum scribendi modum per Hieroglyphica signa ante Moysem fuisse, ipsúmque Moysem authorem alterius scriptionis ignoratæ illatenus Ægyptiis, indicium hoc addere non nemo posset, quod Artapanus memoriæ prodidit, & transcripsit Eusebius Moysem in Ægypto *scripsisse ipsum nomen Dei in tabula, quas literas nonnulli Sacerdotes derise runt, legere nescientes*, quia noua nimirum, & non rerum signa, sed nominum & prolationis, quod genus signorum ignotum tunc: tantùm signa rerum & actionum erant in vsu scribendi. Addo Æthiopicarum, & Hieroglyphicarum, ignorabiliúmque, vt cum Apuleio loquar, literarum apud Ægyptios, omnium gentium olim sapientissimos vsus, nullas, saltem aliquot post diluuium annos, literas Alphabetarias in mundo cognitas fuisse persuadet. Si verum est quod verosimilius videtur, & authores tradunt, literas Hieroglyphicas antiquiores fuisse Alphabeticis; Et quidem ita videtur defectum Alphabetarum literarum per Hieroglyphicas aliquandiu suppletum. Hinc posset aliquis opinari nullas in orbe terrarum tunc temporis Alphabeti literas notas. Nam si Ægyptij omnium sapientissimi, & cultissimi, & à quibus cæteræ excultæ, & doctæ gentes feruntur, illas ignorarunt, ab omnibus pariter ignoratæ videntur; hoc quidem probat quidquid

Lib. de Præparat. Euang.

quidquid sit de eruditione hominum,& literarum vsu ante diluuium,siue earum inuentor Adam,siue Enoch fuisset, postea, saltem in vniuersi inundatione aut confusione linguarum, dispersionéque hominum amissam scriptoriam artem iuxta Diodorum Siculum.Et Polydorus ad rem nostram ait:*Literas fieri potuit vi aquarum deletas, Mosem deinde adinuenisse.* Quod si genti Hebrææ retentus literarum vsus dicatur, potuit quidem in longo tempore seruitutis Ægyptiacæ amitti. Nam si in Babylonica captiuitate quæ tolerabilior fuit,& breuior,& post maiorem mundi culturam amiserunt literas proprias, & sacram penè Scripturam, vt necesse fuerit nouas introduci literas à S. Esdra,& libros sanctos rescribi,non incredibile videtur, si diuturniori seruitute Pharaonica oppressis,Ægypto quoque literis non vtente Alphabeticis, scriptionis vsus desiisset Hebræis, maximè cùm nullos sacros libros haberent, quos curarent,& mundus rudior erat, donec Moyses restitueret meliorem artem scribendi, quàm per Æthiopica,& Hieroglyphica sigilla,tunc temporis solùm in vsu.

CAPVT X.

Congruum fuit vt Moysi reuelarentur Alphabeticæ literæ,& scriptis mandaretur diuina doctrina.



VAPROPTER cùm diuina doctrina, & ipsa Dei verba memoriæ mandare operæpretium fuit, nouum scribendi genus instituendum erat; ideò oportuit reuelari Moysi optimum scribendi ritum, qui facilior, qui vniuersalior, qui clarior, qui verborum ipsorum, qui certior, prout decebat diuinam doctrinam, vnde Fides,& Religio pendet. Itaque hæc fuit conueniens causa,vt inspiraretur miraculum hoc (sic cum Liuio placet loqui) scribendi per signa prolationis,& verborum.Quia scilicet verba Dei oportebat scribi,& quia literis Ægyptiis, seu Æthiopibus,atque Hieroglyphicis scribi commodè non poterant,imò scribi fortasse non poterant. Nunc de causis, cur verbum Dei scriptis commendari oportuit, postmodum de vitiis scriptionis Æthiopicæ, seu Hieroglyphicæ,propter quæ sacra Scriptura iis vetustis literis conscribi nequiret paulisper agemus. Imprimis producam ex Ruperto quàm dignum Deo fuerit literarum inuentum, vt sacra Scriptura traderetur. Libro tertio de victoria verbi Dei per aliquot confirmarat capitula, Deo reuelante,literas Moysem mortalium primum scripsisse, deinde vigesimoquinto capite subdit: *Ecce quàm paruulo auxilio,quantum Deus, & Verbum eius subuenit generi humano. Viginti duæ tantùm, sicut iam dictum est, literæ sunt. Ecce de impensis tam paruis, quàm magnum constructum est ædificium! Primò ex ipsis positum est fundamentum Scripturarum, id est, Scripturæ illæ,quæ Canonicæ dicuntur,per Spiritum sanctum conditæ sunt. Et deinde quàm multi ex omni natione & gente,maximéque Græci & Latini,non pluribus vsi literis superædificauerunt! Inde factum, vt in publicum cõuentum nostrum habeamus adscitum,& habere semper possimus,Dei Verbum.Eatenus homines pauci instructi fuerant hoc verbo,quorum notissimi sunt, Abraham, Isaac, & Iacob, ad quos fiebat Dei verbum non huiusmodi lectione, sed occultâ inspiratione, & idcirco paucissimi verbum percipiebant,quia tali instructione non multi digni erant. Literæ datæ confestim viam fecerunt multitudini ad percipiendum verbum Dei. Ac per hoc rectè dixerim, quia literarum auctorem, siue inuentorem primum, non hominem quempiam, sed ipsum Deum esse decuit, cuius hoc tertium esse munus, ad cognitionem valens Verbi sui, quod hominis literas dedit. Primum namque est donum Dei; quod homo,vtpote rationalis, verbum illud potest meditari. Secundum, quòd solus ex cunctis animantibus,linguam habens eloquentem, ipsam suam meditationem valet eloqui. Tertium, quòd, cùm literas didicerit manu scribere, & aliorum manuscripta intelligere,cognoscere potest verbum Dei, sapientiam Dei. Visibilibus signis sub istis signis primùm illi populo credita sunt eloquia Dei,& instructus est de adoranda maiestate vnius, & solius veri Dei, quod vnus ipse cuncta creauerit, cælum,& terram,mare, & omnia quæ in eis sunt, quòd hominem ad imaginem suam creauerit, quòd ad Abraham, ad Isaac, & Iacob loquutus sit, & semen eorum in populum sibi peculiarem elegerit, & sub eisdem signis leges eius accepit, quorum summa tota est in præceptis Decalogi, quæ ipse scripsit in tabulis, & sub eisdem signis cæremonias eius, id est, ritum, vel ordinem eidem Deo sacrificandi suscepit.*

Etsi enim cùm populus Dei angustus erat per sanctos Patriarchas, satis prouisum

fuit de cælesti doctrina; posteà tamen, cùm in dies augeretur & vita hominis contractior fieret, vt vnus Doctor vocalis non sufficeret omnibus, nec diu posset esse Magister authenticus veritatis, elapsis iam memoriâ hominum diuinis mysteriis, auctis idololatriæ titibus, & cùm plurimæ, & minutissimæ diuini cultus leges promulgandæ erant, quas memoria retinere non poterat, necesse fuit scriptis commendari omnia, quapropter post Moysem, quod bene præfatus est Alphonsus Salmeron, congruè voluit diuina sapientia, vt cognitio cælitùs infusa literis consignaretur, quę suis tum locis, tum temporibus, tum linguis, atque personis mederetur, opémque ac lucem afferret vniuersis, imprimísque, vt hominum fragili memoriæ, parúmque fideli, præsertim post lapsum, prospiceretur. Est enim scriptura (teste Beato Maximo in Mystagogia Liturgiæ) obliuionis medicamentum & memoriæ auxilium: nam etsi ad pauca retinenda, quæ à maioribus illis tanquam columnis in lege naturæ tradebantur, memoria sufficere posset, non tamen ad tot, & tanta mysteria, quæ postea nobis per quinque libros Moysi explicata sunt. Erat enim mundus, antequam Moyses scriberet, veluti puer, qui per ætatem necdum aptus est, vt ad scholas mittatur, domi tantùm per traditionem à parentibus, & nutrice ediscens; à Mose autem vsque ad Christum similis extitit mundus puero ad scholas quidem eunti, sed per ætatem, & paruam capacitatem nondum satis quæ dicuntur, intelligere valenti: à Christo autem vsque ad gloriam, est velut adolescens, qui ea quæ à præceptoribus percipit, intelligere, & diiudicare valet; etiamsi plura & magis ardua sint illi tradita; imperfectè tamen, & ex parte intelligit, donec euadat in virum perfectum. Postremò in gloria omnia, nemine exteriùs docente, in Verbo legere, & intelligere poterit, veluti perfectus vir, ac iam maturus, qui per seipsum quemuis librum ad quamlibet disciplinam spectantem & intelligere, & diiudicare valet: ideo congruum fuit à tempore Mosis sacros conscribi libros. Decuit etiam reuelatam scientiam scripto committi; vt meliùs illi fides haberetur, quàm traditioni. Siquidem magis creditur aliquid præsens esse prædictum, ac proinde esse à Deo, si liber id prædicans etiam ab hostibus proferatur, quàm si verbo tantùm, ac viuâ traditione dicatur fuisse prædictũ. Quemadmodum si quid accidat, cuius tamen instrumentum Notarij manu firmatum, & pluribus testimoniis comprobatum ostendatur: nam tunc magis quiescit intellectus, & verum esse quod dicitur, apprehendit. Spectabat quoque ad diuinam sapientiam, ita nobis scripta sacra committi, vt meritum fidei, humilitatis, charitatis, & obedientiæ magis locum haberet, quàm si cuiuis peculiaris reuelatio fieret. Ob necessarium enim commercium in discendo, homo homini humiliatur magis: vt Paulus missus ad Ananiam vt catechizaretur, maiorem præstitit obedientiam, & Cornelius ad Petrum, & Eunuchus Candacis ad Philippum: amat quoque discipulus præceptorem vt parentem, præceptor discipulum, vt filium: magis etiam fide captiuat intellectum, quàm si intus gustaret, atque per reuelationem omnia disceret. Ostenditur quoque Dei suauitas, infima ad summa nonnisi per ea quæ media sunt, perducens. Atque hæc est suauis Dei dispositio, vt ipse quidem fidem, & charitatem per seipsum infundat, quibus alia quadrant, quod præcipuum est; quod verò minus principale est, videlicet veritates credendas, sine quibus tamen possumus fieri salui, vel saltem sine omnibus, Scripturæ commendauit, vt eas quisque à Doctore vel proximo suo addiscat. *Quia semel loquitur Deus, & secundò id ipsum repetit*, vt ait Iob. Hinc Augustinus rectè statuit: *Homo*, inquit, *fide, spe, & charitate subnixus, eáque inconcussè retinens, non indiget scripturis nisi ad alios instituendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt. Vnde in illis arbitror iam completum esse, quod dictum est: siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Hæc ille. Congruum præterea fuit patefactam notitiam scripto tradi, ne si cuique fieret reuelatio, ob proprium amorem, sensúmq; obscuraretur: & ne propter cacodæmones ad seducendum paratos esset vlla contrarietas, & repugnantia. Nec enim dubium est, quin reuelatio suscipiatur pro ratione ac modo suscipientis; vt ex illo vno, eodémque verbo: *Expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: Caiphas sui, Iudæorúmque ruinam, Ioannes verò suam, & omnium in Christo salutem elicuit. Meritò igitur vnica nobis Scriptura commendata est, ad quam ab Ecclesia Catholica, atque Orthodoxa intellectam, tanquam ad lapidem Lydium probandi sunt spiritus, doctrinæque vniuersæ, non secus atque conclusiones per sua principia, & actiones per finem proprium dignoscuntur.

Cæterùm

Cæterùm vt Moysis tempore hæc diuinorum oraculorum scriptio auspicanda fuisset, præter ea quæ ex dictis iam indicauimus, suppetit commoda sancti Chrysostomi sententia, homiliâ in Genesim secundâ: *Deus*, inquit, *ab initio per seipsum homines alloquebatur: sic enim ad Adam venit. Sic Cain increpauit; sic cum Noë loquutus est; sic apud Abraham hospitatus est. At vbi in magnam malitiam omne hominum genus degenerauit, neque tunc se totum ab hominum genere auertit opifex omnium; sed suam erga illos amicitiam innouare volens, quasi absentibus literas mittit, conciliaturus sibi vniuersam hominum naturam, & has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moyses* Eadem habet S. Odo libro primo suarum collationum, vbi ait: *Deus vt longè nimis mortales à se recessisse, non loco quidem, sed merito demonstret, non per verba sic præsentes alloquitur, sicut olim Patres fecerat, sed per Scripturam velut per quasdam epistolas longè positos reuocans, quasi veteris amicitiæ desertores suos recordari suadet.*

CAPVT XI.

An vtile fuerit scribendi inuentum.



HINC satis commendatam puto scriptionem sacrorum oraculorum; nec contra illam est quid Tamus Ægyptius, & Plato Atticus blatterent: verùm vt magis Deo dignum inuentum literarum etiam pro vsu Politicæ vitæ existimemus, aliqua illius commoda, & mirum ingenium indicabimus, vt vel ipse Plato cogatur cum Tertulliano dicere: *Literas necessarias confitebor, & commercij rebus, & nostris erga Deum studiis.* Egregiè Rupertus scripsit libro tertio de victoria verbi Dei, capite vigesimo tertio: *Quod si vtilitatem huius operis, scilicet manu scribendi rectè perpendis, profectò fateris, decere, vel decuisse Deum, quod figurarum huiusmodi, scilicet, literarum non alius, quàm ipse primus author extitit. Quid enim est in omni mundo, in vniuersa multitudine rerum, vel signorum visibilium, quod humanæ menti ad cognoscendum Creatorem suum tam efficax, tam vtile, támque certum præbeat adiumentum? Numquid ordo Cæli, Solis, Lunæ, & Stellarum? quæ omnia pulchra sunt, & creatricis omnipotentiæ quædam signa sunt, quæ ita, vt hæc verborum signa sensus nostros instruunt, aut instruere possunt. Hæc signa de præterito narrant, de præsenti demonstrant, de futuro sæculo annunciant, & quod summum est, Creatoris non solùm omnipotentiam asseuerant; verùm etiam voluntatem nobis intimant, & quoties volumus, Deus nobiscù per hæc signa loquitur. Dignum igitur opus, quod ipse Deus operatus esse credatur, sicut manifestè Scriptura testatur. Quia (sicut iam dictum est) prior ipse scripsit in tabulis opere suo, digito suo, vtique modo ineffabili, & deinde homini scribere iussit.* Penè omnes vsus literarum miracula videntur. Nonne mirandum audire loqui absentes? quod valde demiratus sanctus Basilius inter maxima Dei beneficia censuit in quadam ad Ambrosium epistola: *Magna*, inquit, *semper quidem & multa sunt Domini nostri dona, &c. Vnum verò, quod inter maxima reputari potest, hoc est, quòd quàm longissimè propter locorum distantiam seiunctis per literarum alloquium mutuò coalescere dedit. Largitus est autem duplicem cognoscendi modum, vnum per præsentem conuictum & congressum, alterum per consuetudinem literariam.* Deinde nonne mirandum loqui mortuos, & elapsa reducere tépora, ac repræsentare præterita? Quot vsus hinc nascuntur disertè enarrar Diodoros initio suæ Bibliothecæ, vbi ait: Magnas meritò gratias rerum scriptoribus homines debent; qui suo labore plurimùm vitæ mortalium profuêre. Ostendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis appetendum sit, quidve fugiendum. Nam qui multarum experimenta rerum variis cum laboribus, periculisque, procul ipsi ab omni discrimine gesta legimus; nos admonent maximè quid conferat ad degendam vitam. Ideoque Heroum sapientissimus est habitus is qui sæpiùs aduersùs fortunam expertus, multorum vrbes, ac mores conspexit. Cognitio verò ex aliorum rum secundis, tum aduersis rebus percepta; doctrinam habet omnium periculorum expertem. Omnes præterea mortales mutuâ quadam cognatione vinctos, licèt locis ac tempore distantes, sub vnum velut conspectum redigunt; diuinam sanè prouidentiam imitati, quæ rum cæli ornatum, rum naturas hominum varias communi ordine quodam per omne æuum complexa, quid quemque deceat, diuino munere impertitur. Eodem pacto, qui totius orbis velut vnius ciuitatis acta suis operibus instruxerunt, in communi ea vtilitatem conscripsêre. Epist. 55.

Ioann. Euseb. de Origine S. Script.

psère. Pulchrum est igitur ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram: & non quid alij egerint, quærere, sed quid optimè actum sit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur à iunioribus. At hos tantò antecellit historia, quantò plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaque ad vitæ institutionem vtilissima historia censenda est, tum iunioribus, quos lectio diuersarum rerum antiquioribus æquat prudentia: tum verò ætate maturis, quibus diuturna vita rerum experimenta subministrauit. Adde quòd priuatos viros imperio dignos efficit: Imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit: milites propter laudem, quæ mortuos sequitur, promptiores efficit ad pericula pro patria subeunda: improbos timore infamiæ à malis facinoribus deterret. Denique literarum monumentis, quæ testimonium virtuti præbent, moti quidam tum condidère ciuitates, tum leges vtiles vitæ mortalium ediderunt. Nonnulli nouarum artium, doctrinarúmque inuentores ad vsum gentium extitère. Sed omnium rerum quibus felicitas hominis paratur, laudem præcipuam, causámque Historiæ tribui decet. Est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis, beneficámque erga omne genus hominum præbens. Etenim si ea quæ de Inferis, & quidem fabulosè feruntur, multùm conferunt hominibus ad pietatem, ac iustitiam seruandam: quantò magis putandum est historiam veritatis assertricem tanquam totius Philosophiæ parentem, mores nostros effingere ad virtutem? Omnes enim ferè mortales naturæ infirmitate maiorem vitæ partem otiosi ac segnes degunt: quorum vitæ ac mortis æqua obliuio est, cùm par vtriusque interitus sequatur: virtutis verò facinora immortalia sunt: præsertim cùm historiæ beneficium accessit. Et quidem decorum est mortales labores perpeti pro gloria immortali. Hercules quidem magnos, multósque, dum vixit, labores ac pericula sponte adiit, vt pro suis erga omnes gentes beneficiis immortalitate donaretur. Cæteros egregios virtute viros, hos quidem Heroum; hos verò Deorum honores assecutos videmus, omnes certè magnâ laude dignos: sed eorum tamen omnium gesta, ac virtutes historia ab interitu vindicauit. Etenim cætera monumenta ad paruum tempus perdurant, variis casibus disturbata; historiæ virtus per vniuersum orbem diffusa. Ipsum quod cætera consumit; tempus custodem sui habet. Idem Diodorus alibi: Cui tanta ingenij facultas suppetit, vt dignis laudibus literarum disciplinam, institutionémque se prosequi posse confidat? Quibus solis vitâ defuncti viuentibus commemorantur: tum quos longissima procul terrarum interualla separatos tenent, hi literarum sese mutuis velut internuntiis salutant, visunt, cum absentibus amicis tanquam præsenti consuetudine mutuis colloquiis perfruuntur: tum ad bella, siue inter gentes quascumque, siue inter Reges sedanda, quid idoneum, quid magis accommodatum literarum munere posset excogitari? Fœderibus commendandis, pactis, conuentis, promissis testes primi accersuntur, cæteráque omnia quibus seruandis summâ opus est fide, ipsis tutò commendantur; illæ commendata quæcumque excipientes, æternâ integritate, & inconcussâ fide custodiunt. Postremò sapientissimorum virorum sanctissimas sententias, oracula Deûm, Philosophorum inuenta, disciplinarum denique omnium præcepta, ac monumenta humanarum, diuinarúmque rerum, solæ literarum ædes reposita conseruant, atque à vetustatis, & temporis voracitate defensa veluti quadam diuinâ vi tuendo posteris ex ordine deinceps per succedentia sæcula, demum æternitati commendant. Hactenus ille.

Sic gentes admiratæ sunt inuentum literarum, vt diuinum donum credentes, aut Diis suis imputarunt, aut inuentores Deos reputarunt. Idcirco Mercurius siue Moyses literarum inuentarum Deus creditus apud Ægyptios, sic Parcæ apud Hyginium, Musæ apud Diodorum, Saturnus apud sanctum Cyprianum, Ibis & Anubis apud Pelusios, authores scriptionis æstimabantur. Hebræi qui sibi meritò scriptoriam artem arrogant דקדוק *Dicduc*, hoc est, *subtile inuentum* appellarunt. Quid dicam de his qui nullam literarum notitiam habentes, quales Barbari, Americani, vt primùm literas viderunt, quibus communicantur absentes, stupuêre. Nunc eas Vraienses vocant cum admiratione *inuentum Dei*, & tanquam sacrosanctum & diuinum aliquid suspiciunt, & timent. Nuperrimè accidit, cùm magna eius nationis manus conspirasset, vt quemdam ex nostris Patribus occiderent, iámque instarent: monitus ille periculum, id consilij accepit, nam aliud non supererat, vt libro ostenso terreret hostes: sumptóque

ſumptôque volumine cœpit intrepidus legere, vôluere folia, identidem illis minitari, ſi accederent propiùs; nemo autem auſus fuit progredi. Hoc artificio euaſit ille. Plura de admirabilitate, vtilitateque ſcribendi Hermanus Hugo præfatur ad tractatum de prima ſcribendi origine. Quod autem aliquis literarum abuſus accidere poſſit, & acciderit, non hoc incommodum adæquabitur pluribus & grauioribus ex ſcriptione vſibus, nec vlla res tam bona eſt, quâ nequeat humana abuti malitia: hoc non culpa rerum, ſed noſtra eſt.

CAPVT XII.

De Sinarum literis: & quàm ſint Æthiopicæ, & Ægyptiæ literæ parùm aptæ ad conſcribendos libros ſanctos.



VENIAMVS iam ad Æthiopicarum, Hieroglyphicarúmque literarum anguſtum, atque ſterilem vſum, quibus abſunt tot penè vtilitates, quas præfati ſumus ob obſcurum earum notarum ſignificatum, aut intellectum. Aptè propterea illas *ignorabiles literas* dixit Apuleius. Difficiles erant diſciplinæ, obſcuræ ſenſui, dubiæ aſſerto, contractæ explicatui. Nec per illas dici omnia poterant; nec quæ dicebantur incontrouerſa, explicatáve ſatis manebant. Præterea res potiùs ſignificabant, non ſermones, quare cùm diuina verba ſcribenda forent, iis conſcribi literis non debebant, ſed alia noua ſcribendi ars requirebatur, quam vtique per Moyſem auſpicatam putamus. Multa alia incommoda ſcriptionis Æthiopicæ producere poſſem, ſat ſit quæ de Sinarum literis, quia proximæ Hieroglyphicis Æthiopum, Ægyptiorúmque literis, quamuis vtilioribus, conſcripſit Nicolaus Trigautius, ex cuius libro primo de Chriſtiana expeditione hæc excerpſi: *Neque vocalium, neque conſonantium apud Sinas vlla mentio, ſed vt rerum, ita & vocum ſingularum ſuus eſt Hieroglyphicus character. Nec pauciores literæ, quàm voces numerantur. Idémque eſt apud eos dictio, ſyllaba, elementum. Ac tametſi pro rerum multitudine ſit numerus characterum, eos tamen inter ſe ita componunt, vt ſeptuaginta, octoginta've millia non excedat. Et ex iis, qui decem millia nouerit, eos qui ferè neceſſarij ſunt ad ſcribendum characteres eſt aſſecutus. Nam omnes omnino noſſe, nec opus eſt, nec eſt in vniuerſo fortaſſe Regno, qui nouerit. Horum etiam characterum plurimùm idem eſt ſonus, figura non eadem, imò etiam ſignificatio non vna. Vnde fit vt aliud nullum idioma æquiuocum æquè reperiatur. Neque à loquentis ore ſcriptio vlla excipi poteſt ab audientibus ex ſcribenda, nec liber vnus ab audientibus cùm prælegitur intelligi, niſi librum eundem præ oculis habeant, vt æquiuocos vocum ſonos, quos aurium iudicio minimè diſtinguunt, oculorum fide figuras intuentium, internoſcant.* Cap. 5. Adiicit poſtea: *Ideò characteres ipſi ſuos ac figuras à prima pueritia ediſcunt ad extremam vſque ſenectam.* Quàm improbus labor, vitam neceſſe eſſe pueriliter cõſumi, vt diſcatur lectio! Quid intellectioni ſeruabitur? Maior æquiuocatio, minor vtilitas, par difficultas erat Hieroglyphicæ apud Ægyptios ſcriptioni, indignæ prorſus diuinis verbis in æternitatem ſeruandis. Et quidem tot nomina propria, quot in hiſtoria Moyſis narrantur, nullo pacto illis literis Æthiopicis poſſent explicari. Et certè vtcumque verba Dei, & doctrinam fidei Hieroglyphicis, Æthiopicíſque literis commendari non oportebat.

CAPVT XIII.

An Adam primus fuerit ex ſacris ſcriptoribus, ſaltem literis Hieroglyphicis.



HOc ipſum vt magis comprobemus, operæpretium erit explorare originem ſacrorum ſcriptorum; hoc eſt, eorum, qui afflati ſancto Spiritu, vt oracula Dei ſcriptis mandarent, manum ſtylo admouerunt, an aliquis ante Moyſem fuerit. Nam ſi aliquis prior extitiſſet, alterutrum dici neceſſum eſt, aut literarum vſum ante Moyſem fuiſſe, aut Æthiopicis, & Hieroglyphicis

cis literis doctrinam fidei promulgatam. Neutrum nos concedimus. In hac autem disquisitione obiter adornabimus expeditum exitum plurium obiectorum, quæ obtrudimus,& fortius hanc existimationem de inuentis à Moyse literis Alphabeticis, vt verba Dei conscriberet,consulciemus. Quamuis iam ex dictis præcipua assertionis alterius tela retusa sint. Nam cùm duo literarum genera fuisse demonstrauerimus,de scriptione Æthiopica,& Hieroglyphicis literis intelligi possunt quæcumque ante Moysem scripta perhibentur,aut inuentæ literæ affirmantur. Nos enim solum Alphabeticarum literarum, & prolationis notarum authorem Moysem facimus. Nihilominus posteà directiùs obiectis omnibus faciemus satis. Nunc ad propositum quæsitum veniamus.

In primis occurrit Adam, quem nonnulli Hebræi, primùm ex sacris scriptoribus confingunt,quem dicunt diuino Spiritu afflatum composuisse Psalmum in actionem gratiarum pro recenti creationis beneficio. Et hunc Psalmum esse quem Psalterij Dauidici nonagesimo primo loco numeramus.Quem Chaldaicè sic inscriptum legimus: *Laus & Canticum,quod dixit homo primus pro die Sabbathi.* Vbi clarè eius Psalmi autbor Adam præfigitur, in Latinorum quoque ac Græcorum quibusdam codicibus antonomasticè præscribitur,*in diem:εἰς τὴν ἡμέραν*,quasi Sabbato primo notato,quem primum diem integrum Adam expertus. Scribit igitur Rabbinus Kimbi die Veneris creatum Adamum circa horam tertiam, peccasse vndecimâ; fuisse condemnatum duodecimâ,pulsúmque paradiso: in fletu mansisse reliquo die, & sequenti nocte.Die tamen Sabbati mane obtinuisse culpæ remissionem,tunc cœpisse considerare opera diuina,& vniuersitatem creaturarum,& præ lætitia prorupisse in eius Psalmi verba:*Bonum est confiteri Domino,& psallere nomini tuo, Altissime.*

Verùm rara & tenuis fides, vt plurimùm,commentationibus Hebræorum danda est,atque in hac parte refelluntur ab omnibus interpretibus nostris, qui hunc Psalmum nonagesimum primum Adamo minimè adscribunt.Sed nonnulli dicunt à Dauide compositum in persona Adami,vt die Sabbati caneretur,qui dies dicatus erat creationis commemorationi,quoniam eo die quieuit Deus ab omni opere,quod patrarat. Alij maiunt Moysem auctorem esse eius Psalmi, quem putant composuisse antecedentem Psalmum,& aliquot sequentium, in quo etiam conueniunt multi ex Hebræis:id certò habendum,ab Adamo minimè concinnatum hunc Psalmum:multa enim rerum nomina claudit,quarum notitia caruit tunc primus parens.& fortasse in tota sua vita non nouit.Quomodo in ipso mundi primordio Decachordum inueniretur & Psalterium,& Cithara:quæ instrumenta post multos annos reperta? Libanum montem quomodo tam breui nosset Adamus? nec enim in Libani colles deportatus fuit,nec illuc adeò celer penetrare posset.In illo autem Psalmo harum omnium rerum mentio fit.Magis opinor,si eius auctor Adam fuisset,naturas & elementa inuitaret ad Deum laudandum,quàm artificialium rerum meminisset. Cæterùm de quodam Adami libro in Thalmud legitur., & apud Rabbi Abraham, quem illum de diuinitate conscripsisse Hebræi confingunt. At quæ fides superstitiosis fabellis? iidem Hebræi nescio quid delirant de libro ab Abel composito.

B. Amadeus raptu quinto, duos Psalmos, siue Cantica scripsit ab Adamo composita. Vnum postquam vidit creatam Euam, aliud pœnitentiale post peccatum ab Adamo,& Euâ dictum, quos opportunè hîc transcribam ex Regia Bibliotheca manuscriptorum sancti Laurentij in Scuriali,vbi Beati Amadei Apocalypsis seruatur, vt quid de iis censeam, posteà dicam.

Psalmus, siue Canticum Adam in productione Euæ.

OMnia quæ in mundo erant, respiciebam,nullum mihi simile inueniebam: non est certè vnquam consolatio perfectè solitario. Hæc nunc est os de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carne vna. Mas adhærebit vni fœminæ, & fœmina vni viro. Pater filiæ non copuletur, multò minus filius matri. Me Deus fecit stipitem naturæ humanæ, & sociam dedit mihi: ex nobis duobus omnes generabuntur: sine patre & matre nemo nascetur: sed vt omnis

omnis combinatio inueniatur, filius ex matre sine patre orietur. Ego ex nullo homine prodij, hæc à me originem traxit. Ex duobus omnes alij generabuntur. Vnus ex femina sine viro. Magnum est hoc Sacramentum, quo Dei cum populo copulationem ostendit. Tu vocaberis virago, quia de viro tuo te Deus excerpsit: vocaberis & Eua, quia cunctorum viuentium mater. Da huic dexteræ tuam dexteram, & osculum sanctum labiis meis. Crescamus, & multiplicemus, populum Dei cultorem producamus. Ipse suos cultores poterat omnes simul producere; communicat nobis proprias actiones, quæ per alios facere potest, rarò vel nunquam per seipsum facit, & ipse non beat indiuidua propter speciem, sed beat & creat speciem propter indiuidua. Sed antequam iungamur, vxor mea, vacemus contemplationi; & rebus diuinis, deinde cum timore Dei nostri implebimus mandata eius. Gloria & honor sit Deo vni, & trino, & omnipotenti & sempiterno.

Psalmus Protoparentum culparum remißionem implorantium, & obtinentium.

ADAM. Adonai Domine Deus meus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei: & quia plurimæ sunt miserationes tuæ, dele hanc iniquitatem meam. Oppressus sum tribulatione, maxima tempestas pelago demersit me. Libera me Deus, & erue me de diluuio aquarum multarum. Audite omnes cæli & cæligenæ verba oris mei. Referant Angeli omnia quæ cogito, & loquor, dicant virtutes cælestes. Porrigat Deus aures pientissimas huic humili deprecationi meæ. Exaudiat orationem meam, & clamor cordis mei ad ipsum perueniat. Tu Deus es lux vera, & præclarissima, omnia alia sunt tenebris permixta. Tu es Sol, qui nescis occasum, & habitans lucem inaccessibilem. Tu es terminus & finis omnium. Tu satietas vnica omnium Beatorum.

EVA. Adonai Domine Deus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. Magna enim est misericordia tua, & miserationes tuæ multæ nimis. Tu ante omnia cælum immobile creasti habitaculum sanctum & excelsum, illúdque Angelicis spiritibus decorasti, & ipse omnia quæ facturus eras, benignè reuelasti. Illi fuerunt astra matutina, qui te per multa sæcula laudauerunt. Tu cælum mobile formasti, & illud aquas quæ super cælos sunt, nominasti. Est namque in se omnino vniforme, & motu suo alij cæli cientur. Aquæ illæ sunt sub cælo immobili & super omnia quæ mouentur. Tu creasti lucem, pulcherrimum Solem, Lunam cum quinque Planetis, & Firmamentum in medio posuisti, in quo signa & stellas, & sydera potenter collocasti. Quatuor elementa produxisti, & cuncta ex illis tuâ sapientiâ conflauisti.

ADAM. Adonai Domine Deus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. Draconem enim superbum, & rebellem, brachio tuæ potentiæ dispersisti: De sedibus potentes deposuisti, & qui erant humiles sublimasti. Esurientes adimplesti bonis, & qui sibi videbantur pleni abiecisti. Me tandem hominem de limo terræ fabricasti, tuâque imagine insignisti, etsi natum mortalem, & perturbabilem, ne mori, aut perturbari possem concessisti: nam & illa à te accipere non repugnabat. Me in locum vitæ, & voluptatis induxisti, & omnibus donis decorasti, sub pedibus meis omnia

subie

subiecisti,& magnum ADONAI nomen ostendisti.Euam adiutorium mihi simile dedisti, quam de latere meo extraxisti.

ADAM. Adonai Domine Deus meus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei, quia me caput omnium hominum fecisti,tuâque sapientiâ simul cum socia imbuisti, liberum arbitrium concessisti,& in manibus nostris nos demisisti. Præcepta & mandata nobis dedisti. Vitam & mortem ante nos posuisti; vt si mandata seruaremus, conseruaremur; non seruando moreremur. Lucifer inuidus vidit,& inuidit, pugnauit contra nos, & vicit. Victus ab Angelis hominem superauit, & semen eius in æternum prostrauit.Ego sum qui peccaui. Ego ille qui coram te iniquitatem feci. Si ego noluissem, neque Eua,neque hostis me auertere potuisset. Cùm in honore essem non intellexi, & dignitatem meam amisi. Comparatus sum iumentis: equo,& mulo factus sum similis.

ADAM. Adonai Domine Deus meus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. Tribulationem & dolorem inueni, circumdederunt me gemitus mortis. Morte, & omni miseriâ sum oppressus; omnibus muneribus expoliatus.Descendi ab Hierusalem in Hiericho; incidi in latrones pessimos. Ipsi me spoliauerunt, & nudum omninò dimiserunt;atrociter vulnerauerunt,& semiuiuum reliquerunt. Iam nuditatem meam ipse agnosco.Malum meum contra me erit semper. Scio bonum nunc, Deus, quod amisi, quod teneo malum bene didici. Verumtamen minus meas defleo miserias,quàm posteritatis calamitates. Vtinam super me solum,& Euam, peccatorum pœna irruisset! Transibit de progenie in progenies in vniuersos liberos nostros.

EVA. Adonai Domine Deus meus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. Magnus Dominus Deus noster, & magna clementia eius; & misericordiæ eius non est numerus. Qui peccato nostro adhibuit remedium, vt si vellemus surgere, possemus: Filium suum omnium glorificatorem,mox statuit nostrum Redemptorem; eiúsque sanctam Genitricem statuit nostram mediatricem, ad cuius effigiem ædificauit me Euam cunctorum viuentium matrem. Matrem instar filiæ fecit: Adam instar filij sui & mei plasmauit, eius meritis quoque maximis culpas nostras abolere voluit, si & ipsi vellemus,aut sacramenta eius susciperemus. Voluntarium sacrificium acceptabit, cor humile nunquam abhorrebit. Venientibus ad se, obuiam occurret; eis peccata dimittens, gloriam infundet.

EVA. Adonai Domine Deus meus, secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei.Grandis est multitudo dulcedinis tuę Deus.Beati omnes qui sperant in te. Post tenebras reducis lucem; post dolorem gaudium & lætitiam.Retribuis pro centum mille; pet mille autem centum millia commutas minima in maxima; temporalia in æterna. Beati qui custodiunt mandata tua;subiiciunt colla iugo tuo. Habitabunt in excelso tabernaculo tuo; requiescent in monte sancto tuo. In atriis tuis morabuntur in fulgidis tectis, super aurum, & omnes lapides pretiosos. Beati qui in te Deum trinum, & vnum credunt,& vias tuas scire volunt, omnes gloriam Patri, & Filio, & Spiritui sancto cantemus, & Deum nostrum magnificemus. Sicut & in principio Angeli canebant.Sic nos cum illis nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Hæ cibi. Verùm reuelationes Amadei,qui tamen feruidus Dei seruus fuit, & miraculis

raculis clarus, nunc non extant puræ, sed vitiatæ, quibus varij varia addidisse videntur, quod Chronica ordinis sancti Francisci fatentur, nullum subinde efficax ad hoc argumentum sumi potest. Præterea non dicit hæc Cantica ab Adamo scripta, sed dicta tantummodo, atque ea reuelata ipse accepit. Ego dictas reuelationes legi, & quamuis multa piè, & cum vtilitate fidelium dicta, in iis inuenerim, vitiatas esse agnoui, & multa paradoxa, & suspecta ab aliis addita continere. Scio tamen ab aliquibus immeritò notari; in iis quæ tamen optimos alioqui patronos habent.

CAPVT XIV.

An Seth sacros aliquos libros scripserit? Narratur admirandus liber Toleti inuentus.



FVERVNT etiam qui sanctum Seth filium Adæ scriptorem sacrorum primum fecerint, causantes libros quosdam rerum sacrarum composuisse. Et præterea columnis quibusdam multa perennitati commendasse. Meminit quoque Auctor Imperfecti homiliâ quadam cuiusdam Prophetiæ in libris Seth inuentæ. Sed reiicienda prorsus hæc existimatio est. Sapit quidem Sethianorum hæresim. Sethiani siquidem fuerunt, qui authorem septem sacrorum librorum Seth sunt commenti, quos refutat, & ridet sanctus Epiphanius hæresi trigesimâ nonâ, vbi de ipsis Sethianis loquutus, ait: *Ex nomine quidem Seth septem libros esse, dicentes, alios verò libros alienigenas; sic enim vocant. Alium autem ex nomine Abraam, quem & reuelationem esse dicunt omni malitiâ refertum. Alios item ex nomine Moysis, & alios aliorum. Cæterùm ad multam stultitiam mentem suam deducentes, mulierem quamdam formosam vxorem ipsius Seth esse dicunt. Vide verò mihi, ô charissime, horum dementiam, quò per omnes modos ipsorum scenica figmenta fabulosamque & inanem sapientiam, ac conficta deliramenta cognoscas.* Neque nos ampliùs morari in refutanda hac fabula oportebit. Homil. 2. Imperf.

Ad columnas veniamus, quas dicimus, non ipsum Seth literis incidisse, sed eius filios, neque materiam rerum sacrarum continuisse, sed naturalium scientiarum, prout vtrumque testatur Iosephus libro primo Iudaicarum antiquitatum, capite quarto, vbi ait: *Conabor autem de Seth narrare tantummodo. Is namque nutritus, & perueniens ad ætatem, qua iam posset ea, quæ sunt bona, discernere, virtuti studuit. Et cùm fuisset vir egregius, imitatores sui, filios dereliquit. Illi autem omnes cùm boni fuissent orti, in eadem terra sine vexatione viuentes, felicissimè commorati sunt: nihilque eis vsque ad vita terminum crudele prouenit. Disciplinam verò rerum cælestium, & ornatum earum primitus inuenerunt. Et ne dilaberentur ab hominibus, quæ ob eis inuenta videbantur, ant antequam ad notitiam venirent, deperirent, cùm prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram verò aquarum vi ac multitudine fore venturam; duas facientes columnas, aliam quidem ex lateribus, aliam verò ex lapidibus, in ambabus quæ inuenerant, conscripserunt: vt etsi constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens praberet hominibus scripta cognoscere, simul & quia lateralem aliam posuissent; quæ tamen lapidea permanet hactenus in terra Syriæ.* Hactenus Iosephus. Quales autem harum columnarum literæ fuerint, ne nostræ existimationi obstent de inuentis à Moyse literis, postea explanabimus. Illud autem quod Imperfectus memorauit de Prophetia, & libro Seth falsum reuerà est, & ipse Imperfectus incertam pronuntiat ad illa verba sancti Matthæi, *Vidimus stellam eius in Oriente. Audiui,* inquit, *aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non destruente fidem, sed potius delectante; quoniam erat quædam gens sita in ipso principio Orientis circa Oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura, inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella, & muneribus eius, nempe Christo, huiusmodi offerendis.* Porrò Seth authori tribuerunt aliqui inuentum Toleti librum peruetustum, cuius multi ex nostris authoribus meminère. Dabo vnum Alphonsum de Spina in Fortalitio fidei, libro tertio, vbi ait: *Mirabile accidit in Regno Castellæ ciuitate Toleti, circa annum Domini MCCXLIII. imperante Federico Secundo, qui fuit nonagesimus secundus Imperator; & sedente in Cathedra Petri Honorio Papa, & regnante in prædicto Regno Rege Ferdinando. Tunc Iudæus quidam comminuendo vnam rupem pro vinea amplianda in medio lapidis inuenit concauitatem vnam, nullam penitùs dimensionem habentem, neque scissuram, & in concauitate illa reperit vnum librum, quasi folia lignea habentem, qui liber tribus linguis scriptus est, videlicet He-* Homil. 2.

braicè, Græcè, & Latinè: tantùm de litera habebat, quantum vnum Psalterium: & loquebatur de triplici mundo, ab Adam vsque ad Antichristum; proprietates hominum cuiusque mundi exprimendo: principium verò tertij mundi posuit in Christo sic: In tertio mundo filius Dei nascetur ex Virgine Maria, & pro salute hominum patietur, quod legens Iudæus statim cum tota domo sua baptizatus est. Erat etiam in libro scriptum, quod tempore Fernandi Regis Castellæ debebat liber inueniri. Huius autem libri authorem Seth affirmare absque ratione, absque fundamento, absque authoritate est.

CAPVT XV.

Vtrùm Henoch primus fuerit scriptor Canonicus?

Testam. 8.
Lib. 15. de ciuit. c. 10.



IN Henoch inchoatam quondam Scripturam sacram nonnulli putauerunt, cuius liber venerandè citatur, & Scripturæ sacræ nomine laudatur in libro Testamenti duodecim Patriarcharum: ibi dicit Neptalin: *Legi in Scriptura sancta Henoch.* Fusè Abbas Philippus capite vigesimo, de silentio Clericorum, confirmat auspicatum Henoch sacram Scripturam; inter alia sic scribit: *Rectè eum qui generationis ordine ab Adam septimus nepos erat, auctoritas Canonica scripsisse primum adseuerat, quia id muneris nulli est conuenientius attributum quàm ei, quem constat septem dona Spiritus sancti assecutum. Quod enim Enoch ad gradum generationis septimum legitur peruenisse, innuit eum septiformem Spiritus gratiam inuenisse, vt scilicet à timore inchoans, ad sapientiam meruerit promoueri, & sapienter doctus, doctor minus sapientium exhiberi. Denique Spiritus ille Dei, ob hoc fortè digitus nominatur, quod per eum in tabulis cordium sapientia describatur, ipse internus scriptor, ipse nihilominus, & Scriptura, quam de cordibus electorum nulla delet superscriptio vel litura. Qui spiritus, cùm prædictum Enoch gradatim promouens, ad sapientiam sublimauit, suo eum officio, nouo quodam genere dedicauit, vt quod ille cordi huius familiariter aspiraret, ille foris ad notitiam cæterorum legibiliter exararet. Scribit itaque ille interius calamo spiritali, scribit iste exterius ministerio literali; ille velut templo sibi dedicato cordi præsidet sapienti, iste verò dedicatus obsequitur Domino præsidenti. Cui rei conuenit, quod Enoch interpretatur dedicatio, quia cùm quis ad tantam sapientiam promouetur, vt Scribæ interiori, & ipse scribendo conformetur, solemnis quædam, & festiua dedicatio celebratur, dum scilicet obsequente calamo ipse Scriba, vel regente Scribâ, ipse calamus operatur. Lingua mea, ait Propheta, calamus scribæ velociter scribentis. Neque, vt æstimo, dignè silentio prætereitur, quod translatus idem Enoch nusquam inter homines inuenitur, quia nullus hominum, qui scilicet nonnisi humana, & transitoria gaudet scire, eum assequi, eum præualet inuenire, qui scriba interioris arcanum sanctuarium introire, & ad eius meruit sapientiæ cubiculum peruenire. Illa enim spiritualis sapientia sublimitas, quæ perfectò cuilibet est concessa, humana solummodò sapienti prorsus est inaccessa, quia dum ille spiritalibus studiis, tanquam diuinæ faciei abscondito serenatur, iste humanis & transitoriis actibus conturbatur. Abscondes (inquit) eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Rectè igitur Enoch, qui ab Adam progressu mystico septimus numeratur, qui inuenta septima à conturbatione hominum fertatur; rectè, inquam, illi huius gratiæ muneris, & ministerium delegatur, vt librum literis texuisse ipse primus omnium canonico testimonio declaretur, etsi easdem literas inuenisse forsitan æstimetur.* S. Augustinus palàm dixit, negari non posse *scripsisse nonnulla diuina Henoch.* Et quod plus est, sanctus Iudas Apostolus Henoch citat in epistola sua Canonica. Quapropter apud Tertullianum, & multos Patres fuerunt magnæ authoritatis libri Henoch, quod iam suprà notauimus, & videtur Augustinus sufficere, qui non dubitans, Canonicum librum olim scriptum ab Henoch, causam reddit, cur inter Canonicos non seruetur, dicens: *Non frustrà non sunt in ea Canone Scripturarum, qui seruabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentiâ Sacerdotum. Cur autem hoc? nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, nec vtrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inueniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè seruasse. Vnde illa quæ sub eius nomine proferuntur, & continent istas de gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus & aliorum Prophetarum & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur: quæ omnia sub nomine Apocryphorum, ab auctoritate Canonicâ diligenti examinatione remota sunt.* Sic Augustinus. Similem habet idem sententiam, in eiusdem operis libro

libro decimo octauo, capite trigesimo octauo, ad hunc modum scribens: *Quid Henoch septimus ab Adam? nonne etiam in Canonica epistola Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur? Cuius scripta vt apud Iudæos, & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim quod volunt credunt: sed ea castitas canonis non recepit. Non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum. Nec mirum debet videri, quod suspecta habeantur, quæ sub tantæ antiquitatis nomine proferuntur,* &c. Hactenus Augustinus.

Sed sanctus Hieronymus semel in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, & rursus ad caput primum Epistolæ Paulinæ ad Titum, apocryphum absolutè, vocat librum Henoch. Similiter sanctus Chrysostomus inter fabulas reiicit, à quo non magnoperè discedit S. Epiphanius disputans aduersus Marcionem. Origenes scribit nullius apud Hebræos authoritatis esse: apocryphum pariter credunt Clemens Alexandrinus, Didymus, S. Athanasius in Synopsi. Hincmarus hoc exemplo sancti Iudæ citantis, vt sibi videtur, librum apocryphum Henoch confirmat multa ex libris apocryphis recepta ex sanctis Patribus. Angelomus quoque parem facit Paulum & Iudam in hoc, quod exempla protulerint ex libris extraneis Gentilium, aut apocryphis Hebræorum, non vt eorum commenta approbarent, sed vt iis quæ vera essent, vbi necesse foret, opportunè vterentur. Et quidem liber, siue libri Henoch, qui post Apostolica tempora in plurium Patrum manus venerunt, multa falsa continent, sicut colligitur ex Angelorum calidis lacrymarum fontibus, quos ex eo libro afferebat Celsus, & refellit Origenes libro quinto aduersus ipsum Celsum, & ex stellarum nominibus, de quibus idem Origenes homilia vltima in Numeros, & multi Patres ex priscis Henoch libris hauserunt errorem illum, quo asseruerunt Angelos ex filiabus hominum gigantes genuisse. Sed Michaël de Medina, Carthusianus, Pereira, & alij nullum ab Henoch compositum librum affirmant.

Hom. 28. in Num.
Cap. 18. de variis capitulis Ecclesiæ.

Ego quidem cum Benedicto Pereira puto tempore Iudæ Apostoli nullum fuisse librum Henoch. Si enim fuisset, haud dubiè fuisset valdè nobilis, celebérque apud Iudæos, tum propter auctoris antiquitatem, & famam, tum quod in eo libro res admodum memorabiles, & admirabiles continerentur: quapropter aliquam eius libri mentionem reperiremus apud Philonem, aut Iosephum diligentissimos, atque curiosissimos Antiquitatum Iudaicarum scriptores. Sed fit mihi verosimillimum, iam mortuis Apostolis, hæreticos varios libros sub eorum nominibus partim de rebus veris, partim de falsis & fabulosis confictos ab ipsis euulgasse: captâque occasione ex historia Michaëlis altercantis cum Diabolo, & ex prophetia Henoch commemoratâ à Iuda Apostolo, libros de rebus eiusmodi, quasi antiquitùs scriptos publicasse. Nec facilè adducor, vt credam, Apostolum Iudam prophetiam illam Henoch, ex aliquo libro apocrypho, vel etiam non apocrypho, qui tamen canonicus non esset, petere voluisse: non enim plus fidei haberet, quàm liber vnde sumpta esset. Cùm autem Iudas simpliciter appellet eam prophetiam Henoch, certissimum procul dubiò fuit Iudæ, & illam fuisse prophetiam, & auctorem illius fuisse Henoch, quod ille aliter quàm per reuelationem diuinam certò scire non potuit. Ad quos autem epistolam illam scripsit Iudas, iis nota esse potuit illa propheria, vel ex libro aliquo probatæ apud ipsos fidei, vel ex antiqua, & peruulgata traditione, vel ex sola Iudæ Apostoli narratione propter cuius auctoritatem de eius prophetiæ veritate nullo modo dubitassent. Itaque prophetiam Henoch citauit S. Iudas, vel ex sola traditione, vel ex reuelatione sibi factâ, eodem modo quo sanctus Paulus allegauit dictum Christi: *Beatius est magis dare, quàm accipere.* & nomina eorum Magorum qui Moysi restiterant Iannes, & Mambres. Quod si tempore sancti Iudæ aliquis liber sub nomine Henoch circumferretur, quamuis apocryphus, ideo credo citatum ab Apostolo pro prophetia, quæ alioqui sibi constabat vera, vt conuinceret Gnosticos qui extremum Dei iudicium negabant futurum; Henochi tamen librum admittebant ceteris scripturis posthabitis. Ideò censuit sanctus Iudas testimonio Henoch quasi proprio truncandos gladio. Sicut enim sanctus Paulus in Actis, capite decimoseptimo citauit Aratum, & in prima Corinthiorum Epistola allegauit Menandrum, & in Epistola ad Titum Epimenidem Cretensem, seu Callimachum, sic sanctus Iudas librum non canonicum opportunè citare potuit. Illud adiiciendum quod Hugo Cardinalis dubitat. An Henoch Prophetæ absolutum nomen mereatur, quem Iudas prophetasse testatur.

Cap. 15.
Cap. 1.

Hinc ait videri eo nomine appellandum, quia videlicet prophetauisse dicitur: hinc non videri, quoniam apocryphus habetur liber eius, in quo quod recitatur vt prophetia continetur. Tandem adhæret neganti sententiæ, & in vniuersum idem sentit de iis, qui ante legem vixerunt, ac de ipsomet Adam, Prophetas non fuisse, nec prophetiæ donum habuisse: quamuis aliqua prophetice prædixerint, vt & idem Adam. Nam licet prophetiæ donum in actu consistat: tamen magis, inquit, sonat ad habitum. Et sicut non sequitur: iste currit, ergo est cursor; ita non sequitur, iste prophetauit, ergo est Propheta; quia prophetia respicit peculiariter tempus figuratum, quod fuit sub lege. Concedit nihilominus quantum ad hoc, quod nunc recitatur à Iuda, fuisse Prophetiam, & veritatem: sed quantum ad alia, fuisse illum librum apocryphum: quod est simpliciter talem fuisse, & non propheticum, atque canonicum. Moysi Prophetæ titulus negari non potest, & nonnullis aliis ante ipsum: tamen prophetalis, vt ita dicam, ordo ac denominatio post Moysem cœpit, solentque Prophetæ nominari à lege, id est, ab eo tempore quo Moyses vixit, & ab iis quæ scripsit, distincti, vtpote qui magis ex professo ac ordinariè, tum verbo, tum scripto vaticinarentur. Porrò qualem authoritatem possideat liber Testamenti duodecim Prophetarum, qui librum Henoch sanctam Scripturam vocauit, postea videbimus.

CAPVT XVI.

An Melchisedech, aut Eliezer primus fuerit inter sacros Scriptores.



Post Henoch accedit Melchisedech, de quo controuersum aliquibus video, an aliquid Canonicum scripserit. Credunt authorem fuisse Psalmi centesimi noni: sic Rabbi Abraham, cum nonnullis ex Hebræorum grege, existimauit; cum aliis verò Rabbi Aben Ezra censuit aliquem Dauidis seruum, aut Eliezer famulum Abraham eius Psalmi compositorem, non Dauidem, quibus prima illa verba Psalmi fauere videntur: *Dixit Dominus Domino meo*, neque enim Hebræi ignari mysteriorum gratiæ intelligere poterant, quem hominem vocaret Dauid Dominum suum, cùm ipse supremus Rex Israëlis esset. Verùm hoc ipsum suadet, neque à Melchisedech compositum hunc Psalmum, qui Rex pariter, & Sacerdos erat; maximè illi decipiuntur, qui de Abraham loqui putarunt: Abraham enim inferior Melchisedech fuit & ætate, & dignitate, tum Regiâ, tum Sacerdotali. Multa sunt in quibus desipiunt Hebræi, vt contradicant dignitati Saluatoris nostri. Catholicis autem omnibus indubitatum est illum Psalmum à Dauide conscriptum, cùm in capite vigesimosecundo S. Matthæi authorem illius Dauidem dicat Christus Dominus, quod quidem Pharisæi eius temporis, qui doctiores Neotericis Hebræis fuerunt non ausi sunt inficiari. Sanctus Petrus similiter in capite secundo Actorum ait: *Non enim Dauid ascendit in cælum; dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo,* &c. Quapropter iuxta fidem Christianam, neque Melchisedech, neque Eliezer eius Psalmi author fuit, sed Dauid Rex, in quo ad literam de Messia Deo, hominéque loquitur. Et quidem manifestè loquitur de eo qui esset simul Rex & Sacerdos: quare neque de Dauide loquitur, neque de Abrahamo; nam Abraham nec Rex fuit, nec Sacerdos. Et Dauid licèt fuerit Rex, non fuit Sacerdos. Quare si de Abraham non loquitur, non opus est iam dicere à Melchisedech, aut Eliezer compositum.

CAPVT XVII.

An in Abraham & Patriarchis auspicia sumpserit sacra Scriptura?



Ceterum Abrahamum Patriarcham librum composuisse, & plura sibi reuelata scriptis mandasse Sethiani dicebant, teste sancto Epiphanio: fuere etiam Hebræi qui ipsum fecerint Psalmographum, sigillatim Psalmi octogesimi octaui credunt authorem, cuius inscriptio est: *Intellectus Ethan Ezrahitæ,* traditio

traditio Hebræorum fuit Ethan significare Patriarcham Abraham, cuius cognomen dicunt Ethan esse, quo denotatur ab Oriente, hoc est, à Chaldæa in Palæstinam venisse, quasi appellaretur Orientalis. Hoc inquiunt sibi velle Isaiam cùm dixit: *Quis suscitauit ab Oriente Iustum?* atque idcirco authorem huius Psalmi Abraham pronunciant, quibus fauit Paraphrastes, qui hunc præposuit titulum: *Intellectus bonus dictus per manum Abrahæ, qui venit de Oriente.*

Liber quoque antiquissimus est, qui inscribitur, Testamentum duodecim Patriarcharum, vbi eorumdem Patriarcharum reuelationes, pluráque consilia & exhortationes ad virtutem continentur. Hic liber ab Hebræo in Græcum translatus magni habitus fuit ab Origene homiliâ quintâ decimâ in Iosue, & Procopio Gazæo in trigesimum octauum caput Genesis; neque minori reuerentiæ visus Ruperto Lincoliensi, qui eundem librum è Græco Latinum reddidit. Iosephi quoque oratio, siue sermo, vel narratio, vel disputatio Ioseph filij Iacob, scriptura fuit apud veteres, tum Hebræos, tum Christianos, non parum habens auctoritatis, & quam vocauit Origenes, non contemnendam scripturam. Verùm aduersùs Sethianorum commenta, atque mendacia iam exhibuimus sanctum Epiphanium ipsis contradicentem, & ridentem eorum figmenta, sigillatim de libro, & reuelatione ficta Abrahami. Neque magis serium est quod Hebræi nugati sunt de Psalmo octogesimo octauo, cùm in eo Psalmo multoties fiat Dauidis mentio clarissima, plurimos postea nati annos. Præterea notissimus erat tempore Dauidis Ethan, & celebris ob sapientiam suam; nam capite quarto libri tertij Regum, inter sapientissimos viros ponitur. Et in primo Paralipomenon, capite sexto, scribitur vnus ex Principibus Cantorum, quare siue tempore Dauid fuerit vnus Ethan, siue duo, non defuit, qui dicti Psalmi auctor, siue cantor potuit designari. Sed & liber Testamenti duodecim Patriarcharum apocryphus est, & attentâ vti cautione in eius lectione oportet. Neque scitur, à quonam, aut quando acceptus sit; nec vel ipsi synagogæ probatus. Iosephi autem narrationem Athanasius in sua Synopsi inter apocrypha reiecit scripta, quam propterea commendauit Origenes, quoniam quædam in ea legisset placitis suis congruentia: Nam in secundo tomo explanationis in Ioannem, huius præcipuè testimoniis vtitur ad confirmandam assertionem de Incarnatione quorumdam Angelorum, quos ipse credit ad imitationem Seruatoris nostri humanam animam & corpus assumpsisse, ita scribens: *Quòd si quis approbat etiam mysticam illam, quæ apud Hebræos habetur, Ioseph orationem: is illinc simile huic dogma accipiet, scilicet quosdam ex Angelorum natura in hominum naturam descendisse; ait enim in hac oratione Iacob: Ego enim qui vobiscum loquor, Iacob & Israël, Dei sum Angelus, & spiritus principalis, & Abraham, & Isaac ante omne opus creati sunt. Ego autem Iacob non ab hominibus Iacob vocatus, sed Israël est nomen meum; vocatúsque sum Israël à Deo, vir videns Deum: ego enim sum primogenitus omnis animalis, quod à Deo vita vsum accipit, & cùm venirem ex Mesopotamia Syriæ, exiuit Vriel, Dei Angelus; méque in terram descendisse dixit, & inter homines habitauisse, atque appellari Iacob nomine; me porrò æmulatus est, ac mecum pugnauit, & luctatus est, dicens fore, vt nomen suum meo nominis, atque ei, quod omne Euangelium anteiret, anteponeretur; eique nomen suum expressi: principatúmque in Dei filiis obtinet. Nam tu Vriel es à me octauus; ego quoque sum Israël exercitus Domini Archangelus, súmque in Dei filiis præfectus mille militum. Nonne sum ille Israël in Dei conspectu primus minister? & Deum meum nomine immortali inuocaui. Sed longiùs à proposito aberrauimus assumptâ de Iacob disputatione, testéque nobis productâ, non contemnendâ Scripturâ.* Hæc Origenes qui in tomis Explanationum in Genesim ostendit ex hac eadem narratione in astris cæli, veluti in libris, omnes humanorum euentuum prænotiones legi posse à peritis syderum inspectoribus. At contemnenda prorsus istæc scriptura, ob id ipsum, quo censuit non contemnendam Origenes.

Taceo de Libro de creatione, quem vulgus Iudæorum Abrahamo Patriarchæ vindicat. Totus enim hic liber ænigmaticus est à rudi Philosophastro, vt Ioannes Morinus opinatur circa, vel paulò post Masorethárum tempora compositus. Tum enim, hoc est, post compilatum Talmud, & Orientem ab Ismaëlitis deuictum, voces Biblicas recensere, numerare, interpungere circa puncta, literas, literarúmque numeros, apices, & figuras philosophari cœperunt. Hinc libri Zohar, Bahir, & Cabalistæ omnes: Hinc Masorethæ: Hinc denique scholis Iudaicis ab Oriente expulsis in Europa primùm emersêre Grammatici. Et viri quidem eruditi eius libri authorem putant Rabbi Alkibam. In Synopsi quoque Sancti Athanasij liber, qui *Assumptio Abrahæ* dicitur inter libros reiectos numeratur. Origenes autem homiliâ trigesimâ quintâ in

Lucam vſurpat quoddam teſtimonium de ſcriptura quadam Abrahæ apocrypha, in qua inducuntur Angeli iniquitates & iuſtitiæ de ſalute, & interitu Abrahæ diſceptantes.

CAPVT XVIII.

An ſanctus Iob fuerit primus omnium ſacrorum Scriptorum?

MAIORI authoritate adſtruitur Principatus ſancti Iob inter ſacros ſcriptores, quem ſanctus Gregorius cenſuit ſui libri authorem eſſe, qui tamen præceſſit tempore Moyſem: nam iuxta Græcorum ſententiam, ac multorum ex Latinis fuit tertius ab Eſau, & quintus ab Abraham. Moyſes autem quartus à Iacob, & ſextus ab Abraham. In editione quoque ſeptuaginta interpretum reperitur ſub finem libri Iob Appendix, vbi dicitur, Iob fuiſſe de filiis Eſau,& quintum ab Abraham. Hebræi autem, & ſanctus Hieronymus in quæſtionibus Hæbraicis antiquiorem adhuc faciunt ſanctum Iob, quem non ex Eſau,ſed ex Nachor fratre Abrahæ deſcendiſſe dicunt, & tertium à Nachor faciunt.

Ego quidem puto certum eſſe,natum fuiſſe Iob ante Moyſem,non ita certum obiiſſe. Vixit enim Iob duplo longiorem vitam, quàm Moyſes:nam ſicut ſcribit ſanctus Iſidorus in libro de vita,& morte Patrū capite vigeſimo quarto,vixit Iob CCXLVIII. annos. Poterant quoque progenitores Iob longæuiores fuiſſe: quare potuit ipſe Iob ſuperſtes Moyſi eſſe,vel ſaltem poſt inuentas à Moyſe literas librum ſcribere,& fuerunt aliqui,vt refert ſanctus Chryſoſtomus,qui fuiſſe ſanctum Iob poſt legem dicerent. Verùm plurimi ſunt, qui negent ſcriptum librum ab ipſomet Iob,& aliis tribuunt. Nonnulli teſte ſancto Iſidoro, adſcripſerunt alicui ex Prophetis. Olympiodorus plures opiniones refert de auctore huius libri,dicens: *De ſcriptione libri eorum, qui commentarios ediderunt, non vna omnium eſt ſententia, affirmantibus nonnullis è ſapientibus Hebrais hominibus quemdam extitiſſe,qui auditione,qua ad ſultum hunc pertinent, primum acceperit. Deinde ad ſua eruditionis ſpeciem hac literis mandaſſe; ita nec diuinitus afflatam ſcriptionem hanc eſſe confitentur. Quacumque autem verba iuſti aſperiora iactantur, ſcriptoris errata hac eſſe conſtituunt,neque illa eſſe Iobum elocutum,cuius erga Deum pietas,perfectioque teſtata ſit. Alij ab amicis Iob librum conſcriptum eſſe tradiderunt,ſiue temporis,cùm adeſſent,recordatis, ſiue quod verius eſt, gratiâ illuſtratis:maximè quod id fuerat Iob precatus, cùm diceret. Quis det ſcribi verba mea; poni autem illa in libro in æternum? Voluminis auctorem Moyſem quidam alij inſcribunt, è charactere orationis ductâ coniecturâ. Sed nimirum diuino Theologo Gregorio Salomonis ſcriptum hoc indicatum eſt. Cùm enim hinc teſtimonium deprompſiſſet in ea oratione qua ab eo εἰς τὸ ἐξιτήριον ſcripta eſt, Paruus & magnus illic eſt,& ſeruus vna cum Domino ſub auxit;id quod Salomonis,dicam.* At frequentior ſententia eſt,& quæ mihi placet,ſanctum Moyſem fuiſſe libri Iob ſcriptorem. Ita cenſent Iſidorus libro primo officiorum, Abulenſis initio Geneſis ſuper Prologum ſancti Hieronymi, & ſuper Ioſue, Beuter annotatione ſextâ, Eugubinus in Præfatione,Philippus Presbyter initio capitis tertij,Rabb. Moyſes Kimhi, Iſaac Harama præfatione in Cantica,cuius ſententiæ aliquot extant indicia præter auctoritatem Doctorum & illam rationem Cardinalis Bellarmini, qui ait: *Si Iob eſſet auctor libri, qui nunc extat, primus ſcriptor ſacer eſſet Iob,non Moſes;iam enim ex ætate oſtendimus, & ex ipſa ſcriptura Iobum fuiſſe antiquiorem Moſe. At communi ſenſu Moſes eſt primus ſcriptor Eccleſiaſticus.* Ego hac ratione nolo nunc vti,ne dicar quemadmodum Scholaſtici loquuntur, petere principium. Vtar igitur aliis: Nam ſi Iob eſſet auctor libri huius,non eſſet hic liber in Canonem ſcripturarum ab Hebræis admiſſus: Iob enim non fuit de filiis Iſrael, ſed Idumæus vel Arabs. Idumæi autem,& Arabes pro hoſtibus habebantur ab Hebræis. Præterea liber Iob Hebraicè ſcriptus eſt,non Syriacè,vel Arabicè; quamuis aliqua vocabula Arabica in eo legantur quando introducuntur loquentes amici Iob: at Iob non Hebraicè ſcripſit,ſi quid ſcripſit,ſed linguâ ſuâ. Quod ſi non eſt Iob auctor libri huius, nulli melius tribui poteſt hoc opus, quàm Moſi, qui fuit temporibus Iobi. Deinde in principio libri ſunt magnæ ipſius Iobi laudes: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, ſimplex, & rectus, ac timens Deum.* In fine autem libri narratur ipſius

Iobi

Iobi morsquæ alium authorem indicant. Et quidem non multùm refragabimur, si quis dixerit ipsum Iob, aut alium ex amicis eius, appinxisse historiam illam mirandam literis Æthiopibus, & Ægyptiis, nimirum hieroglyphicis, aut Sinensibus, hoc est, simillimis illi scriptioni, quâ nunc vtuntur Sinæ, quam deinde Moyses diuinitus afflatus, & illustratus Hebraicis characteribus composuerit, & ampliauerit, atque exinde ab Hebræis inter Canonica scripta acceptam. Et quidem Origenes, & multi Rabbini putarunt Moysem ad idioma, & elementa Hebraica transtulisse hunc librum, & locupletasse. Neque enim omnia quæ continet Æthiopicis illis literis explicari possent. *Præterea, quia nemo poterat* (vt inquit Origenes) *nisi ex reuelatione cognoscere quomodo Diabolus Deum sollicitauerat ad affligendum Iob. Hoc autem sicut & cætera de creatione Moyses à Deo accepit.*

CAPVT XIX.

An fuerit alius sacer liber scriptus, antequam Moyses scripserit?

OPERÆPRÆTIVM quoque erit explorare, an alius sacer liber conscriptus fuerit, antequam Moyses manum admoueret scriptioni: nam in libro Numerorum capite vigesimo primo citatur *Liber Bellorum Domini*, & in libro Iosue cap. 10. *Liber Iustorum*, fortasse alteruter ante Moysem scriptus, potissimùm liber bellorum Domini, cùm ab ipsomet Moyse allegetur. Quis fuerit hic liber dubitatur. Pererius præfatione in Genesim censet fuisse in Synagoga priscis illis temporibus Diaria, & Annales in quibus res sacræ memorabiles, & ad sacræ doctrinæ propagationem vtiles scribebantur continuatâ serie, ab his, qui omni ætate eruditionis, ac pietatis laude florebant, ex quorum scriptis sumpta esse multa eorum, quæ nunc sunt in sacris libris, breuiùs tamen & distinctiùs tradita in meliorem ordinem adducta: proinde sæpe in diuinis libris citantur alij libri, in quibus eædem res vberiùs narrabantur: qui libri omnes interciderunt: talis videtur liber Bellorum Domini, & liber item iustorum, cuius in libro Iosue cap. 10. & in lib. 2. Regum cap. 1. fit mentio. Commemoratur etiam in 3. lib. Regum cap. 11. & 14. *liber Verborum dierum Salomonis*, & *liber de Actis Israel & Regum Iuda*; *Gesta* quoque *Dauidis* à Samuele Nathan & Gad Prophetis conscripta; item præclarum illud opus *de omnibus quæ acta sunt regnante Dauide*, tam in terra Israel; quàm in cunctis aliarum gentium regnis, quorum scriptorum extremis verbis prioris libri Paralipomenon habetur memoria. Prætereà libri *verborum Nathan*: liber *Ahiæ Selonitis, visio Abdon contra Ieroboam*, in 2. Paralipomenon cap. 9. *Sermones* etiam *Ozai* de rebus Manassis Regis in 2. Paralipomenon cap. 33. *liber* quoque *dierum Sacerdotij Ioannis Hircani*, extremo priori libro Machab. memorantur. Quid multa? Auctor posterioris libri Machabæorum in eius libri cap. 2. fatetur, vnum se in volumen coarctasse res gestas Iudæ Machabæi, quinque libris à Iasone Cyrenæo latiùs, & enucleatiùs expolitas. Sed cur istiusmodi scripta in album diuinarum scripturarum non sint reposita, cùm alij eorumdem auctorum libri in Canonicis & sacris habeantur, nec pauca sunt in diuinis literis ex illiusmodi scriptis exprompta, causam aliquam reperiri cupiens Augustinus in 38. cap. libri 18. de ciuitate Dei, ad hunc modum scribit: *Cuius rei fateor, causa me latet; nisi quod ego existimo etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate Religionis esse deberent, sanctus vtique Spiritus reuelabat, alia sicut homines, historica diligentia; alia sicut Prophetas inspiratione diuina scribere potuisse, atque hæc ita fuisse distincta; vt illa tanquam ipsis; illa verò tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad Religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur Canon.* Hoc quidem nō conuincit vetustiores Moyse literas esse, cùm libri bellorum Domini auctor ipse Moyses potuisset esse, qui ante librum Numerorum iam literas introduxerat, atque ipse aliquos scripserat libros. Credo nihilominus rationem Augustini non quadrare in hunc librum bellorum Domini, quoniam videtur ex inspiratione Dei conscriptus, cùm non citet ex eo Moyses simplicem aliquam sententiam, aut historiam præteritam; sed illustrem prophetiam; sic enim scribit: *Vnde dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.* Ex quo etiam videtur scri-

ptus

ptus post transitum maris rubri. Quare non erat opus confugere ad ea, quæ alij excogitarunt. Rabbi Menachem dicit fuisse narrationem Dei, quæ reuelata erat Moysi, cui manifestauerat se eadem facturum in torrentibus, quæ olim fecerat ad mare rubrum. Aben Ezra putat esse librum Iudicum, quia in eo multa bella aduersus Amorrhæos confecta leguntur. Sunt etiam qui inter Iudæos existiment hunc esse eũ ipsum librum Numerorum, quia ספר *sepher*, quod noster interpres transtulit *librum*, etiam *numerationem* significat, sicut Lyranus ait appellatum; quia in eo narrentur bella, à Domino per manus Hebræorum gesta. Augustinus, Chisamensis Episcopus, censet librum Bellorum Domini, non esse volumen aliquod, in quo bella conscripta sint, sed narrationem quamdam, quæ tum apud Hebræos communi omnium ore, ac voce narrabatur, quia quod Hieronymus vertit librũ, Hebraicè ספר *sepher* dicitur, quod nõ tam librum significat, quàm narrationẽ & connumerationẽ, à verbo ספר *saphar*, id est, *narrauit, numerauit* & verbum illud *dicitur*, quod apud nos ponitur in præsenti, apud Hebræos ponitur in futuro יאמר *ieamar*, id est, *dicetur*, indicat Moysem loqui non de re iam conscriptâ, sed de re in posterum narrandâ: ita vt sensus verborum eius sit: vnde dicetur in libro Bellorum Domini, hoc est, cùm bella Dei recensebuntur à posteris, hoc quoque dicetur, quod sicut fecit Deus in mari rubro, ita fecit in torrentibus Arnon. Ista effugia non admitto, nam ex sacra pagina constat hunc librum post transitum Maris rubri scriptum; quare siue Moyses, author eius fuisset, siue alius, nihil nostræ asseuerationi obstat. Porrò Iustorum liber (quem sacræ literæ appellant ספר הישר *sepher hayaschar*, & Septuaginta vbique verterunt βιβλίον τοῦ εὐθοῦς, hoc est, librum iusti) magnæ fuit apud diuinos scriptores auctoritatis, ex quo in libro Iosue producitur testimonium de miraculo Solis stantis in medio cœli his verbis: *Nonne enim scriptum est hoc in libro iustorum, steteruntque Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis?* & libro Regum secundo, capite primo habetur: *Præcepit Dauid, vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum.* Quidam existimant hunc esse librum sempiternæ prædestinationis, in quo scripti sunt omnes iusti, quos Deus in æterna præscientia prænouit esse saluãdos, testante id Psalmo sexagesimo octauo, in quo legitur: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Hieronymus in quæstionibus super libris Regum (si tamen opus illud Hieronymi est) tradit hunc esse librum Samuelis, id est, primum, & secundum volumen Regum, quod in eo scribantur gesta iustorum, Samuelis videlicet, Dauid, Nathan, Gad, & aliorum iustorum. Quidam Hebræorum, quibus non videtur verisimile, vt idem liber in testimonium propriæ sententiæ adducat seipsum, existimant hunc esse librum duodecim Prophetarum, quia verba citata in libro Iosue scripta sint in oratione Abacuch in hunc modum: *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo*, quæ quidem sententia vera esse non potest, eò quòd liber duodecim Prophetarum scriptus sit post tempora Iosue ferè annis mille. Proinde Rabbi Salomon docet, hunc esse volumen totius legis, in quo scripta sunt gesta iustorum Abraham, Isaac, Iacob, & Moysis: præsertim verò admonitio illa ad filios Israel, vt se in arte bellica, in qua tunc præcipuum locum tenebant arcus, & sagittæ, se exercerent, memores illius præcepti: Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, quod in Genesis continetur volumine. Sunt etiam qui credant hunc esse librum Exodi, quia in eo dixerit Deus ad Moysem: *Scribe hoc ob monumentum, & trade auribus Iosue: quoniam delebo memoriam Amalech de sub cœlo.* Theodoretus Cyrensis Episcopus in quæstionibus in Iesum Naue, autumat hunc esse vetustissimum Commentarium, ex quo historia libri Iosue ab incerto authore per compendium collecta fuerit. Hæc benè annotauit Senensis. Non igitur constat ante Mosaicos libros vel ipsum Moysen, quicquam Deo inspirante scriptum.

CAPVT XX.

Prior inter scriptores Canonicos Moyses.



HINC meritò sanctus Cyrillus Alexandrinus vocauit Moysem *sacrorum Ducem*; & alij Patres primum omnium scriptorum Canonicorum concelebrant. Sanctus Iustinus in exhortatione ad gentes ait: *Huic Sanctorum primo Deus cœlitùs diuinam, fatidicamque concessit gratiam, & hunc primum Religionis nostræ Doctorem instituit, quem mox cæteri Prophetæ sequuti sunt benignitate eiusdem numinis*

mini eandem doctrinam de ijsdem rebus nobis tradituri. Rupertus quoque libro nono de glorificatione Trinitatis, capite tertio dixit: *Moyses præcessor omnium Prophetarum fuit, cuius scriptura profluens non ab homine siue à litteratur à manu scriptâ cuiuspiam hominis sed ab ipsius Dei ore, quasi fons scripturarum est. Nam cæteræ omnes scripturæ Propheticæ, quasi riui sunt eiusdem fontis.* Theodoretus pariter libro secundo de curatione Græcarum affectionum vocauit Moysem Oceanum Theologiæ à quo fluuij omnes, vt maria omnia deriuatur.

CAPVT XXI.

An Angeli dici debeant primi authores Scripturæ?


PLACET in hoc sententia Nicolai Serarij id negantis; nam Angeli, etsi aliqua in Biblijs locuti hominibus sunt, tanquam Dei administri, non tamen eorum censendi authores, ne quidem eo modo, quo ij, quibus loquebantur, homines dicuntur authores. Primò, quia scriptura duos tantùm indicat authores: primarium Deum, siue secundùm Diuinitatem tantùm, siue secundùm humanitatem accipiatur: Deinde secundarios, qui sunt Prophetæ, seu homines. Secundò, quia ipsos esse hominibus res Biblicas locutos, sæpissimè incertum est, & certum, eos multas locutos non esse, quas nimirum Christus secundùm humanitatem suam locutus est. Tertiò, quia lex per Angelos promulgata est: & tamen dicitur tantùm lex Dei, aut Moysis, non Angelorum. 1.Heb. Galat. 3. Act.7.

Illud obiici potest, & oporrebit disceptari, cur sacrorum librorum scriptores aliqua dicant, quæ ipsis de se dicere non videbatur expediens aut modestum, nimirum laudes suas, sicut capite duodecimo Numerorum dicitur: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*; quod considerans Abulensis dixit: *Si Moyses foret suæ libertati relictus, non sic de se scripsisset.* Videntur sic correpti esse superiori vi aliqui ex sacris Scriptoribus, vt non liberè, hoc est, non ex libero arbitrio scriberent, sed alienâ vi acti. Planè, inquit Gregorius, *instar calami scripsère cùm vsurpatur ab scriptore.* Hæc autem arreptio seu occupatio per Angelum aliquem Prophetalem videtur facta; quoniam Zacharias Propheta dixit capite primo: *Angelus qui loquebatur in me.* Si igitur Angeli loquuntur potiùs quàm ipsi homines; nam non loquuntur vt homines, hoc est, humano modo, si non cum libertate, ipsis potius Angelis agentibus, quàm hominibus actis videtur imputanda locutio: sicut scriptores librorum non dicuntur calami, sed homines qui calamos gubernant: nec authores librorum appellantur Amanuenses, sed qui scribenda Amanuensibus dictant. Num.1. q.3. Lib. 8. Anatyseos.

Credo nihilominus sacrorum scriptores librorum liberè scripsisse, etsi enim homines sint instrumenta Dei, humano tamen modo iis vtitur Deus, vt actiones liberas illis relinquat, alioquin magnum meritum Propheris, & Apostolis defraudaretur ex sacrorum voluminum scriptione: nam si liberè illa non scripsissent, non meritoriè scripsissent. Quapropter meritò differuit Origenes libro tertio de principiis, diuinum sacrorum scriptorum afflatum, eorum libertati non obstare. Fateor tamen, quosdam in receptione lucis diuinæ, aut specierum liberos non fuisse. In harum tamen vsu & in iudiciis vel minimum practicis liberum possedisse arbitrium, quoniam Dei assistentia, diuina illuminatio, & sancti Spiritus inspiratio optimè potest cum libero cohærere arbitrio; eas autem laudes, quas de se dicunt, iussu Dei dictas credi oportet, aut ab alio scriptore sacro additas. Esdram censent aliqui adiecisse libro Numerorum illa verba: *Erat enim Moyses vir mitissimus.* Lib. 3. de princip.

CAPVT XXII.

An Angeli occupent aliqua seruorum Dei corpora, sicut Dæmones peccatorum, atque energumenos?


DEne hæc omnia respondebit non nemo, & in vniuersum componi libertatem nostram cum diuino afflatu. At, quid obstaret aliquando diuinum spiritum vel Angelicum omnino occupasse Prophetam: sicut enim malo spiritu energumeni

aguntur sine libertate, possesso ab spiritu toto hominis corpore: Quid impedit quominus Angelus Dei occupasset alicuius Prophetæ membra, vt linguam eius gubernaret, & per hominem sanctum loqueretur? Hanc quæstionem operæpretium erit tractare. An scilicet aliqui Sancti, vt ita dicam, angelizentur, siue ἐνεργούμενοι, & possessi à bono spiritu fiant, quemadmodum videmus multos à prauis spiritibus possessos, & arreptos. In primis id videtur significare Abulensis cùm Moysem relictum suę libertati negauit, & Gregorius, cùm dixit actos scriptores sacros tanquam calamos ab scriptore. Et Zacharias cùm fatetur Angelum in se locutum: putant aliqui hunc
Cap. 2. Angelum quasi possedisse, & rexisse Zachariam Prophetam, sicut Dæmon possidet, & agitat energumenos, quod affirmare videtur sanctus Gregorius libro vigesimo-octauo Moralium dicens; *Dum ad se quidem, sed in se tamen loqui Angelum dicit, liquidò ostendit, quod is qui ad ipsum verba faceret per corpoream speciem extrà non esset.* Origenes quoque homiliâ vigesimâ secundâ in Iosue dicit; *Quia autem sunt non solùm circa nos multa diuinæ virtutes, sed etiam intra nos, indicat Propheta, cùm dicit in Psalmis: Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius, hoc est, omnia quæ intra me sunt. Constat ergo multas esse virtutes intra nos.* Balaam etiam videtur bono spiritu arreptus, licèt ille malus esset, cùm inuitus benedixit Israeli. Abulensis planè sentit Balaam persistentem in voluntate execrandi Israel coactè, & non liberè benedixisse, ex eo quod moueretur eius os, licet nolentis, vt in eo efformarentur verba, quibus benedixit
Num. 23. Israel. Nam ipse Balaam dixit: *Benedictionem prohibere non valeo.* Et anteà: *Num aliud possum loqui, quàm quod Deus iusserit.* Quod confirmat in Pastoralis tertiâ parte Sanctus Gregorius dicens, Balaam vocem non mentem mutasse. Quòd si Asinæ eius linguam occupauit Angelus, & gubernauit ad pronuntiandum sermonem humanum, cur non ipsam linguam humanam cùm inuitus Israelis benedictionem pronuntiarit. Hæc omnia videtur confirmare S. Hilarius ad illa verba Psalmi 118. *Eructabunt labia mea hymnum*, vbi locutus de modo prophetandi Dauid per verbum *eructandi* significato, addit: *Omnis sermo hominum ex sensu cogitationis initur, ac motu, vbi ad aliquid enuntiandum mota mens nostra, id quod in affectum sibi inciderit, per verba declarat. At verò vbi extra humanæ mentis instinctum, non ad animæ sententiam lingua famulatur, sed per ineuntem spiritum officio oris nostri diuinis sensus sermo diffunditur; illic eructatum videtur esse quod dicitur, cùm non antè cogitatione, motùque percepta ad id quod pulsa sit mens loquatur; sed ignorante sensu, spiritus vocem in verba distinguat.* Hactenus ille.

Mihi videtur vt in hac quæstione quid verum sit attingamus, cum aliqua distinctione, & explicatione respondendum. In primis certum est, Angelos intra nos posse esse, quia spirituales sunt, nec nostris corporibus impediuntur. Quapropter tam bonos, quàm malos spiritus per eundem locum in quo nos sumus, tam permeare, quàm permanere posse; nam sicut in aliis locis sunt quæ alia corpora occupant; sic & in eodem loco vbi nos sumus, poterunt consistere. Hoc autem non sufficit, vt dicantur possidere nostra corpora: nam opus est vt vltrà agitent illa, & gubernent, atque aliquid in iis efficiant, quæ à virtute animæ non procedat. Censeo etiam posse Angelos occupare corpora humana æquè, ac Dæmones possident. Eadem quippe vt minimũ vis naturalis Angelis est, ac spiritibus malis. Neque hoc vllus negabit. Dubium solum potest esse, an ita aliquando factum sit? Et quidem puto aliquando bonum Angelum occupasse humanum corpus, aut membrum eius, vt per illud aliquid agat, verbi gratiâ, linguam alicuius hominis, vt aliquid per eum edicat, inscio, & ignorante ipso homine. Id quidem accidit feruentissimo nostræ Societatis Patri Didaco Lupio, coram Illustrissimo, Doctissimo, & sancto Episcopo Canariensi Bartholomæo Torrensi. Is Pater cùm semel concionaretur, prædixit, quod euentus confirmauit: in medio orationis suæ filo, tristi voce clamauit, *Plorate, & ploremus omnes, non lacrymis oculorum, sed*
Num. 23. *cordis sanguine; nam hodie qui decennium cum concubina vixit, antequàm prandeat, subitò morietur, redditurus Deo suæ vitæ rationem.* Rogatus posteà ab Episcopo, quomodo tam seriò id affirmaret; respondit, se nullo modo meminisse tale prædixisse oraculum, nec se scire quomodo id prænuntiaret. Inter hæc dicendum, nuntiatum est è vicina domo, hominem repentè animam iam agere absque confessione peccatorum. Quod, vt audiuit Pater, auolauit illò, vt vel signo aliquo dato, absolutionem impertiretur homini. Sed iam exanimem inuenit accumbentem mensæ ante vllius cibi esum, iuxta quem pellex erat, quàm per decem annos petulanter possederat. Euentus huic similes aliis seruis Dei acciderunt.

Censeo

Censeo tamen nunquam Angelum ita possedisse hominem, sicut Dæmones possident: nam verbum *possidere* aliquam moram, & spatium notare temporis videtur. Angeli autem, cùm nolint seruis Dei auferre tempus merendi, nolunt illis coactis, cùm necesse non est, impedire integrum membrorum, & potentiarum vsum, nec diu obstare eorum libertati. Prætereà dæmones possident corpora, vt ea vexent, & torqueant; Angeli autem nolunt nos affligere.

Existimo tandem nullum esse sufficiens fundamentum, vt credamus aliquem ex sacris scriptoribus etiam ad breue tempus occupatum ab Angelo aliquo fuisse, vt sine libertate suâ aliquid edicerer, aut scriberet. Neque Abulensis prorsus negauit libertatem physicam Moysi, sed moralem, hoc est, libertatem cui nullum præceptum, vel Spiritus sancti impulsus, & afflatus aderat. Cum præcepto autem, & Spiritus sancti afflatu optimè cohæret physica libertas. Gregorius quoque cùm ait authores sacrorum librorum instar calami scripsisse cùm vsurpatur ab scriptore; non idcircò hęc dixit, quia eos non liberè scripsisse putarit, sed propter facilitatem scribendi, & loquendi collegit egregiam quâ excelluerunt cognitionem, sine necessitate tamen, quæ eorum libertati obstaret. Propheta quoque Zacharias non obinde dixit: *Angelus qui loquebatur in me*, quoniam possessus ab Angelo esset: Phrasis Hebræa potuit esse, ac si diceret, *Angelus qui loquebatur mihi*, seu *mecum*. Propterea compos sui erat Propheta, neque Angelus loquebatur aliis hominibus audientibus, sed solo ipso Propheta pręter morem arreptorum. Credo igitur voluisse Zachariam illis significare verbis internam, non vocalem esse illam repræsentationem, & locutionem, nimirum per visionem imaginariam obiectam Prophetæ, ipse sibi videbatur videre Angelum illum, qui Prophetalis erat secum & cum Michaële colloqui. Neque aliud voluit significare Gregorius.

Neque Balaam, opinor, extra se, aut prorsus coactus Israëlitico benedixisse populo, à nullo Angelo, vel Dæmone possessus loquebatur. Nec enim, vt obseruat Cornelius, Balaam hic fuit arreptitius, vti erant Sibyllæ, & puella illa in templo Apollinis Delphici, in quam ipse Phœbus, id est, Dæmon introibat, atque eam per terram rotans, & despumare cogens, ad omnia de quibus interrogabatur, per os eius respondebat: ipsa tamen puella nihil horum intelligebat, sed erat quasi extra se, & in furore, atque postquam furere desinebat, non recordabatur dictorum. Balaam verò hæc omnia intelligebat, imò iam ante hæc omnia conceperat, & memoriæ mandarat, cùm scilicet ea solus audiuit ab Angelo sibi occurrente. Nec enim Angelus posteà in ipsa vaticinatione ei, aut per eum locutus legitur. Rursum eum ex mente, & seriò hæc dicere, patet ex eo, quod subdit: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Deus ergo non mouit os Balaam, sicut os asinæ loquentis: mouebatur enim Balaam vt homo, non vt brutum. Deus ergo impulit eius voluntatem, & illustrauit eius intellectum, vt piè & libenter, atque ex animo hæc loqueretur. Hoc ipsum confirmat cap. 24. vbi dicitur, *Cùmque vidisset Balaam, quod placeret Domino, vt benediceret Israëli*, &c. irruente in se spiritu Dei, ait. Mox tamen à vaticinatione, Balaam rediit ad ingenium, quæsiuitque modos satisfaciendi Balac, & Hebræis maledicendi. Atque hoc tantùm vult S. Gregorius 3. parte Pastor. admon. 13. cùm ait, Balaam vocem non mentem mutasse. Nam eo modo quo dixi se explicat libro 33. mor. cap. 17. simili modo Saul inter Prophetas prophetauit, & Deo laudes cecinit, sed digressus ab eis, rediit ad ingenium, & Dauidem persequi perrexit: tam ergo Saul quàm Balaam permansit in cordis sui duritie & impietate habituali, quam vterque recedente spiritu Dei bono, paulò pòst æquè, ac priùs exeruit. Porrò sanctus Hilarius mitiùs accipiendus est, qui à Montanistarum errore longè abfuit.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Fit satis obiectionibus inuentum literarum Moysi negantibus.

Agitur de scriptione Noe, Cham, Hispanorum, & Og.



GITVR ratus manet communis Patrum sensus; primum omnium scriptorem Moysem fuisse. Nunc regrediamur ad propositum de inuento literarum, quas nunc à Moyse repertas confirmare oportebit, expediendo quæ aduersùs hanc suspicionem pugnantia cumulauimus, & suo cuiusque obiectionis obstaculum repellemus ordine, prout obstrusum fuit, leuiter tactis, aut omissis iis, quæ iam diluimus. Nam quæ ex libris Henoch, & Seth obiecta fuerunt, iam ex dictis reiecta manent, cùm vllos ab eis libros conscriptos fateri nulla cogat authoritas. Et vniuersim responderi potest, eas omnes scriptiones antiquas aut authéticas non esse, aut literis Æthiopicis, & hieroglyphicis, aut saltem Sinensibus, vel similibus, non autem alphabetariis elementis scriptas. Sic sunt Otho Heurnus, Ioannes Mariana, Pierius, & eruditissimi viri opinati. Addimus sigillatim ad id quod de historia diluuij à Noë conscripta obiecimus, authore Beroso, dubiæ fidei, & valde controuersæ, imò malè audientis apud Doctos esse hunc Berosi librum. Præterea tradit ibi Berosus in saxo Noë scripsisse: monumenta autem vetustissima lapidea, & lateritia effigiebus, hoc est, literis hieroglyphicis insculpta Plinius confirmat, & multi antiquitatum antiquissimarum periti credunt. Verba autem Berosi libro tertio hæc sunt: *Noa cum familia de monte Gordyeo, vt par erat, descendit in subiacentem planitiem plenam cadauerum, quam vsque ad hanc ætatem appellant Myri Adam, id est, euisceratorum hominum: & inscripsit in lapide in monumentum rem gestam, & vocant incolæ locum, Egressorium Noa.* Libri autem quos scripsisse. Noë postea subdit Berosus, referendi sunt ad hieraticam scriptionem Solis Sacerdotibus commissam, quæ ænigmatica, & hieroglyphica erat, non alphabetaria, id quod idem Berosus satis indicat.

Collat. 8. cap. 14. Ea quoque quæ scripsisse Cham fertur, in saxis exarasse ipse Cassianus & Petrus Comestor scribunt; & quidem non certò id affirmat Cassianus, sed remittit se ad popularium traditionum opinionem. Porrò sanctus Clemens Romanus in libro Recognitionum quarto, non affirmat scripsisse aliqua Cham filium Noë, sed eius nomine

mine plurimos libros de rebus magicis haberi. Et sunt qui Zoroastris nomine circumlati fuerunt, de quibus postea agemus. Quamuis eiusdem etiam nomine scriptura Cham fuerit inscripta, cuius meminit Ciecus Asculanus in Commentariis, quos edidit in sphæram, sed est volumen ab iniquissimis hominibus conscriptum. Fuit etiam & aliud opus prænotatum *Prophetia Cham*, ex quo Isidorum discipulum Basilidis accepisse aliqua testimonia scribit Clemens Alexandrinus in sexto Stromatum, fortasse eadem fuit cum scriptura eius: vtcumque sit, apocrypha est, & impia.

Literis autem Alphabeticis à tempore Nini, Hispanos & Germanos fuisse vsos, non est eur credamus, authoritate solâ Berosi controuersâ, præterquàm quòd literas hieroglyphicas intelligere possemus. Strabo autem nihil constanter affirmat, sed alienam, & vulgarem fidem allegat, loquens de Tudertanis sic scribit: *Hi inter Hispaniæ populos sapientiâ putantur excellere, & literarum studiis vtuntur, & memorandæ vetustatis volumina habent, poëmata, leges quoque versibus conscriptas è sex annorum millibus, vt aiunt.* Et quidem credibile haudquaquam est, priùs vsam literis illam Barbariem vetustissimam Hispanorum, & Germanorum, quàm Phœnices, quàm Græcos, quàm Latinos, qui multos post Moysem annos agnouerunt alphabeti elementa, quorum notitia, si in Hispania vigeret, transmigrasset facilè in Latium. Mirum est quàm prodigè computent aliqui inuentarum literarum annos. Simplicius Philosophus in Commentariis librorum de cælo Aristotelis, ita scribit: *Audiui & ego Ægyptios non pauciores sexaginta tribus myriadibus annorum perscriptas habuisse syderum obseruationes, Babylonicos verò centum & quadraginta quatuor myriadibus.* Egregiæ nugæ.

De scriptis Melchisedech, Abraham, Iob, iam diximus sententiam, sicut & de libro Bellorum Domini, de libro Iustorum, & Testamento duodecim Patriarcharum. Et ne intercidat nobis *Liber Og* falsò imputatus, valde superstitiosus est, aut si præcesserit Moysem, literis Æthiopicis priùs insculptum credo. Certum enim & constans est literis Alphabeticis Phœnices, ex quibus Og fuit, minimè fuisse vsos ante Moysem. Cadmus earum propagator, post Mosaica tempora floruit. Vtcumque sit, inter damnatas scripturas enumeratur à Gelasio distinctione decimaquintâ liber Og Regis Basan. Porrò liber Balaam incertus est; rum si certus, potuit ille ab Hebræis didicisse literas, vel multos post annos ab alio scriptus liber Balaam imputari, quod eius Prophetias contineret per traditionem antea seruatas.

CAPVT II.

Quales fuerunt Babylonicæ literæ. Agitur de columnis Herculeis.

VENIAMVS ad Babylonicas inscriptiones, quas omnes probat Otto Heurnus in suo Chaldaico, literis hieroglyphicis sculptas, quod videtur suadere liber scriptus à Democrito de Babylonicis literis intelligendis. Inscriptio Nini difficilior videtur multis referta nominibus antiquorum Regum, cui nominum & vocum scriptioni minus commodæ sunt literæ Ægyptiæ, quibus potiùs res quàm verba & syllabæ significabantur. Huic dubitationi respondemus, illum librum Xenophontis de æquiuocis, in quo memoriæ traditur istæc columna Nini inscripta, non maiorem fidem mereri, quàm scripta Berosi ab Annio edita, quorum authoritas controuersa est multis, falsa pluribus. Deinde dicimus, ea nomina appellatiua potiùs esse quàm propria, nimirum, *Cælus, Iupiter, Saturnus*, &c. Nominum autem appellatiuorum, quia communium, & notiorum deputata signa erant instituta literis Hieroglyphicis, per quæ indicari poterant. Esse autem nomina Cæli, Iouis, & Saturni appellatiua, & communia, seu agnomina, ipse Xenophon tradit initio eiusdem libri, dicens: *Saturni dicuntur familiarum nobilium Regum, qui vrbes condiderunt senissimi. Patres Saturnorum Celi, vxores Rhea, & celerum Vestæ. Quot ergo Saturni, tot Celi, tot Vestæ, Rheæ, Iunones, Ioues, Hercules. Idem quoque, qui vnis populis est Hercules, alteris est Iupiter. Nam Ninus, qui Chaldæis extitit Hercules, fuit Assyriis Iupiter, quibus oppidulum paternum Tetrapolim & caput Imperij statuit. Vnde ipsum Ninum, id est, Iouem cognominauerunt, qui proprio nomine Assyrius dicebatur, à quo Assyrij dicti, & à cognomine vrbs, Ninus dicta.* Hactenus ille Xenophon. Porrò quæ ex Pseudo-Philone in antiquitatibus Biblicis exhibuimus, ædificatores scilicet Babelicę

turris ſuæ nomina lapidibus ſcripſiſſe, fabula prorſus ſunt: vt meritò is auctor nullum pondus auctoritatis obtineat, in ipſáque eadem hiſtoria ædificij Babylonici, falſa manifeſtè miſcet. Statim ſubdit mirè nugatus: *Et acceperunt ſinguli quique lapides ſuos extra viros duodecim, qui noluerunt accipere, & hæc nomina eorum, Abraham, Nachor, Loth, Ruge, Tenute, Zaba, Armodath, Iobab, Eſar, Abimahel, Saba, Auphin.* Falſum prorſus eſt & contra ſcripturam Abraham & Loth affuiſſe tūc temporis campo Babylonico; multis deinde idem auctor delirat, in quibus non eſt opus morari. Neque Hercularum columnarum inſcriptio maiorem ingeret difficultatem, ſi inſcriptæ fuerint illo elogio NON PLVS VLTRA, quod non credo, neque neceſſe erat vt terminos expeditionis Herculeæ deſignarent. Nam ipſæ columnæ ſigna terminorum erant. Neque talis ſcriptionis iis columnis inſculptæ meminit Diodorus: neque Strabo; hic potius comprobat erectas à Ducibus columnas ſigna expeditionis ſuæ, libro tertio ſcribit: *Veteribus hic mos fuit huius generis confinia ponere, quemadmodum Rhegini Columellam, turrim quamdam exilem ſuper freto locauerunt. Et huic Columella turris, quam Pelori nuncupant, è regione ſita eſt, & quæ Philænorum dicuntur aræ, in media quodammodo Syrtium tellure ſunt. In ipſo quoque Corinthiaco Iſthmo columnam quamdam locatam fuiſſe memoriæ proditum eſt, quam Iones dum Atticum & Megarenſem occupaſſent agrum, conſtituère communiter.* Idem refert plurium placita, qui columnas Herculis, non niſi quædam promontoria aut inſulas putarint, aut aliquam terræ aggeſtionem magnam.

Herculeas columnas Arabes tribuunt Alexandro; nam quod Græci, & Latini Herculi, Arabes Alexandro imputant. Hoc obſeruato Geographus Nubienſis hæc de iſtis columnis narrat: *Mare Damaſcenum vt fertur, erat antea ſtagnum vndique clauſum, quale eſt modò mare Tabareſtan, cuius aquæ ſunt à cæterorum marium aquis omnino ſeparatæ, ita vt elapſis temporibus incolæ Occidentis remotioris aggrederentur incolas Andaluziæ, omniáque damnorum genera eis inferrent, atque hi viciſſim illos inuaderent, & aduersùs eos pro viribus dimicarent, vſque ad Alexandri tempeſtatem. Is enim ad populos Andaluziæ cùm perueniſſet, & continuas eorùm, quas cum incolis ſuis habebant, pugnas audiuiſſet, operariis, atque Geometris ad ſe conuocatis, ſuum de arida illa terra fodienda, & canali aperiendo animum explicuit, præcepitque illis vt terræ ſolum cum vtriuſque maris æquore metirentur; quod vbi præſtitère deprehenderunt à mari magno parum ſuperari altitudine Damaſcenum. Quare vrbibus ad oras maris Damaſceni ſitis ex humili in procliue deductis, imperauit, vt interiecta regionibus Tangiæ & Andaluziæ terra foderetur; quouſque ad montes in imis terræ viſceribus abſconſos effoſſa, ſuperextrui iuſſit aggerem è lapidibus, & calce in canalem: qui agger M. P. XII. extendebatur in longitudinem, tantâ enim diſtantiâ, & interuallo diſtinguebantur duo prædicta maria. Alterum quoque oppoſitum aggerem ædificari voluit ex parte terræ Tangiæ. Diſtabant autem ij duo aggeres ab inuicem ſex tantùm M. P. ſpatio. Igitur vtroque aggere expleto aditum aperuit aquæ ex parte maris Maximi, quod vi atque impetu ſuo irruit inter duos aggeres illos, & in mare Damaſcenum ſeſe profundens, vndas eius adeò turgefecit, vt multas ciuitates ad vtramque ipſius oram appoſitas vnà cum incolis obruerent: nam aquæ vndecim ferè ſtaturarum altitudine aggeres ſuperauerunt. Et verò agger ex Andaluziæ parte conſtructus aliquando tranquillo mari euidenter apparet in eo loco qui dicitur Aſſafiha, imò longitudinem eius, quæ per lineam rectam producta conſpicitur, cubitis menſus eſt Alraby, & nos oculatim vidimus hunc aggerem, quia canalem cùm traiiceremus iugiter eum ſectati ſumus. Vocatur ædificium iſtud à populis Peninſulæ Alcantara, & eius medium reſpondet illi loco in quo eſt prope mare Hoger-alayl. Alterum verò aggerem, quem ex parte regionum Tangiæ extructum fuiſſe diximus, aquæ dum irrumperent, abſtulère, terrámque omnem, quam à tergo ſuſtentabat, corroſère, nunquam deſiſtentes, donec montes vtrinque attigiſſent.* Hactenus ille Arabs.

CAPVT III.

Impoſturæ aliquarum ſcriptionum antiquarum.



ILLVD adiiciendum eſt in quibuſdam ſcriptionibus ſepulchralibus antiquiſſimam antiquitatem ſimulantibus, dolum delituiſſe poſſe: hoc dixerim, vt eneruè demonſtrem argumentum ex ſepulchris Beli, Semiramidis, & Nini; nam præter honoraria ſepulchra, quæ olim fuerant in vſu, quæque multos poſt annos conſtrui, & inſcribi poſſent. De quo mox dicemus, aliæ fraudes

fraudes subesse sunt visæ, aut humanæ, aut Dæmoniacæ: nouum quippe non est, similes imposturas sub prætextu antiquitatis confingi, vt benè obseruauit Tobias Hallerus in oratione contra antiquarios apud Rosinum. Et quidem Valentinus Moranus, Iacobus Nauarch, & Ferdinand. Lop. Castañeda in sua historia Ind. Orient. lib. 1. cap. 28. referunt quædam carmina, quæ sub Emanuele Lusitaniæ Rege, anno Domini MDV. refossa fuerunt in promontorio Lunæ, quod vulgò appellatur *Roca de Sintra*, insculpta in quadrata vetusti operis columna marmorea, quæ sic habebant:

Voluentur saxa, literis ex ordine lectis,
Cùm videas Occidens Orientis opes,
Ganges, Indus, Tagus erit mirabile visu,
Merces commutabit suas vterque sibi.

Quos versus Sibyllinos esse prædicti auctores persuaserunt, eisque quasi ex Sibyllæ antro profusis, fidem præstiterunt. Cùm tamen posteà compertum confictos, & impositos fuisse à quodam Hermo Charado Lusitano, qui illos marmori inscripserat, defoderàtque, vt situ, humoréque terræ aliquantulum deformati, vetustatis indicium exhiberent, rursúsque per mercenarias operas refoderat, vt hoc tam nobili, atque peregregio antiquitatis monumento, Regis gratiam auidè in Orientis opes intenti, pecuniámque aucuparetur, vt testantur Cæsar Orlandius, & Gaspar Barrerius, quos refert Ortelius in Theatro magno, tabulâ quintâ noui Orbis, & ab eo mutuatus Maluenda libro tertio de Antichristo, capite decimosexto, August. Torniell. in Annalibus sacris secundo tomo, anno mundi 3043. num. 7. pag. 48. Quod etiam rectè annotauit Solorzanus libro primo de Indiarum iure, capite duodecimo. Lucas Tudensis alia scripta suppositia ab Hæreticis narrat, quæ ante detectum dolum admiranda visa sunt. Ex Latino Latinio notant Antonius Augustinus Dialogo vndecimo, & Auctor Hispanæ Bibliothecæ tomo secundo, in appendice ad historicos, artificium Annij qui eas Beli, Semiramidis, & Nini inscriptiones cum Beroso suo edidit. Antonius Augustinus hæc habet: *Mihi Latinus Latinius Viterbiensis, vir doctus, bonæque fidei, de Ioanne Annio Viterbiensi Monacho narrare iucundè solebat: lapidi insculpendas curasse literas; quem vineæ infodi iusserat, non procul à Viterbio. Cùmque fodienda esset vinea, ad lapidem vsque vt fodiendo peruenirent, iussit: narrans in libris se reperisse templum ibi orbis terrarum antiquissimum latere. Terra iam effossa, primus qui lapidem inuenit vinitor accurrit: paulatim detegi sarcophagum imperat, hic stupens lapidis antiquitatem, & literas à se confictas admiratur, ac describens ad vrbis Senatores, latus confugit, & ciuitatis honori fore persuadet in amplissimo publicè spectari loco. Viterbij enim vrbis originem continere, quæ bis mille annis Romano esset vrbe à Romulo condita, longè antiquior vtpote ab Iside & Osiride condita.* Multas alias inscriptiones confictas eodem Dialogo notat eruditissimus Antonius Augustinus. Nec tamen fidem omnem præsto Latinij narrationi.

Addo à Dæmonibus aliquas scriptiones fabricatas, aut ab hominibus, arte tamen magicâ, quæ simularent antiquitatem maiorem, cuius generis suspicor arcam inuentam Toleti à Rege Roderico, de qua Rodericus Toletanus libro tertio rerum Hispaniarum, capite decimoseptimo scribit, quæ aperta fuit à Roderico Rege paulò antè, quàm Arabes ex Africa, instigante Comite Iuliano, in Hispaniam irruerent, & profligato Roderici exercitu, eam subiugarent. *Erat*, inquit ille, *tunc Toleti palatium, à multorum Regum temporibus perpetim clausum, pluribúsque seris obseratum; id Rodericus contra omnium voluntatem aperuit, vt quid in eo lateret, cognosceret; thesauros autem quos sitiebat, sperabat. Verùm præter arcam vnam nihil inuenit, quâ apertâ, pannum literis Latinis hac verbo referentem deprehendit:* CVM CONTINGET SERAS FRANGI, PALATIVM ATQVE ARCAM APERIRI, ET QVÆ IN EA SVNT VIDERI: TVNC SCITO GENTES EIVSMODI HISPANIAS INVASVRAS, SVOQVE DOMINIO SVBMISSVRAS. *Quibus lectis Rex doluit Palatium, arcámque se aperuisse, & gemino quo ante clausum erat modo, concludi imperauit. Erant autem in panno delineati Arabes capito vittis tegentes, vestibus versicoloribus amicti, gladios & iacula vibrantes, vexillàque in altum extensa gerentes.* Suetonius geminam huic de Iulij Cæsaris fato, historiam his verbis narrat: *Paucos ante menses cùm in colonia Capuâ deducti lege Iuliâ coloni, ad extruendas villas, sepulchra vetustissima disijcerent, idque eò studiosius facerent, quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor Capuæ, sepultus, inuenta est, conscripta literis, verbisque Græcis, hac sententiâ. Quandoque ora Capyis detecta essent, fore vt Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur.*

dicaretur. Has scriptiones peruetustas non credo, sed opera Dæmonum suppositas, & recentiùs quàm ipsæ præ se ferrent, cùm scilicet euentus illi ex proximo rerum statu coniici poterant, & de sepulchris Beli, & Semiramidis pronum est simile suspicari, & superstitiosas eas scriptiones habere.

CAPVT IV.

Inscriptiones antiquorum sepulchrorum fortasse fuère honoraria sepulchra.

PRÆTEREA non est opus credere à vetustissimis Babyloniis sepulchra illa Beli, Semiramidis, & Nini eo modo fabricata, cùm à recentioribus Regibus possent strui, & inscribi, renouari saltem antiquas vrnas, & maiori ampliari operâ. Possent quoque multos post eorum mortem annos honoraria, prout Suetonius vocat, & olim in vsu fuerunt, sepulchra, aut columnas ipsis dicari, vbi ipsorum cineres non essent. Cùm maximus honos sepulchrorum olim fuerit. Quemadmodum honoris causâ eximiis Ducibus, & egregiis viris statuas erigebant prisci, sic & sepulchra, & columnas, & quidem maior his honor. Nam Cicero in nona Philippica scribit: *Maiores quidem nostri statuas multis decreuêre, sepulchra paucis.* Hinc fit vnius hominis diuersis locis diuersa sepulchra, siue cenotaphia fuisse. Lampridius in historia Alexandri dixit: *Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulchrum amplissimum meruit.* Similiter Drusus Tiberij filius monumentum habuit apud Moguntiacum, quamuis eius ossa Romæ essent. Sic Virgilius descripsit imaginarium Hectoris sepulchrum libro Æneidos tertio:

Solemnes tum fortè dapes, & tristia dona
Ante vrbem in luco falsi Simoentis ad vndam
Libabat cineri Andromachi, manésque vocabat
Hectoreum ad Tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas causam lacrymis sacrauerat aras.

Similiter Theocritus Chius in quodam Epigrammate cecinit:

Hermiæ Eunuchi pariter, & prudentia serui
Monumentum inane despiciens posuit Aristoteles.

Erat hic Hermias, prout testatur Aristocles Peripateticus, intimâ familiaritate coniunctus Aristoteli. Prudentius quoque Ode in laudem Sanctorum decem & octo Cæsaraugustanorum Martyrum canit:

Hoc colunt ciues velut ipsa membra
Cespes includat suum, & paterno
Seruet amplectens tumula Beati,
Martyris ossa.
Noster est quamuis procul hinc in vrbe
Passus ignota, dederit sepulchro
Gloriam victor, prope littus altæ
Fortè Sagunti.

Constantinus Imperator similia sepulchra honoraria Apostolis extruxit, de quo Eusebius libro de eius vita, ait: *Duodecim sepulchra fecit Apostolici chori cippis excelsis; vrnam suam medio collocauit vtrinque senis Apostolis.* Et credo Dauidem honorarium monumentum erexisse Christo Domino tot annos ante eius aduentum, & mortem, atque Psalmum decimum quintum cenotaphium Saluatoris fuisse, eúmque inscripsisse columnæ honorariæ, quam in honorem Christi mortui, prout ipse præuiderat, erexit, vt ex ipsius Psalmi inscriptione apparet, atque ex toto Psalmo, cuius omnia verba sunt animæ Christi limbum ingressæ.

CAPVT V.

CAPVT V.

Dauid erexit Christo Domino præuiso mortuo Epitaphium seu honorarium sepulchrum.

Explicatur titulus Psalmi 15.



Oc magis clarebit ex totius Psalmi enarratione; dignus explicatu est & aliquâ morâ, neque lectori ingratum erit paululùm hîc quiescere. In primis titulus Psalmi suadet, hoc quod dicimus cenotaphium esse in honorario Christi sepulchro inscriptum à Dauide: sic enim se habet: *Inscriptio tituli ipsi Dauid*, hoc est, inspitata Dauidi, quod commune est multis aliis Psalmis ipsius Dauidis, cuius nomen adiicitur non genitiuo, sed datiuo notatum. Et liquet ex Psalmo sequenti decimo septimo, cuius titulus est: *In finem, Puero Domini Dauid*. Et passim vbi dicitur *Psalmus Dauid*, vox *Dauid* in tertio casu est. Et Septuaginta exprimunt articulo τῷ adiecto, non τοῦ. Sic & Apostolus in secunda Epistola ad Corinthios, capite duodecimo ait: ἐδόθη μοὶ σκόλοψ τῇ σαρκὶ. *Datus est mihi stimulus carni*, pro *carnis*, & capite secundo ad Colossenses dixit, χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, *Chirographum decretis*, pro *decretorum*, seu *decreti*. Sixtus Senensis notat frequenter esse Hebræorum idiotismum Datiuo pro Genitiuo vti. Verùm Latinis etiam videtur in vsu fuisse. Cato in libro de re rustica sæpè scribit, *Ornamenta bobus* pro *boum*. Et *instrumenta rusticis*, pro *rusticorum*. De hoc satis. Nunc videamus quid sit *inscriptia tituli*. Inscriptio nimirum eius honorarij monumenti, quod Dauid sacrauit Christo. Græcè est στηλογραφία *inscriptio columna*. At idem est; & sepulchrum, siue nomine tituli, siue columnæ notari potest. Etenim sepulchrum, quod sibi extruxerat Absalom, *titulus* vocatur in secundo libro Regum. Et idipsum columnam fuisse prodit Iosephus. Sic sacer textus refert: *Porrò Absalom erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum qui est in valle Regis. Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei; Vocauitque titulum nomine suo; Et appellatur manus Absalom vsque ad hanc diem.* Quæ verba Iosephus in libro antiquitatum septimo exponens: *Porrò Absalomus*, inquit, *erexerat sibi in valle Regis, columnam marmoream cum inscriptione duobus stadiis ab Hierosolymis distitam, quam voluit vocari manum Absalomi, dicens, quòd si liberos eius perire contingat, in hac tamen nomen ipsius esset mansurum.* Cap. 18.
Fuit olim in vsu fortissimorum virorum monumenta cippis, seu columnis inscribi, & in iis tumbas eorum locare, vt diutius perdurarent, quod Absalom desiderabat: quò alludens Eusebius in primo libro de vita Constantini ait: *Columnis illa quidem nullas aut timentibus iniurias æstimata, videlicet natura hominum sartus fragilis & caduca, commentata solatium imaginibus edendis, maiorum memoriam colere se putauit honore permansuro partim adumbratione picture cerâ delibute, partim è materia sculptum, & dolatum expers motus simulachrum machinata sunt, qui pilas, & cippos inscriptos sempiternam commendationem virtutis eorum quos habent annotatos conferre crediderint.* Ipse Constantinus cippis excelsis sepulchra duodecim Apostolorum dicauit. Tumulus quoque Nini, vt dedimus ex Xenophonte in columna erat; in columnis quoque inscriptiones fiebant, teste Propertio:

Hoc carmen mediâ dignum me scribe columnâ,
Sed breue quod currens vector ab vrbe legat.

Accedit vsum titulorum insigniúmque monumentotum tempore Dauidis Regis apud Istaelitas viguisse, sicut & apud gentes alias, qui ob egregias victorias titulos erigebant. In libro ptimo Regum, capite decimoquinto dicitur: *Mane nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saül in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem.* In Hebræo est: מַצִּיב לוֹ יָד *mazzib lo iad, statuit sibi manum. Manus* sumitur pro titulo in secundo libro Regum, vbi Absalonis sepulchrum, & titulus vocatus est manus Absalom. De Dauid quoque dicitur in secundo Regum, capite octauo: *Fecit quoque sibi Dauid nomen cùm reuerteretur captâ Syriâ in valle Salinarum cæsis decem & octo millibus.* Iuxta Hebræum illud: *fecit sibi nomen, &, erexit titulum*, quod magis exprimitur in Epigraphe Psalmi quinquagesimi noni, quæ alludit ad hanc historiam, & factus ille Psalmus in tituli illius inscriptionem. Sic enim inscriptum habet: *Pro his, qui immutabantur in tituli inscriptionem*

ipsi Dauid, in doctrinam, cùm succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. Ergo si Dauid erexit sibi titulum triumphalem, aut quemadmodum aliqui putant, sepulchrum, honorarium quidem, nam alibi sepultus est, cur de pietate sancti Regis non erit credendum, postquam præuidisset Filium Dei de ipsa morte, morte propriâ triumphantem, monumentum gloriosum & victoriale ipsi dedicasse, atque egregio Epigrammate sublimi in columna ornasse. Optimè Eusebius Cæsariensis ad Psalmum decimumquintum, cuius hæc sunt verba: Ἐστὶ στηλογραφία προφητείαν ἔχουσα θαυμαστὴν, καὶ γραφῆς αἰωνίου ὥσπερ ἐν στήλῃ τετυπωμένης ἀξίαν. Et pòst pauca: κατὰ μὲν τοὺς Ο΄, στηλογραφία λέγεται ἡ προφητεία, ἡ περιέχουσα τὴν κατὰ τοῦ θανάτου νίκην τοῦ σωτῆρος, διὰ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ κατορθωμένην. ὥσπερ γὰρ τῶν ἀγωνιζομένων ἐν σταδίοις οἱ μέγιστοι, καὶ παράδοξοι ἆθλοι στήλης ἀξιοῦνται, καὶ τῶν ἐν σταδίοις οἱ μέγιστοι καὶ παράδοξοι, ἆθλοι στήλης ἀξιοῦνται, καὶ τὰ ἐν πολέμοις, κατὰ τῶν ἐχθρῶν τρόπαια εἰς μακρὰν μνήμην στηλιτεύεται, οὕτω καὶ τὸ μέγα τρόπαιον τοῦ σωτῆρος ὅπερ ἤγειρεν καθελὼν τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, ἄνωθεν ἀπὸ τῶν προφητικῶν χρόνων ἐστηλιτεύετο ταῖς ἑαυτῶν γραφαῖς. διὸ στηλογραφία λέλεκται. *Est*, inquit, *tituli inscriptio, prophetiam admirabilem continens, & dignam scripturâ sempiternâ, quæ tanquam in columna sit incisa.* Et paulò pòst: *Iuxta LXX. tituli inscriptio hac prophetia dicta est, quod illam de morte victoriam contineat, quam Saluator noster suâ resurrectione peperit. Vt enim in stadiis pugnantium præclara certamina columnarum inscriptione digna iudicantur, & bellatorum trophæa ad diuturni temporis memoriam in iisdem inscribuntur; ad eundem quoque modum illud nostri Saluatoris trophæum, eo destructo, qui mortis habebat imperium, ab eodem erectum, iam inde à Prophetarum temporibus in sacris Literis inscriptum est, ob eámque causam tituli inscriptio dicta.* Cæterùm ipse non puto inscriptum esse huic Psalmo στηλογραφία solùm, quia dignus sit in colũnis, & ære, aut marmore inscribi, sed quia etiam re verâ inscriptus, seu incisus fuit columnæ, & solido monumento in honorem Christi venturi erecto. Nam de Psalmo quinquagesimo nono dubitari haud debet incisum illi monumento, vnde nomen seu titulum sibi fecit Dauid. Quare, & iste similiter incisus existimandus est Quamobrem credo esse cenotaphium triumphale eius tituli, quem in honorem Filij Dei erexit Dauid præuidens Redemptorem nostrum in triduo suæ mortis. In toto illo loquitur Christi anima limbum sanctorum Parrum ingressa, corpore in sepulchro relicto.

CAPVT VI.

Exponitur Psalmus decimus quintus de triduo mortis Christi, inscriptus à Dauide in columna titulo dicata Christo Domino.

EXPENDAMVS iam Psalmi verba, qui totus debet intelligi, non de Dauide, sed de Christo Domino; nam in Actis Apostolorum sanctus Petrus capite secundo, & sanctus Paulus capite decimotertio, vltimos versus ad literam intelligunt de Christo in triduo suæ mortis, cuius anima non est relicta in limbo, nec corpus vidit corruptionem. Et cùm idem tenor sit totius Psalmi, totus referendus est ad eundem intellectum pro honorario, & triumphali monumento à Dauide erecto in honorem mortui Christi. Sic incipit Psalmus: *Conserua me Domine, quoniam speraui in te.* Petit à Patre conseruationem, & resurrectionem sui corporis tunc exanimis, eiúsque gloriam, cuius Christus solùm spem potuit habere. Et sanctus Thomas negat fuisse Christo Domino spem propriè & rigidè Theologicam. Siquidem nullo modo potuit gloriam animæ sperare, cùm eam semper possideret, solùm corporis gloriam expectare potuit, & tunc temporis opportuniùs: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Agnoscit anima Christi magnitudinem, & omnipotentiam Dei, qui passione & meritis Christi non egebat, vt absolutâ suâ potestate, si vellet, mundum faceret saluum. Neque re verâ opus habuit, vt præcessissent merita Christi, quo antiquorum Patrum animas prædestinarct, quamuis non nisi præuisis Christi meritis, & propter Christum prædestinauit eos. Et pro hoc agit gratias & subdit: *Sanctis qui sunt in terra eius mirificauit omnes voluntates meas in eis.*

Loquitur

Loquitur de prædestinatione eorum Sanctorum, qui fuerunt antequam Christus nasceretur, atque in limbo aderant, qui propter Christum electi fuerunt à Deo, præueniente Christi voluntatem, & miro adimplente modo voluntatem eius humanam, antequàm esset, exequente tot anteà sæcula, quod Christus vellet & pro quo gratias acturus erat. Terram eius, hoc est, Dei, vocat locum illum infernum in quo electi erant. *Multiplicata sunt infirmitates eorum.* Multa mala in vita passi fuerunt, & post mortem multa sæcula me expectarunt. *Postea accelerauerunt.* tandem omnia ægra transierunt, & iam meo ingressu, & visitatione Limbi, vbi Sancti repleti sunt gloriâ per mea merita, longi temporis expectationis obliti præ lætitiâ sunt. *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Congregare apud
Prophetas solet sumi pro reiicere, perdere. Sic apud Sophoniam dicitur: *Nugas, qui à* Cap. 1.
lege recesserant congregabo, quia ex te erant, vt non vltrà habeas super eis opprobrium. Ecce ego Cap. 3.
interfi iam omnes, &c. Item, *Congregans congregabo omnia à facie terræ*, id est, proiiciam, disperdam. Sensus igitur Dauid erit: non reiiciam à participatione mei sanguinis, & passionis. Nolo perdantur Sancti, qui ante me fuerunt, quamuis eos non nominatim signauerim. Prædestinatio enim Sanctorum, qui fuerunt ante Christum, quorum nomina scripta erant in libro vitę, non fuit facta à Christo, sed per Christum; eos solùm, qui post Christum fuerunt, nominatim Christus elegit, & rogauit pro eis. *Conuenticula* dicit numero plurali, Græcè Synagogas, seu sacros Conuentus, nimirum duplicem sanctorum cœtum qui Christum præcesserant. Sanctos, qui in lege naturali vixerunt, & Sanctos qui in scripta floruerunt, qui omnes respectu Sanctorum in lege gratiæ futurorum pauci sunt, & respectu Ecclesiæ magnæ sic vocauit Dauid fideles legis gratiæ conuenticula; hoc est, parui cœtus vocari possunt. Hos igitur non reiiciam, non relinquam expertes mei sanguinis & sacrificij, tum cruenti, tum incruenti quodammodo: nam per me fuerunt electi, & gloria animæ illis concessa est post consummationem meæ passionis; tum gloria etiam corporis per me illis concedetur, non minus ac iis, qui mei corporis & sanguinis participes fuerunt in Eucharistia: nam iuxta sanctum Irenæum, & alios Patres, & Doctores, iis qui vnum corpus fiunt cum corpore Christi per dignam Eucharistiæ sumptionem, debetur hoc ipso resurrectio, quemadmodum ex verbis ipsius Christi Domini colligitur. Potest etiam explicari hic locus aliter; *non congregabo*, non merebor congregari illos in cælum per multas & sanguinolentas animalium, boum, & ouium mactationes, & sacrificia, sed per vnicam oblationem mei ipsius: tam abero, vt velim per alia sacrificia redemptionem mundi mereri, vt nec nominauero illa, nec cogitabo, hoc est, nec in os, nec in mentem mihi venient. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Hæreditas quàm comparaui Sanctis hausto calice meæ passionis, Dominus ipse est. Deus ipse, hoc est, clara Dei visio, quam tunc recèns meruit Christus, & communicata fuit Sanctis in limbo; vbi tunc anima Christi erat. Vocatur Deus seu visio Dei *pars*, quamuis totus videatur, quia iuxta cuiusque merita magis, aut minus videtur. In vsu nominis *Calicis* metaphora desumitur ab Architriclino, qui in conuiuiis suum cuique calicem, seu portionem vini statuebat. Hinc quod cuique à Deo statuitur, & decernitur, siue bonum, siue malum, calix appellatur in Scriptura, vti Psalmo decimo: *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Illud autem, *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*; refertur ad Psalmum secundum, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Christi hæreditas non solùm est visione Dei ipsum frui, & suæ animæ gloriâ, sed eam communicari electis, ipsique electi sunt hæreditas Christi. Et quoniam duo sunt electorum genera, quidam ante Christum, alij post Christum, quia tamen illos non designauit Christus, sed solùm istos; postquàm de prioribus dixit, & pro eis gratias egit Patri, conuertit sermonem ad posteriores, quorum electio fuit ab ipso Christo facta, & propterea specialiori titulo possent appellari hæreditas, & peculium, & Ecclesia Christi, de quibus congratulatus ait: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* nam licèt omnium prædestinatorum electio à Christo, hoc est, per eius merita fuerit, rectè tamen potest nunc dicere: Optima Sanctorum pars à me signata fuit, nam maiores Sancti, & multò plures post Christum fuerunt electi ab ipso Christo, quàm illum præcesserant. Propterea subdit: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*, vt tam nobilem hæreditatem mihi deligerem, & quoniam *insuper vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Increpare hîc est excitare: renes in Scriptura sæpè significant affectus, quare sensus est: *Die ac nocte excitarunt me,*

meus,& affectus mei, vt hanc hæreditatem compararem. Poteſt opportuniùs hoc referri ad Sanctos, qui Chriſtum præceſſerant, & erant in limbo, qui per noctem poteſt ſignificari; nam horum prædeſtinationem meruit Chriſtus affectu grato, gratias Deo pro his agens. Quapropter meminit in hoc verſiculo intellectus, & affectuum, etenim Sanctos, qui fuerunt poſt Chriſtum, elegit; pro aliis autem affectum, & gratiarum actionem habuit. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Hæc & quæ ſequuntur, explicuit S. Petrus ad literam de Chriſto pro triduo ſuæ mortis; nec opus habent noſtrâ interpretatione.

CAPVT VII.

Quales tituli erecti à Iacob in Bethel, & in fœdere cum Laban, & in ſepulchro Rachel, omnes ſine inſcriptione.

REDEAMVS ad titulorum vſum apud Hebræos, vt reſpondeamus iis quæ de erectis à Iacob titulis obiecimus. Nam inde magis firmandum eſt literis caruiſſe priſcos, cùm ij tituli non inſcripti fuerint, ſed ex lapidum certâ poſitione, aut diſpoſitione ordinatâ inſignes habiti in rerum monumenta. In primis lapis ille, quem Iacob erexit in titulum, & oleo ſuperꝑinxit, permanſit in Bethel vſque ad tempora Brocardi, & Breidembachij, vt ipſi teſtantur. In eo tamen nulla inſcriptio notata eſt. Vnde meritò Sixtus Senenſis notauit; quandoque titulus denotat lapidem informem ſine vlla inſcriptione, & abſque vlla artis politura ſtantem, & in terræ ſuperficie erectum; qualem in Geneſi fuiſſe legimus lapidem, quem Iacob in Bethel Luzæ dormiens capiti ſuo ſuppoſuit, & excitatus à ſomno erexit in titulum, fundens oleum deſuper, & inquiens: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte in titulum.* Ex his verbis liquet, titulum illum non fuiſſe columnam, vel pyramidem, ſed rudem lapidem prius in ſolo iacentem, deinde in ſublime erectum, ad perpetuam recordationem eorum, quæ eo in loco Patriarchæ Iacobo contigerant. Hunc Moſes *Maζeua*, hoc eſt, lapidem ſtantem appellauit: & ſeptuaginta Interpretes λίθον, hoc eſt, lapidem aliquando tranſtulêre. Hunc eundem lapidem in altare conſecrauit Iacob. Quapropter vt Cornelius obſeruat: Titulus hic non tantùm monumentum, ſed etiam altare ſignificat. Atque hinc primi Chriſtiani ad exemplum Iacobi, Eccleſias ſuas vocarunt titulos, à titulo, id eſt, ſigno crucis, & à titulo, id eſt, nomine alicuius Sancti, in cuius honorem intitulabantur, id eſt, nominabantur, conſecrabantur, & diſtinguebantur Eccleſiæ, vt titulus ſanctæ Praxedis, eſt Eccleſia ſanctæ Praxedis: titulus ſancti Laurentij eſt Eccleſia ſancti Laurentij; quę phraſis crebra eſt in vitis primorum Pontificum. Ita Iacobus Gretſerus lib. 2. de Cruce, capite ſeptimo. Atque ex hiſce titulis Cardinales ſuos titulos, & cognomina ſumpſerunt, vti docet Hieron. Platus libro de Cardinalis dignitate, capite ſecundo.

Obſeruandum per id temporis vſum fuiſſe lapides, & columnas in honorem alicuius erigere, & nuncupare, hoc eſt, nomina imponere, ſicut legitur tum apud Chronici Alexandrini authorem, tum apud Cedrenum. Hic de Thuro Nini Regis ſucceſſore locutus, τούτῳ τῷ Ἄρει (nam Martem eum etiam nuncupatum ſcribit) πρώτην ſτήλην ἀνέστησαν οἱ Ἀσσύριοι, καὶ ὡς Θεὸν προσκυνοῦσι, Βαὰλ ὀνομάζοντες, ὃ ἑρμηνεύει) Ἄρης πολέμων Θεός. *Huic Marti primam ſtatuam erexerunt Aſſyrij, & eum vt Deum adorarunt, nuncupantes eum Baal; quod interpretatur Mars Bellorum numen.* Tantumdem eiſdem penè ſyllabis, tradit alter. Præterea hic titulus erectus à Iacob in teſtimonium fuit voti, & quaſi pacti cum Deo ex promiſſione. His autem titulis nihil inſcribebatur, ſed tantùm erigebatur ſaxum, aut cumulabantur lapides, vt apparet ex pacto inter Iacob & Laban iis cæremoniis celebrato, quæ in capite trigeſimo primo Geneſis enarrantur, vbi dixit Laban: *Ineamus fœdus, vt ſit in teſtimonium inter me, & te. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum, dixitque fratribus ſuis: Afferte lapides; qui congregantes, fecerunt tumulum, comederúntque ſuper eum; quem vocauit Laban Tumulum teſtis: & Iacob, aceruum teſtimonij, &c.*

Sepulchrum etiam Rachel nullâ inſcriptione nobilitauit Iacob, ſed fornice erectâ, & deinde duodecim ſuper tumbam lapidibus pro numero filiorum Iſraël, vti Brocardus, & Breidembachius teſtantur. Qui tamen modò fortaſſe non extant, cùm

Cotouicus

Cotouicus eorum non meminerit, qui sic describit hunc Rachelis titulum libro secundo, capite decimo: *Sepulchrum Rachelis vxoris Iacob Patriarchæ integrum adhuc, & quod mireris omninò illæsum, id totum lapideum quadrata forma opus est, quatuor ornatum columnis, seu pilis lapideis quadrangularibus, quæ arcuato opere iunctæ, arcus totidem constituunt testudine rotundâ superimpositâ. Inter quas medio solo affixa hæret tumba lapidea, calce vndique oblita altitudinis pedum sex, longitudinis septem, latitudinis trium cum dimidio, cuius superior pars in rotunditatem desinit. Iuxta hanc duo alia videntur sepulchra eiusdem formæ, minora tamen, tumbisque vacua.* Diuinitùs quoque illustratus videtur, nam inueniuntur (quod Adrichomius notat) iuxta sepulchrum lapilli quidam omnino oigri, quos colligunt peregrini. Dicuntur enim conducere mulieribus ad faciliorem partum. Neque est necesse omnia sepulchra apud Hebræos inscripta, cùm Mausolæum, & titulum Machabæorum à Simone erectum, non literis, sed effigiebus notatum legamus: *Ædificauit Simon super sepulchrum patris sui, & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retrò & antè. Et statuit septem pyramides, vnam contra vnam patri, & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam æternam: & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* Hæc omnia quæ diximus de priscis Hebræorum monumentis, seu titulis sine scriptura confirmat Iosue factum; de quo dicitur capite quarto suæ historiæ: *Vocauitque Iosue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israël singulos de singulis tribubus, & ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Iordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris iuxta numerum filiorum Israël, vt sit signum inter vos. Et quando interrogauerint vos filij vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides? Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: idcircò positi sunt lapides isti in monimentum filiorum Israël vsque in æternum.* Tituli autem, qui in Leuitico prohibentur, erant, vt Radulphus notat, statuæ, quod & Hebræum nomen significat, quas interdictas puto, ne pronus idololatriæ populus superstitiosè eas coleret. Sixtus quoque Seoensis ait: *Interdum titulus in sacris Literis idem est quòd statua, simulachrum, & imago ob venerationem, & cultum alicuius hominis posita.* Huiusmodi titulus erectus fuit Thuro Nini successori, vt ex Cedreno protulimus.

1. Machab. 13.

Cap. 26.

CAPVT VIII.

De ignominiosis titulis Hebræorum sine inscriptione.

Explicatur locus Prouerbiorum, quis sit aceruus Mercurij, & Mercolis fanum.



EVVAT hîc de aceruo Mercurij dispicere nonnihil, postquàm de aceruo testimonij & lapideis titulis egimus. Vt inde etiam magis confirmemus congeries lapidum potuisse sine scriptura titulos, & monumenta multarum consignari rerum. Cur non sine inscriptione aceruus lapidum à Iacob, & Laban fœderis titulus esset, cùm sola collectio lapidum apud Iosue fuerit monumentum diuisi Iordanis, & aceruus Mercurij, siue inhumati cadaueris crederetur titulus improperij? si ignominiæ causâ rumulus erigebatur, cur non & honoris titulus institui agraphus lapis potuisset? Hoc monstrabo hîc collectos olim lapidum aceruos in ignominiosum sceleratorum hominum titulum. Quorum vestigium hactenus perennat in Absalonis titulo, de quo Cotouicus capite decimo secundi libri scribit: *Sepulchrum Regium profectò & egregium opus, ordinis Dorici columnis, duplicique coronide, ac pyramidali fastigio decoratum totum ædificium ex perpetua rupe concisum, triginta circiter pedes altitudinis continet. Absalonis id esse asserunt, ab eodem dum viueret ædificatum, licèt posteà in illud illatus non fuerit,* &c. *Peringens aceruum lapidum monumentum cingit; eius causam sciscitantibus nobis retulerunt Franciscani, Mahumetanos prætereuntes, lapides in sepulchrum inicere, ac hominis impietatem, quod vitæ patris insidiatus fuerit his verbis execrari: Maledictus Absalom, quique in parentes sæuiunt, maledicti æternùm.* Similes aceruì lapidum erant ignominiæ monumenta, & infamiæ tituli, ad quos reputo allusisse Salomonem, cùm dixit vigesimo sexto Prouerbiorum capite: *Sicut qui mittit lapidem*

in aceruum Mercurij, *ita qui tribuit insipienti honorem.* Quod vt magis illustremus, & acumen huius comparationis pertingamus, obseruanda aliqua sunt. In primis moris fuisse antiquis inhumatos homines, maximè sceleratorum cadauera immissis lapidibus sepelire, & multis hoc ignominiosum fuisse. Quem ritum aspexit Petronius, cùm in Satyrico dixit: *aut præteriens aliquis translatitiâ humatione lapidabit*, sicut & Horatius primo Carminum:

At tu Nauta, vaga ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato
Particulam dare, &c.

Et paulò pòst:

Quamquam festines (non est mora longa,) licebit
Iniecto ter puluere curras.

Lib. 5. c. 3. Valerius Maximus de Phocione, cùm relinqueretur insepultus, dicit, *Post obitum nullam Atticæ Regionis glebulam inuenit.* Cui Ælianus concinit libro quinto variæ historiæ: *Lex erat Attica: qui insepulto corpori hominis occurreret, vt in illum mitteret terram.* Dionysius Halicarnasseus libro tertio loquens de Horatia, inquit: *Transeuntes illam proiectam in loco quo corruit lapides inferentes, & terram, humarunt.* (Cap. 14.) Hoc enim genus sepulturæ multis rationibus, & sigillatim Hebræis, ignominiosum fuit, atque in homines execrandos, aut in eorum sepulchra lapides mittebant maledicti, & execrationis causâ. Spartianus scribit in Pescenio Nigro: *Cùm Iulianus Imperator appellatus esset, isque iussu Seueri, & Senatorum interfectus, Pescenio Nigro ob Iuliani detestationem primis imperij diebus ita fautum est à Senatoribus, qui & Seuerum oderant, vt inter lapidationes, execrationésque omnium vni illi feliciter optarent.* Virgilius in Epigrammate de latrone Balista canit:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Euripides in Electra:

—— ἐνθρῴσκει τάφῳ
Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρός.
—— *insultat sepulchro*
Lapidibusque pulsat lapideum monumentum patris.

Homerus in tertio Iliados:

Λάϊνον ἕσσο χιτῶνα, κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔοργας.
Lapideam induisses tunicam propter mala, quæ patrasti.

Significatur lapidationis pœna & tumulus. Similiter & Nonnus Panopolita cecinit:

Ὄφρα σε πετρήεντι κατακρύψωσι χιτῶνι.
Vt te lapidosâ occultarent tunicâ.

Propertius quoque canit:

—— *Scabris hoc bustum cædito saxis*
Mixtáque cum saxis addice verba mala.

Et licet diuerso sensu, Ammianus eòdem alludens dixit:

Εἴη σοι κατὰ γῆς κούφη κόνις οἰκτρὲ Νέαρχε,
Ὄφρα σε ῥηιδίως ἐξερύσωσι κύνες.
Sit tibi terra leuis Miserande Nearche, voraces
Effodiant tua quo promptius ossa canes.

Propter hunc ritum grauandi sepulchra lapidibus, execrationis ergò, dixit Tertullianus capite quarto de testimonio animæ: *Quid quod vt sentientis maledicis, memoriam cum alicuius offensâ morsu facis. Terram grauem imprecaris.* Et tabula marmorea apud Gentilem Delphinium scriptum habebat, *Rogo, vt discedens, terram, mihi dicas leuem.* Similem vsum sceleftorum cadauera lapidibus immissis sepeliendi apud Hebræos fuit. Capite septimo Iosue dicitur de sepultura Acham execrati à populo Israël: *Congregauerúntque super eum aceruum magnum lapidum, qui permanet vsque in præsentem diem.* Atque in (Cap. 8.) secundo Regum libro: *Tulerunt Absalom, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* Igitur ad hos aceruos, & tumulos lapideos puto respexisse Salomonem: nam in Hebræo est pro aceruo *Margemah* ex verbo רגם *ragam*, quod significat lapidare, seu obruere lapidibus, denotans aceruum, quod ex lapidatione consurgit, vbi aliquis lapidibus manet obrutus & sepultus: Porrò lepos, & gratia comparationis in hoc est, quoniam id quod aliis honori esset, insipienti est ignominia. Sicut enim sepultura aliis est ad honorem, sceleratis tamen cùm immissis, & aceruatis lapidibus sepeliuntur, dedecus est, & ad maiorem ignominiam

ignominiam, vti accidit Horatiæ, Acham, Absaloni. Sic etiam ea ipsa dignitas, quæ aliis concessa gloriæ, & authoritati esset, in Sanctos collata, maiori contemptui est, & in maximum dedecus vertetur. Itaque confirmat hîc Salomon, quod capite tertio dixerat: *Stultorum exaltatio ignominia.* Nam id ipsum, quod aliis est honos, stultis non nisi onus est, & graue pondus: in quam rem apposite Philippus Abbas libro de dignitate Clericorum, capite secundo dixit: *Non decet, vt qui dignitatis Ecclesiasticæ fastigio, non etiam lumine sanctitatis coruscent, cùm dignitas potiùs oneri, quàm honori habeatur, si non sanctitatis adminiculo fulciatur. Priuati quippe cuiuslibet opera, si peruersa fuerint, vel fortè delitescunt, vel paucis innotescunt; qui verò præeminet dignitate, nullum inuenit latibulum operibus arguendis: quia ipsa dignitas profert lumen pudendis; quod attestans vir prudens ille Boëtius: collata, inquit, improbis dignitas non modò non efficit dignos, sed prodit potiùs, & ostentat indignos.*

Nos quoque respicientes hunc Salomonis locum, sic lusimus in Gnomoglyphicis:

Corpora collatis glebis scelerata sepulchro
Condit viator obuio.
(O dirum pietatis opus) qui vindice corde
Prece & manu terram grauat!
Funus id Absalom, turpique Horatia tymbo,
Meruère sceleribus sacrum.
Quæque decora probis, his probro vertitur vrna
Mercurij in aggere Cthonij.
Sic productus honos, onus est, inhonestus ineptis,
Infame onus, grauis & honos.

Hæc quidem expositio iuxta Hebræum genuina videtur, vbi abest vox *Mercurij*; addita tamen à vulgato est, quia posterioribus sæculis omnes aceruí lapidum in agris, & viis, iuxta quas sceleratorum cadauera solebant iacere, & humari tunicâ lapideâ, vt Homerus loquitur, acerui Mercurij dici cœperunt, nec incongruè: nam Mercurius Deus feralis, & præses mortuorum habebatur. Propterea dictus χθόνιος. Sic Tragicus Poëta inducit Aiacem necem sibi præparantem, & dicentem:

Τοσαῦτά σ' ὦ Ζεῦ προτρέπω· καλῶ δ' ἅμα
Πομπαῖον ἑρμῆν χθόνιον ἔν με κοιμίσαι,
Ξὺν ἀσφαδάστῳ καὶ ταχεῖ πηδήματι,
Πλευρὰν διαῤῥήξαντα τῷδε φασγάνῳ.

Hæc te, ô Iuppiter, deprecor, voco autem simul
Emissorem Mercurium terrestrem; bene me soporare
Cum immobili, & celeri saltu
Latus aperientem hoc gladio.

Præterea Hamerus censet quoscumque cumulos lapidum dictos aceruos Mercurij. Quapropter non est necesse sic strictè sumere aceruum Mercurij, vt ad illos solos aceruos alluderet Salomon, quos in honorem Mercurij, nescio ob quas fabulas cumulabant Ethnici, & vocabant ἕρμακας, *Hermacas*, nam fidelis Hebræorum populus cùm Prouerbia scripsit Salomon, similes superstitiones ignorabat. Minus fundamentum est, quod alij putarunt respexisse ad cumulos calculationum: nam eos appellari aceruos Mercurij apud nullum classicum antiquitatis authorem reperio. Quare timidè sub hac allusione locum Salomonis interpretatur Ioannes Saresberiensis dicens: *Ego sapientiorum veniâ impetratâ aceruum credo Mercurij, in quo consistit ratio calculandi, quia Mercurius numen eorum est, qui negotiationem exercent, & ratiocinijs suis diligenter inuigilant. Mittere ergo lapidem in aceruum quo regitur ratio calculandi, est totam turbare calculi rationem, & honorem conferre insipienti, est Reipublicæ subuertere viam. Et impossibile est vt alios vtiliter regat, quem proprius subuertit error: ait enim, vbi non est gubernator, populus corruet. Et alibi, Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates habitabuntur per sensum prudentum.* Hactenus ille. Lib. 4. de Nugiscur. cap. 7.

Sciendum tamen est adagium Hebraicum fuisse, *Spargit lapidem in Mercolis*, quod obseruat Ioannes Sedenus, apud quem Rabbi Nathan author Baal Aruch ex Gemara capitis *Rabbi Ismael*, in libro ¡y Talmudis: *Lapides fani Merkolis sic dispositi erant, vt vnus hinc, alter illinc, tertius super vtrumque collocaretur.* Alius à Ioanne Drusio citatus Decuriâ 8. Adag. Syntag. 2.

8. Adag. Hebraic. 6. *Merkolis binis lapidibus sibi mutuò adiacentibus, tertius lapis imponebatur,* quod habetur in Sepher Æmana cap. 20. sed de Merkoli plura occurrunt in Talmude. Habetur pag. 49. in editione Veneta. nam in Basileensi deest totus ille liber. Meminère etiam huius & *λιθοβολίας* Rabbi Moses Ben-maimon in Misnah Torah lib. 1. part. עלי□ם, id est, de cultoribus stellarum capite tertio. Et Elias in Thisbi. Margemah autem à רג□ם, Ragam, id est, *lapidibus obruit*, deduci volunt, qui ibi *Merkolis* intelligunt, & lapidum iactum interpretantur. Et Rabbi Nathan loco iam citato עברת ד□, inquit, רגימת אבני□ם, *cultus eius est lapidum iactus*, seu *Ragemath*, cui Margemah cognatum esse volunt. Si cui minus placeat isthæc nostra circa aceruum Mercurij sententia, aliam eruditissimè dissertatam suppeditabit D. Laurentius Ramirez de Prado in florido Pentachontarchi sui opere.

CAPVT IX.

Zoroastris incerti libri.

PORRO' de Zoroastris libris magicis nihil amplius necesse est dicere, quàm quæ de libris Cham statuimus. Si sanctum Clementem Romanum consulamus. Is libro quarto Recognitionum, vbi de diluuio loquitur, sic ait: *Omnes qui erant super terras deleti sunt; exceptâ Noe familiâ, qui cum tribus filijs, eorumque vxoribus superfuit, ex quibus vnus Cham nomine. Cuidam ex filijs suis, qui Mesraim appellabatur, à quo Ægyptiorum, & Babyloniorum, & Persarum ducitur genus male compertam Magicæ artis tradidit disciplinam. Hunc gentes, quæ tunc erant, Zoroastrem appellauerunt: admirantes primum Magicæ artis authorem, cuius nomine etiam libri super hoc plurimi habentur.* Hæc ille. Petrus Comestor etiam scribit in historia Scholastica, Cham filium Noë ab antiquis Zoroastrum appellatum inuenisse artem Magicam, & septem liberales artes, eásque in quatuordecim columnis scripsisse, septem æneis, aduersus aquarum alluuiones, septem verò lateritiis aduersus ignis incendia, in illis quoque fragmentis quæ Beroso Chaldæo adscribuntur, ita legitur: *Noa filium habet Chem, qui Magicæ professioni, & veneficijs semper studuit, vnde & Zoroastres nomen assecutus est.* Quare quod de Cham censuimus, idem de Zoroastre existimandum est. Deinde si libros ipse scripsisset aliis literis quàm hieroglyphicis signis, Ægyptij, & Babylonij eius successores eas nouissent; qui tamen feruntur solis Hieroglyphicis literis olim vsi. Prætereà multi Zoroastris nomine fuêre appellati: potuisset aliquis posterior Moyse author illorum librorum esse: nam Xantus Lydius à Zoroastre vsque ad Xerxis descensum sexcentos tantùm annos enumerat. Et Agathias in secundo historiarum suarum in hunc prope modum scripsit de Zoroastre. Huius tempestatis Persæ vetustos mores mutauêre, alienisque legibus vtuntur ex Zoroastris Oromasdæi disciplinis. Hic, inquam, Zoroastres, siue Zarades, duplici enim vocitatus est cognomine, quo tempore Princeps fuerit, legésve tulerit, non satis constat. Nam Persæ ipsi nostri temporis, Hytaspis temporibus eum floruisse tradunt. Quam ob causam res planè ambigua est, nec facilè dignosci potest, an Darij pater, an alius quispiam hic fuerit Hytaspes; vtcumque hic Persarum Magister, & Magicæ inuentor. Hæc fermè Agathias. Quin & fieri potuit quemadmodum feruntur Mercurij Trimegisti nomine aliqui libri, qui valdè recentiores sunt, vt Goropius Becanus, & Doctissimi Criticorum autumant, circumferri quoque Zoroastris nomine libros aliorum auctorum fictitiâ vetustissimi Zoroastris inscriptione. Quare non mirum Eusebium Cæsariensem, licet inuentionem literarum Moysi tribuat, citasse verba ex Zoroastris libris. Censuit quippe idem quod nos suspicamur.

CAPVT X.

Quæ Idola Laban furata Rachel?

Quid sit Teraphim quorum vsus ad diuinandum sine scripto fuit.

TERAPHIM autem, siue idola, quæ furata est Rachel, non est opus putare aut inscripta fuisse, aut in eorum vsu aliquid conscriptum; non enim erant capita occisorum, sed imagines superstitiosæ ad stellarum obseruantiam ex metallo fabricatæ, à quibus futurorum oracula requirebantur. Quæ consultatio à diuersis gentibus, & pro diuersis temporibus diuersimodè fieri poterat. Neque enim est necesse affirmare fuisse idola, quæ solùm adorarentur: nam alius Teraphim vsus indicatur in Scriptura, nimirum esse imagines, quibus ad diuinationem, & futurorum prænotionem superstitiosi vtebantur. Quod satis infertur ex aliquot locis, quibus de Teraphim agitur: Capite decimoseptimo Iudicum dicitur de Micha: *Fecit Ephod & Teraphim, & vestem sacerdotalem, & idola:* vbi idola solum adoranda distinguuntur à Teraphim. Et capite sequenti, exploratores Donatistarum rogauerunt ministrum Michæ, vt consuleret Dominum, in Teraphim nimirum, & Ephod, vt scire possent an prospero itinere pergerent. Apud Ezechielem capite vigesimoprimo: *Stetit Rex Babylonis in binio in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas interrogauit idola:* hoc est, Teraphim. Zacharias quoque dicit capite decimo: *Quia simulachra* (Teraphim) *locuta sunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustrà.* Imò ipse Laban videtur vsus Teraphim ad responsa inde captanda; idcircò tam breui nouit deesse sibi, cùm fugeret ab eo Iacob cum tota familia. Voluit quippe ab iis idolis, hoc est, Teraphim requirere quò diffugerat Iacob. Imò Rachel hac etiam causâ furata est Teraphim, ne à Patre inuenirentur: indicat Zacharias, & Ezechiel loquuta ea idola, id est, Teraphim. Fortasse erant, sicut aliqua simulachra fuerunt olim in Hispania fabricata à Mauris cum obseruatione superstitiosa syderum, quæ responsa dabant, & celebre fuit caput æneum Tabaræ Iudæos voce intentâ publicans, cùm oppidum ingrederentur, de quo disputauit Abulensis, & nos in libro primo de occulta Philosophia, capite septuagesimosecundo. Simile caput fertur Gerebertus ille Rhemensis primùm, deinde Rauennæ Archiepiscopus, & posteà Pontifex maximus Syluester Secundus dictus, à Saracenis Hispaniensibus, idque ad humanæ curiositatis satietatem edoctus, in oraculum sibi conflauisse. G. Malmesburiensis de gestis Regum Angliæ II. cap. 10. de Gereberto scribit: *Fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput, certâ inspectione syderum; cùm videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum, vel affirmatiuè, vel negatiuè pronuntiaret. Verbi gratiâ, cùm diceret Gerebertus, Ero Apostolicus? Responderet Statua, Etiam. Morior antequam cantem Missam in Ierusalem? Non.* Sed responso, de mortis tempore, deceptus est, cogitauit enim ille vrbem Ierusalem. Oraculum autem sacras ædes sic dictas Romæ voluit. Illic, postquam Dominicâ, cui titulus *Statio ad Ierusalem*, Pontifex ille oraculi mentem non assecutus sacra celebrasset, fato moriturum se statim cognouit, & pœnitens obiit, quemadmodum Platina scribit, qui & Hispali doctum iis artibus affirmat. De iisdem statutis loquitur Trimegistus in Asclepio: *Humanitas semper memor humanæ naturæ, & originis suæ in illa diuinitatis imitatione perseuerat, vt sicut Pater ac Dominus, vt sui similes essent, Deos fecit æternos; ita humanitas Deos suos ex sui vultus similitudine figuraret. ASCL. Statuas dicis, ô Trimegiste? TRISM. Statuas ô Asclepi? Vidésne quatenus tu ipse diffidas? Statuas animatas sensu, & spiritu plenas, tantáque facientes, & talia. Statuas futurorum præscias, ea quæ fortè omnis vates ignoret, in multis & variis rebus prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, eâsque curantes, tristitiam, lætitiámque pro meritis.* Has imagines aureas faciebãt vetustissimi Oriẽtalium Zabij, siue Chaldæi, ex quorum libris plurima retulit R. Moses Ægyptius; item & argenteas effigies: has Lunæ, illas Soli dicabant. *Et ædificauerunt palatia.* Scribit ille in *More Nebochim* libro tertio, capite trigesimo: *Et posuerunt in eis imagines, & dixerunt, quod splendor potentiarum stellarum diffundebatur super illas imagines, & loquebantur cum*

hominibus, & annuntiabant eis vtilia. Et quia essent idola Laban ex auro, aut argento, furata est illa Rachel, vt hac viâ saltem ex parte compensaret damnum dotis sibi iniustè à Parente defraudatæ; nam paulò antè Rachel, & Lia querebantur: *Nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?*

Quæ de diuinatione per sagittas produximus, parum negotij facessunt, cùm multa sæcula post Laban & Moyses eâ superstitione Babylonius Rex fuerit vsus. Neque ea quæ de columnis Phœniceis attulimus obstant, satis iam temporis excurrerat à Moyse defuncto. Incertum quoque est, an ex columnæ statim post fugam à Iosue scriptæ fuerint, an post aliquot annos. Historiam illam de epistola Persarum, & Medorum missâ ad Iosue, figmentum Rabbinicum putabit rerum æstimator æquus, quod magis ostendunt ea quæ de victoria Iosue inuadente Regem Schobach Armeniorum, & Reges Persarum, & Medorum subiiciũt illi Rabbini Abraham, & Godolias, quæ vt magis suspectam monstrem, illam narrationem transcribam, sic se habent: *Postea surrexit Iosue cum duodecim millibus fortium robore, ac intra sex dies ad illos profectus est. Cúmque videret exercitus ordinem, ipse Schobach vehementer admiratus est; mater eius malefica erat Naga, quæ illis dixit: Ne timeatis, quia intra septem ferreos muros includam Israëlitas istos, vt nesciant locum vbi sint. Faciebat autem illa suas incantationes, ac præstigias, & conclusit illos intra muros septem. Quod cùm videret Iosue, clamauit corde suo ad Dominum, cepítque in animo suo consilium, & scripsit ad Ianiach è tribu Ruben, qui erat Rex super duas tribus, & vnam dimidiatam, quæ trans Iordanem, vt suis cum copiis veniret, adduceréique Sacerdotem Phinees, qui clangoris tubas in manu haberet. Venit autem ad Iosue sub tempus vespertinum columba vna, & alligauit Iosue hoc, quod scripserat sub illius alis. Surrexit autem columba, & abijt ad Ianiach, qui eam cùm vidisset, apprehendit eam alis, & epistolam accepit, eâque lectâ, surrexit in loco suo, clamoréмque sustulit magnum, & equo suo vehens clamauit in totis castris suis, Gladius Domino. Et ex omni parte congregati sunt ad eum, & misit, ipsúmque Phinees vocauit. Vnà verò profecti sunt ambo, & cùm vidisset Sobachi mater copias istas, dixit filio suo: Vidi ascendentem ab Oriente stellam, & non est sapientia, neque consilium in sapientia mea, quia coacta sum vires ante stellam illam prohibere. Id cùm audiuisset filius eius Sobach, valde iratus est, & præcepit eam è muro deijci. Venit autem Ianiach, & aciem instruxit aduersus Sobach, ipsúmque interfecit. Venit verò & Phinees ad clangendum tubis: & in ipso clangore disrupti, seu patefacti sunt muri, primò vnus, deinde alij omnes. Et egressi sunt* (Israëlitæ nimirum, qui muris anteà Magicè inclusi fuerant) *& eos, qui oderant ipsos, interfecerunt omnes vsque ad me vnum, qui superstes ijs fui reliquus, & euasi. Dixit autem Samuel Scholem: & ego rei huius inueni signum in versu; donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut & vobis dedit.* Finis.

Quis hæc credat figmenta? Neque fidem magnam meretur quod *Seder Holam* refert de septem linguis, quibus lex scripta in duodecim lapidibus erectis Iosue iussu. Multum dubitari potest, quænam illæ septem linguæ? Deinde ad quid eiusmodi lex scripta? Neque improbabile iam tunc temporis communicatum literarum inuentum aliis nationibus. Tandem Hebraicis literis possent verba septem illarum linguarum exarari.

CAPVT XI.

Dabir cur vocata Cariath-sepher, *hoc est, ciuitas literarum. An à Phœnicibus, vel Hebræis id nomen obtinuit?*



NVnc dicamus cur Dabir, seu Iabir priùs diceretur Cariathseima, & Cariathsepher, hoc est, ciuitas literarum. Fateor Ioannem Annium super Xenophontis æquiuoca primam totius orbis vniuersitatem censuisse: Massius putat ibi fuisse archiuum in quo multa vetustatis monumenta fuissent post diluuium seruata, cuius rei argumentum aliqui sumunt ex vicina Hebron, in qua primi homines habitarunt. Est enim Hebron vrbs proxima Dabit, & antiquior fertur annis septem vrbe Tani Ægyptiorum, ac proinde habita est aliquibus vetustissima vrbium. Tum quoniam *Dabir* locum secretum significat, qualia requirebantur à Græcis Grammatophylacia, & archiua. Petrus Comestor mauult sic nuncu- Cap. 11.

patam,

patam, quoniam eius vrbis ciues essent scriptores. Lyranus putat appellatam *Dabir* ciuitatem literarum, quia ibi vigebat fortè alicuius doctrinæ studium inter Chananæos, vel viguerat ante hoc: & sic congruè vocari possunt *Cariatsepher* omnes ciuitates, in quibus magna studia florent. Vel vocatam *Cariatsepher*, id est, ciuitatem literarum, quia literæ gentis illius in ciuitate illa repertæ fuissent. Nam sicut idiomata multa sunt, ita & multiplices literarum characteres apud gentes varias, quanquam non tanta characterum varietas, vt idiomatum sit; literæ autem gentis Chananæorum fortassis à literis aliarum gentium, id est, characteribus, & sono discrepabant. Sicut Latinorum, Græcorum, & Hebræorum non sunt eædem in sono literæ, nec in figura similes.

Hebræi autem eam illius nominis causam reddunt, quæ nobis licèt non probetur, fauet prorsus, quæ tametsi impugnetur à Nicolao Lyra, propugnatur ab Abulensi, qui sic ait: *Circa hoc dicunt Hebræi, quod ista ciuitas dicitur Cariatsepher, id est, ciuitas literarum, vel ciuitas libri magis propriè, quia post mortem Moysi in planctu eius deleta sunt aliqua capitula de libro legis. Othoniel autem facto in se spiritu Domini renouauit ista, quæ deleta erant, & ob hoc ciuitas Dabir, in qua ipse habitauit, quia cepit eam: vocata est Cariatsepher, id est, ciuitas libri, quia ea, quæ in libro legis deleta erant, ipse restaurauit ibidem. Nicolaus arguit contra hoc, quia repugnat litera ista positio: nam dicitur hic: venit ad habitatores Dabir, quæ priùs vocabatur Cariathsepher: Ergo non fuit positum nomen istud ex aliquo, quod fecerit Othoniel in vrbe hac; quia tunc deberet litera è contrario stare, scilicet venit ad habitatores Cariathsepher quæ priùs Dabir vocabatur. Hoc satis confirmari potest Iudic. 1. cùm dicitur, venit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Cariatsepher. Antiquum erat nomen hoc in ea Cariatsepher. Dicendum est positionem Iudæorum esse fictitiam, scilicet, quod aliqua capitula de libro legis deleta fuerint in planctum Moysi, quia non videtur ad hoc aliquis rationabilis modus, scilicet, ad quid lex deleri deberet, vel quomodo deleretur? quia si istud fieret, miraculosè fieret: nam Moyses totam legem scripserat, & fecerat reponi Deuteronomium legis in arca ante mortem suam, Deuteronom. 31. cap. Si ergo deleretur, oportebat quod in libro illo deleretur, & fieret miraculosè, quod non est concedendum, quia Deus non facit miracula sine causa multùm rationabili, & necessaria ad aliquid. Hoc autem satis fatuum erat, hoc tamen non obstante, redargutio Nicolai contra Iudæos non stat, cùm dicit, quod non fuit impositum Cariathsepher post Othonielem, sed ante eum iam erat antiquum, & dicendum, quod licèt non constet an Chananæi, vel Iudæi nomen istud imposuerint: tamen non est dicendum, quod priùs referatur hic à Caleb, scilicet quod ista ciuitas, quæ vocatur Dabir, prius, id est, ante Caleb vocabatur Cariathsepher, vel quia iam erat istud nomen vetus, vt patet Iudic. 1. sed referuntur ista ad tempus scriptoris, scilicet quod Dabir vocabatur priùs Cariathsepher, scilicet tempore Caleb, vel paulò ante eum, & posteà etiam vocata est sic ciuitas, & sic eam vocauit Caleb, sed tempore Samuelis scriptoris libri huius non vocabatur sic terra illa, sed Dabir; ideò dicitur quod erat antiquum nomen eius Cariathsepher, scilicet in tempore Caleb, & Othonielis.* Hactenus ille.

Liber enim Iosue non constat ab eo scriptus, an ab alio fuerit post eum. Tum licèt scriptum ab eo demus, negari non potest quin vel Samuel, vel Esdras nonnulla illius libro addiderint Quare haud efficax argumentum potest sumi ex asserta in illo antiquitate *Cariathsepher*, cùm referri posset ad tempora Samuelis, non Iosue, vel Othonielis. Accedit nomen *Cariathsepher* Hebraicum esse, non Chananæum; quare non ante Hebræorum ingressum videtur illud nomen obtinuisse.

Nihilominus quid obstat eam antiquitatem ad tempora referre Iosue, dum de Hieroglyphicis Phœnicum literis, non verò Alphabeticis eius vrbis nomen interpretemur. Et sic potest credi ciuitatem literarum ante Hebræos à Phœnicibus vocatam *Cariathsepher*, vt Abulensis obseruat, non quidem his ipsis vocibus, sed aliis Chananæi idiomatis idem tamen signantibus; Iudæi autem cùm venerunt in terram promissam, scientes nomen vrbis, quid signaret in sermone Chananæo, imposuerunt aliud nomen in lingua sua, quod idem signaret, istud fuit *Cariatsepher*. Nomen autem quo Chananæi vocabant vrbem hanc non patet, nisi quantum ad hoc nomen *Dabir*, & sic aliquando fit, vt duæ gentes imponant rei duo nomina idem signantia, & quælibet gens secundùm proprietatem linguæ suæ: sic patet de Iacob & Laban, quia quando confœderati sunt super montem Galaad ponentes cumulum lapidum quasi in testem, vocauit eum quilibet secundùm proprietatem linguæ suæ. Iacob vocauit montem Galaad, quod interpretatur aceruus testimonij. Laban verò posuit nomen Syrum terræ Mesopotamiæ, quod signat cumulum testis, vt patet Genes. 31. cap. Et sic non stabit aliquod inconueniens. nam verum erit, quod Chananæi posuerunt

nomen vrbi suæ, vocantes eam ciuitatem literarum, vel vrbem libri, & hoc multò tempore antequam venirent Israëlitæ in terram Chanaan. Tamen istud nomen *Cariathsepher* non posuerunt ipsi. Sed posteà venientes Israëlitæ, posuerunt secundùm conditionem linguæ suæ, quia nomen Chananæum positum vrbi hoc signabat: Caleb autem quando loquutus fuit de vrbe *Dabir*, loquutus fuit secundùm linguam suam, vocans eam *Cariathsepher*.

CAPVT XII.

Sibyllina oracula hodie corruptißima, & supposititia sæpè.



ERGO ad Sibyllarum scripta. Quæ nunc extant, impura, & corruptissima video. Quocirca parum fidei apud Doctos obtinebunt, & nihil asserto derogabunt nostro: nam vt Opsopæus notauit, tempus, ordo, dictio, & res ipsæ horum oraculorum auctoritatem eleuare videntur. Nam si ætatem Sibyllarum, quâ vixerunt, consideremus, & Iustino Martyri, Tatiano, Clementi Alexandrino, Eusebio, cæteris denique Ecclesiasticis scriptoribus credimus, nulla Sibylla Mose prior fuit. Quomodo ergo quædam Sibylla libro tertio de Moyse vaticinari, quomodo diluuium prædicere, quomodo vnà cum Noë in arca esse potuit? ait enim se cum suo marito, cum socero, & socru, cum leuiribus, & gloribus in vndis tempore diluuij fuisse iactatam, quod ipsum auditu insolens, & à nemine hactenus proditum est. Sin Sibyllæ plus quàm illis credimus, oracula hæc conscripta sunt mille quingentis annis post Græcorum imperium, vt patet ex illis versibus:

Mille anni, atque aliæ sunt penthecatontades, ex quo
Græcorum Reges, Regnum tenuère superbi.

Incertum quidem est, quodnam Græci Imperij initium statuat Sibylla: sed vndecumque illud sumatur, siue ab Argiuorum, siue à Sicyoniorum, siue ab Atheniensium Regno; de Mose, de Regno Salomonis, de Imperio Macedonico, de quatuor Monarchiis vana Sibyllæ vaticinia erunt, vtpote post res gestas prolata. Quod si post Mosem demum Græcorum Regnum cœpit, versibus istis multò minùs auctoritas sua constabit. Nam ab exitu Mosis ex Ægypto vsque ad vltimam politiæ Iudaicæ destructionem sub Vespasiano numerantur mille quingenti octuagintaduo anni. Et certè vt plurima ex istis oraculis post Christum conscripta esse videantur, triplici causâ diiudicari poterit. Vna, quia libro qointo asserit Sibylla se alterum incendium ædis Vestalis vidisse. Hoc autem, teste Eusebio in Chronicis, contigit anno Domini CXCIX. sub Imperatore Commodo: quo non modò ipsa Vestæ ædes, sed etiam palatium, & plurima vrbis pars solo coæquata sunt. Nam primum incendium fuit Olympiad. CXXXIV. Altera, quia circa Antonini Pij, & Commodi tempora innotescere, in vulgus efferri, & à scriptoribus eius ætatis citari cœperunt ista vaticinia Sibyllina anteà ignota. Accedit, quod vltra Commodum non extendatur, quippe post Adrianum tres Imperatores (id est, Antoninum Pium, Aoton. Philosophum, & Commodum) regnaturos libro quinto, & libro octauo: & tunc tempora finem habitura esse scribitur. Tertia, quia video opiniones nonnullas post Christum demum à Christianis excogitatas, hisce libris insertas esse. Impios post aliquot sæcula ex æter-
Lib. 21. de ciuit. c. 17. no supplicio liberatum iri, sententia est Origenis, vt docet Augustinus, & Neronem in vigore ætatis subtractum & occultatum suo tempore reuelatum iri, & Antichristum fore suspicio fuit nonnullorum orta ex dicto Pauli ad Thessalonicenses. My-
Lib. 20. de ciuit. c. 19. sterium iniquitatis iam operatur, vt idem Augustinus tradit libro vigesimo de ciuitate Dei. Vnde non leuis suspicio oracula ista à quodam opinionibus illis imbuto potiùs quàm à Sibylla concinnata fuisse. Hæc de tempore. Sed & ordo ipse multum Sibyllinis libris detrahere videtur. Sibyllæ carmina, vt Iustinus refert, sunt inconcinna, obscura, mutila, ne ab ipsa quidem intellecta, quia cum furore quodam effusa: ita vt prouerbio locum dederint, quo rem perplexam, foliis Sibyllæ obscuriorem esse dicimus. At nostri libri Sibyllini, etsi metri ratio interdum claudicet, ferè perpetuum rerum ordinem seruant; in primo de mundi creatione & ætatibus, de Noë, de diluuio, eâ serie quâ in Genesi: in tertio de Saturno, & Titanibus, de Mose, de lege,

lege, de Babylonica captiuitate; in quarto de quatuor Monarchiis; in quinto de rebus gestis quindecim Imperatorum integræ historiæ contexuntur: ita concinnè denique,& perspicuè omnia referuntur,vt historiæ potiùs quàm oraculi, animi sedati potiùs quàm furoris: perspicuitatis potiùs quàm obscuritatis indicia de se præbeant.His consentit dictio ipsa,siue voces,siue phrases spectemus. Voces partim insolentes,& nouæ sunt,partim è sacris literis & scriptoribus desumptæ,partim ineptis etymologiis offusæ.Phrasis verò,stylus, tota denique lectio , paucis exceptis,parum animi numine afflati spirant,parum impetus, & stimuli diuini præ se ferunt: imò ne quidem Homericam maiestatem attingunt; quod magno indicio est nos veris Sibyllinis carere,illorum siquidem tanta fuerat grauitas,tanta excellentia,tanta venustas, vt Homerus, Diodoro teste, plurimos versus ex Sibyllæ oraculis in sua opera transtulerit. At in nostris hodie vix sex, vel septem hemistichia Homericis similia reperias. Carmina nostra Sibyllina, si verum fateri volumus, maximâ ex parte sibi multum dissimilia,dura,coacta,& ex sacris literis,Orpheo, Hesiodo,oraculis Apollinis,Phocylide,& cæteris gnomicis Poëtis consarcinata videntur.

Venio nunc ad res ipsas in Sibyllinis expositas, quarum pleræque adeò plenè,copiosè,& apertè describuntur,vt vel inde tantùm coniicere liceat,illas non prædictas sed priùs visas,auditas,aut lectas,ita perspicuè recitatas fuisse. Vaticinia alioqui non solent omnibus suis circunstantiis limitari , multo minus nomina propria personarum in illis designari,vt constare potest ex scriptis Prophetarum. Esaias indefinitè prædixit, *Ecce Virgo pariet,& concipiet filium*.At Sibylla nominatim:*Ecce Virgo Maria pariet puerum Iesum in Bethlehem*. Quasi verò Prophetæ minùs instinctu diuino agitati futura prædixerint quàm Sibyllæ:aut quasi nomen Iesu ante Angeli in Euangelio annuntiationem à Sibyllis publicatum fuerit.Christi baptismum in Iordane nullus Prophetarum clarè prædixit: at Sibylla libro sexto: Et Baptismum illum, & Spiritus sancti apparitionem in columbæ specie,multò antè, si credere fas est, præsignificauit. Si ita est,cur non plus Sibyllis quàm Prophetis tribuimus? Sed quicumque istorum Sibyllinorum auctor est, suo se indicio sicuti sorex prodit eùm in historia de Christo, tum in descriptione quindecim Imperatorum Romanorum statim ab initio libri quinti,vbi singulorum nomina & facta ita perspicuè & graphicè tanquam in breuiario quodam referuntur,vt ab historico aliter narrari non potuerint: ne tamen fraus animaduertatur,non integra nomina exprimuntur,sed numeri tantùm, quos primæ seu capitales singulorum nominum literis Græcis designant; vt mera ænigmata videantur. Sed cur non eâdem serie subsequentium Imperatorum nomina similibus ænigmatibus, & gryphis inuoluit? An quia imperio iam defunctorum, & regnantium nomina nota erant, posterorum Imperatorum primæ literæ, & numeri ignoti? Sibylla autem hæc de præteritis & notis vaticinatur. Quod si interdum de futuris loqui velit,ex numeris,qui ex nominum propriorum literis exurgunt,hariolatur; vt cùm prædicit Romam perituram, postquam numerum nominis sui compleuerit. Plura his addi possent. Verùm prudenti hæc satis; vt intelligat iudicium hoc de Sibyllinis libris satis probabilibus rationibus esse suffultum. Quod ne veteribus Ecclesiæ scriptoribus qui Sibyllas frequenter laudant , aliquid detraxisse videatur, hac interpretatione temperabitur. In libris istis hactenus vulgatis aliquot vera Sibyllarum oracula, pauca integra,sed multa deprauata,& interpolata contineri; at reliqua omnia noua,supposititia,ex variis auctoribus comportata, ex euentu composita,in eum quo leguntur hodie ordinem redacta & subinde versibus aliquot adaucta esse.Libro secundo mentio fit agonis Iselastici.Vt verò ex Plinij epistolis constat, Traiani tempore certamina Iselastica instituta,& celebrata fuère, vt suspicio sit eum locum post Traianum conscriptum fuisse. Nero cùm Romam excitato incendio inflammasset, eius criminis inuidiam in Iudæos, & Christianos deriuauit. Quod vt videretur à Sibyllis prædictum, à bono quodam viro versus iste intersertus fuit,

Εἰς ἕδαν ἡμετέρην τόκων ἄστεος ταῦτα προβάλλει.

Clemens , Lactantius,Theophilus, Pausanias,& alij, multa citant ex Sibyllinis, quæ aut non extant in his nostris , aut multùm euariant, & vel verbis, vel versibus integris interpolata sunt. Quæ omnia eò spectant, vt doceant Sibyllina carmina maximam partem esse spuria, pauca legitima. Hæc pauculis exceptis, ex Opsopæo transcripsi, quoniam pro re nostrâ sic laborauit, vt amplius laborare in hoc non sit necesse.

CAPVT XIII.

Inachus non anterior Moyse.

VENIAMVS ad Inachi Argiuorum Regis, & filiæ Io, seu Isidos commentum, & satis est commentum esse inter priscorum fabellas, & Metamorphoses ex potissimis: quare potiùs contemnenda sunt, quàm morâ aliquâ refellenda, quæ exinde obiici possent. Dicimus nihilominus non satis constare Inachum præcessisse Moysem. Nam idem Eusebius, qui in Chronico illum prætulit, eundem postponit libro decimo Præparationis Euangelicæ, capite quarto. Tertullianus quoque in Apologetici decimo nono capite scribit: *Si quem audistis interim Moysem, Argiuo Inacho par est ætate.* Appion quoque ad Inachi ætatem reducit Moysem ex Ptolemæo Mendesino: anterior quoque Inacho est Moyses iuxta Porphyrium, Iosephum, Iulium Africanum, Tatianum, Clementem Alexandrinum, & alios. Pro quibus, & pro multis vnus sanctus Iustinus audiendus est. In admonitione ad gentes sic ait: *Vt enim libentiùs credatis, non tantùm ex sacris historiis nostris vobiscum agam, quibus nondum fidem habetis propter inueteratum errorem hæreditarium, sed & ex vestris, à Religione nostrate alienissimis. Sic fiet, vt sciatis, omnibus vestris sapientibus, Poëtis, Historicis, Philosophis, Legislatoribus, antiquiorem fuisse nostrum Mosem, primum pietatis doctorem, vt liquet ex Græcorum historys. Nam temporibus Ogygis & Inachi, quos quidam è vestris putant terrigenas, Moses fuisse proditur, author Princépsque Iudaici generis. Id enim Polemo narrat in primo libro de rebus Græcorum, & Apion Posidonij F. in suo contra Iudæos commentario, itémque in quarto Historiarum scribens, Inacho apud Argiuos regnante, & Amaside apud Ægyptios, Iudæos ab eis defecisse, & Mosis ductu secessisse. Ptolemæus quoque Mendesius in rebus Ægyptiorum eadem hæc memorat; & cum his Hellanicus Philochorúsque in Æthide, qui scripserant res Athenensium. Prætereà Castor, Thallus, Alexander Polyhistor.* Illud quod Ptolomæus, Hephestion, & Helladius Bizantinus tradidêre Moysen propter Vitiliginem vocatum fuisse *Alpha*, fabulosum prorsus est vt meritò eos auctores dicat Photius nugari & Hephestionem appellet μυθολόγον. Imò ipse Hephestion sibi eodem libro cōtradicere videtur cùm dicat: ὡς ἀλφειῷ ποταμῷ γέρας ἀμειβόμενος Ἡρακλῆς νικήσας ἐν ὀλυμπίᾳ ἀπ' αὐτοῦ, ἐκάλεσε τὸ ἄλφα, καὶ προέταξε τῶν στοιχείων. *Alpheo flumini remuneraturus in Olympicis victor Hercules, Alpha ab eo literam nominauit, primámque omnium collocauit.* Quo igitur modo nomine primæ Græcorum literæ Moyses appellari potuit, cùm id nomen literæ sit inditum multis post Moysem sæculis, cùm & Hercules & Olympica certamina posteriora multò fuerint æuo Mosaico. Porrò & Plutarchus libro nono Symposiacon aliam literæ *Alpha* denominationem affert etiam Moyse posteriorem. *Tu verò*, inquit, *homo Bœotus non opitularis Cadmo quem ferunt ideò Alpha primum literarum posuisse, quod bos ita Phœnicum lingua dicitur, quem non secundum, aut (vt Hesiodus) tertium; sed primum inter res necessarias iÿ existimant.*

De Hyacinthi fabula nihil est dicendum.

CAPVT XIV.

Nomen IEHOVA ignotum Abrahamo, & antiquis Patribus donec Moysi primùm reuelaretur.

PROPERO ad seria: An innotuerint Abrahamo Alphabeticæ literæ ob mutationem nominis. Non credo exinde colligi posse. Neque nomen IEHOVA, neque eius nouisse mysterium; quamobrem sibi communicata litera fertur. Quippe hoc nomen, nec ab Adamo impositum Deo, vt putauit Goropius Becanus, nec Abrahamo, nec sanctis Patriarchis agnitum, sed primò Moysi reuelatum satis constat ex Scriptura. In capite sexto Exodi dicitur: *Locutúsque est Dominus ad Moysem dicens: Ego Dominus IEHOVA, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente SADDI, & nomen meum ADONAI IEHOVA non indicaui eis.*

eis. Optimè Theodoretus ad hæc verba ait: *Ostendit quanto honore, quantáque beneuolentiâ sit eum prosecutus. Quippe quùs Patriarchas celauerat nomen suum, hoc ipsum aperuit Mosi.* Id ipsum validè fulcit Petrus Faber ex Daniele, & Iudith. Et verò si notum fuisset Patriarchis hoc nomen, quis dubitabit quin sibi summus Deus in illo solemni fœdere ineundo cum Abrahamo, cui notum hoc nominis esset; istud ipsum assumpturus fuerit: quo maiorem promissi, præstitique iurisiurandi fidem faceret? Quâ de re tamen in veteris Testamenti libris nullum omnino, ne tenue quidem vestigium extat. Tum cùm Angelus, aut Deus ipse cum Iacobo luctatus E L O H I M, se dixerit capite trigesimo secundo Geneseos; vix est vt probabilis ratio reddi possit, quamobrem si iam tum id nominis in vulgus innotuerat, de nomine præsertim suo interrogatus Deus, nequaquam id exprimendum duxerit. Nam ita Moses, vel apud ipsum Deus eo loci; *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis?* Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit, cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco, vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem. Denique sacrosanctum istud I E H O V Æ nomen à summo Deo patefactum, aut indicatum Protoplastis, aut Patriarchis fuisse, nuspiam traditur. At sine reuelatione ipsius Dei homines (quamlibet sagaces, ac perspicaces, & singulari prudentiâ præditos) id potuisse vllatenus diuinare, quis afferat? Quod si ante Moysem id ignotum non fuisset nomen: ne ipse quidem annos admodum quadraginta natus, & omni tam Ægyptiorum sapientiæ, quàm aliarum literarum genere, Pharaonis filiæ curâ & sumptu eruditus, illud ignorasset; sciens verò secum Deum patrum suorum colloqui, non ab ipso aliud quæsiisset nomen, quod minimè ignoraret; aut vtique si antè sciérat, eo summi Dei responso de I E H O V Æ vocabulo, satisfactum sibi Moyses haudquaquam putasset, vt (quomodo fecit) nihil vltrà quæreret; quod obseruat Faber. Parum autem his obstat aliquando à Mose scriptum in Genesi nomen I E H O V A, nam per anticipationem id fecit, vt pro more habet, quod non latuit sanctum Hieronymum, qui explicans locum decimiquarti capitis Geneseos: *Venerunt vsque ad fontem Misphat, ipsa est Cades,* sic ait: *Venerunt ad fontem iudicij, hæc est Cades. Per anticipationem* (inquit) *dicitur, quod posteà sic vocatum est; significat autem locum apud petram, qui fons iudicij nominatur; quia ibi Deus populum iudicauit.* Idem Hieronymus paulò pòst ad illum Geneseos alterum locum ex capite vigesimoprimo: *Ideò cognominauit nomen loci illius, Puteus iuramenti; quia ibi iurauerunt ambo:* In Hebræo habetur, *Bersabee,* inquit, *Quod si ante hanc causam suprà nomen hoc legimus, sciamus per Prolepsim dictum esse, sicut & Bethel, & Galgala, quæ vtique ad tempus quo ita appellata sunt, aliter vocabantur.* Hactenus ille. Eandem figuram ab ipso Mose vsurpatam reperio, eo etiam Exodi loco; vbi de ipso, *Cúmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* Etenim eum montem Horeb (qui & Sinai) constat ideò montem Dei nuncupatum; quod in eo deinde Mosi, populóque sanctificato apparuerit, cùm legis suæ verba decem effaretur; vel etiam quod locum in quem Moses gregem minauerat, Deus in flammâ ignis ipsi de medio rubi apparens, terram sanctam esse, posteà dixerit. Eadem figurâ vsi quoque profani scriptores. Virgilius sæpè, vt ibi:

Italiam fato profugus Lauinia venit
Littora.

Idem:

Et iuxtà Ascanius magnæ spes altera Romæ.

Et libro sexto:

Chalcidiáque leuis tandem superastitit arce.

Et ne dicamus, scriptori ipsi quædam κτ' πρόληψιν, historiæ dicere ex sua persona concedi, quæ facta ipse posteà scire potuit, sicut Virgilius nouit de Lauinio oppido, & de colonia Chalcidiensi, ipse inducit Palinurum libro sexto apud inferos petentem ab Ænea, vt suum corpus requirendum, & sepeliendum curet. Is hæc dicit:

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
Iniice (namque potes) portúsque require Velinos.

Quomodo, aut Palinurus nonisse, aut nominare potuit portus Velinos? Et Æneas ex eo nomine locum inuenire? cùm Velia oppidum, à quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Seruio Tullio regnante Romæ, post annum amplius sexcentesimum, quàm Æneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano, & eo nomine appellatum sit? Nam qui ab Harpalo Regis Cyri præfecto, ex terra Phocide fugati sunt,

alij

alij Veliam, partim Massiliam condiderunt. Quapropter non mirum si pro deuotione nominis IEHOVÆ inducat Moyses in sua historia aliquos illud pronuntiantes, antequam reuelatum esset: Heua de primogenito suo dixisse perhibetur: *Possedi*, siue *acquisiui hominem à IEHOVA*, vel *per IEHOVAM*: sic habet Hebræum authenticum, vbi è Græco in vulgata translatione, *Deum* legitur; Diuus autem Hieronymus, *Dominum*, vertit. Præterea Regi Sodomorum respondit Abrahamus: *Leuo manum meam ad IEHOVAM*, (sic in Hebræo Codice, vbi vulgares libri, & Hieronymus *Dominum*, cùm à Græco exemplari absit) Deum excelsum possessorem cæli, & terræ. Itémque cùm plantasset nemus in Bersabee, siue Beersheba, inuocauit ibi nomen IEHOVÆ (sic Hebr. pro *Domini*) Dei æterni. Et post exhibitum Isaaci filij sui vice holocaustum, ex præcepto Angeli, cum in monte locum à Deo sibi munstratum, in quo altare construxerat, hoc nomine appellauit IEHOVA *videbit*, seu *videt*; vnde vsque hodie dicitur in monte IEHOVA videbit, seu videbitur: quo loco translatio vulgata τὸ Dominus præfert. Quid, quod & Abrahami seruus per IEHOVAM Deum cæli, & Deum terræ adiuratus ab illo, dein ita fertur Deu Abrahami Domini sui supplicasse ad portam vrbis Nachor, vt IEHOVÆ nomen, addito etiam ELOHE vocabulo non semel, sed sæpiùs protulerit? ne quis incogitanter aut sine mysterio, nedum temerè (quod absit) à grauissimo, & locupletissimo teste, atque antiquario Mose aspersum existimet. Postcà Isaacum, vbi ei Dominus (IEHOVA nimirum, vt est in Hebræo codice) apparuerat, ædificasse ibi altare, atque inuocato IEHOVÆ nomine, tabernaculum extendisse traditur; dein Abimelechi comites Isaaco dixisse, vidimus tecùm esse IEHOVAM, & cum pace dimisimus auctum benedictione IEHOVÆ. Hæc obiicit Reuchlinus, sed solùm monstrant deuotionem Moysis erga sacrosanctum Dei nomen sibi reuelatum, eodem quippe modo in ore Patriarcharum illud posuit, ac in ore Abimelech, & Ochozath, & Phicol, qui tanti nominis homines extranei populo, Dei notitiam non habuerunt. Porrò causam mutati nominis Abraham non communicationem tetragrammati nominis IEHOVÆ significauit Deus, sed quoniam multarum gentium Pater futurus erat Abraham. Hanc rationem sacer textus expressit, hanc nusse Abraham satis erat.

CAPVT XV.

Hebræorum obseruationes de literis conficientibus numerum 248.

QVOD adiecit R. Salomon Iarki literas nominis Abrahæ eundem numerum conficere ac sunt humana membra, minoris est faciendum, neque tempore Abrahæ, nec Moysis, nec posterorum ratio hæc literarum numeraria seu gemmatrica vt Thalmudistæ loquuntur, apud viros serios magni habetur, de qua posteà agemus. Fateor tamen aliqua interdum arguta inde exprimere Rabbinos, sæpè insulsa, ferè semper nõ valdè vtilia, & vt cætera nunc prætereã de numero membrorum humanorum quem supputant 248. multa architectantur: his similia quæ docet Elias in fine Thisbi: Secundam nimirum excommunicationis speciem חרם vocari, quoniam istud nomen contineat 248. vt admoneantur omnes in omnia hominis membra illam excommunicationem penetrare. Similiter dici posset misericordiæ nomen רחם eundem numerum conficere; quoniam nullum peccatum committi potest, quod Dei misericordia non vincat, suâque bonitate non deleat pœnitentibus. Sexcenta tredecim illa præcepta in affirmatiua diuiduntur, & negatiua. Affirmatiua autem tot sunt secundùm Iudæorum sententiam, quot in homine membra, scilicet 248. specialem membrorum humanorum enumerationem, & situm refert ex antiquorum traditione Auctor pulueris Pigmentarij lib. 3. parte 2. Negatiua verò quot dies in anno. Sic illa distribuunt Thalmudistæ sect. 3. Tractatus Macoth. R. Salomon Iarki in hunc locum Thalmudis ait; *Præcepta affirmatiua esse 248. quia vnicuique membro dicitur, fac, serua mandata. 365. autem negantia, quia singulis diebus monendi sumus ne mandata Dei transgrediamur.* In eandem mandatorum diuisionem philosophatur Ioseph. Albo עקרים serm. 3. cap. 27. duplicem esse perfectionem, corporis vnam, animæ alteram; illam præceptis affirmantibus respondere, quoniam membra

membra ab actione perfecta censentur; hanc verò negantibus. *Quoniam*, inquit, *sicut tempus non est quid actu subsistens; statim enim aut præteritum est, aut futurum, rebus tamen omnibus tempori subiacentibus perfectionem adfert. Ita præcepta negantia, cùm actionis prohibitionem contineant, interiorem animæ perfectionem nobis exhibent, quæ postea corporis actiones omnes recta intentionis virtute vegetat, & sustinet. Rectè igitur affirmantia præcepta membris humanis æquantur, & negantia tempori.* Quidquid sit de iis ex aliis quæ ex Rabbinis producunt Reuchlinus, & nuper Morinus non conuincunt literas innotuisse Abrahamo propter gematriam literarum sui nominis.

CAPVT XVI.

Penè omnes qui literarum auctores feruntur, posteriores sunt Moyse.



HACTENVS de libris, & scriptionibus ante Moysem quales fuerint dictum est, atque euictâ hac difficultate, eæ quæ restant minus negotij facessent. Quæ autem produximus de variis literarum inuentoribus parum momenti habent, cùm penè omnes posteriores tempore video, & solum Abraham, & fortasse Saturnum anteriorem fatebor Moyse; cuius proinde principatus, & gloria de literarum inuentu derogari nequit. Imò exinde huic existimationi ex parte fauere videntur ij, qui varios literarum authores designant: nam fatentur caruisse literis multos per annos orbem; & cùm omnium historiarum & vetustior & prima Mosaica extet, ad Moysem potius reducendum videtur literarum ingenium: maximè ij fauent, qui primas literas, aut Assyrias, aut Syras, aut Phœnicias dicunt, qui multi sunt: nam iis nominibus Hebræas notant, vt iam ex multis authoribus notauimus. Porrò pro Abrahamo sola stat authoritas Philonis Iudæi nam Iosephus tametsi alicubi Philoni faueat, alibi nobis adhæret. Pro Saturno sola relatio sancti Cypriani & Miuutij; at pro sancto Moyse magna stat authorum classis, plures Historiographi antiqui, plures Patres, plures scriptores recentes. Adiicere possumus Philonem præter argutas allegorias parum accuratè scripsisse de iis rebus, quæ ad historiam pertinent. Et deceptus planè fuit in computatione temporum, ac proinde literas Abrahamo tribuisse. Putabat enim literarum vsum Græcis innotuisse tempore Moysis, quem Magistros Græcos habuisse affirmat, quod falsissimum est, vt quiuis leuiter eruditus videbit. Putauit quoque Chaldaicè scripsisse Moysem, quod etiam æquè falsum est; illud autem tolerabile est, quod Heurnus existimauit Hieroglyphicarum literarum fuisse Abraham apud Phœnices authorem.

Sed & sanctus Cyprianus Hieroglyphicas literas, hoc est, effigies quæ pro literis substituebantur, notare videtur: nam in libro de Idolorum vanitate sic de Saturno ait: *Hic literas imprimere, hic signare nummos in Italia primum instituit.* Eadem habet Minutius, & puto, vt dixi, literas Ægyptias, siue hieroglyphicas, ab vtroque notari. Alioqui ipsi Itali authores refragabuntur. Nam literarum in Latium introductionem tribuunt Pelasgis Plinius, & Solinus; Euandro Liuius & Cornelius Tacitus. Solùm itaque inuenit Saturnus effigies imprimere, quæ tamen pro literis habebantur, maximè in ære. Ideò primi æris nota fuit (vt argumento sunt, teste Lactantio, nummi veteres) ex altera parte Ianus geminus, ex altera nauis rostrum in honorem Saturni hospitio excepti à Iano, quod primo Fastorum testatur Ouidius:

At bona posteritas puppim formauit in ære.
Hospitis aduentum testificata Dei.

Sic intelligendus est Tertullianus capite decimo Apologetici de Saturno scribens: *Ab ipso primum tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde Ærario præsidet*, atque à Tertulliano videtur mutuasse Cyprianus, vt pleraque alia, quæ de Saturno scribit. Tertullianus autem inuentionem literarum nequaquam Saturno aut Italis adscripsit, potius clarè alibi fatetur ab Hebræis deductum literarum vsum.

CAPVT XVII.

Quid iudicauerit Tertullianus de primo literarum inuentu.

OPORTEBIT autem clareat Tertulliani iudicium de literarum inuentore, vt argumentum ex Cypriano vsurpatum magis eleuemus. Ego credo idem, quod nos, putasse Tertullianum, authorem Alphabetici inuenti Moysem esse, quem alij vocauêre Mercurium, vt iam notaui, & rursus ex Tertulliano colligo. In primis capite decimo nono Apologetici sic scribit: *Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas vendicat. Apud vos quoque Religionis est instar, fidem de temporibus asserere. Omnes itaque substantias, omnésque materias, origines, ordines, venas veterani cuiusque styli vestri, gentes etiam plerasque, & vrbes insignes, historiarum causas, & memoriarum, ipsas denique effigies literarum, indices, custodésque rerum, & (puto, adhuc minus dicimus) ipsos, inquam, Deos vestros, ipsa templa, & oracula, & sacra vnius interim Prophetæ scrinium sæculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Iudaici sacramenti, & inde etiam nostri.* Ecce tibi quàm apertè pronuntiet literas Hebræas priores fuisse. At ipse idem Auctor, memor quidem eorum, quæ in hoc Apologetici capite docuerat, scripsit in capite quinto de testimonio animæ, Mercurium fuisse repertorem literarum, dum ait: *Antequam literæ in sæculo germinassent, antequam Mercurius (opinor) natus fuisset.* Dixi memorem Tertullianum, quæ alibi scripserat; nam intra duas vel tres lineas eodem capite quinto, loquens de antiquitate sacræ Scripturæ, remittit se ad id quod probauerat capite decimonono Apologetici, dicens, *vt loco suo edocuimus.* Idem in libro de corona militis, capite octauo concedit: *Primus Mercurius literas enarrauerit, necessarias confitebor, & commercij rebus, & nostris erga Deum studijs.* Duo ex his locis colligenda sunt. Vnum, haudquaquam Tertullianum putasse priscum Saturnum literarum Alphabeticarum authorem præcessisse. Alterum existimasse ab Hebræis exordium accepisse, & cùm simul dicat earum authorem Mercurium, in existimatione Sachoniatonis, Philonis Biblij, Artapani & aliorum fuisse, qui Moysem affirmarint honoratum à gentibus ob inuentum literarum, ac propterea vocatum Mercurium.

CAPVT XVIII.

Moyses adoratus ab Ægyptiis sub canis effigie, dictus Anubis. Musæ tres tantum confictæ olim. Parcæ Deorum librariæ.

PROMETHEVS quoque, Cecrops, Hercules, Rhadamantus anteriores Moyse non fuerunt, constat ex Eusebio in Chronico: Imò Genebrardus Prometheum & Atlantem fratrem eius refert ad tempora Tholæ Iudicis Hebræorum multos post Moysem annos. De Isidis tempore iam diximus. Anubis autem minus negotij facessit; puto fuisse ipsum Moysem cultum ab Ægyptiis sub Mercurij numine, & canis effigie. Primùm iam monstrauimus, Moysem venerabilem Ægyptiis, & appellatum Mercurium. Nunc facilè dabimus alterum; cultum Mercurium ab iisdem Ægyptiis sub canis simulachro. Apuleius scribit libro vndecimo: *Ille superum commentator, & inferum nunc atrâ, nunc aureâ facie sublimis, attollens canis ceruices arduas Anubis, læua caduceum gerens, dextera palmam virentem quatiens.* Seruius ad illud Poëtæ,

Omnigenûmque Deûm monstra, & latrator Anubis.

Sic exponit, *Hunc volunt esse Mercurium; ideò capite canino pingitur, quia nihil est cane sagacius.* Fauet Plutarchus libro de Iside & Osiride, dicens Anubin aliquando vocatum *Hermanubin*, seu *Mercurianubin.* Hermes siquidem idem est, quod Mercurius verba eius sunt, ὁ δ' ἀναφαίνων τὰ οὐράνια, καὶ τ' ἄνω φερομένων ἄνυβις, λόγος. ἔστι δ' ὅτε καὶ ἑρμάνουβις ὀνομάζεται. *Ratio cælestia, & quæ superius feruntur, ostendit Anubis. Est vt aliquando vocetur Mercurianubis.*

Mercurianubis, seu *Hermanubis*. Eusebius similiter libro tertio Præparationis Euangelicæ dixit: *Vis Mercurij in vniuerso quam appellant Hermanubin.* Sic legendum est; nam mendosè *Hermopin* legitur. Quapropter qui Anubin auctorem literarum fecerunt, nihil ab iis recedunt, qui Mercurio, & Moysi idem inuentum addixère.

De Musis, & Parcis nulla ratio habenda est pro hac de inuentis literis quæstione, cùm potissima sint fabellarum argumenta. De Musis hæc monet S. Augustinus libro secundo de doctrina Christiana: *Non enim audiendi sunt errores Gentilium superstitionum, qui nouem Musas Iouis, & Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio vtrùm apud eos quisquam talium rerum doctior, vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulachra Musarum, quæ in templo Apollinis dono poneret, vt quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimùm electa emeret. Itaque contigisse vt opera sua quoque illi artifices æquè pulchra explicarent, & placuisse ciuitati omnes nouem, atque omnes emptas esse, vt in Apollinis templo dedicarentur: quibus posteà dicit Hesiodum Poëtam imposuisse vocabula. Non ergo Iupiter nouem Musas genuit, sed tres fabri ternas creauerunt. Tres autem non propterea illa ciuitas locauerat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cuiusquam illorum oculis demonstrauerant; sed quia facile erat animaduertere omnem sonum, qui materies cantilenarum est, triformem esse naturâ. Aut enim editur voce, sicuti eorum est, qui faucibus sine organo canunt; aut flatu, sicut tubarum, & tibiarum; aut pulsu sicut in citharis, & tympanis, & quibuslibet aliis, quæ percutiendo canora sunt.*

De Parcis autem hæc habet Clemens Alexandrinus in exhortatione ad gentes: *Quidam ex Philosophis, ipsi quoque post Poëticos, earum quæ sunt in nobis affectionum, figuras, & simulachra constituunt, nempe timorem, amorem, & lætitiam, & spem, sicut certè priscus quoque Epimenides, qui Contumeliæ, & Impudentiæ Athenis erexit altaria. Alij autem ex iisdem rebus impulsi, alij instar hominum in deos referunt, & instar corporis effingunt. Nam tanquam Dea colitur, Iustitia quadam, & Clotho, & Lachesis, & Atropos, & Parcæ, & Auxo, & Thallo, Attica.* Ideò autem confictæ sunt literarum inuentrices, quia Deorum librarias prisca superstitio eas commentata est, quod Martianus Capella prodit huiusmodi: *Clotho, Lachesis, Atroposque, quoniam sententias Iouis Orthographæ studio veritatis excipiunt, vtpote librariæ superûm, Archiuique custodes.*

CAPVT XIX.

Eruditio Moysis in omni Ægyptiorum sapientiâ optimè constare potuit sine literis Alphabeticis.

QVOAD eruditionem Moysis in omni Ægyptiorum sapientiâ, sicut in Actis Apostolicis sanctus Stephanus testatus est. Fatemur quidem eruditissimos Ægyptios fuisse, sine literis tamen Alphabeticis. Nam solæ literæ Hieroglyphicæ ad eius temporis eruditionem satis erant, imò opportunæ valdè ad multam eruditionem; eas enim rectè legere non poterat, qui magnam totius naturæ cognitionem, & philosophiam non obtinuisset; quoniam per signa rerum naturalium, iuxta cuiusque rei proprietates arcanas sæpissimè ea scriptio conficiebatur. Et quidem in hac Ægyptiorum sapientiâ, & naturæ doctrinâ eruditissimus fuit Moyses, vt constat ex tot symbolis rerum naturalium significantium sensus mysticos, quæ in Tabernaculi structione & præceptorum promulgatione apparent. Et ab hac præcipuè sapientiâ Ægyptiacâ laudatur Moyses. Philo in primo de vita Mosis libro, sic scribit: *Moses itaque numeros, & geometriam, vniuersámque musicam, rythmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam, siue per voces, instrumentáque promentem se modis varijs, accepit ab Ægyptijs Doctoribus; maximè verò occultam philosophiam descriptam literis, vt vocant, hieroglyphicis, hoc est, notis animalium, quæ ipsi venerantur pro numinibus: ex propinquis autem regionibus euocati Chaldæi docuerunt sideralem scientiam.* Hanc & ab Ægyptiis didicit. Iustinus Philosophus & Martyr aliquantulum à Philone dissentiens, in libro Quæstionum à gentibus positarum asseuerat, omisso studio omnium Mathematicarum, quæ tum in Ægypto vulgares erant, & viles, adiecisse animum ad solas Hieroglyphicas disciplinas, quæ tum apud Ægyptios solæ in honore, & pretio erant, & non quibuslibet, sed præcipuis, & approbatissimis viris, & in abditis locis secretò traderentur. Has cùm didicisset Moses, nihil tamen vnquam secundùm eas,

aut dixit, aut egit, quod contrarium esset vnius veri Dei cultui. Quod enim Stephanus statim post illa verba: *Erat Moyses eruditus in omni sapientiâ Ægyptiorum*; addidit, *Et erat potens in operibus & sermonibus*, non ita intelligendum est, vt credamus Moysem ex vi Ægyptiacæ sapientiæ aliqua miracula operatum, sed ex sola veri Dei virtute miranda opera peregisse. Clemens in quinto Stromatum scribit, Moysem iuxta hanc Hieroglyphicæ doctrinæ consuetudinem multa sub tropicis, ac mysticis animalium symbolis vitæ moralis præcepta occultè tradidisse, solis diuinæ legis amatoribus peruia: qualia sunt: Neque porco, neque aquilâ, neque accipitre, neque coruo vescendum. Nam porcus, quia est animal voluptati deditum, & immundum, symbolum est ingluuiei, & libidinis, significans ciborum cupiditatem, & salacem in re venereâ intemperantiam, & inquinatam vitam in cœno vitiorum iacentem, quæ ad cædem & interitum saginatur. Aquilæ verò, accipitris, & corui interdicto ostendit eos non esse imitandos, qui labore, & virtute nec sciunt, nec volunt sibi parare victum, sed rapinâ viuunt, & iniquitate. Aquila enim rapinam, Accipiter iniustitiam, Coruus auaritiam significant.

CAPVT XX.

Ostenduntur variæ numerandi rationes sine literis per fila, per nodos, per clauos, per digitos.



ED & vsum Arithmeticæ doctrinæ clarissimæ apud Ægyptios sine literis constitisse posse, non est cur dubitemus, cùm & modò alijs numerorum signis, Barbaris nimirum artificiolis vtamur. Quin & Peruani ignari omniũ literarum, filis quibusdam discoloribus, & quibusdam nodulis Arithmeticam exercebant, vt testantur rerum Indicarum Historici. Quod plus est ipsi Romani etiam cum literis omnino non carerent, aliquando illis pro numeris non vtebantur. Hinc annos Consulares clauis fixis numerabant. Sicut & Volsci in templo Nortiæ Deæ Hetruscæ, quod Plinius libro octauo sic testatur: *Annales antea in clauis fuerunt, & per numerum clauorum fixorum fuerunt anni numerati, quod rara litera eo tempore fuissent; idcircòque clauum ex lege vetustâ figebat Prætor maximus.* Fuit quoque antiquis numerandi ratio, & Arithmeticæ exercitium per digitos, quam partim hic subiiciam, vt notescat multis posse modis sine literis numerorum signa coartare. Præmonendum tamen est, quod Beda, & posteà Giraldus aduertit, numeros ab vno vsque centum sinistrâ manu denotari, à centesimo autem numero dextrâ deinceps numerabant. Ideò de Nestore Satyricus ait, *dextra iam computat annos.* Numerum ergo qui *vnus* dicitur, pansa sinistrâ manu denotabant, minimo dumtaxat complicato ad manus volam. *Duo* eadem manu minimo, & annulari contractis. *Tres* eadem duobus, addito medio, subsidentibus. *Quatuor* manu ipsâ apertâ, infami, & medico contractis. *Quinque* eadem contracto dumtaxat impudico. *Sex* cæteris erectis complicato solo annulari, etsi medium, vt puto, perperam quidam existimant. *Septem* minusculo solo ferè ad vnius numeri modum palmæ affixo. *Octo* duobus contractis, vt numero *duo* docuimus. *Nouem* tribus subsidentibus ad ferè numeri trium similitudinem. *Decem* verò indice pollicis articulum leuiter attingente effingitur. *Viginti* summo pollicis ad salutaris & impudici radices adhærente. *Triginta* summo indicis pollicis summum exosculante. *Quadraginta* eodem salutari in semicirculi formam complicato, erectòque pollice supercubante, quâ ferè formâ Christiani patibuli signum adiurantes effingimus. *Quinquaginta* pollice inflexo instar Græcæ literæ Γ, accubante, ad salutaris & infamis radices. *Sexaginta* indice contracto in hemicycli figuram, pollicis fronti subiacente. *Septuaginta* pollice secundum indicis articulum impellente. *Octoginta* pollicis vngue ab incuruato salutari compresso. *Nonaginta* pollicis radicem eiusdem salutaris summitas inquietat. At numerus qui *centum* dicitur, transfertur, vt diximus, in dexteram, & eodem modo quo vnum pinximus, conformatur. Verùm hic dextra, ille sinistra, & sic ad mille vsque pari modo descenditur. Nam centenarij numerus per singulares vsque ad decem exprimitur. *Mille* verò numerus, vt decem effingitur, sed dextra vt centum. Millenarij enim, vt denarij, hoc est, X. XX. XXX. & cætera notantur. Video

tamen

tamen inter scriptores maximam hoc loco differentiam; qui enim non multò ante nostram ætatem scripserunt, sic ferè, vt nos modò; qui autem superioribus sæculis. Centum in dextra, inquiunt, quomodo decem in læua. Ducentos in dextra, quomodo, viginti in eadem læua. Ita trecentos, & cætera, vsque ad nongentos. Itidem mox mille in dextra, veluti vnum in sinistra, duo millia in dextra, vt duo tantùm in sinistra, sic tria millia, & quatuor millia vsque ad nouem millia. Porrò cùm decem millia effingunt manum læuam mediâ pectoris parte supinam digitis ad collum erectis apponunt. *Viginti millia* sinistrâ ipsâ expansâ latè pectori incumbente demonstrant. *Triginta millia* eadem prona, sed erecta medij pectoris cuti, seu membranolæ adhærente. *Quadraginta millia* eadem supina & erecta in vmbilico coniecta. *Quinquaginta millia* eadem prona, & erecta pollice in vmbilico imposito. *Sexaginta millia* eadem læua prona femur ipsum læuum superiùs comprehendent. *Septuaginta millia* eadem sinistra supina femori supposita. *Octoginta millia* eadem prona femori innitente. *Nonaginta millia*, eadem ipsa læua lumbos apprehendente ad inguina conuerso pollice: at verò cū centū millia, & ducenta millia, cæteráq; huiusmodi vsque ad nongenta millia monstrare volunt, eâdem met formâ & ordine formare solent, quò superiùs diximus; sed dextra, & in dextera corporis parte. *Decies* autem *centena millia* ambabus manibus pectinatim digitis implexis significant. Tandem monendum est priscorum numerorum authorem, & primum inuentorem Theut, seu Theutatem fuisse iuxta Plinium. Hic autem Moyses fuit, vt ex Cicerone probauimus, & Artapano.

CAPVT XXI.

Non est inconueniens negare Adamum docuisse literas.



AD illos veniamus, qui credere nequeunt literas Adamum suis posteris non tradidisse. Certè non est cur hoc miremur; nam ea quæ minus ingeniosa, & magis necessaria, ant iucunda fuerant humanæ conuersationi non docuit. Non loquor modò de scientia Adami, sed de doctrina & introductis ab eo artificiis. Nec enim ad institutam tractationem attinet, An Adam artificium alphabeticum nouerit, sed an euulgauerit? Apprimè necessarium erat hominum vitæ tueri se tentoriis, aut protegere domibus ab iniuriis cæli, incursibúsque ferarum. At nec tentoria conficiendi artem, nec architecturæ vsum, nec alia artificia, quorum inuentores à Moyse meritò narrantur, docuit Adam. Hoc quidem non mirum videtur innumeris scriptoribus, & eruditissimis viris, qui inuentores literarum non Adamum, sed alios multò posteriores designarunt. Id verò quod de scriptione vnius Psalmi nugantur Hebræi, iam refutauimus, sicut & respondimus iis, qui obiiciebant columnas à filiis Seth inscriptas. Neque operæ pretium, sed temporis dispendium erit iterare dicta, satis est commemorasse. Hîc duntaxat illud addam, inefficax esse argumentum de columnis à filiis Seth scriptis, siquidem ipse Iosephus, qui hanc historiam prodidit memoriæ, & alteram colomnam ad sua vsque tempora perdurasse dicat, inuentum nihilominus literarum post diluuium censuit, & alicubi Moysi adscribit, quare existimauit eas columnas literis solùm hieroglyphicis non Alphabetariis incisas. Porrò vsus literarum Hieroglyphicarum in defectum Alphabeticarum videtur introductus, & supponit Adamum Alphabeti promulgatorem non fuisse. Expressè Trithemius libro sexto Polygraphiæ, aliorum quoque authoritate vsus, mortuo Adamo introductas fuisse Alphabetarias literas testatur. Signum autem, quo notatus fuit Cain, ne interficeretur, haud litera vel inscriptio aliqua fuit, sed, vt S. Hieronymus, & Procopius dicunt, tremor, & consternatio vultus, non quia naturale diuinæ voluntatis signum hoc fuerit, sed per sermonem & traditionem inuulgatum. Denique sanctus Augustinus in decima octaua quæstione in Exodum affirmat: *Literas à primis hominibus cæpisse, & perductas esse ad Noë, & inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israël. Vnde hoc probari posse ignoro.* Et quidem non puto latuisse S. Augustinum, quæ de columnis filiorum Seth Iosephus scribit, siquidem nec sanctus Epiphanius illud ignorauit.

CAPVT XXII.

De primis decem literis Hebræorum.

PORRO si primæ Hebræorum literæ decem tantùm fuissent, vt ex sancto Irenæo colligunt nonnulli, hoc ipsum negaret Adamum authorem Alphabeti Hebraici viginti duabus literis constantis. Credimus tamen nullas præcessisse apud Hebræos decem literas tempore priores aliis. Neque aliquam inuentionis præcedentiam affirmat suis verbis sanctus Irenæus; solùm
Lib. 2. Cap. 41. ait, primas Hebræorum literas decem esse, neque dixit fuisse. Quæ autem istæ decem literæ sint, & quare primæ nuncupentur, annotauit Feuardentius dicens: *Illæ decem sunt ab* א, *Aleph, vsque ad* י, *Iod; quod ideò primæ, & præcipuæ dicuntur, quod cætera ex illis, aut ad illarum similitudinem efformatæ sint, & numeri digiti ex ipsis conficiantur.* Verùm prima illa ratio non quadrat Samaritano Iudæorum Alphabeto, quo Moysem vsum existimo. Quapropter ego suspicor primas decem Hebræorum literas, quæ sacrę habitę sunt notatas fuisse ab iis Hebræis, qui characterem Assyrium, quo nunc vtuntur Hebræi, censent inuentum fuisse ab Angelo apud Danielem, cùm scripsit manus illa sententiam Balthassaris Regis, atque inde renouatum fuisse Alphabetum Assyrium, vel denuò inuentum ab Angelo, easque literas accepisse deinceps Iudæos per Danielem, & Esdram, quod ita tradidit Author libri inscripti Speciosum Speculum: *Scriptura ista innouata est nobis per manus Angeli in diebus Balthassaris. Postquam autem cognouerunt eam Daniel, & Esdras, ab iis didicerunt eam Assyrij, vt dicit author* עין יעקב. *Et hoc necesse est, quanquam enim vocetur scriptura ista Chaldæa (vt dictum est ex verbis Salomonis Iarki suprà citatis, & libro cui titulus est, Aditus ad scientiam) & scriptura exemplaris scripti Chaldaicè, & translati Chaldaicè, fieri non potest, vt fuerit eorum scriptura ab initio. Quod si ita est, quomodo non potuerunt Chaldæi legere scripturam Angeli, quæ erat similis & scriptura, & lingua suæ? Profectò non cognouerunt eam, nisi postquam nouata est per Angelum: Et quia posteà illi sese assuefecerunt Chaldæi, vocata est Chaldæa. Hoc etiam quod dictum est, quod ascendit cum iis ex Assur, non est quòd Israel didicerit linguam ab Assyrijs, sed quod noua data est Israëli ab Angelo in Babylonia, & assuefacti sunt illi, cùm essent in Perside, quæ vocatur Assyria, vt reperire est in libro Esdræ, qui vocat Darium Assyriæ Regem. Nulla autem est difficultas, quod Tabulæ datæ non sint in sancta ista Scriptura. Hoc enim reseruatum erat Esdræ, vt magnificaretur in eo, quod scriptura per manum eius mutata est, cùm dignus haberetur per cuius manum lex ipsa daretur.* Hæc ille. Existimat igitur characterem, quo nunc vtuntur Iudæi, neque Mosaicum esse, neque etiam Assyrium, quod ante captiuitatem Assyriis familiaris esset. Verùm ab Angelo datum Iudæis cùm in pariete coram Balthassare Rege scripsit, MANE, THECEL, PHARES: hunc characterem tunc Iudæos didicisse, & cum eo legem ab Esdra, relicto Cuthæis, hoc est, Samaritanis, antiquo charactere descriptam fuisse: Assyrium quoque dictum, tum quod ex Assyria Angelo dante allatus est, tum quòd Assyrij illius pulchritudine capti, illi statim insueuerint. Cùm igitur totum Alphabetum non scripserit Angelus, sed tantùm aliquas literas, eæ fuerunt literæ primæ iuxta hanc existimationem, & fuerunt decē, nam licèt absolutè duodecim elementa sint in illa Angeli scriptione Chaldaica מנא תקל ופרסין, *Mene tekel vpharsin*, tamen נ *nun* litera bis repetitur, & י *iod* nō computatur pro litera distincta, nam similis est puncto, quam ipse S. Irenæus eodem capite non literam, sed dimidiam literam appellauit dicens, *Iesus secundùm Hebraicam linguam duas & dimidiam habet literas*: Per dimidiam literam, י *Iod* notans, tum propter exiguitatem eius elementi, tum quoniam, vt Hebræi dicunt, ex ea cæteræ literę componuntur. Ideò decem literas compositas solùm scripsit Angelus, & docere ex sua scriptione potuit, quæ primę, & antiquiores fuerunt, antequam Daniel reliquum alphabetum absolueret. Et quamuis nobis non probetur Assyriis characteribus scripsisse Angelum, tamen multi Hebræi id censuerunt, iuxta quorum opinionem quæ diximus intelligentur.

Accedit S. Irenæum alioqui eruditissimum plura in eo ipso capite quadragesimo primo libri secundi scripsisse quæ parum congruant linguæ Hebraicæ, vt propterea viris doctissimis credatur ab aliquo Hebræo deceptus. Nam scopus S. Irenæi in eo capite est, vt ostendat Gnosticos turpiter hallucinari, & aliis impudenter imponere,

cùm

cùm ex figura nominis Græci *ἰησοῦς* syllabis, literis, & numeris ipsis respondentibus, confirmare figmenta sua nitebantur: propterea quod nomen illud Hebræum sit, cuius literæ Hebraicæ non conueniunt cum literis Græcis, neque cum earumdem numero; atque hoc vnum præcipuè considerandum, & discendum illo capite existimo. Cæterùm quæ de nominis *Iesu* Hebraicis literis, origine, & significatione scribit, ipsum videlicet esse duarum literarum, & dimidiæ, cælumque significare, non satis constat. Etenim certissimum est IESV Hebræum esse, deductum à ישע, *Iascha*, quod est saluauit: & sic scribi ישוע quatuor literis, quæ numerum 386. faciunt. Nam ratione Arithmeticâ י *Iod*, continet 10. ש *Schin* 300. ו *Vau* 6. ע *Ayn* 70. *ἰησοῦς* autem Græcorum supputatione 886. reddit, quandoquidem ι, 9. η, 7. σ, 200. ο, 70. υ, 400. ς, 200. continet. Vt verò significet Dominum cæli, & terræ, illud oportet more veterum per tres literas scribere ישו, & per Notaricon, id est, ex singulis literis integras dictiones sic colligere, vt Iod quæ prima litera est τῷ τετραγραμμάτῳ, יהוה, quod Dominum, siue Κύριον reddunt LXX. Dominum nobis exprimat. Deinde ש prima sit litera vocis שָׁמַיִם quæ cælum significat. Postremò ו sit initium וארץ, quod est terra, adeò vt tres literæ illius nominis, *Iod*, *Schin*, *Vau*, simul per Notarium reductæ, indicent Dominum cæli & terræ. Sed non satis videtur quo pacto nomen *Sion* in nomine *Iesu* comprehendatur. Nullo etiam idiomate *Sura Vsser*, siue *Vser* dicitur terra. Oportet igitur vel ab aliqua Cabala adhuc ignota, hæc desumpsisse Irenæum, vel quod magis probatur Feuardentio, à quibusdam Iudæorum Rabbinis, quos consuluerit, deceptum fuisse, veluti initio capitis subindicare videtur, dum scribit, *Sicuti periti eorum dicunt*. Pro suo enim odio in Christum & nos, qui eius censemur nomine, solent impuri verpi illi multa confingere, & audacter obtrudere, quibus fidem nostrã obscurent, quod facilè colligas ex locis Isaiæ, Ieremiæ, Dauidis, Esdræ, audaci sacrilegio obtruncatis, & mutilatis ab illis, vti probat & conuincit Iustinus Martyr in Dialogo. Hæc sunt Feruardentij verba.

CAPVT XXIII.

Quæ videantur certa circa inuentas à Moyse literas.

HActenus credo probabilitas defensa est, & monstrata sententiæ eruditissimorum virorum, existimantium primum inuentorem literarum fuisse Moysem, quæ ne temerè affirmata videretur, sufficeret suorum patronorum authoritas, & quia in sacrorum librorum dignitatem accidet. Nunc quod certum mihi visum est, prodam. In primis affirmo certò sciri non posse an ante diluuium vsus literarum fuisset, quod palàm fatetur S. Augustinus in quęstionibus in Exodum. Secundò certum esse post diluuium sapientissimas mundi nationes literis Alphabeticis diu caruisse, quales sunt Phœnices Græci & Latini, de quorum primo vsu literarum constat. Tertiò, mihi persuadeo Moysem tradidisse Hebræis completã artem scriptoriam per Alphabeticas literas; neque enim audeo refragari auctoribus, & Patribus, qui hoc censent, cùm maximè ista existimatio stabilita multis authoritatibus sit, & indiciis minimè destituta. Quartò affirmo hoc fieri posse, siue quia nullus etiam ante diluuium vsus Alphabeti cognitus fuit, aut si ante diluuiũ cognitus fuerit, posteà fortasse desiisset, siue per diluuium, siue in linguarum confusione, siue in oppressione Ægyptiaca, vel si fortè post diluuium apud Hebræos literarum Alphabeticarum vsus notus fuerit etiam in Ægypto, non credo perfectũ fuisse, sed imperfecto Alphabeto vsos aliquarum nimirum literarum, fortasse solùm illarum decem, quas primas, & antiquas vocauit S. Irenæus. Moysem autem confirmasse Alphabetũ, siue reliquis inuentis literis, siue omnibus, si nullæ præcessetant. Porrò Diodorus Siculus maximâ aquarum inundatione amissum literarum vsum censuit. Quintò certũ est, antiquissimum omnium scriptorum, etiamsi computemus extraneos, & profanos, qui nunc extent, Moysem esse, vt S. Iustinus, Tertullianus, Clemens Alexãdrinus, Cyrillus item Alexandrinus, Origenes, Eusebius, & alij Patres probant, atq; multi ex recentibus scriptoribus cõfirmant. Certissimum quoq; est primas omnium literas Hebræas fuisse, vt nemo sit qui non id fateri cogatur, cuius & argumentum aliquod, aut indicium videtur singularẽ literarum obseruantiã apud Hebræos quasi qui proprij inuenti accuratiùs satagerent, cuius Cabalistica ars, & nimia obseruatio testis est.

LIBER



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo Moyses literas inuenerit?

An Gruum volatus illas indicarit?



Oc etiam tentandum, quo Moyses modo scriptoriam artem inuenit. Diuisos scriptores video: sunt qui literas vestigatas putent à volatu Gruum; alij à syderum coniunctione multiplici. Cassiodorus consentiens authorem literarum reputantibus Moysem Mercurij nomine, admirabilem Ægyptiis, Artapano teste, sic ait: *Literas primùm, vt frequentior tradit opinio, Mercurius repertor artium multarum volatu Strymoniarum auium collegisse memoratur. Nam & hodie Grues, cùm classem consociant, Alphabeti formas naturâ imbuente describunt, quem in ordinem decorum redigens vocalibus, consonantibúsque congruenter admixtis, viam sensualem reperit, per quam alta petens ad penetralia prudentia mens possit velocissimè peruenire.* Nec dissentaneè S. Hieronymus ad Rusticum scripsit: *Grues vnam sequi ordine literato.* Martialis easdem Grues dixit: *Nubila conscribere.* Opportunus quippe est Gruum volatus ad literarum coniunctiones simulandas, cùm varia earum mutatio varias figuras, & literas efformet. Ideò Lucanus cecinit libro quinto:

Lib. 8. c. 2.

Strymona sic gelidum brumâ pellente relinquunt,
Potura te, Nile, Grues primóque volatu
Effingunt varias casu monstrante figuras:
Mox vbi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temerè immixta glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.

Non minùs èleganter Claudianus de Bello Gildonis:

Pendula ceu paruis moturu bella colonis,
Ingenti clamore Grues æstiua relinquunt
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo
Ordinibus variis, per nubila texitur alis
Littera, pennarúmque notis inscribitur aër.

Accedit Ægyptum, vbi habitauit Moyses, his auibus frequentatam, vt penè omnes Poëtæ intonant. Claudianus:

Cum

—— Cum tepido permutant Strymona Nilo.

Lucanus:

Strymona sic gelidum brumâ pellente relinquunt
Potura te Nile Grues.

Oppianus libro primo Halieuticon:

Ὡς τ' ἐπ' Αἰθιόπων καὶ Αἰγύπτοιο ῥοάων
Ὑψιπέτης γεράνων χορὸς ἔρχετ' ἠεροφώνων.
Vt autem cùm ab Æthiopibus, & Ægypti fluentis
Altè volant Gruum cœtus proficiscitur in aëre clangentium.

Tzeizes quoque:

Pergunt ad Ægyptum volatu.

Et iterùm:

Hyeme autem veniente, Ægyptum festinantes
Triangulum, rectangulum faciunt horum volatum.

Nihilominus literæ quas effingunt Grues nõn sunt Hebrææ, sed Græcæ, siue Λ *lambda*, siue Α *alpha*, siue Υ *ypsilon*, & interdum Φ *phi*, aut Θ *theta*. Quapropter homines Græcos à Gruibus doctos, aliquarum literarum Græcarum characteres potiùs crederem, quàm Hebræas literas demonstratas in iis auibus. Postquam enim Cadmus sedecim literas in Græciam ex Phœnicia intulit Α, Β, Γ, Δ, Ε, Η, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Σ, Τ, Υ, fertur Palamedes Bello Troiano quatuor alias literas Alphabeto Græco adiecisse Ξ, Θ, Φ, Χ, atque eas simul cum ordine aciei à Gruibus didicisse. Idcirco Grues vocantur Palamedis aues: Martialis ait:

Turbabis versus, & littera tota volabit,
Vnam perdideris si Palamedis auem.

Idem easdem dixit Naupliadas, à Nauplio Palamedis Patre,

Clangunt Naupliadæ volucres & peruia pennis
Nubila conscribunt.

Persius & Virgilius videntur Samio Pythagoræ & inuentionem, & interpretationem Υ *ypsilon* adiicere. Ille ait.

—— Samios deduxit littera ramos.

Iste verò dixit,

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni.

Alij eiusdem literæ authorem Simonidem fecerunt, quamuis Philostratus non à Simonide, sed à Gruibus ipsis inuentum scribat.

Mihi verò haud videtur literas, siue figuras literarum adhuc Græcarum à Gruibus earum inuentores didicisse, quamuis fortasse posteà per similitudinem quam habent aliqui characteres literarum cum figuris, quam exprimunt Grues in volatu, ab iis docti dicuntur. In eo namque Philostrati libello, qui Heroica inscribitur, Grus dicitur auis Palamedis, quoniam glorianti Palamedi sese tres literas inuenisse Φ, Χ, Θ, quibus Græci illatenus carebant, Vlysses repentè obiicit eamdem laudem Gruum esse quæ Υ literam efficiunt, eásque tunc præteruolantes iussit suscipi. Minus poterat Gruum volatus nouas literas demonstrare, non enim visu, sed auditu literæ vestigari possent: nam cùm literæ sint signa pronuntiationis, seu prolationum oris, nisi noscatur noua prolatio, noua litera inueniri nequit. Quare cùm authores dicant non ex cantu, sed ex volatu Grues docuisse literas Palamedem, non ita intelligendi sunt, vt per Grues nouas literas inueniret, quod impossibile est; imò nec figuras literarum; nam notatâ nouâ oris prolatione liberum esset quouis signo denotari, sed aut falsa narrant, aut vulgi famam testantur, aut solùm volunt indicare similitudinem aliquarum Græcarum literarum cum volatu Gruum. Optimè sanctus Isidorus dixit: *Postquam literas animaduerterunt, & nomina illis & figuras imposuerunt; figuras autem partim ex placito, partim ex sono literarum formauerunt.*

Id autem solùm à Gruibus posset vestigari, ex paucis rebus diuersimodè compositis multiplices, & multiformes coniugationes cõcinnari posse, quod accidit in scriptoria arte & literarum, locutionisque vsu; nam ex diuersis syllabis diuersa verba, ex diuersis verbis diuersas componimus sententias. Sed non satis illud esset, vt in mentem statim veniret ingenium scriptoriæ artis, atque inuentio signorum prolationum oris. Pronius esset ex hieraticis Ægyptiorum literis, quibus perdoctus fuit Moyses ad Alphabeticas literas perspicaci consideratione ascendere hac ratiocinatione; si

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script.

signa rerum scribuntur, cur non signa verborum & vocum, & cuiuslibet vocalis soni. Nam quemadmodum verba signant res, cur non institui possunt signa verborum? Deinde si signa verborum, ex quibus componuntur sententiæ, cur non etiam signa cuiuslibet pronuntiationis, seu syllabarum, ex quibus componuntur verba? Deinde consideranti varias oris prolationes literæ reperirentur facilè. At S. Moyses diuinitùs videtur adiutus, vt diximus, ad sacrorum librorum doctrinam vniuersis communicandam.

CAPVT II.

De literis cælestibus Hebræorum.

Refelluntur Planetarij.



QVAPROPTER haud est necesse audire illos Hebræos, nescio quas nugas commentatos de literis cælorum, quibus futuros mundi euentus legendos in cælo tanquam libro Deum perscripsisse dicunt. Vnde literarum, & scriptoriæ vsus artis demonstratus hominibus; sicut imagines suas Astrologi in cælo describunt. Sic & Hebræorum Magistri suum in stellis Alphabetum, vel vt Picus Mirandulanus ait, Alphabetariom, hoc est, suæ linguæ notas, & elementa inueniri contendunt, & pro stellis literas notarunt. Et quidem Origenes hoc conatur ostendere in Commentariis in Genesim dicens: *Vniuersum cælum est quasi liber quidam apertus, omnia futura in se conscripta continens.* Idcircò in oratione Ioseph sic intelligi potest, quod à Iacob ad filios dicitur. Legi in tabulis cæli quæcumque contingent vobis, & filiis vestris. Eadem verba referunt Eusebius libro sexto Præparationis Euangelicæ. Procopius in primum Genesis caput. Et Ciccus Esculanus similiter dixit super Ptolomæi centiloquium, in cælo esse diuersas effigies, & characteres, & literas demonstrantes nobis causas inferiorum, de quibus intelligenda est illa sententia Patriarchæ Iacob: legi in tabulis cæli quæcumque contingent vobis.

At ista descriptio literarum cælestium non naturalis, sed arbitraria est, & commentitia. Rectè quidam cecinit,

Quæ modò sunt stellis nomina fecit homo.

Et Virgilius primo Georgicorum,

Nauta dum stellis numeros, & nomina fecit
Pleiades, Hyades, claramque Lycaonis Arcton.

Nam sicut Arabes reiicientes Ægyptiorum, & Chaldæorum effigies cælestes, pro Geminis pauones; pro Aquario mulum clitellatum; pro Centauro Vrsum equo commissum, pro Ophiuco ciconiam; pro Andromeda vitulum marinum; pro Cassiopea canem; pro Sagittario pharetram confinxère. Et sicut Persæ, & Indi alias formas commenti sunt; sic & Hebræi literas pro imaginibus substituerunt. Hoc autem supponit literarum notitiam & vsum, non docuit. Id quod aliqui causantur legi in cælis futurorum librorum euentus, non quia cælum eorum causa sit, neque quia in liberum arbitrium quidquam valeat; sed quoniam id quod nouit Deus futurum, in astris, literisque cælestibus præscripsit. Absurdum est, & irreligiosum, cùm sancti Patres contrà stent. Nec id sciri sine reuelatione posset. At Deus quomodo id non Sanctis suis, sed perditis, & impiis reuelauit hominibus? Quòd autem accidant vera nonnulla, quæ prædicunt Planetarij, non est mirum inter tot falsa.

At huic obiecto non est opus pluribus satisfacere, quàm quibus sanctus Augustinus respondit in libro quinto de ciuitate Dei: *Non immeritò*, inquit, *creditur cùm Astrologi mirabiliter multa verè respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est, has falsas opiniones, de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque firmare, non horoscopi notati, & inspecti aliquâ arte, quæ nulla est.* Rursus libro secundo de doctrina Christiana: *Quare ista quoque opiniones quibusdam rerum signis humanâ præsumptione instituti ad eadem illa, quasi quædam cum Dæmonibus pacta, & conuenta referenda sunt; hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino cupidi malarum rerum, homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos, atque decipientibus præuaricatoribus Angelis, quibus*

Cap. 7. & 23.

Cap. 22.

ista pars mundi infima secundùm pulcherrimum ordinem rerum diuina prouidentia lege subiecta est; quibus illusionibus, & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis, & perniciosis diuinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec aliter accidant, quàm dicantur, multáque obseruantibus secundùm obseruationes suas eueniunt, quibus implicati curiosiores fiunt, & sese magis, magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, nec ab ea sic deterruit animam; vt propterea negaret talia esse sectanda, quia falsa dicuntur ab eorum professoribus, sed etiamsi dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis; non enim quia imago Samuelis mortui, Sauli Regi vera pronuntiauit, propterea talia sacrilega, quibus imago illa præsentata est, minus execranda sunt; aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua femina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini: ideò Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius feminam illius Dæmonij correctione, atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi ex quadam pestiferâ societate hominum, & dæmonum, quasi pacta infidelis, & dolosa amicitia constituta penitùs sunt repudianda, & fugienda Christiano. Porrò quæ Origenes & Esculanus dixerunt, ex libro Iosephi apocrypho vsurparunt, quem iam reiecimus.

CAPVT III.

An prima scriptura fuerint Tabulæ Decalogi?



SVPEREST nunc vestigare post primum scriptorem, quid primum scriptum. Fuerunt aliqui tempore Augustini, imò & nostro sunt, qui tabulas legis primam omnium scripturam putarent. Et in monte Sinai doctum literas Moysem docturum easdem vniuersos. Sic sanctus Augustinus refert, & sanctus Isidorus scribit: *Hebræorum literas à lege cœpisse per Moysem.* At præter plures Hebræos nostro sæculo Hotho Heurnus in Chaldaico suo ait: *Fuerunt autem Phœnices ante aduentum Israëlitarum ex Ægypto vsi literis, qualibus & hodie Chinenses, hieroglyphicis: quas literas ignorabiles ob obscuritatem Apuleius nominat. Vnde aliâ voce adeò vt totius mundi pars melior etiam num exaudiat. Lucanus clamanit:* Lib. 18. de Ciuit. c. 39.

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi,
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Has autem indubiè ab Abrahamo accepêre, ille ab antiquis Patribus, qui à Seth, & Henoch inuentoribus. Eorum enim alter Philosophiam, alter vaticinia iis conscripsit, vt superiùs commemorauimus. Posteà autem acceptis ab Hebræis Alphabetarijs, ijs vti cœperunt; quas inde in Græciam Cadmus transtulit; quod Curtius posteritati inculcans inquit: Si famæ libet credere, hæc gens (scilicet Phœnicum) literas prima, & didicit, & docuit. Alphabetarias autem ab ipso Deo acceperunt Israëlita, cùm traderet Moysi (qui Troianum bellum nongentis ferè annis antecessit) decem præcepta huiuscemodi literis conscripta. Et in sacra Scriptura nusquam mentio literarum ante hoc tempus. Cùmque Moses primus, & solus accepisset à Deo hasce tabulas nouis literarum lineamentis exornatas; posteà ipse eas ab hominibus historiarum, & antiquitatis rudibus inuenisse dictus esset. Verùm ista publica, & solemnis promulgatio legum scriptarum, iam supponebat aliquam literarum notitiam & vsum. Idcircò opinor, non in deserto auspicatas modo dicto literas. Prætereà qui Moysi principatum de inuentis literis donant, eas apud Ægyptios inuenisse, vt plurimùm conspirant. Tandem controuersum videtur, an Moyses, vel ipse Deus illas tabulas scripserit. Quod dubium non contemnendum reputo.

CAPVT IV.

Quis Tabulas Decalogi scripserit, Moysesne, an Deus?



OCCVRRENS de scriptione duarum tabularum dubium haud prætermittendum mihi videtur. Num earum scriptor ipse Deus fuerit, an seruus suus Moyses. Et quidem nunc videntur scriptæ à Moyse, nunc à Deo scriptæ referuntur. A Moyse quidem illis verbis Exodi capite 34. *Præcide tibi duas tabu-* Exod. 34.

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script. M 2 *las*

las lapideas instar priorum. Et paulò pòst: *Scribe tibi verba hæc.* Et rursum: *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem*, nempe ipse Moyses, de quo proximè sermo præcesserat: alioqui violentia textui inferretur, vt D. Augustinus quæstione decimaquintâ in Deuteronomium aduertit: A Deo autem, illis verbis ipsius Dei ad Moysem: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.* Et alibi: *Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas antè confregisti. Scripsitque in tabulis iuxta id, quod priùs scripserat verba decem.* Rupertus libro tertio de victoria Verbi Dei, hoc prorsus censuit, capite vigesimoprimo ait: *Tanto ac tali studio Deus illis eloquia sua credidit, vt eloquiorum quoque signa, scilicet literas traderet Moysi, dando illi tabulas scriptas digito Dei.* Rursus capite vigesimo secundo locupletissimè, & clarius id confirmat: *Quis denique alius, nisi ipse Deus signorum huiusmodi, scilicet literarum auctor, vel inuentor existimabitur? Sic namque Moyses ipse testatur. Dabóque tibi (ait Dominus) duas tabulas lapideas, legémque ac mandata quæ scripsi. Legem cùm dicit, subiungendo: ac mandata, non vtique cæremoniarum, sed legem decem præceptorum vult intelligi, & rursus scriptum est: Et reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu scriptas vtraque parte, & factas opere Dei. Scriptura quoque Dei sculpta erat in tabulis, & in Deuteronomio digestis rursum decem mandatis. Hæc (inquit) verba locutus est Dominus, & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. Item de Tabulis secundis quas fecit prioribus fractis: Cúmque dolassem (inquit) duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus, scripsitque in tabulis, iuxta id quod prius scripserat, verba decem. Item in Exodo: Dedit quoque Moysi (completis huiuscemodi sermonibus in monte) duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei: ac deinceps. Præcide (ait) tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerant tabulæ quas fregisti. Quorsum ista tot testimonia? Videlicet, vt liquido constet, quod qui huiusmodi rationem & vocem, siue linguam ad loquendum dedit, idem ipse Deus literas, id est, ipsas elementorum figuras primus per semetipsum conscripsit, & ei qui primus ex omnibus hominibus scribere meruit, scilicet Moysi scriptas tradidit. Necdum quippe vel ipse Moyses quicquam scripserat, quando dixit ei: Ascende ad me in montem, & esto ibi, dabóque tibi duas tabulas lapideas, & legem, ac mandata quæ scripsi.* Quo pacto igitur, & à Moyse, & à Deo legis tabulæ scribuntur? nisi fortasse quod Moyses tanquam puer elementarius gerebat calamum; Deus autem tanquam Magister dirigebat; vt tota illa scriptura Moysi tanquam instrumento, Deo tanquam præcipuo auctori tribueretur?

Huiusmodi conciliant multi hanc controuersiam, quorum tamen finitio mihi displicet nonnihil. Absolutè siquidem statuit tabulas à Moyse scriptas, quod licet sic placeat sancto Cypriano tractatu de Spiritu sancto, & sancto Augustino in quæst. 166. valdè amplector oppositum Ruperti sensum, quem reputo scripturæ magis arridere; illud enim, quod dicit, *scriptas digito Dei*, ampliùs aliquid notat. Et in Deuteronomij capite decimo ipse Moyses referens scriptionem ad Deum ait: *Scripsitque in tabulis iuxta id quod prius scripserat verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos*, &c. Sunt aliqui opinati primas tabulas à Deo scriptas, secundas verò à Moyse. Neutras tamen à Moyse scriptas indicant testimonia citata, & Rupertus comprobat, qui libro tertio de victoria Verbi Dei, capite vigesimo quarto, ait: *Alias* tabulas *Moyses ipse fecerit, quamuis nec in illis scripserit dicente Domino ad eum: præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerint tabulæ quas fregisti.* Locus autem capitis trigesimi quarti Exodi parum obstat. Nam quamuis præcesserit sermo de Moyse cùm dicitur: *Et scripsit in tabula verba fœderis decem.* Nihilominùs de Deo hic sermo est, quod licet Latinis nouum videatur, tamen Hebræis non est, qui sæpè vel intelligunt verbi suppositum, vel remotius aliquod adsciscunt, maximè si id notũ sit, aut aliàs nominatum. Sic hîc, ex eo quod dixit Dominus se scripturum in tabulis legem, manifestum relinquitur, id quod dicitur *Scripsit ergo*, de Domino, non de Mose accipiendum esse.

CAPVT V.

An nomen Dei fuerit, quod primò scripserit Moyses?

CÆTERVM in Ægypto scripsisse aliquid Moysem reperio apud Artapanum vetustissimum scriptorem, & magni habitum à Clemente, & Cyrillo Alexandrinis, atque ab Eusebio Cæsariensi. Hic ex illo authore scribit: *Mosem à Deo quotidie liberationem*

berationem populi petere, & quodam die repentè coram eo ignem è terra, vbi nulla incendio apta materies erat, subitò erupisse, ac vocem editam fuisse, liberandos sibi esse Iudaos, & in antiquam patriam conducendos. Hac re fretum prius quàm exercitum comparasset, ad Regem Ægyptiorum soceri consilio descendisse, dixisséque orbis Domini iussu liberandos esse Iudaos. Quo audito, in carcerem ipsum fuisse intrusum. Vnde nocte custodibus mortuis, & repentè portis patentibus, ianuísque omnibus, qua ibi fuerant, fractis, exiuisse, rectáque viâ in Regiam vsque ad Regis cubiculum ianuis apertis, ad ipsum Regem intrasse: interrogatúmque à stupente Rege, quodnam esset Dei nomen, à quo missus esset. Cúmque ceruicibus inclinatis, Moses in aure sibi dixisset, audientem mutum cecidisse, & à Mose suscitatum fuisse. Scripsisse quoque ipsum nomen Dei in tabula dicit; quas literas cùm nonnulli Sacerdotum deriderent, legere nescientes, spasmo ait omnes expirasse. Credo nihilóminus ante istud tempus prius aliquid scripsisse Moysem, fortasse librum Genesis, vt posteà videbimus. Quin & ipse Artapanus ante hoc tempus inuenisse Moysem literas, eásque tradidisse affirmat.

Quod si liber Genesis prior omnium librorum sit, considerari potest cum Marino Mersenio, Quænam sit prima vox totius scripturæ? An *Bereschit*, cùm primo loco ponatur? Vnde à ראש *Rosch*, id est, principium, seu caput deducitur. An potius dicendum est *Elohim* esse primam vocem, cùm sine Deo nihil intelligi possit? Nam siue dixeris, *creauit*, siue *in principio*, siue *cælum & terram*, non percipies, quid velis, nec vllam veritatem intelliges, donec adiunxeris, seu præposueris *Deus*; vnde in qualibet oratione, aut periodo quæritur à Grammaticis, vbi sit nomen, quod vel expressè, vel mentaliter quodlibet verbum antecedit. Et quidem nomen illud rectè primam scripturæ vocem constituere possumus, quandoquidem omnia Deus mouet, regit, & sustinet, sine quo nullum nomen, aut verbum efformamus, nullam veritatem apprehendimus. Vnde Psalm. 118. dictum est optimè. *Principium verborum tuorum veritas*, vel iuxta lectionem Hebraicam, *Caput verbi tui veritas*, ראש דְבָרְךָ אֱמֶת, *Rosch deuareca emeth*, vbi miror, quod *caput*, seu *principium*, & *veritas* conueniant; sed quid mirum, cùm radix אָמַן *aman*, à qua fluit veritas, educatorem, & nutritium firmum, fortem, atque fidelem significet, qualis est prima veritas, sine qua nihil verum esse potest; veritas; quæ cùm à Patre per ineffabilem generationem processisset, iterùm per inenarrabilem generationem de terra virginali nobis orta, nobis data est, *Veritas de terra orta est.* Psalm. 84.
Quod autem Deus sit primæ scripturæ vox ex Rabbinis confirmari potest, qui dicunt LXX. sic incepisse Genesim, Θεὸς ἐποίησεν ἐν ἀρχῇ, vt primum Bibliorum verbulum sit *Deus*, qui locus vnus est ex tredecim, in quibus Septuaginta ab Hebræo dissensisse videntur, vt Rabbini volunt.

CAPVT VI.

Vbinam cœperit Moyses scribere sacros libros? An in Ægypto, vel Madian?

QVÆRENDVM autem est, vbinam diuinos libros scribere Moyses cœperit. Theodoretus in quæstione prima earum quæstionum, quas scripsit in Genesim, & Tostatus super caput decimum tertium Genesis, quæst. 132. opinantur, scriptum esse librum Genesis à Mose post legem Hebræis latam, quo nimirum tempore Moses cum Hebræis, quorum dux erat, in solitudine versabatur. Bedam quoque in eadem sententia licet ponere, cui opinioni fides duobus argumentis potest adstrui, etenim Moyses in secundo capite Genesis ait, Deum, quod in die septima requieuit ab omnibus operibus quæ fecerat in mundi fabrica, propterea benedixisse ei diei, Ipsúmque sanctificasse: quæ benedictio, & sanctificatio non videtur profectò aliud quàm vacatio ab omni labore, & opere seruili, quæ in vsu esse cœpit apud Iudæos post legem à Deo ipsis datam. Ex quo intelligitur, cùm illud scripsit Moses proculdubiò eum spectasse tempus iam promulgatæ legis, quo nimirum tempore librum Genesis ipse scribebat. Deinde in septimo capite libri Genes. Noë iussu Dei septena de mundis animalibus, bina verò ex immundis, in arcam intulit. Distinctio autem mundorum, & immundorum animalium, per legem Hebræis est cognita, & constituta: quoniam igitur septena illa animalia erant

de genere eorum, quæ posteà per legem declarata sunt munda; bina verò ex eorum numero, quæ lex ostendit esse immunda, propterea Moses habito ad id temporis respectu, quo librum Geneseos scribebat, scilicet post legem Hebræis latam quo tempore distinctio mundorum, & immundorũ animalium erat illis notissima, rectè appellauit septena illa munda, bina immunda, nempe vsus figurâ anticipationis in sacris Literis satis frequenti. Atque hac duplici ratione opinio hæc Theodoreti, Bedæ, & Tostati confirmatur, sed neutra profectò admodum firma ratio est, facilèque repelli potest. Etenim multa quæ per legem Mosaicam constituta sunt, etiam ante legem fuerunt in more, & vsu apud probos, & religiosos viros, non quidem lege aliquâ, Deique præcepto sancita, sed ex maiorum traditione, vel vsque ab Adamo, vel certè ab eius nepote Enos, cuius tempore ceptum esse dicitur inuocari nomen Domini, profecta. Quo fit, vt longè ante Mosaicam legem in sacris Literis legamus fuisse in vsu constructiones altarium, & oblationes, certósque ritus sacrificiorum, vota item & decimas, abstinentiam quoque à sanguine, & suffocato: necnon & suscitationem seminis fratris, qui sine liberis esset mortuus. Quare in horum numero etiam Sabbathi obseruantia, & distinctio mundorum, atque immundorum animalium esse potuit. Hæc optimè notauit Benedictus Pereirus, qui mauult ante discessum Hebræorum ab Ægypto, librum Genesis à Moyse scriptum, quod etiam videtur sentire Eusebius libro septimo Præparationis Euangelicæ, capite secundo. Aliquibus tunc videtur cùm Moyses Ægypto profugus, per quadraginta annos in terra Madian versatus est; vbi soceri sui gregem pascendi curam agens, & otio & solitudine, duabus ad commentandum, scribendúmque rebus maximè opportunis ad res diuinas animo pertractandas, literísque prodendas mirabiliter illectabatur. Atque huc venit, quod Cedrenus in compendio historiarum scribit: Νόμους πρῶτος Μωϋσῆς γέγραφε τοῖς Ἰουδαίοις. καταλιπὼν δὲ Μωϋσῆς τὰς κατ' Αἴγυπτον διατριβὰς, εἰς τὴν ἔρημον ἐφιλοσόφει διδασκόμενος παρὰ τοῦ ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ τὰ περὶ τῆς γενέσεως τοῦ κόσμου καὶ τοῦ πρώτου ἀνθρώπου, καὶ τὰ μετ' ἐκεῖνον, καὶ τοῦ κατακλυσμοῦ καὶ τῆς συγχύσεως, καὶ τῶν γλωσσῶν, καὶ τῶν περὶ τὸν πρῶτον ἄνθρωπον, καὶ τῶν μέχρις αὐτοῦ χρόνων καὶ περὶ τῆς νομοθεσίας, τῆς μελλούσης παρ' αὐτοῦ δίδοσθαι τῷ Ἰουδαίων ἔθνει καὶ τὰς τῶν ἄστρων θέσεις, καὶ τὰ στοιχεῖα, καὶ ἀριθμητικὴν, καὶ γεωμετρίαν, καὶ πᾶσαν σοφίαν ὡς ἐν τῇ λεπτῇ γενέσει κεῖται. *Primus Moses Iudæis leges posuit. Idem hominum in Ægypto consuetudine relictâ, in solitudinem, vt sapientiæ studio vacaret, se contulit. Ibi (ita quidem parua Genesis refert) à Gabriele Angelorum Principe edoctus fuit de origine mundi, de primo homine & eum subsecutis, de diluuio, de confusione & diuersitate linguarum, de statu primi hominis, de temporibus vsque ad ipsum elapsis, de lege quam Iudæis erat traditurus, de syderum positu, elementis, Arithmeticâ, Geometriâ, & omnibus scientijs.* Sanctus Basilius scribit quadraginta annos vacasse Moysem contemplationi, dum exulabat. Neque leuis coniectura multis videtur scriptionem libri Geneseos plurimum eo tempore conferre potuisse ad consolandos, & erigendos animos Hebræorum, qui id temporis diuturnâ, & prægraui Ægyptiorum seruitute oppressi tenebantur. Obiectabat enim hic liber ante oculos eorum qui Hebræi populi fuère Principes, ac parentes, eximias virtutes, & res præclarè gestas maximè verò in rebus aduersis inuicti animi magnitudinem, atque constantiam; scilicet Iudæi tam insignibus maiorum suorum patientiæ exemplis, & fiduciâ diuini auxilij, quod illos sæpè rebus planè desperatis expertos fuisse legebãt, in illa suorum temporum acerbitate, & calamitate maiorem in modum sustentari, ac recreari poterant. Repræsentabat etiam hic liber eorum animis magnifica Dei oracula, & promissa, & in primis illud quo prædictum fuerat Abrahamo, fore, vt post ortum filij sui Isaac, posteri eius quadringentorum annorum laboriosâ peregrinatione, durissimâque seruitute affligerentur: sed post eius temporis decursum, iri omnes mirabiliter liberatum, & promissæ, optatæque terræ Chananæorum possessione potituros: eius autem temporis finis iam tunc proximè aberat. His igitur argumentis fit vt opinio Eusebij ad veritatis similitudinem multis propensior videatur. Sic enim eo loci, quem paulò suprà posui, scribit Eusebius: *Primus apud Hebræos eximius ille Theologus Moses scripta reliquit, qui diuinitùs, antequàm leges poneret, maiorum vitas animis hominum impressit: ita bonorum præmijs, & impiorum supplicijs ad amplexandam virtutem, & fugiendam impietatem exhortatus, legem tandem in medium proposuit, iudicauit etiam, ne fortè difficillima legis præcepta Iudæi ducerent, atque ab illis resilirent priscorum exempla esse proponenda, vt omnibus pateret absque legum mandatis solâ ratione nixos optimè maiores Iudæorum vixisse, atque ideò non fore ipsis difficile vitas illorum imitari, si paria diuinitùs consequi præmia desiderarent.* Fauet Au-

gustinus libro decimo octauo de ciuitate, vbi ait: *Moyses in populo Dei constitutus, qui docendis literis praeessent priusquàm diuinae legis literas nossent.* Et in quaestione decima octaua in Exodum sic affirmat: *Quod ante legem datam Hebraei habuerint literas, quae quando coeperint esse, nescio vtrùm valeat indagari?* Et quidem licet plurimi Hebraeorum, aut penè omnes, ignari oblitique essent patriae linguae, vt sexto libro differemus: sibi tamen & paucis aliis potuisset in Madian Genesim scribere Moyses, & secretum literarum iisdem communicare in Ægypto, in alios posteà deriuandum post Hebraeae linguae peritiam. Cap. 39.

CAPVT VII.

Ecquid prius scripserit Moyses librum Genesis, an librum Iob?



HINC etiam statui potest nullam esse rationem, vt priùs dicamus, scriptam à sancto Moyse historiam Iob hominis Idumaei, quam historias Patriarcharum & vitas maiorum ipsius Israëlitici populi. Suntqui dicant scriptũ à Moyse exule in Madian librum Iobi, vt afflictos consolaretur Iudaeos admiranda tanti viri patientia: at non minus opportunum erat scribi librum Genesis vt Patrum suorum exemplis eximia patientia, & Dei fiducia solaretur, atque exhortaretur Hebraeos ad perferendum labores, & sperandum meliora de Deo. Caeterùm & conueniens ratio est Origenis, qui post egressum ex Ægypto cum populo Dei, putat scriptum à Moyse volumen Iobi, quàm huc transcribere operae & morum nostrorum pretium erit. *Necessariò* (inquit) *Moses Iob virtutem mandat literis. Institutio enim erat Israëlis, de illo suscepta narratio. Quoniam enim elato erat animo populus ob generis propinquitatem, & miracula, quae eis consulendi causâ perfecta erant, elementa enim (vt ita dicat aliquis) cum eis pugnabant propter promissa, quae eorum Patribus facta fuerant, diuisum mare, Nilus cruore tinctus, & infectus, tenebrae impijs hominibus offusa, mors primogenitorum fructuum Ægyptiorum conficiens, propter decretum caedis puerorum, caeterarúmque cladium enumeratio; quae omnia Iudaeis animos tollebant, ita vt diuinam virtutem negligerent, & praeterea hominum iustitiâ elati, Religionem contemnerent, & quasi debitum à Deo, promissa quae Abrahae, Isaac, & Iacob fecisset, reposceret. Hac igitur eorum opinione adductus Deus, aequum putauit per Mosem, viri huius virtutem illustrare, populi corrigendi, atque adeò generis hominum docendi gratiâ. Docebatur enim non elato animo esse ob maiores, sed suis sudoribus ac laboribus iustitiam quaerere. Si enim is qui ex Esaü, quem Deus odit, genus duxit, eiusmodi pro sua in Deum charitate declaratus est: quanto magis populus, qui à Iacob, qui Deo charus fuit, ortus est, in gloria erit, si suam in Deum retinuerit charitatem? Quoniam enim videbatur hic aliquid pati generi Esau, maximo ei dedecori fuisset, si Iob qui ab Esaü ortus erat, suo in Deum studio, se cum Abraha cognatione ac genere coniunxisset: ipse autem sua maleuolentia, cùm generis Iacob esset, à suo genere esset alienatus. Docebantur ergo existimare nullum impedimentum virtutis esse ijs, qui virtutem sequantur, non generis splendorem, non gentis scelus, non nobilitatem, aut cognationem, sed solam maleuolentiam. Non enim genus quemquam Deo coniungit, sed charitas, & beneuolentia, quae in eum habetur, & vita quae charitati respondeat. Haec est enim charitatis significatio, Dominum Deum, & proximum aequè, ac seipsum amare. Beatus ergo Iob, cùm ad Esaü genus referret, se virtute suâ sanctis viris, bonisque coniunxit. Noë enim, inquit, & Iob, & Daniel, si steterint coram me, ait Dominus per Ezechielem Prophetam. Si ergo his annumeratus est, perspicuum est eum etiam cum Abraham coniunctum fuisse propter religionem, ac pietatem, eiusdemque generis, & ordinis esse, cuius & Isaac, & Iacob fuerunt. Vt igitur omnis etiam homo cum Deo discumbit: sic non omnis qui à Iacob ortus est, his annumeratus est, qui malâ & peruersâ voluntate se à suo genere abalienarunt.* Hactenus Origenes. Id saltem mihi videtur colligi ante reuelatum Moysi nomen IEHOVA librum Iobi non scripsisse, cùm in eo inueniatur sacrosanctum hoc nomen priscis Patriarchis incognitum.

CAPVT

CAPVT VIII.

An prius ſcripſerit Moyſes Pſalmum octogeſimumnonum, quàm libros Geneſis, & Iob?

DICAMVS iam de Pſalmis à Moyſe compoſitis; an ante ſcriptionem longiorem meditatus eos fuerit? incertum eſt an ſcripſerit Pſalmos, qui nunc extent. Nam licet ſanctus Hieronymus, Genebrardus, & alij putauerint, ſcripſiſſe Moyſem Pſalmum octogeſimum nonum cum decem ſequentibus. De his decem, haud eſt firmum fundamentum. Illud concedi poteſt (& fortaſſe ita eſt) Pſalmum octogeſimum nonum ſcripſiſſe; nam titulus id videtur indicare, *Oratio Moyſi hominis Dei.* Verùm quæ in ipſo Pſalmo cecinit, conſcriptum in egreſſu, aut poſt egreſſionem ab Ægypto ſuadent: alludit quippe ad lætitiam, & exultationem pro libertate recuperatâ, & ad priſtinam Ægyptiacæ oppreſſionis humiliationem: *Exultauimus*, inquit, *& delectati ſumus omnibus diebus noſtris, lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis, quibus vidimus mala.* Clariſſimè Paraphraſtes tempus deſignauit, ſed incertum mihi quando ſcriptus fuerit. Sic in titulo huius Pſalmi præfigens: *Oratio quã orauit Moyſes Propheta Domini, quando peccauit populus domus Iſraël in deſerto.* Sanctus Athanaſius ſcribens Marcellino conſulit: ſi ſcire concupiſcat, quomodo Moyſes orauerit, habere hunc Pſalmum. Equidem non ambigo talem orationem fudiſſe ſanctum Moyſem in egreſſu, aut poſt egreſſum ab Ægypto. In illo poterat eſſe maior dubitatio, An iſte Pſalmus à Dauide non fuiſſet ſcriptus; ſiquidem quod Moyſes dixerat, poterat Dauidi reuelari, vt ſcriptis mandaret, quod Arnobius indicare videtur. Sed hoc diuinare eſt, & cùm Pſalmi aliqui videantur ab aliis compoſiti, cur Moyſes excludendus eſt? Et ſanè aſſentio Fabro reiicienti Paulum Hebræum, qui docuerat hunc Moyſem in Pſalmi titulo poſitum, non legiſlatorem fuiſſe.

CAPVT IX.

De aliis ſcriptis Moyſi imputatis.

HOc breuiſſimè dicendum, an alium librum ſcripſerit Moyſes ante ſcripturam Geneſis. Sunt aliqui quorum noſter meminit Delrius, qui ventitent librum de Chryſopœia, ſeu Alchimia à Moyſe ſcriptum, cuius artificium Ægyptios (ſic ferunt) docuit; qui in ea arte excelluerunt vſq; ad Diocletiani tempora. Suidas enim ſcribit, cùm Ægyptij res molirentur nouas multorum illuſtrium virorum cæde hoc incendium fuiſſe in ipſo exordio ſopitum & conquiſita veterum ſcripta. De auri, atque argenti fuſione Diocletiani iuſſu, flammis addicta fuiſſe, ne Ægyptij ex illa arte ditati, & auro freti, iterùm rebellarent Romanis. Inde traxiſſe originem nomen *chemia*, ab Ægypto nimirum. Etenim Græci ſcriptores non χυμίαν, ſed χημίαν ſcribunt; atque ex Plutarcho tradunt aliqui Ægyptum ſacrâ linguâ Sacerdotibus vocati *Chemiam.* Arabes poſteà addidiſſe articulum *Al*, atque inde Europæos accepiſſe nomen, & artem. Sed impoſtorum mos eſt ſpecioſo aliquo authoris titulo nugas ſuas ſpargere. Sic multi libri Adamo & aliis Patriarchis falsò imputati. Librum autem bellorum Domini, quem ipſe Moyſes citat, non eſt neceſſe dicere ante librum Geneſeos compoſitum, cùm in libro Numerorum, qui poſteà ſcriptus eſt, illum alleget. Quapropter nullus alius liber prior libro Geneſis videtur facilè affirmandus: nam & à Moyſe primus apparet ſcriptus, & Moyſes primus omnium ſcriptorum. Quamuis ſciam Clementem Alexandrinum in primo Stromatum ſic teſtatum: *Alcmaeon quidem Perithoi filius, Crotoniata primus librum ſcripſit de natura. Alij autem Anaxagoram Hegeſibuli filium Clazomenium primum librum ſcriptum edidiſſe referunt. Modos autem poematibus primus adiecit, & Lacedæmoniorum leges numeroſis verſibus ſcripſit Terpander Antiſſeus.* Et paulò antè, *Primam ſcripſiſſe epiſtolas Atoſſam*

Perſarum

Persarum Reginam dicit Hellanicus. Verùm hos omnes posteriores Moyse agnouit ipse Clemens; atque idcircò eorum primatus stringendus est intra Græciæ, aut Persiæ septa.

CAPVT X.

Quali artificio effigiatæ literæ Hebrææ, & cur nomini Abraham addita vna litera nominis Dei?

QVÆRENDVM quoque de arte, quâ sacrarum Literarum pictura est instituta. Video multos Hebræorum mirari suorum characterum artificium, atque inde multa mysteria venari. Opportuna quippe erit ista quæstio, vt exploremus, quod genus characteris inuenit Moyses. Dicunt ex Iod omnes literas confici. Aleph ex quatuor Iodim, Gimel ex tribus, Vau ex duobus, deinde ex decem primis cæteras omnes literas. Obseruant quasdam literas benè fundatas, aliàs non. Illis scribi bona, & permanentia, & vera; istis fluxa & mendacia. Sic obseruatum habent, vt Aruch ex Talmude elicit in voce אמת *emeth*, veritatem pedibus esse firmis, mendacium verò claudis, & acutis. Literæ enim quibus veritas scribitur, aut duos pedes habent, aut basim quâ sustententur; quibus verò mendacium, aut μονόσκελοι sunt, aut in cuspidem desinunt, vt ex ipsarum figurâ manifestum est, אמת *emeth, veritas*; שקר *scheked, mendacium*. Simili sensu veritatem cubo nostri comparant. Præterea in nomine *Emeth, veritas*, tres sunt literæ, quarum prima initium est Alphabeti, secunda medium, tertia finis. Hinc Ioseph Albo serm. 2. in fine cap. 27. probat nomen veritatis meritò fuisse Deo attributum, cùm sit causa causarum, principium principiorum, omniúmque rerum regat initium, progressum, & exitum. In litera quoque Mem, clauso, aut aperto multa mysteria expiscantur. celebris etiam nostris interpretibus locus est capitis noni Isaiæ, vbi dicit *Multiplicabitur eius imperium*. In Hebræo est pro voce *multiplicabitur*, לםרבה *lemarbe*, vbi præter consuetum morem ponitur in huius dictionis medio ם *mem* clausum, cùm alioqui מ *mem* apertum locari deberet. Ideò sic constitutum credunt multi etiam ex nostris, vt Matris Messiæ omnimoda virginitas significaretur, cuius claustri integritatem extraordinariam adumbraret elementum extraordinariè, & præter communem legem ibi statutum. Alij *mem* clausum addunt, ibi positum, vt imperij Messiæ multiplicatio ostenderetur, quod vniuersum orbem foret comprehensurum, & in sua ditione omnes nationes clausurum. Deinde in litera ה extrema eius dictionis mysterium cognoscit Rabbi Heccados vetustissimus, qui in libro, quem scripsit reuelator arcanorum, sic dixit: *He ex Daleth, & Vau componitur in hac figura* ה*: ita Rex Meßias componitur ex diuinitate, & humanitate. Et sicut harum literarum* ד *Daleth &* ו *Vau, quæ conficiunt* ה *He, vnaquæque est abinuicem distincta, quamquam sit vna litera. Ita in Meßia substantia diuinitatis, & substantia humanitatis simul vnitæ sunt vnus Meßias.* Hæc ille. Hîc mihi occurrit, quod reticere nolo, causa quæ reddi ab aliquo posset, cur nomini Abrahæ, cui primum Messias ex eius semine est promissus, quique multarum gentium Pater designabatur, addita est litera ה, quia scilicet ex semine eius nasciturus esset Deus homo, cuius imperium sic multiplicandum erat, vt eius ratione multarum gentium futurus esset Pater Abraham, plurium scilicet spirituali propagatione quàm carnali.

Formæ quoque literarum ה & י considerantur. Rabbi *Abhu* & in Midras Tehilim super Psalmum centesimum decimum tertium, vbi dicitur: *Dictum est Isaiæ 26. Quoniam in* יה *Iodhe, formauit Deus mundos. Et nos nescimus, vtrùm hic mundus creatus sit cum Iod. Et quid fecit nos nescire hoc? Quoniam dictum est Genesis capite secundo. Hæ sunt generationes cæli, & terræ. Vbi secundùm proprietatem Hebraica scriptura videtur, quod cum* יה *Iodhe, vterque mundus creatus sit, verùm cum* ה *He hic præsens mundus creatus est. Quemadmodum enim dispositio huius literæ* ה *He, aperta est inferius, & clausa ex omni eius latere. Sic sæculum istud dispositum est. Quicumque enim creati sunt in eo, in infernum descendunt. Illud verò quod est in ea rectum, mortuorum viuificationem significat. Sæculum autem futurum creatum est cum* י *Iod. Quare? quia sicut dispositio literæ* י *Iod staturam habet replicatam: ita facies impiorum pallidæ erunt, contrahentur, & contristabuntur in futuro. Alius sermo. Quemadmodum dispositio huius literæ* י *Iod,*

modica est in sua statura: Sic impij in futuro. Sicut dictum est Isaia secundo: Deprimetur sublimitas hominis. Cernens autem David duabus literis istis creasse Deum sanctum, & benedictum mundos duos, cæpit cum eis magnificare, & laudare Deum, dixitque הללויה *halelu-ja, id est, laudate Deum. Cuius dictionis duæ vltimæ literæ sunt* יה *Iod he.* Hæc ibi. De נ *Nun* inuersa, quam in capite decimo Numerorum, vers. 35. & in dictione *Haran*, & aliis locis scribunt Masoretæ, multa etiam notant. Liber Zohar hanc inuersionem & separationem literæ *Nun* notauit ad hunc Numerorum versum, quâ significari ait conuersionem vultus Dei in Israëlem cùm proficisceretur: Deum videlicet castris præiisse, sed vultu in castra conuerso, non secùs ac qui amant oculos ab obiecto auertere non possunt. Figura נ *Nun* malè etiam in Zohar Cremonensis editionis efformata est. Rabbi Menahen, & alij referunt ad nescio quam coronam, quæ in *Nun* inuersa apparet.

Et quidem si Græcas & Latinas literas cum arte fabricatas putent multi, cur non Hebraicæ? nam Y literam Pythagoras Samius ad exemplum vitæ humanæ primus dicitur formasse, cuius virgula inferior primam ætatem demonstrat, incertam quippe, & quæ adhuc se nec vitiis, nec virtutibus dedit. Biuium autem quod superest, ab adolescentia incipit; cuius dextra pars ardua est, sed ad beatam vitam tendens: sinistra facilior, sed ad labem, interitúmque deducens, de qua Persius incinuit:

Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstrauit limite callem.

Et Virgilius, siue alius vetustus Poëta apud Lactantium, explicatiùs cecinit:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur:
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilémque aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata: sed vltima meta
Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudémque, decúsque parabit.
At qui desidiam, luxúmque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incautâ mente labores,
Turpis, inópsque simul, miserabile transiget æuum.

Nec ineptè quidem Abbas Philippus capite quadragesimo octauo de silentio clericorum, vbi de Pythagora locutus, ait: *Nouus iste Philosophus nouam Y literam adinuenit, in cuius forma illud innuit figuratè, quod indiscreto iudicio primâ viuitur in ætate, quâ finitâ, quoddam quasi biuium inuenitur, dum vel ad dexteram prudentiæ, vel ad sinistram stultitiæ deuenitur. Quarum sinistra priùs lata & spatiosa grato lenocinio voluptatis ad finales tendit angustias, concupitæ merito prauitatis: dextera verò prius arcta, & angusta, graui quâdam facie, vel initio sanctitatis leuigatur in profectum, & transit ad perfectum diffusa charitatis. De quibus Salomon: vias, ait, quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersa autem sunt, quæ à sinistris sunt. Ob hoc huius literæ sinister ramusculus à latitudine inchoans, angusto exitu terminatur; dexter verò priùs angustior ad vltimum dilatatur, quia & angustiis pœnarum clauditur lenocinantis iniustitiæ gratitudo, & arctum iter iustitiæ grata præmiorum excipit latitudo.* Sanctus Isidorus notat quinque esse apud Græcos mysticas literas; prima Υ, de qua nuperrimè. Secunda est Θ *thita*, quæ mortem significat: nam Iudices eandem literam apponebant ad horum nomina, quos supplicio afficiebant, & dicta est Θ *thita*, ἀπὸ τοῦ θανάτου, id est, *à morte*: vnde & habet per medium, telum, id est, mortis signum, de qua Poëta quidam sic ait,

O multum ante alias infelix littera Theta.

Tertia T figuram demonstrat Dominicæ Crucis. Vnde Hebraicè *signum* interpretatur, de qua dictum est in Ezechiele: *Signa Thau in fronte gementium, & dolentium.* Reliquas verò duas, α, & ω, summam & vltimam sibi vendicat Christus, ipse est enim principium & finis, dicens: *Ego sum α, & ω.* concurrentibus enim in se inuicem his duabus literis α, ad ω, vsque deuoluitur, & rursum α, ad ω, replicatur, vt ostenderet in se Dominus, & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium. Hæc sanctus Isidorus. At sanctus Iustinus Philosophus & Martyr, addit etiam X, cuius formâ ipse in secunda ad Antoninum Pium Apologia affirmat mysterium sacratissimæ Crucis Christi contineri, Platonem eius rei testem aduocans; qui in Timæo de filio Dei disserens, inquit, Deum in mundo filium suum instar X, literæ posuisse. Nihilominus

hilominus nimiam Hebræorum obseruantiam circa literas non probo, quoniam fortuita potuisset esse literarum effigies, & deinde accidens scribæ error superuenire. Denique Moyses non eos instituit characteres, quibus nunc vtuntur Hebræi, vt mox videbimus.

CAPVT XI.

Quibus characteribus fuerit Moyses vsus?



PORTET igitur explorare, an his characteribus scripserit legem Moyses, quorum minor reuerentia erit, si non sunt illi primæui, quibus sacra Scriptura auspicia sumpsit. Nonnulli Hebræorum putant hoc ipso charactere, quo nunc vtuntur Hebraici libri sacri, scriptam olim legem, & Moysem vsum fuisse; sed id superstitiosè nonnulli defendunt, & futiliter, & inuidè propter Samaritanorum odium. Sinceriùs, & firmiùs sanctus Hieronymus, imò nobiliores apud Iudæos Doctores censent non isto charactere, quo Iudæi modò vtuntur, & vocatur Assyrius, sed Samaritano scripsisse Moysem. Sanctus Hieronymus præfatione in libros Regum clarissimè pronuntiat: *Samaritani Pentateuchum Mosis totidem literis scriptitant, figuris tantùm, & apicibus discrepantes. Certúmque est Esdram scribam, legísque doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabele alias literas reperisse quibus nunc vtimur, cùm ad illud vsque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint.* Idem Sanctus commentans capite tertio Epistolæ ad Galatas, post castigatam textus Hebraici ex Samaritanorum codicibus corruptelam, illorum literas Iudaicis antiquiores confidenter pronuntiat. Idem habet in caput nonum Ezechielis: ante Hieronymum autem hoc, ipsum dixit Eusebius in Chronico, & post eum Beda, & Rupertus, & multi alij.

In cap. 3. ad Galat. vers. 10.

Audiamus nunc Hebræos. Primùm ex Thalmud, initio sectionis, כל כתבי, est autem illa in tractatu de Sabbato. Verba autem sunt ista: *Scriptura quæ est in manibus nostris hodie quâ libri scribuntur, non est scriptura Hebraica sine dubio.* Babylonij Doctores Zutta, & Hokba ita sentiunt & edicunt in Talmud tractatu Sanhedrin sect. 2. *Initio data est lex Israeli scriptura Hebraica, & lingua sancta: restituta est* (lex) *& data iis in diebus Esdræ scriptura Assyriaca & lingua Chaldaica. Posteà expurgauerunt, & elegerunt pro Israële scripturam Assyriacam, & linguam sanctam, & reliquerunt idiotis scripturam Hebraicam, & linguam Chaldaicam. Qui sunt illi idiotæ? Respondit R. Chasda, Cuthæi. Quæ est scriptura Hebraica? Respondet iterùm Chasda, scriptura est insculpta. Insculpta* Vertit Morinus non malè, quod alij *Libonæa*, constat enim ex R. Nathane in Aruch ליבנה in Tamuld nonnunquam pro scalpro, seu cælo vsurpari, & ליבונה pro re incisâ. Respondit igitur R. Chasda interroganti, quæ esset scriptura Hebræa, quâ Cuthæi vtuntur, illam esse quæ in numismatis, seu siclis Iudaicis insculpta conspicitur. Rabbi Salomon Iarki in hunc Talmudis locum existimat sic vocari, *Literas magnas, qualis est forma illarum, quas scribunt in amuletis, & postibus.* Supplet Azarias cap. 56. libri אמרי בינה, his Salomonis verbis allatis, *quod consuetum est apud Cuthæos, qui sunt Samaritani.* Hoc sensu Libonæa scriptura nihil aliud est quàm Samaritana, quâ & monetæ priscæ conscriptæ repetiuntur. Moses Bar Nachman scribit ad calcem Commentarij sui in legem, de se cùm esset Accone, quæ ciuitas est Palæstinæ: *Inueni ibi in manu seniorum terræ monetam argenteam signatam sculpturâ sigilli. Ex vno latere erat velut figura virgæ amygdalinæ, & ex altero velut figura vrnæ. In vtroque autem latere ad marginem scriptura erat insculpta admodum manifestè. Et ostenderunt scripturam illam Cuthæis, qui statim eam legerunt, quia scriptura erat Hebraica, quæ relicta erat Cuthæis, sicut commemoratur in Sanhedrin. Legerunt autem ex vno latere, SICLVS SICLORVM, & ex altero, IERVSALEM SANCTA; dicebant quoque figuram esse virgæ Aaronis amygdalarum, & florum eius, figuram verò secundam esse vrnæ, in qua erat Manna.* Sic intelligetur glossa Thalmudica, quæ idem confirmat: *Scriptura Hebraica, vel quæ non mutat linguam, sed characterem, ea est quæ scribitur charactere eorum qui sunt trans fluuium, & in tractatu Sanhedrin vocatur scriptura Libonæa, Donec scripseris eum Assyriacè, scriptura Assyriaca scriptura est nostra.* Clarissimè Rabbi Moses Ægyptius commentatur: *Hebraicè, est lingua Hebræa: Scriptura verò Hebræa est scriptura Heber; ipsa autem scriptura est, quâ scribit legem populus, qui*

appellatur Samariticus. Scriptura autem cum qua nos ſcribimus legem, ſcriptura eſt Aſſyria. Commentator alter Obadias à Bartenora dictus: *Scriptura Hebræa, ſcriptura eſt, quæ venit de trans fluuium; Cuthai autem eam ſcribunt vſque in hunc diem, &c. Scriptura autem, quâ nos ſcribimus libros hodie, vocatur ſcriptura Aſſyriaca.* Hieroſolymitanum Talmud, quod Babylonico longè antiquius eſt, idē docet multis verbis, & clariſſimè tractatu Meghilla, ſect. 1. *Aſſyria eſt ei ſcriptura, ſed non eſt ei lingua: Hebræa eſt ei lingua, ſed nō eſt ei ſcriptura. Elegerunt illis ſcripturā Aſſyriacam, & linguam Hebræam. Quare autē vocatur Aſſyria, quia character eius excellens eſt, & ornatus. Dixit Rabbi Leui, eo quod aſcendit per manum eorum de Aſſyria. Docuit Rabbi Ioſe, dicens, Dignus erat Eſdras, per cuius manum daretur lex, niſi præceſſiſſet eum ſæculum Moſis. Quanquam autem data non ſit lex per manus eius, tamen data eſt ſcriptura, & lingua per manum eius.* Samuel Iaphe ex ſententia ſua ſic iſta breui interpretatur columnâ 3. fol. 194. *Opinio mea eſt, quòd mutata fuerit ſcriptura in diebus Danielis, ex ſcriptura Hebraica, in qua data eſt lex, in ſcripturam Aſſyriacam, & ſcripta fuerit lex Aſſyriacè in diebus Eſdræ.* R. Ioſephus Albo ſermone ſeu parte tertiâ, cap. 16. libri quem ſcripſit de fundamentis, fidei ſcilicet Iudaicæ: multis de hac re diſſerit: ſermonem autem ſuum incipit à re maximè memorabili, & ſcitu digniſſima. *Cùm aſcenderunt è Babylone, decreuerunt conſtituere memoriale captiuitatis ſecundæ. Hoc autem fecerunt duobus modis: vno cùm reliquerunt ſcripturam Hebraicam, & elegerunt ſibi ſcripturam Aſſyriacam in monimentum, quod in Aſſyriam tranſportati fuerant, & inde migrauerant. Et ſic dixerunt Magiſtri noſtri, quorum memoria eſt in benedictione, in additamento ad tractatum Sanhedrin. Quare vocatur nomen eius Aſſyria? quia aſcendit cum eis de Aſſur.* Neque leue indicium eſt ſiclos Iſraëliticos Samaritani Alphabeti literis inſcriptos, cuius magna ratio habita eſt Rabbi Azariæ, qui extremum adiiciet teſtimonium: in libro quem ſcripſit *Lumen oculorum*, prolixè de hoc tractat: *Dicemus nonnulla*, ait, *de figurâ, ac formâ literarum Hebraicarum, non de illis quibus hodie vtimur, ſed quibus legerunt maiores noſtri. In libro Meghilla, & libro Sanhedrin inſcriptum erat literis Hebraicis, eorum ſcilicet qui ab Heber deſcenderunt, cum quibus etiam inſculptæ erant literæ eorum, qui ſunt in Libano, & dixit R. Salomon, eſſe literas magnas, veluti eæ, quas ſcribunt in membranis, & poſtibus Chutai; etiam R. Moyſes filius Maimon ait illis vti eos, qui vocantur Samaritani: Et ecce ſecundùm quod vidi in manuſcripto viri fide digni de terra San, quod exemplar ipſe manu ſuâ ſcripſit ad R. Patachiam Iadam Spoletanum, dum eum doceret linguam Arabem, & R. Moyſes medicus filius eius oſtendit mihi hæc Ferraria. Et etiam ſecundùm quod hæc Mantuæ ſapiens R. Samuel oſtendit mihi in manuſcripto tractatum R. Moyſi Baſſola ad terram ſanctam, & quædam noua, quæ vidit in illo tractatu, ſcripta manu rectâ, & propriè, vt ſuprà dixi. Et etiam ſecundùm quod oſtendit mihi Mantuæ ſapiens R. Ruben Peruſinus in tractatu quem conſignauit ei quidam Chriſtianus Doctor Bononienſis, & idem repererat in libro antiqua fide digno apud illos. Et Alphabeti Samaritani hæc eſt figura, & hic eſt ſermo dicti R. Moyſis Baſſola. Et ecce reperi apud R. Moyſem Maimon expoſitionem legis, quam ſcripſit, & hæc ille ait: Benedixit mihi Dominus vſque adhuc, quod perueni ad Hares,* (Ptolomaida intelligit) *& inueni ibi in manu cuiuſdam ſenis illius vrbis, monetam argenteam ſculptam ex vno latere, veluti baculo amygdali, & ex alio latere, vaſe, & in duobus circulis ſcriptum erat, & inſculptum bene. Et oſtendit dictus ſenex ſcripturam Chutæis, qui illam legerunt (ſcriptum enim erat literis Heber) quæ remanſerunt dictis Chutæis, vt habetur in Sanhedrin ex vno latere* שקל השקלים, *ſechel haſſechalim,* SICLVS SICLORVM, *& ex alia legerunt* ירושלים הקדושה *Ieruſalaim hakkedoſa.* IERVSALEM SANCTA. *& dixerunt illam figuram eſſe virgæ Aaron cum ramis & fructibus; alteram verò figuram vaſis mannæ, & librauimus illam in ſtatera, & pondus habebat decem argenteorum, qui ſunt dimidia vncia, vt expoſuit Rabbi Salomon. Sed certè ego, ſit benedictus Deus, vidi vnum ſiclum ex ſupradictis, & oſtendam tibi id, quod R. Moyſes Elſecher in ſuis reſponſibus ſcripſit; ait enim: Scito, quod peruenerunt ad manus meas quædam moneta ex multis generibus diuerſa, in pondere ſicli, & ſemiſicli. Et in nonnullis earum ſcriptum eſt, anno tali conſolationis Iſraël, & in aliis anno tali Regis talis. Et in quibuſdam vidi formam palmæ faſciculi, & cedri. Et dixit mihi quidam Hebræus in illa ſcriptura peritus, quod in vno latere erat ſcriptum literis Hebræis antiquis, & opinor quòd ſint inſculpta tempore ſeruitutis.* Hebræorum nimirum ſub Imperatoribus Græcis. Hæc ſatis.

CAPVT XII.

Parum solida argumenta existimantium Moysem scripsisse literis Assyriis.

HI autem Thalmudistæ perpauci, qui contrà opinati sunt mirè expiscantur antiquitatem Assyrij characteris; nam cum pluribus Legis locis columnæ tabernaculi dicantur vncinos habuisse, quibus aulæa, & alia eiusmodi appenderentur: & idcirco aliquando legitur, *Vncini columnarum*; ipsi apposité legunt, *Vncini columnæ*, & coniectantur inde literam ו *Vau*, quæ vncinum significat, & propter formam sic vocata fuit tempore Moysis, non secùs ac nunc fuisse vncino & columnæ similem. Literas proinde suas eas esse, quas inuenit Moyses, & quibus lex è monte Sinai data. Dicunt etiam propter peccata Hebræos suorum characterum oblitos; Pœnitentibus autē in captiuitate Babylonica, restitutum iis fuisse antiquum scripturæ genus, quod colligunt ex capite nono Zachariæ: *Conuertimini ad munitionem vincti spei*; hodie quoque, *annuntians duplicia reddam tibi.* Ipsi legunt, *exemplar reddam tibi*; nam משנה *mischneh* & *duplicia* & *exemplar* significat. At cur non Isaias similiter intelligendus, cùm ait, *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis?* Faceta sanè argumentatio, nec minus iucunda est, quæ de vicinis columnis nugantur. Quod si ex literarum lineamentis antiquitatem venari velimus ad vncini figuram propius accedit *Vau* Samaritanum, quàm Assyrium, seu Iudaicum: nam Iudaicum similius clauo est, quàm vncino. Samaritanum autem iuxta omnium figuras vncum semper similat, plus, minúsve pandum, aut recuruum. Accedit figura literæ Tau, de qua apud Ezechielem, & iam dicemus.

Ex Catholicis autem scriptoribus vnus est Baronius, qui censuit tomo secundo anno 180. Christi, hunc ipsum Hebræum esse illum, quo à Moyse scripta lex, & ab eo, aliisve alij deinceps libri Bibliaci; quia Philo libro secundo de vita Moysis inquit, illâ ipsâ linguâ, & charactere, quâ antiquitùs scripta lex est, sic permansisse semper absque vlla mutatione, vsque ad Ptolemæum Philadelphum. At hæc Baronij ratio solui facilè possit. Solùm enim dicit Philo, legem nunquam esse mutatam, scilicet quoad rem. Deinde: Characteris nomen non apposuit. Denique duntaxat vult non esse mutatam legem quoad linguam, vsque ad Ptolemæi Philadelphi tempora.

CAPVT XIII.

Quibus characteribus, aut notis inscripti fuerint lapides Rationalis; an iis potius insculpta stemmata cuiusque Tribus?

NEQVE dictis obstare potest Iosephus libro Antiquitatum Iudaicarum tertio, capite octauo, quamuis de lapidibus Rationalis dixerit: Ἐγγέγραπτ᾽ ἦ τύποις τ᾽ Ἰακώβου παίδων τὰ ὀνόματα γράμμασιν ἐπιχωρίοις γλώσσῃ τῇ ἡμετέρᾳ: *his insculpta sunt Iacobi filiorum nomina literis vernaculis lingua nostratis.* Dices, à testibus oculatis poterat Iosephus hæc accepisse, qui perspectas haberent, quales eę literæ fuissent; cúmque notanter dixerit, propriis, & vernaculis literis inscriptos lapides, atque Hebræorum literæ, tempore saltem Iosephi, non fuissent Samaritanæ, videtur etiam nec Samaritanis literis scripta esse nomina filiorum Iacob, sed iis quibus Hebræi vtebantur characteribus, quibúsque libri sacri exscripti tunc erant; quapropter Moyses, cuius tempore & dispositione lapides conscripti fuerunt, literis Samaritanis non fuit vsus, sed iis qua Hebræis in vsu esse agnouimus.

Verùm multa sunt, quæ incertum possent reddere, an iis lapidibus scripta fuissent Alphabetariâ inscriptione nomina filiorum Israël? an solùm arcanè, vel stemmaticè? Videntur enim cuiusque tribus insignia iis gemmis insculpta, quod mihi persuadet Sapiens, cùm dixit, *In veste enim podèris quam habebat, totus erat orbis terrarum, & paren-* Sap.c.18.

 tum

tum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta. Alij iuxta Græcum legunt, *Stemmata, insignia nobilitatis, trophæa.* Singulas enim tribus propria stemmata habuisse, colligitur ex Numeris: *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domus cognationum suarum castramentabantur filij Israël.* Interpretes Hebræorum scribunt colorem vexillorum, & insignium cuiusque tribus respondisse colori lapidum Rationalis cuique tribui addictorum. Sic & vexillum, & scutum, seu stemma tribus Iuda, cuius smaragdus erat, viride fuisse. Sic de puniceis, & aliter coloratis lapidibus dicendum. Quin & vbi nomina inscripta dicuntur, ibi stemmata videntur significari. Capite vigesimo octauo Exodi dicitur: *Habebúntque nomina filiorum Israël duodecim nominibus calabuntur.* Et paulò antè: *Opere sculptoris, & calatura gemmary sculpes eos nominibus filiorum Israël.* Vtroque in loco iuxta Hebræum, Chaldæum, & Græcum, Septuaginta pro *nominibus* est *sigillis*, aut *stemmatibus*.

Num 2.

Hoc quidem non abnuo stemmata filiorum Israël in iisdem gemmis, tum colore, tum aliâ notâ, quæ satis capaces ad hoc erant, fuisse significata. Censeo pariter & nomina inscripta, ne clara scripturæ verba eludamus. Cur non vtrumque dicemus, cùm vtrumque varia loca, & versiones dictent, & varias proinde opinationes conciliemus. Idcircò ad auctoritatem ex Iosepho obiectam respondemus, inde non satis probari Assyriis characteribus ea nomina scripta, & non Samaritanis; imò inde probari posse Samaritanis, & non Assyriis characteribus exaratos lapides. Character enim Samaritanus erat proprius Hebræorum, ac propterea dici vernaculus potuit. Assyriç autem literæ erant Chaldæorum, idcircò Hebræis non vernaculæ, sed introductæ postmodum; & ideò credo notantissimè dixit Iosephus eas literas vernaculas linguæ Hebrææ esse. Alioqui non erat opus adiicere verbum illud.

CAPVT XIV.

Quo pacto per Rationale diuina oracula reddita.

Explicantur multa Scripturæ loca.



MENTIO hæc Rationalis excusabit opportunitate suâ digressiunculam quãdam, vt nonnulla Scripturç loca illustremus, illa maximè, quæ lucẽ, aut illuminationem inculcant, tum vt explanemus vsum literarum in lapidibus Rationalis. Etenim quamuis fatear cum stemmatibus filiorum Israël, ipsorum quoque nomina conscripta in Rationalis gemmis, non obinde earum scripturam concedo, vt per eius literas diuina significarentur responsa. Sunt enim qui putarent consulentibus Sacerdotibus, per Ephod Deum respondisse per lapidum Rationalis characteres, quibusdam literis aliquo fulgore eminentibus, & coruscantibus, quæ responsum componerent; nam iis fulgentibus literis obseruatis, legere Sacerdos responsum Dei poterat. Non probo eiusmodi oracula reddita, sed per internam aut externam Dei vocem ad applicationem Ephod, & Rationalis, siue Vrim, & Thumin, quod alibi disceptaui, & modò rescribere non oportet. Illud autem puto ad testandum vocem illam Dei esse, diuinámque affauere præsentiam illos lapides præfulgere, & conspicuas luces emittere solitos. Hoc fortasse est quod dixit Dauid: *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Constat quidem lapides ipsos illuminationes vocatos à septuaginta Interpretibus, qui eius rei perspectam notitiam haberent. Et Iosephus clarissimè cõfirmat libro Antiquitatum tertio, capite nono. Vbi cum de duabus gemmis, quæ erant in Ephod, locutus esset, earúmque illam, quç erat in dextro humero, magnum fulgorẽ solitam fuisse emittere, dixisset, quoties Deus placaretur sacrificiis, hæc subiicit: *Sed mirabilius est, quod nunc dicturus sum. Per duodecim gemmas: quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestat, in bello victoriam pronuntiare Deus solebat. Namprius quàm exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret adesse Deum, opémque & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Græci, qui à nostra Religione non abhorrent, cùm hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita vt negari non possit. Essena vocant λόγιον, hoc est, oraculum. Desiit tam Essen, quam Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis, antequàm hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum*

suarum prauaricationem. Hæc Iosephus. Hinc plura Psalmorum loca explanabuntur, quæ ad miraculum alludunt, in quibus diuinum fauorem, & propitiam Dei præsentiam lumen, aut lucem vocauit Rex Dauid; nam inter omnes Israëlis Reges is fuit, qui potissimum Deum per Ephod consuluit, & cui Deus libentiùs respondit. Quoniam aliis Regibus non ita per Ephod sacerdotale respondit Dominus. Nam primo Regum, capite vigesimo octauo dicitur de Saül: *Consuluitque Dominum, & non respondit ei, ne que per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*; vbi nos habemus *per Sacerdotes*, in Hebræo est באורים *baurim*, id est, neque *per Vrim*. Dauid autem sæpissimè consuluit Dominum, & diuinum audiuit responsum. Etenim Achimelech Sacerdos reprehensus à Saule, quoniam pro Dauide consuluisset Dominum, provt scribitur in primo Regum libro, capite vigesimo secundo, respondit: *Num hodie cœpi pro eo consulere Dominum?* Et capite vigesimo tertio, *Quod cùm Dauid resciisset, quia præpararet ei Saül clàm malum, dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod. Et ait Dauid: Si tradent me viri Ceila in manu eius? Et si descendet Saül sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israël indica seruo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceila, & viros, qui sunt mecum, in manus Saül? Et dixit Dominus: Tradent.* Et capite trigesimo: *Et ait ad Abiathar Sacerdotem: Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere, absque dubio enim comprehendes eos, & excuties eis prædam.* Hoc autem de Ephod dictum propter Rationale, quod erat in Ephod, certum est ex aliis Scripturæ locis. Quapropter non mirum sæpissimè allusisse Dauidem ad hæc oracula per illuminationes reddita, aut cõtestata, quibus propitium Deum agnouit. Psalmo quadragesimo tertio ait: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Nimirum quia diuinum oraculum illustratione, & luce illâ fauit, & direxit Dauidem inter plurima vitæ discrimina, & insidias, tum à Saule, tum ab Absalone paratas, vt Regnum obtineret, & in monte Sion, vbi Dei tabernaculum erat, imperaret, & rursus amissum reciperet Regnum, cum ab Absalone filio monte Sion, & Regiâ Hierusalem expelleretur, hoc est, *Reduxerunt, & adduxerunt*, nimirum duxerunt, & reduxerunt. Namque in tyrannide Absalonis absque dubio consuluit Dauid Dominum, cùm Sacerdotes pro eo starent, & propitium responsum accepit, quod vt mihi videtur, satis declaratur Psalmo quarto, qui totus de illa Absalonica persecutione loquitur: nam cùm afflictus valde esset Dauid, & omnes qui cum eo erant, vt lacrymas continere non valerent, desiderabant omnes aliquod faustum oraculum audire, quod tamen acceperunt, & exhilarati sunt, breuique copiam frumenti, & vini, insperatò accipientes, cœperunt experiri diuinam beneuolentiam, provt in libro Regum secundo dicitur. Hic sensus est illorum Psalmi verborum: *Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona?* hoc est, significationem aliquam melioris fortunæ. Statim subdit: *Signatum est super nos lumen vultus tui*, nimirum per illuminationes illas; & sic recreatus Dauid ait: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et addit: *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* Illi enim qui victu, & rebus vitæ necessariis destituti, vel solùm audire meliora exoptabant, non solùm audierunt, sed statim ditati sunt multâ annonâ. Sic etiam adiecit accepto diuino responso: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam; quoniam tu Domine, singulariter in spe constituisti me*, hoc est, me confirmasti, præbens meliorem expectationem ex oraculi tui responso. Ad easdem illuminationes alludit, cùm Psalmo quadragesimo tertio ait: *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos; Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*, diuinitùs siquidem adiuti Israëlitæ, & diuinitùs directi per oracula diuina, terram occuparunt promissam. Prolixum esset recensere omnia loca quibus diuinam beneuolentiam eiusmodi significauit Dauid. *Illustra*, inquit, *faciem tuam super nos.* Item, *illuminet vultum suum super nos.* His & similibus sententiis, aut fit allusio ad illuminationes Rationalis, atque *Vrim*, & *Thumim*, aut exinde natum est adagium, Diuinam opem per lucem, aut lumen significans. Nomen vultus, aut faciei sæpiùs additur, quia per hoc nomen cummodè significatur Dei præsentia, & fauor per illustrationes illas manifestata. Imò cum ait Psalmo decimo octauo: *Ignitum eloquium tuum vehementer*, puto partim alludere ad splendores instar ignis illorum lapidum, partim ad figurationes in promulgatione legis.

CAPVT

CAPVT XV.

Cur Moyses non scripsit nisi solùm consonantibus literis?

NOLO hîc quæstionem illam intrudere, an puncta Hebræorum, quæ pro vocalibus substituuntur originem ab ipso Moyse traxerint. Sat enim à Bellarmino, & Serario de isto disputatum, ex quibus & aliis pluribus pono scripturam Moysis punctis, & vocalibus caruisse. Masoretharum inuentum est vsus punctorum post tempora sancti Hieronymi. Illud vlterius breui inquirendum, cur hoc, cur neque vocalibus, neque earum loco punctis vsus fuerit Moyses? An quia omnia non omnino perfecta incipiunt, sic & scriptoria ars Alphabetaria. Et Deus qui rerum naturæ suaui dispositione acquiescit, non omnia simul vni dare solet, nec omnia simul omnino absoluta. An quoniam scriptura Moysis, punctis, qui pro vocalibus substituuntur carere commodius potuit, quam aliarum linguarum scriptio non habentium idem artificium ac lingua Hebræa, quæ eiusmodi mirabiliter concinnata est, vt consonantibus solum depictis scriptura eius confici possit, & legi, quod aliis linguis non ita accideret. Sic ordinatâ, & artificiosè meditata est eius elocutio. Deinde cùm Moyses assuetus esset hieroglyphicis Ægyptiorum literis, vno signo verbum integrum, aut sententiam demonstrantibus, in noua scriptura, quam inuenit, retinuit aliquid eiusmodi, & eas literas instituit, quarum singulæ syllabam denorare possent, quod cum artificio Hebraicæ linguæ, sufficiebat expeditæ eius scripturæ, atque lectioni. Præstereà credo, non sine consilio id factum, nam cùm literæ institutæ fuerint pro sacris libris scribendis, oportebat vt penderet etiam eius intelligentia à Doctoribus, & Sacerdotibus, vt traditio comitaretur scriptionem, & studium excitaretur aliquâ difficultate. Quòd si aliquando ex literæ scriptæ sint, quibus diuersa verba legi possint, non dedecebit hoc maiestatem diuinæ Scripturæ. Nam sicut ad diuinum eloquium pertinere videtur, vt vno verbo significet aliquando multa. Sic diuinæ Scripturæ dissentaneum non est putandum, si vna scriptiuncula plura verba notaret. Hinc nata varietas versionum approbatarum nihilominus à Patribus, etsi inter se diuersæ sint Denique quidquid rationis Patres, Interpretes, & Controuersistæ afferunt pro vtilitate traditionum, & obscuritate aliquâ sacrarum Scripturarum, produci similiter potest pro prima sacrorum librorum scriptione sine punctis. Optimè Rupertus in fine libri tertij de Victoria Verbi Dei dixit: *Laudabilis prouidentia Verbi in eo quod per scripturam & mundo innotuit, & mundo sese abscondit, taliter eamdem scripturam contemperans vt quasi liber signatus, carnales illius temporis oculos effugeret & custodiretur venturis spiritualibus, quibus in suo tempore vtiliter aperiri posset.*

CAPVT XVI.

Litera Tau, *quâ apud Ezechielem signantur liberandi à Chaldæorum gladio, Samaritana litera erat. Videntur aliquibus eâdem in cælo Beati signandi.*

Agitur de Scribis Hebræorum, & cifris. Explicatur locus Psalmi quadragesimi quarti.



X dictis aliqua clarebunt, quæ Samaritanas literas Mosaicas fuisse magis stabiliant. Et primùm illustrabitur illud Ezechielis capite nono: *Signa Thau super frontes.* Nam cùm non sit inter Hebraici Alphabeti characteres, qui figuram crucis delineet, ad varia varij interpretamenta deflectunt. Sunt qui legentes cum Septuaginta *Pone signum*, putant characterem illum esse aliquem ex arcanis & hieroglyphicis apud Hebræos literis, quæ pro notis essent extraordinariæ

ordinariæ figuræ, quarum singulæ singulas dictiones, aut nomina significarēt, quale hodie dicitur esse Alphabetum Sinarum, & antiquæ illæ Romanorum veterum notæ, quibus litera verbum facit, & quæ tribuuntur Tullio Tyroni Ciceronis liberto, & Annæo Senecæ: quarum sanè scientia exquisita erat: nàm Fulgentius tertio Mythologiarum præter puerilem illam artem primam alphabetariam, secundam constituit, quam appellat *artem notarum*: Et Augustus, prout refert Suetonius, Nepotes, & literas, & notare (id est, notarum artem, aut notariacam scripturam, sic enim legit & intelligit Lipsius) aliáque rudimpnta per se plerumque docuit, ac nihil æquè laborauit, quam vt imitarentur chirographum suum. De quibus Manilius cecinit libro Astronomicorum quarto: Cap. 64.

Hic & scriptor erit felix cui littera verbum est
Cúmque notis linguam superet, cursúmque loquentis
Excipi-ns longas noua per compendia voces.

Prudentius quoque dixit,

Raptímque punctis dicta prepetibus sequi

Martialis elariùs libro decimoquarto Epigrammaton, siue in Apophoretis:

Currant verba, licet manus est velocior illis,
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Ausonius quoque de suo notarum ministro sic canit:

Puer notarum præpetum
Celer minister aduola,
Tu sensa nostri pectoris
Vix dicta iam ceris tenes.

Boëtius quoque dixit libro quinto:

Vt quondam celeri stylo
Mos est æquore paginæ.

Fateor autem hoc genus scribendi apud Hebræos fuisse, & satis colligitur ex Psalmo quadragesimoquarto: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribētis*, quibus verbis puto Dauidē comparasse linguam suam notis abbreuiatis scribarum, non tam ob celeritatem suam, quàm propter compendiosam significationem; nam sicut veloces scribæ vnâ literâ integrum verbum notabant. Sic Dauid vno verbo multa significabat. Sic altè, sic compendiosè sentiebat. Sic sententiosè loquebatur, vt vna eius vox pro sententia fuerit, atque sua verba vix essent notæ. Et vt sic dicam, cifræ eius quod sentiebat, & id quod sentiebat vix esset cifra illius, quod re verâ erat. Rectè quidem, nam verba Dauid potissimùm in illo Psalmo aliud significabant, quam in cortice sonabant. Referebantur enim ad Christum, licet Salomon vulgò audiebatur. Et posset quis opinari similes fortasse notas respicere Isaiam capite decimonono: *Sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, respondebit, non possum, signatus est enim.* Quod quamuis communem aliam legendi rationem per communes literas sciat, tamen nisi arcanam notarum artem calleat non poterit intelligere. Qua ratione exponere videtur Origenes homiliâ decimatertiâ, in Numeros: *Signatus* (inquit) *liber dicatur pro eo, quod figuris perplexus est, & ænigmatibus inuolutus.* Figuras enim, & ænigmata appellat notas, & characteres reconditæ significationis, & fortè illud Danielis octauo, *Signa visionem*, vt iubeatur scribere prophetiam, sed notis arcanis. Huc etiam referendus character peculiaris bestiæ, cuius mentio in Apocalypsi.

Verùm longâ diuinatione opus non habet, qui Alphabetum Samaritanum dicat Mosaycum fuisse, cuius quidem vltimus character *Thau* figuram crucis exactè refert. Hoc prorsus sentit Sanctus Hieronymus in hunc locum, vt ad nostra veniamus: *Antiquis Hebræorum literis, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Consentiunt Origenis verba, quæ referuntur in notis Romanæ, & Parisiensis editionis: Ἑβραῖον, δέ τις τῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότων ἔλεγε, τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχει ποιό-τη τῷ σταυροῦ χαρακτῆρες, καὶ προφητεύεσθαι περὶ τοῦ γινομένου ἐν χριστιανοῖς ἐπὶ τοῦ μετώπου σημείου, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ πεπιστευκότες πάντες ἐπιχειροῦντες προκαταρχόμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα εὐχῶν ἢ ἁγίων ἀναγνωσμάτων. Tertullianus quoque libro tertio contra Marcionem, capite vigesimo secundo, citans verba Ezechielis: *Da signum Tau in frontibus virorum*, ait, *ipsa est enim litera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis quam protendebat futuram in frontibus nostris apud veram, & Catholicam Hierusalem, in qua fratres Christi.*

Sciendum tamen est Samaritanum, seu Mosaycum Tau non solum fuisse commissum vt Græcum & Latinum T, sed prorsus decussatum erat instar Latinum X, quemadmo-

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script.

dum in aliquibus fictis Israeliticis Samaritano charactere inscriptis apparet. Hoc autem crucis signum salutare fuit apud Ægyptios, & nota characteristica futuræ vitæ. Venerabilis quidem vetustissimus gentibus. Sanctus Hieronymus super Marcum ait, *Tau litera salutis signum demonstrat & crucis.* Et quidem teste Rhodiginio, traditum ab Arabibus est, crucis figuram videri cæteras quotquot sint, præstare: quoniam superficies prima cruce describatur. Sic enim in primis longitudinem habet, atque latitudinem, primáque hæc figura est & omnium recta quàm maximè, constánsque rectis angulis quatuor. Effectus verò cælestium maximè per rectitudinem angulorum, radiorúmque resultant. Tunc enim stellarum potestas præualet, quando cæli quatuor habeant angulos, vel cardines potius Orientis videlicet, Occidentisque, & medij vtrinque cæli. Sic verò dispositæ radios ita coniiciunt in se inuicem, vt crucem inde constituant. Propterea esse crucem veteres dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earumdem fortitudinis susceptaculum. Ideoque habere summam in imaginibus potestatem ac vires, & spiritus suscipere Planetarum. Quæ opinio ab Ægyptiis initia duxit, confirmatáque vel præcipuè est inter quorum characteres crux erat insignis, vitam eorum more futuram significans. Proinde figuram eiusmodi Serapidis pectori insculpebant. Adiicit Hieronymus: aues in surrectum se attollentes crucis exprimere figuram, quod adorans homo, & natans item facit: sed & nauis antenna cruci assimilata sufflatur. Quin ipsa, inquit, crucis figura quid est, nisi quadrati mundi forma? Scribit porrò Suidas Theodosio imperante, quum æquarentur solo Græcorum templa, in Serapidis sacrario hieroglyphicas esse compertas literas, quæ crucis præferrent formam. Cæterùm quoad crucis pertinet excellentiam, apud Ægyptios ante Christum humanæ salutis auctorem inenarrabilem, non tam muneris stellarum testimonium fuisse videbitur, quàm virtutis præsagium, quam à diuinissimo corpore fuerat acceptura. Nec illud omitti debet diuinâ, vt videtur, agente vi, fuisse in adoratione veterum crucis item figuram summè religiosam: quoniam in veneratione supplici, dum ori dextram admouerent, indicem super pollicem residentem (quod & tempestate hac ferè à plerisque fit) exosculabantur. Rufinus scribit crucem fuisse literam hieraticam, seu hieroglyphicam Ægypriorum vitæ indicem. Hinc iuxta caput septimum Apocalypsis, tempore Antichristi Angeli signabunt electos Christi seruos stigmare, & signo Christi, hoc est, crucis signo. Imò censent aliqui, prout testatur noster Salmeron, Beatos omnes in cælesti patria pro frontibus insigniendos cruce, quasi tesserâ Christi Domini, quâ testentur ipsius Christi cruci affixi meritò salutem consecutos se, & in cælis regnare. Apud Latinos quoque, & Græcos damnandis à iudice præfigebatur Θ, *Theta*, liberandis *Thau*, vt constat ex Asconio, Rufino, Socrate, & Sozomeno. Quapropter liberandi apud Ezechielem, & subtrahendi Chaldæorum gladio satis notabantur *Thau*, tanquam salutari, & vitali signo. Erant hi serui Dei fideles, Ieremias, Baruch, Vrias, Rechabitæ, & perpauci alij, quibus signum salutis meritò pro frontibus inscriberetur instar fidelium seruorum, qui nomen vel stigma heri sui fronti, vt plurimùm inustum præferre solebant.

Lib. 10. cap. 8.

In Matth. 24. v. 30.

CAPVT XVII.

In Characteribus Samaritanis possent inueniri similia mysteria, ac in Assyriis.



VAPROPTER si cum arte, & mysterio characteres literarum instituisset Moyses elementum *Tau* satis artificiosè, imò mysteriosè in formam crucis delineauit, eámque in Alphabeti fine constituit, quippe totius suæ scripturæ & totius sapientiæ finis sit crucis mysterium, & salus hominum per crucem comparanda, ipséque filius Dei homo futurus: Christus enim duabus naturis diuinâ humanâque constans melius per *Tau* literam cruciformem designatur quàm per literam *He*. Litera enim *Tau* cùm duas lineas vnitas habeat, duas naturas, diuinam humanámque optimè adumbrat. Quin si considerémus etiam Barbarissimarum nationum Alphabeta cruciformes in illis characteres reperiemus. An quoniam gloria crucis omnes gentes peruadat, omnésque participes fructus crucis se consignent? Massagetis litera A, est crux erecta decussata, apprimè formata. H, est crux pariter decussata: sed quam intersecat alia linea, quod non careret nouo mysterio volenti id expendere: literas N, &

N,& E, etiam decussant. Scythæ pariter E, formabant perfectissimam crucem erectam,& decussatam. Literam autem H, ipsi & Gothi similibus ac Massageræ effingunt lineis cruciformibus. Getis autem litera T, est etiam crux commissa. Ægypti literas Y, & Z, pariter decussant. In Apolloniano Alphabeto P, crux est decussata,& erecta. O crux decussata non tamen stans,& erecta. Litera T etiam decussatur. In Iacobitico Alphabeto *t*, est crux perfectissima,& erecta; nunc decussata, nunc commissa. In Seruiano *t*, crux est elegantissima decussata, & erecta: sed *t*, commissa. In eodem litera æquiualens literis *gsch*, sic delineatur, vt in vertice coronæ instar crucem paruam; sed perfectam decussatam, & stantem gestet. Eandem crucem sustinet elementum, respondens literis *gsh*, inibi quoque *Eh* crux est decussata de illiuis. At t, commissa erecta. Illyriis o, est crux commissa, i decussata. Sabæis autem t, est crux perfecta, stans & decussata. Æthiopes t, exacta est crux decussata erecta, Z etiam decussant: aliquando P effingunt crucem commissam, & h coronant cruce paruulâ commissâ. Sarracenis G, duas cruces decussatas inuicem, complexas repræsentat, vt stellam perfectè componant. Hetruscis litera t, decussabatur. Litera A, exactum quadrangulum reddebat. Sed de aliis literarum figuris tacebo. Sat erit de Samaritanis nonnihil adiicere; quoniam similia mysteria in aliis Samaritanorum literis extorqueri possent,& Trinitatis vsque indicia in *Mem*,& *He*, Samaritanis, quę tridentatæ sunt; reperiri, atq; illa Isaię verba, *Et flos de radice eius* notari posset incipere,& finire in *Vau*, quę lilij figuram habet, quæ aliquando in pede crucem format, in capite lilium in hunc modũ. Magna hinc occasio architectandis mysteriis sumi posset. Sed quia sancti Patres non ita obseruent characterum effigies, nec elementariâ expositione vtantur, sicut Hebræi, parum proinde iis obseruantiis occupandi sumus. Et quoniam accidet plerumque ibi quæri mysterium vbi non est, Nam quod notatur de litera ם *Mem* clausa, quæ finalis est posita præter morem in medio dictionis לםרבה *lemarbe*, quam vulgatus reddidit *multiplicabitur*, poterit error esse scribentis. Nam similis scriptio anomala, sine tanta tamen obseruatione est in capite secundo libri secundi Esdræ, vers. 13. vbi מ *Mem* aperta in fine est, in dictione הם *illi*.

Præterea etsi mysterium fuisset in litera *Mem* clausa apud Isaiam, non propter figuram, sed ob aliam causam ibi positam accidere posset, quam obseruauit Rabbi Hecados, & Rabbi Hamai. Et ex hoc Petrus Brutus Episcopus Catarensis in suo aduersùs Iudæos volumine, qui explicans illa Isaiæ verba: *Multiplicabitur imperium eius*, vbi in voce *multiplicabitur* posita est præter morem litera *Mem* clausa, sic ait: Isaias voluit per hanc literam ם *Mem* clausam significare occulto quodam supputationis artificio numerum annorum à tempore suo vsque ad tempus Messiæ: quam quidem supputationem idem Rabbi Hammay mox citato loco sic digessit, inquiens: Si quis tempus Messiæ scire voluerit, accipiat numerum literæ ת *Thau*, qui est 400. deinde sumat numeros singulos singularum literarũ ab א *aleph* vsq; ad ם *mem* clausum, quarũ summa est 185.& coniungat eam cum numero 400. habebit annos 585 qui secundùm supputationẽ Hebręorum cõplent spatium totius tẽporis, à diebus Esaiæ vsque ad aduentũ Messiæ Saluatoris nostri. Quæ verba dilucidiora euadent consideratis significationibus cuiusq; literæ Hebraicæ, quæ hæc sunt, א Aleph vnum significat, ב Beth duo, ג Ghimel tria, ד Daleth quatuor, ה He quinque, ו *Vau* sex, ז Zain septem, ח Cheth octo, ט Teth nouem, י Iod decem; כ Caph viginti, ל Lamed triginta, מ Mem apertum quadraginta vnum, ם Mem clausum quadraginta, &c. ת Thau verò significat quatuor centum. Verùm in interuallo temporis ab Isaia, vsque ad aduentum Saluatoris nostri non acquiesco his Rabbinis. De quo aliàs.

CAPVT XVIII.

Quibus characteribus scripserit Angelus apud Danielem, sententiam Baltassaris Regis, an Mosaicis, & Samaritanis, an Assyrijs literis?

SAMARITANIS etiam characteribus exarasse Angelum in pariete verba illa, quibus sententia diuina in Baltassarem Babylonium Regem lata fuit, præstabit censere, quàm Assyrio illam charactere scriptam dicere, quippe Assyrias, seu Chaldæas literas Chaldæi sapientes intelligerent, quos vocauit Rex, vt scripturam legerent, & explanarent, quam nullus ex Assyriis intelligere potuit, dònec Iu-

Ioann. Euseb. de Origine S. Script.

dæus Daniel illam legit,& interpretatus est, qui patrium characterem nouit, atque diuinitùs edoctus penetrauit sensum, & latentem trium illorum verborum sententiam. Oportuit quoque edictum diuinæ iustitiæ scribi eius gentis charactere, in cuius vindictam sententia illa prolata fuit. Et siquidem Nabuchodonosor libros sacros Hebræorum iis literis scriptos impiè damnauit igni, iisdem damnaretur literis eius impietatis, & regni hæres Baltassar. Opportunè etiam Hebraicâ priscâ, id est, Samaritanâ scripturâ vsus est Angelus, vt Hebræus homo vocaretur ad explicatum eius, quod videntur iudicare illa Regis verba: *Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iuda, quem adduxit Rex pater meus de Iudæa.* Quamuis enim maior difficultas erat in interpretatione sensus, quàm in lectione simplici verborum, putauit Rex citiùs intellecturum sensum, qui patrium illum characterem haberet; neque mirum breui illo tempore non adesse vllum Assyrium, qui Iudaicos, siue Samaritanos characteres nosset, cùm post longam illam captiuitatem vix essent ex ipsis Iudæis, qui suas literas scirent eorum libris combustis, & sub imperio alieno inter homines sibi iniquos, & post multorum annorum seruitutem. Ita iam assueti Assyriis characteribus, vt post regressum ad Hierosolymam opus habuit Esdras iisdem sacram Scripturam scribere, vt legi potuit à Iudæis. Idcirco addidit Baltassar de Daniele, *quem adduxit Rex pater meus de Iudæa*; quoniam ij qui ex Iudæa venerant scire eas literas possent; nam qui post captiuitatem Babylonicam nati fuissent ex Iudæis inter Chaldæos Iudaicis literis dare commodam operam non possent, & fortasse illis interdictum fuit. Assyrij autem dedignarentur contemptibilis tum temporis populi literis vacare; & quamuis characteres Iudæorum nossent aliqui; tamen quia sine vocalibus, & punctis constabant eæ literæ, & sermo ille erat alienæ dialecti, & prætereà ænigmaticus, intelligi scriptura ab Assyriis non poterat. Difficillimum quippe iis esset connectere verba tam disparata, quorum singula non nisi per integram sententiam explicanda erant.

Quapropter non est opus incerta quærere effugia, aut coacta alia interpretamenta expiscari, atque illos in primis reiiciendos opinor, qui scripsisse Angelum Assyrio charactere putant, atque in eius rei memoriam, reuerentiámque, deinceps ab Hebræis mutatos characteres amplexantibus Angelicum, hoc est, Assyrium. Rabbinus ille author libri inscripti *speciosum Speculum* ita sentit. cuius verba libro superiore exhibuimus. Hæc tamen existimatio minùs congrua videtur; neque dici potest Angelum docuisse nouum Alphabetarium, cùm tantùm paucas literas scriberet. Prætereà non est necesse putare arcano scribendi modo Angelum fuisse vsum substitutis literis pro literis, aut permutatis quibusdam, quemadmodum nonnulli Rabbini censuerunt, qui existimantes communem Assyriorum characterem fuisse Angelicum. Respondent propterea non intellectum ab Assyriis, quia aut artificiosâ characterum positione, aut arcanâ substitutione literarum pro literis digesta inscriptio fuerit. Rabbinus Rab censuit pro iis verbis, quæ in Chaldæo sunt: *Mene, Mene Thekel Vpharsin*, huiusmodi arcanè vt sic dicam, per cifram scriptum, *Iatath, Iateph, Adec phugchamet*. Rabbi Samuel mauult exaratam, *Mamtom, Nankephi, Aalran*. Rabbi Iochanam magis placet inuersas hoc pacto literas fuisse *Anam, Anam, Lakath, Nifrephu*. Rabbi Ase aliter permutatos characteres vult, atque in hunc modum depictum parietem, *Nema Nema Ketal Phursin*. omnes istæ sunt arcanæ inscriptiones, & cifræ, quæ illa verba Chaldaica possent exprimere: *Mene, Mene, Thekel Vpharsin*, quæ Hebraicè sunt, *Mane, Thekel Phares*. Neque etiam opus est dicere, quod noster Ioannes Pineda, insolentibus, & peregrinis aliis literis inscriptum. Neque quod Maldonatus, Raderus, & Antonius Fernandez autumant solas initiales literas singulorum verborum fuisse depictas. Clarior & sincerior interpretatio est, vt quæ parum diuinationis habeat, prior quàm produximus de Mosaicis, & Iudæo-Samaritanis literis.

CAPVT XIX.

Cur Esdras Mosaicos characteres reliquit, & Assyriis est vsus, & an restituerit scripturam amissam?


ILLVD hîc opportunè dicendum, cur Esdras characterem mutauit? Sunt Hebræi, qui id factum putarint ob reuerentiam Angeli, qui Assyriis literis scripsit. Sic Samuel Iaphe ait, *Per manus Esdræ mutata est scriptura, & lingua, quia didicerat ab Angelo mutandam esse scripturam, & linguam.* Mutationem autem illam non esse intelligendam

gendam de lingua Hebræa, paulò antè docuerat: *Et propterea non est probabile, quod per Esdram mutatio facta fuerit nisi scriptura. Etsi enim scriptura Angeli fuerit Chaldaica, id est, Assyriaca, & lingua Chaldaica: nihilominus cùm descripsit Esdras legem, non mutauit exemplar Mosis, sed tantùm scripturam, quæ innouata fuerat in diebus Danielis. Hoc autem consequitur ex eo, quod scriptum est. Et scripsit sibi exemplar legis, id est, scripturam, quæ debebat mutari. Quod autem ad linguam, scripsit eam Hebraicè sicut in principio, quia ipsa sancta est.* Locupletiùs hoc iam dedimus ex Auctore libri, qui inscribitur *speciosum Speculum.* At cur sanctus Daniel, aut Esdras non haberent etiam rationem, & reuerentiam antiqui Alphabeti Hebraici, in quo decalogus scriptus Dei digito, & lex data per manus Angelorum. Alij id factum censent ob pulchritudinem characterum Assyriorum, quos putant Assyrios vocatos, non quia ab Assur venerint, sed quia pulchri, & elegantes. Sic Obadias à Bertenora commentario in librum *Mischnaiot: Scriptura, autem,* inquit, *quâ nos scribimus hodiè libros, scriptura Assyria vocatur: éstque scriptura tabularum. Vocatur autem Assyria, quod felix sit & pulchra eâdem significatione quâ dicitur Genesis trigesimo capite; Propter beatitatem meam beatam me dicent filia.* Rambam quoque dixit: *Vocata est Assyria propter magnitudinem, & ornatum.* Et mox: *dicta est Assyria quòd beata est charactere suo.* Samaritanarum autem, seu Cuthæarum literarum effigies rudiores erant. Idcirco Samuel Iaphe scribit: *Videtur mihi, quod interpretatio dicti istius, Assyriis scripturam esse pretiosam & decentem, sed non esse illis linguam decentem, sit quod lingua illorum est Chaldaica. Hebraica verò intelligitur de iis qui sunt vltra fluuium. Est autem illis lingua decens, quia sancta est: sed non est illis scriptura, verùm imminuta, & vilis, quâ vtuntur Cuthæi.* sic vocat Samaritanos. Putant hi Authores magnam laudem Esdræ introduxisse elegantiores characteres. Nam & Dionysius Lincius ob inuentum pulchrioris scripturæ dicitur statuam meruisse. Alij malunt in memoriam priscæ captiuitatis, & diuini beneficij, postquam inde in libertatem sunt Iudæi asserti, retinuisse Esdram Assyrium characterem. Sic Iosephus Albo existimauit, cuius verba suprà exhibuimus. Alij dicunt amissum prorsus antiquum scribendi genus post longam captiuitatem: idcirco vsitato tunc Assyriorum charactere legem renouasse Esdram: hoc censuit Alphonsus Salmeron. Postellus autem id factum scribit, vt à Samaritanis, & hæreticis, quàm maximè dissociaretur populus Israëliticus. Et quidem Eusebius Cæsariensis in Chronico hæc habet: *Fuit autem Esdras eruditissimus legis diuinæ, & clarus omnium Iudæorum Magister, qui de captiuitate regressi fuerant in Iudæam, affirmatúrque diuinas Scripturas memor condidisse, & vt Samaritanis non commiscerentur, Literas Iudaicas commutasse.* Ego puto & ob diuortium à Samaritanis, & ob desuetudinem, atque magnam, vt plurimum ignorantiam antiqui characteris, vulgari tunc apud Hebræos, qui sub Assyriis erant, charactere Assyrio fuisse vsum Esdram. His literis scripturas deprauatas, vt Theodoretus ait, restituit, & Psalmos in vnum corpus collegit, vt sanctus Hilarius dixit: supponunt enim tempore Esdræ fuisse aliquam scripturam: quapropter Nabuchodonosor non potuit comburere omnia exemplaria sacræ Paginæ, sicut nec Antiochus potuit. Consentanea his sunt, quæ R. Ephodi scribit in suo Dikduk, cuius hæc verba sunt: *Perfectus scribarum Princeps Ezdras Sacerdos, scriba, excussit sinum suum* (excitauit seipsum) *& totis viribus intendit ad corrigendum quæ deprauata erant. Et sic fecerunt scribæ omnes, qui post eum venerunt, & correxerunt libros istos omnino, quantum quidem fuit possibile: quod fuit causa, vt relinquerent eos perfectos in numeratione Parschioth seu sectionum, & versionum, & dictionum, & literarum, & eius quod plenum & eius quod deficiens, & eius quod peregrinum, & eius quod vsitatum secundùm vsum linguæ Hebraicæ, & sine his legerunt scribæ, & fecerunt in hoc concinnationes* (seposuerunt libros) *& isti sunt libri Masora. Et in locis vbi eos apprehendit corruptio, & confusio fecerunt Keri, & Kethib, quia esset dubium in eo, quod inueniret.* Hucvsque illius verba. Radacus quoque in tertio libro Regum, capite decimoseptimo, & in Prophetarum priorum præfatione. *In captiuitate* (inquit) *prima exemplaria nischthabeschu, id est, corrupta sunt, eluceruntque ex vno exemplari sic, & ex alio aliter: & vbi clarum non potuerunt habere sensum, scripserunt vnam dictionem intra contextum, & aliam ad marginem. Perierunt quoque exemplaria, & distracta sunt: & morientibus sapientibus, qui tenebant scripturæ sensum, conati sunt hi, qui erant de Concilio magno restituere legem ad vetustatem suam, inuenientésque dissensiones in exemplaribus, habuerunt fidem pluribus exemplaribus consentientibus. Vbi verò claram cognitionem habere non potuerunt, scripserunt vnam dictionem absque punctis, aut scripserunt in margine, & non intra contextum.* Malè ergo aliqui Iudæi affirmant bis amissam factam Scripturam, redditam fuisse semel per Othonielem, iterum per Esdram.

Irenæus autem, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Basilius, Eusebius, Hieronymus Chrysostomus iuxta dicta intelligendi sunt, non de amissa prorsus scriptura. Videantur alia in Serario capite duodecimo Prolegomenon, quæstiunculâ primâ, vbi disertè tractat, quid fecerit Esdras in sacris libris. Tandem obiectioni priùs positæ respondere, & Mysticam characteris mutandi causam reddere placet ex Ruperto, qui libro tertio de victoria Verbi Dei, capite vigesimo quarto hæc habet: *Certum est Esdram scribam, Legísque Doctorem post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, alias reperisse figuras, sed sono eodem permanente. Quid verò mirum, si elementorum figuras, quas ipse Deus tradiderat, per Prophetam Esdram immutari voluit (quem ipsum Malachiam accipimus, qui in ordine duodecim Prophetarum est nouissimus) cùm ipsas quoque Tabulas, in quibus scripturæ Dei literæ sculptæ fuerant, (quas nimirum non Moyses præcidit, sed Moysi ipse dedit) frangi placuerit, & alias Moyses ipse fecerit (quamuis nec in illis scripserit) dicente Domino ad eum: Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerint tabulæ, quas fregisti? Nam de prioribus tabulis, quod non Moyses illas præciderit, sed Dominus ipse, & scripserit, & illi dederit, manifesta est authoritas scripturæ, quæ dicit: Dixit autem Dominus ad Moysem, Ascende ad me in montem, & esto ibi, dabóque tibi tabulas lapideas & legem, ac mandata quæ scripsi. Item alio loco, Deditque Moysi completis huiusmodi sermonibus in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei. Non ergo mirum, si in restauratione ciuitatis vel templi literas, quas digitus Dei scripsit, per hominem immutari placuit, cùm in constructione tabernaculi quandoque destruendi, tabulas, quas ipse Deus praeparauerat, homo fregerit, & alias iussu Dei præciderit. Potuit in vtroque scilicet, & in alteratione Tabularum, & in demutatione literarum eiusdem rei esse portentum. Quia videlicet futurum erat, vt omnia quæ tunc instituit Deus nondum homo factus pertransirent. Nam ecce vetera sunt, & transierunt, & noua omnia facienda erant, vt nunc facta sunt, quæ instituit idem Deus homo factus Sacerdos in æternum, de quo Apostolus. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, &c.*



IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

An præter simplicem tenorem sacri textus scripserit in ipso aliqua artificiosè Moyses.

Agitur de scriptione. Acrosticha.

ACTENVS de locutionibus Dei naturali, vt sic dixerim, artificiali, prouidentiali & scripta, de literarum inuentu, de sacræ Scripturæ origine, & scriptione prima. Videamus nunc, vt hanc tractationem suâ coronide donemus, an Scripturæ sanctæ vsus quoad significatum diuinorum arcanorum major sit, quàm ipsorum verborum, hoc est, an plura loquatur Deus per scripta quàm per verba. Quoniam in scriptura considerari queunt & verba scripta, & modus scriptionis; qui modus aliqua alia significare potest, quam ipsa verba simpliciter proferant. An Deus hoc obseruauerit in Scriptura sacra, cùm simile scribendi artificium cum admiratione, & plausu in Ethnicorum scriptionibus & profanis inueniatur. Artificiosissimus prorsus est Panegyricus, quem Porphyrius Poëta dixit Constantino Cæsari à sancto Hieronymo, Beda, & Fulgentio laudatus, qui per initia versuum, per fines, per medias literas, & multis aliis modis laudes Cæsaris dictabat, tum Latinè, tum Græcè: frusta duo illius præsentabo. In vno acrostichis habet scriptum, DOMINO NOSTRO CONSTANTINO PERPETVO AVGVSTO. Decimæ omnium versuum literæ, tum nonædecimæ, & vigesimæ octauæ, per diuersum descendentes per ordinem directum, literis Græcis tres versus habent. Et in decimis omnium versuum literis versus hic Græcus:

Νεῖμόν σοι βασιλεῦ χριστὸς καὶ σοῖς τεκέεσσι.

Deinde alius versus legitur in nonis decimis literis est hic:

Τίμιον εὐσεβίης κρατέειν ἀρετῆς τε βραβεῖον.

In literis quoque vicesimis septimis versus est hic:

Εὐνομίης ἀρχήν τε καὶ Αὐσονίοισιν ἀγαθοῖσιν.

Sed cùm hoc ordine deorsum versum Græcè legantur, eædem literæ per diuersum ordinem iis legentibus rectum dum in eadem pagina loquuntur versibus Latinis, obsequium

suum

suum Latinarum literarum officio præbent, vt sit diuersitas, cum hac Græcè significatus suos exprimunt, hac Latinè. Carmina tanti artificij nunc edo, vt ea examinet, qui volet.

Dissona connexis audet componere verbis
Nomine mens elata bono: iuuat inclyta lingua
Munera Graiorum Musâ modulante nouare,
Inque vicem versu cecinit, qua fortè Latino,
Nunc alio textu Græcorum in carmina duci:
Ordine vt in duplicem nectatur littera vocem.
Nunc age fœcunda referent pulcherrima Musa:
Ore sonet docili chelys inclyta carmina Phœbi.
Spem rerum, iustúmque canam, summámque salutis
Te dominam, bona dona Dei, te magne parentem
Romanum, gratúmque orbem, tibi maxima semper
Omnia, quod ceriâ respirant mente quietem,
Cùm placidi spectent nos tales mille triumphos.
Omnia plena bonis: tui Constantine, Quirites
Nil sibi crediderint carum mage, te decus orbis.
Seruatos Tyrij se semper vindice dextrâ
Te domino exultant: tranquillis carior Vrbi
Africa temporibus potitur seruata quiete:
Nunc se felicem, nunc se sub nominis arce
Tutam, quod Carthago decus venerabile gestat.
Iure putat. tantum fatis lux inclyta præstat,
Nobile te domino nomen, spes, & decus almum est.
Omnis ab Arctois plaga finibus horrida lauro
Pacis amat, cana, & comperta perennia iura,
Et tibi fida tuis semper bene militat armis,
Resque gerit virtute tuas, populósque feroces
Propellit, caditque habens tibi debita rata,
Et tua victores sors accipit hinc tibi fortes,
Teque duce inuictas attollant signa cohortes.
Vndique te comitata Dei pia numina summi
Omnibus vltorem præbent, & plura fidemque
Alma tua spectant, respondent omnia votis.
Vndique pacatis Saluator maxima rebus
Gaudia præstabis, dabis otia victor in orbe,
Virtutum meritis vicennia præcipe vota.
Sæclorum creuit gemino spes Cæsare certa
Tu quoque ò sancte Parens, olim post mille tropæa
O lux Ausonidum, dispone sceptra nepotum.

Exhibeo alterum segmentum, in quo trigintaquinque literæ sunt per omnes partes, in qua à prima littera primi versus ad vltimam nouissimi, lubrica per obliquum descendens habet scriptum: CONSTANTINE MAXIME IMPERATOR, ET INVICTE. Item à prima vltimi versus per obliquum rubrica ascendens vsque ad vltimum

vſque ad vltimum verſus, adæquè habet ſcriptum: *Æternæ pacis prouidentiſſimus cuſtos.* A ſeptima primi verſus ad ſeptimam fine eiuſdem verſus, per amfractum aſcendens, & deſcendens habet ſcriptum: *Pater imperas, Auus imperes.* Item à ſeptima vltimi verſus ad ſeptimam fine eiuſdem verſus, hoc idem habet. A tertiadecima primi verſus ad tertiamdecimam, fine eiuſdem verſus, habet ſcriptum, *Pius, & Felix.* Eadem ratione in vltimo verſu hoc idem ſcriptum eſt. A ſeptima Acroſtichidis ad ſeptimam, fine Acroſtichidis, habet ſcriptum, *Aurei ſeculi reſtaurator.* Identidem à ſeptima teleſtichidis ad ſeptimam, fine eiuſdem teleſtichidis, hoc idem habet ſcriptum. A tertiadecima Acroſtichidis ad tertiamdecimam, fine eiuſdem Acroſtichidis habet ſcriptum, *Omnia magnus.* Identidem à tertiadecima teleſtichidis in tertiadecima eiuſdem teleſtichidis hoc habet ſcriptum. Verſus iam ſequuntur exploranda curioſis:

CallioPe cane plura procax; en ore ſerenuS
FOntis CAſtalij Deus audiet; inde canorOs
MeNs furiT in nexus, & felix currere voTis
Iam Se credEt ouans; licet ire per auia Sola
ImpeTe quo gReſſus, & fandi optata cVpido,
InuitAta tulIt, mens tantum maxime Cæſar.
Aoniae Nodos aMplectitur, incituS atra
Funde paTer cœPtis muſas ad mutVa verſus
Scrupea fIngentEm iam duro carMina verſu,
Ludere fas Nobis, pRæſumere, dIcere metra,
Gaudia vel tEnui meA pandere, Sit mihi muſa
Tantus honor: Me iure Suo per Sidera ſæclo
O decus AuſoniAe tuleris. SIc parua locuto
Amplius & iudeX dominus Tot munera ſumma,
Tantaque concedIs. tu meNti edicere donis
Jnuitas laudis cuM munEre: ſic vaga primis
Haud audita ligas nEc Dictis læta camena
Audet magnanImo vatI noua vincula mentis
Juſſa dare, creuitqVe Meo corrupta fauore.
En age, iam reddit vOtis Pia præmia magnus
Concordi ſæclo, Romae dEcus, & ſibi mundi
Jura ſui, tot lux Populis, oRbique tropæum
Sic data ſunt iSto; maior tuA gloria terris
En, Auguſte, tuIs præſens, & Tantus vbique
Jmperijs, feCunde paras nunc Omine Criſpi,
Oceani intActas oras, quibus eruta FrAnci
Dat regio Procul ecce dium, cui dEuia latis
Tota patEnt, campi ſub cælo limiTe. Victor
Ritè at Auo ſummo melior, cui ClaudIus acer,
MagnaNimum ſidus, dat clarum è numiNe diuo
JmpeRium, virtus quem felix optat alVmnum.
AugEs flore tuo noſtra tibi debita vIta:
OrTa micat fratrum fatalis gloria ſæClo,
REs Latia vt voti compos ſic gaudeat aucTa.
Aſpice, pacato parta eſt lux læta ſub orbE.

Vicit hæc artificia Porphyrij admirandum, artificiosissimum, sapientissimum Rabani Teutonici opus in laudem sanctæ Crucis laboriosissimo carmine contextum, in qua plurima fidei mysteria, plures mysticos numeros Angelorum, virtutum, donorum Spiritus sancti, beatitudinum, elementorum, temporum, plagarum, mensium, ventorum, librorum Moysis, nominis Adam, & aliarum nobilium rerum dignitatem sanctæ Cruci adaptat. Varias in versibus velut tabella desinans figuras, versum versui innectens, vt & figuræ suos habeant versiculos, quibus imagines diuersæ repræsententur. Nec tamen legitimus ordo principalis carminis à suo cursu abrumpitur, vel tenore intercipitur. Ita & literæ ipsæ duplici sæpè ordini quadrant. Scripsit hoc opus ad Gregorium Quartum Papam anno 843 & mortuo Gregorio, misit ad Sergium successorem eius, per cuius manus illud sancto Petro dicauit. Quo opere nihil laboriosius, nihil ingeniosius: atque vt omittam Acrostichin, Mesostichin, Telestichin, & alia ingeniosa, quæ habet in secunda figura, Mirifica est prima, seu primum poëma, in quo per destinatas versuum literas versus alios componentes delineauit imaginem Christi in modum crucis brachia sua expandentis, cum corona seu circulo caput eius cingente, & cruce ad illud posita. Sunt ergo versus quinque, qui in linea humani corporis speciem forinsecus circumdantes conscripti sunt, quorum primus incipit à medio digito dexteræ manus, & sic in indicem transit, posteà in pollicem se erigens, & per brachium dextrum ascendens, in vertice capitis finitur. Qui talis est,

Dextra Dei summi, cuncta creauit Hiesus.

Secundus à capite descendens similiter in medio digito sinistræ manus finitur iste:

Christus laxabit è sanguine debita mundo.

Tertius à quarto digito dextræ manus, qui medicus vocatur, incipiens, & per auriculatem dextrum brachium subtus ducens, in latere dextro vsque ad ventrem medium descendens, rursusque à dextro genu in radicem pedis definit. Ita:

In Cruce sic positus desoluens vincla tyranni.

Quartus in radice pedis dextri exterius incipiens, inter media crura ascendens ad radicem vsque pedis sinistri exterius peruenit. Ita:

Æternus Dominus deduxit ad astra beatos.

Quintus item à radice pedis sinistri exterius vsque ad genua ascendens, & à ventre medio per latus & brachium sinistrum vsque ad medicum digitum pertingit. Ita:

Atque salutiferam dederat Deus arce coronam.

In veste quidem femora circumdante, sunt versus hi duo elegiaci:

Veste quidem parua hic tegitur qui continet astra.
Atque solum palmo claudit vbique suo.

In cæsarie verò capitis eius scriptum est: *Iste est Rex iustitiæ.* In vultu quoque & mento, papillis, & vmbilico continetur istud: *Ordo iustus Deo.* In corona autem caput eingente istud: *Rex Regum, & Dominus Dominorum.* In cruce namque quæ iuxta caput eius posita est, sunt tres literæ, hoc est, A, M, & Ω, quod significat initium, & medium, & finem, ab ipso omnia comprehendi.

In quarta figura crucem per medias literas Poëmatis depinxit cum duobus Cherubim, & totidem Seraphim in quatuor angulis eius crucis delineatis. In cruce hic versus est in longitudine à summo deorsum vadens:

En arx alma crucis: en fabrica sancta salutis,

Iste quidem in latitudine:

En thronus hic Regis, hæc conciliatio mundi.

In Seraphim quoque & Cherubim versus elegiaci conscripti sunt. Nam in Seraphim illo quod supra dextrum cornu crucis stat, hi sunt versus:

Signa crucis Christi aiit Seraphim calestia monstrant.
Pennarum atque situ hac cuncta sacrata probant.

In eo verò, quod supra cornu sinistrum, hi:

Nam hac socia exaltant celebrando hac laude supernum
Conclamantque tribus sceptra Sabaoth vocibus.

In Cherubim namque dexteriore versus isti sunt:

Hinc signant Cherubin hac labbara sancta triumphum,
Distensisque alis brachia tensa notant.

In sinistriore quippe isti:

Quæ latere assistunt arca & sacra opercula condunt.
Factaque propitia officio ipsa probant.

In

In vltima figura se pinxit adorantem lignum crucis, in qua crucem in medio versuum conficit vnus versus ingeniosissimus viginti septem literis constans, qui eisdem literis legi, & relegi potest in hunc modum:

Oro teramus aram, ara sumar et oro.

Imago verò eiusdem Rabani, quam subter crucem genua flectentem, & orantem destinatis depinxerat literis Asclepiadeo metro conscripta est, priorem versum tenens hexametrum heroicum, secundum hemistichium heroici. Ita:

Rabanum memet clemens rogo Christe tuere,
O pie iudicio!

Aliqua poëmata integra exhiberem, nisi prolixius hoc caput ducerem. Vnum repræsentabo, in quorum versuum mediis quibusdam literis, imago HLudouici Imperatoris delineata est. Dextrâ crucem instar hastæ gestante, sinistrâ scutum tenente. Continet hæc imago versus metro dactylico tetrametro conscriptos hoc modo:

Hiesu Christe tuum vertice signum,
Augusto galeam conferat almam.
Inuictam & faciat optima dextram.
Virtus Hiesu tua dêtque triumphum.
Iusto iustitia induat atque
Lorica semper placitum amicum,
Quam nullus saeculo proterat hostis.
Sed firmum maneat Cæsaris omne,
Ac tuum imperium omne per anum.
Sicque eius sobolis læta propago
Succedens maneat sceptra tenendo,
Donec secla sua iura tenebunt,
Et terra solidus permanet orbis.
Christi dum memoret nomen vbique.
Et Verbum Domini prædicet vltro.

In circulo autem, qui caput cingit duos versus Adonici metri continentur isti:

In Hludouicum Christe corona.

Crux verò quam dextera gestat, hos tenet versus metri Asclepiadei:

In Cruce Christe tua victoria vera, salusque
Omnia ritè regis.

Scutum verò quod sinistra tenet, elegiaco metro conscriptum est hoc modo:

Nam scutum fidei depellit tela nefanda,
Protegit Augustum, clara trophæa parit.
Deuotum pectus diuino munere fretum,
Illæsum semper castra inimica fugat.

Poëma tanti artificij, vt curiosus illud consideret sequens est:

Rex Regum Dominus mundum ditione gubernans,
Imperij ac sceptrum regnans qui iure perenni
Immortale tenes, cùm crimina multa parentum
Laxasti in cruce, iustitiæ cùm fræna locaras:
Omnibus ergo tuis seruis, super astra beatam
Sperare hinc vitam Hiesu cito Christe dedisti:
Doni quæ est modo Christe Deus Patrisque, tuique:
Nunc nomen id ritè tuum iam cuncta stupebant
Sacula, dudum en vertice quod gestatur amica
Summi Christicolæ, duce signat ritè gerendum hoc,
Per iustámque thronum auido quod tollere legem
Atque decet, totum Augustus nutu excolat orbem.
Nam hoc fœnus tanto girando cardine prodit,

 Orbs

Orbs sciat, vt galeam consultu Cæsaris oret,
Augusto purè feret almam hinc laude coronam.
Nam optima dextram virtus diuina paret arte,
Stips Hiesu tua detque triumphum, poscimus omnes
Iam almum iusto iustitia, quod regnet vbique.
Hac silice induat, atque ligatu giret amico,
Dum affert lorica placitum sic ipsa paratum
Optemus nos semper amicum, quem pie Christus
Re tutatur, quam nullus iaculo premit, ast fur
Fas, vel in illo proterat hostis crimine diro.
Defensor artis sed firmum monstrat amandum
Jus ornatu lancea Cæsaris obtinet haustum,
Omen fitque omne, ac tutum imperium manet orbe.
En Regna Graium omne per æuum munera donant
Et Persa dat, sicque eius sobolis latus ambit.
Gens plebs læta propago succinam piè donat,
Musam iuuat edens maneat, scit scutum & amare
Septem exul sceptra tenendo, dum fidei dat vbique,
Rem haustu donec sæcla sua depellit ab arte,
Quæ formosè iura tenebunt tela nefas sint,
Et sedare qui & terræ solidanda proteruiam,
Quam est solidus permane tegit Augustus ouile,
Transformat orbis Christi cum clara tributa
Iure colendi dum memor aquè trophæa parans dat
Quæ hoc sint nomen vbique means, deuotum ab ore
Nempe tonat, vrgetque, probè pectus diu amari.
Sit tremor estque bona diuino munere fama,
Proficit inde orbe madidum fretum illicitaque.
Sic abicit portum, Cruce dat Iesum sequiturque.
Hunc tibi enim indo datum ô semper castus, piusque
Cæsar large modo visu tu castra inimici ast
Terres spemque timor altus inimica fugans dat,
Tu pius & gratus nimium pronum rogat hac gens
Ad veniam ire animus nobis ad iussa parentis:
Conscripsi dudum nam Christi laude libellum
Versibus & prosâ, tibi quem nunc induperator
Offero sancte libens, cuius præcedit imago
Stans armata fide victorem monstrat vbique.

Photius scribit Philostorgium duodecim historiæ libros edidisse, ὧν αἱ ἀπαρχαὶ συντιθέμεναι τὸ τοῦ συγγραφέως ἀπαρτίζουσι Φιλοστοργίου ὄνομα. *Quorum primæ literæ si connectantur, scriptoris Philostorgij nomen conficiunt.* Similiter sanctus Eugenius Toletanus Archiepiscopus nomen proprium, in Epitaphio quod sibi inscripsit, ita eleganti dissimulauit acrostichi:

Excipe

Exeipe Christe potens discretam corpore menteM
Vt possim picei pœnam vitare barathrI
Grandis inest culpa, sed tu pietate redundaS.
Elue probra pater, & vitæ crimina tollE.
Non sim pro meritis Sanctorum cœtibus exuL,
Iudice te prosit sanctum vidisse tribunaL.
Vis lector, vno qui sim dignoscere versV?
Signa priora lege, mox vltima nosse valebiS.

Prioribus literis conficitur nomen *Eugenius*: vltimis verò adiicitur epitheton *Misellus*.

Nec inelegans illud Euantij addere libet:

Nobilis & magno virtutum culmine celsE
Ingens consilijs, & dextra belliger acV,
Care mihi genitor, & vita carior ipsA.
Hoc nati pietas offert post funera carmeN,
Offerre incolumi quod mors infanda vitauiT.
Lux tibi summa Dei, necnon & gratia ChristI
Adsit perpetuo; nec desit temporis vsV,
Omnipoténsque tuis non reddat debita culpiS.

Vltima & priora elementa hanc inscriptionem conficiunt: *Nicholao Euantius*.

Acrostichâ autem scriptione spiritum Dei fuisse vsum Sibyllina oracula videntur ostendere, & Cicero annotauit. Hactenusque Erythreæ Sibyllæ Acrostichis celebratur. Constantinus Imperator in oratione quam Eusebius libris de vita Constantini à se editis adiunxit, recitat oraculum huius Sibyllæ de aduentu Christi ad Iudicium, Acrostichis carminibus ita concinnatum, vt in literis versuum initialibus legantur hæc verba: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, hoc est, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS, SERVATOR. Idemque asserit Imperator M. T. Ciceronem, cùm in hæc incidisset Sibyllina acrosticha permotum poëmatis artificio, id ipsum Latinis auribus donasse & inter cæteras lucubrationes suas annumerasse. Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei, capite vigesimo tertio, asseuerat eadem se acrosticha in Græco Erythrææ Sibyllæ codice legisse, quem sibi Flacianus Africæ Præsul ostendit. Carmina Græca transcriberem, nisi obuia cuiuis essent. Diuinum autem eloquium fœcundius debebat esse quàm vllum aliud, atque ad dignitatem scriptionis spectare quodammodo videtur, si multis modis multas res vna scriptio proderet. Et quidem in sacra Scriptura vestigium aliquod huius mysterii fortasse apparet, cùm obseruetur in quibusdam Psalmis series Alphabeti Hebræi per versiculos digestus. Idem accidit in Ieremiæ Threnis, & in Salomonis Prouerbiis capite trigesimo primo. In decimo quarto Exodi capite tres extant versus, scilicet versus 19. 20. 21. nomina Dei continentes miro artificio; nam cùm eorum quilibet constet literis 72. ex his formant Hebræi nomina diuina per variam literarum metathesin. Nam primæ literæ primi versus iungunt vltimum secundi versus, & primam tertij versus. Deinde secundam primi versus iungunt penultimæ secundi, & secundæ tertij, &c. Notant quoque Masorethæ in capite decimo tertio Leuitici ad primam dictionem versiculi noni, vndecim esse versus, qui incipiunt à *Nun*, & finiunt per *Nun*.

Quamuis autem hæc ita speciosè dicantur, non est opus nimis ea mirari quæ fortasse examinata minoris habebunt mysterij; Alphabetarios siquidem Psalmos, threnos Hieremiæ, & similia partim memoriæ causâ ita digesta censeo: partim ornatus gratiâ. Et quemadmodum nos sententias aliquas numeris notamus, ita Hebræi literis, quibus etiam pro numeris vtuntur, suas notare sententias consueuêre. Quin apud nos ipsos, qui numeris vt plurimum notare paragraphos solemus; reperiuntur aliquæ scripturæ per Alphabeti literas digestæ, ita quoque, quæ ex capitulo decimo quarto Exodi notant He-

P 3 · bræi,

bræi, expiſcantes inde quædam Dei nomina magis oſtendunt acumen inuentoris, quàm inibi myſterium delitere, & ſimilia ex alijs ſcripturæ locis poſſent aptius architectari, vt obſeruat Leonardus Marius in digreſſione de nominibus Dei. Præterea nomina illa quæ illius modi colligunt non ſignificant id quod dicuntur ſignificare. Ideoque nec tranſlatio, nec teſtimonia, quæ iis ex Pſalmis applicant, conueniunt.

CAPVT II.

An Moyſes modum ducendi lineas, ſeu verſus, didicerit à Bobus, & quo ritu ſcripſerit?

QVIN libri Hebræorum antiqui non ſunt ſcripti cum ea linearum diſtinctione, quâ Maſoretæ, ſed arantis inſtar, eo modo, quem Græci, authore Pauſaniâ, appellarunt βουστροφηδὸν à leua in dextram; & rurſus à dextra in læuam, de quo ſcribendi genere ſanctus Iſidorus ait: *Verſus vulgò vocati ſunt, quia ſic ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra, à ſiniſtra enim ad dextram primum deducebant ſtylum. Deinde conuertebantur ab inferiore, & rurſum ad dextram verſus, quos & hodie ruſtici verſus vocant,* Hæc ille. Nauclerus volumine primo ſcribit hoc modo ſcripſiſſe Eſdram: quare illa literarum combinatio quam innumeri Hebræi notant, non eodem modo conſtaret poſt diſſimilem ſcriptionis methodum. Gyraldus tamen & alij ſcribunt Eſdram à dextra in ſiniſtram ſcribendi modum excogitaſſe, cùm anteà ad arationis regulam perſcriberent Hebræi, vt & Græci aliquando. Addunt aliqui ſicut literarum delineationem à gruibus primus earum inuentor didicit, ſic & ſcribendi modum à bobus edoctus arationis inſtar, cuius etiam veſtigium videtur prima litera: Alpha enim, & Aleph bouem ſignificat apud Phœnices, quod perinde vtrumque mihi falſum videtur. Et quamuis id ita eſſet, boues docuiſſe homines modum pingendi verſus, non fuit primus ſcribendi inuentor Moyſes, cùm ij qui ante ipſum literis hieroglyphicis ſcribebant, verſus eo ritu ducerent: nec opus eſt in hac parte aliquid nouum excogitaſſe. Id ſatis pro re noſtra; non eâ lege ſcripſiſſe Moyſem, quâ nunc ſcripti ſunt libri ſacri.

Accedat Elias Leuita tertiâ præfatione in librum Maſoreth Hammaſoreth, vbi diſtinctionem verſuum, quam modò tenent ſacra volumina, negat ſcriptioni Moſaicæ, dicens, *Veritas, hoc eſt, neque in eo vllum eſt dubium, legem illam quam poſuit Moſes ante faciem filiorum Iſraël fuiſſe librum ſimplicem ſine punctis, ſine accentibus, & ſine ſignis finientibus verſus, ſicut nos hodie.* Verum etiam iuxta ſententiam Cabbaliſtarum, lex vniuerſa fuit, ſicut vnus verſus. Hìc illud denique addendum, illos vndecim verſiculos incipientes per *Nun*, non ita eſſe in Samaritanis codicibus, in quibus etiam conſentiente interpretatione Septuaginta, *Van* prima verſus litera reperitur; literis autem Samaritanis ſcripſit Moyſes, vt iam diximus.

CAPVT III.

Vtrum Athbaſtico Alphabeto Scriptura ſacra vtatur?

QVID ſit ſcriptionis genus quod Hebræi vocant *Ath bas*, ſiue *Eth bas*, atque eius vſum apud Ieremiam dabit ſanctus Hieronymus, qui ad illud huius Prophetæ capite vigeſimo quinto, *Et Rex Seſach bibet poſt eos.* intelligit per Athbaſticum Alphabetum Regem Babel, dicens: *Sicut apud nos Græcum Alphabetum vſque ad nouiſſimam literam per ordinem legitur, hoc eſt, α, β, &c. vſque ad ω: rurſùmque propter memoriam paruulorum ſolemus lectionis ordinem inuertere, & primis extrema miſcere, vt dicamus α ω, β ψ, ſic apud Hebræos primum eſt* א: 2. ב. 3. ג. *vſque ad extremam literam* ת, *cui penultima eſt* ש, *legimus itaque* אתבש, *Etbas. Cúmque venerimus ad medium,* ל *litera occurrit* כ. *Et vt ſic rectè legatur, legimus Babel; ita ordine commutato legimus Seſach.* Sententia ſancti Hieronymi poſtremæ ſeriei Alphabeti Cabbaliſtici innititur; itaque vt illa rectè intelligatur, ſeriem illam à Cabbaliſtis repetemus את· בש· גר· דק· הץ· וף· זע· חס· טן· ים· כל·

Duo

Duo illa nomina de quibus agit sanctus Hieronymus ita Hebraïcè scribuntur בבל *Babel* ששך, *Sesach*, beth pro schin bis sumitur, & caph pro lamed. Hæc permutatio apud Iudæos celebris est, vulgarique nomine ab ipsis אתבש *Athbas* vocatur. Chaldaica paraphrasis, & Rabbinorum glossæ, Salomonis Kimhi, & aliorum in hunc locum regem Sesach, interpretantur regē Babel, Sesach scilicet per Athbas explicato. In quo vltima litera sumitur pro prima; penultima pro secunda; & vigesima pro tertia; & decimanona pro quarta: Sic deinceps, & quia substituitur *Tau* pro *Aleph*, & *Schin* pro *Beth*, Ath Bas nominatur. Hoc eodem scribendi modo dicit Rabbinus Rab scripsisse Angelum apud Danielem capite nono, *Iateth, Iateth, Adet, Pugthamet*, significans *Mene, Mene Thekel Vpharsin*, quod explicuit per hoc Alphabetum Daniel. Alium locum Ieremiæ capite quinquagesimo primo Rabbi Salomon, & R. Kimhi, eodem modo per Athbas interpretantur: *Suscitabo super Babylonem, & super habitatores eius qui cor suum leuauerunt contra me, quasi ventum pestilentem.* Hæc verba לב קמי quæ aliàs significant, *cor leuantes* per istam literarum permutationem כשדים Chaldæi explicantur. Septuaginta Interpretes Chaldæos interpretati sunt. Apud Romanos quoque fuit suus permutandi literas ritus. Augustus prout scribit Suetonius, quoties notam scribebat, ponebat B pro A: C pro B, ac deinceps eadem ratione sequentes literas: Pro X autem duplex AA. De Iulio Cæsare scribit Dio libro trigesimonono: Consueuerat si quid secreti cuiquam per literas significaret, quartum semper elementum in scribendo pro eo quod sumi debebat sumere ne obuia literarum lectio cuiuis esset. Apud Hebræos quoque erant alij modi permutandi literas, pro prima decimam tertiam, pro secunda decimamquartam, qui modus *Albam* appellatur. Item pro prima nonam, pro secunda octauam, qui appellatur *Atbah*. Cap. 88.

Benè hæc omnia, non tamen mihi persuadent similium scriptionum vsum in sacris Literis. Verùm ratio propter quam dicitur Ieremias occultasse nomen *Babel*, & substituisse *Sesach* parum firma mihi videtur, ne scilicet euulgaro Babelis nomine in Prophetam excandescerent Babylonij; nam sæpiùs idem Propheta longè duriora Babyloniis explicatissimè prædicit. De scriptione Angeli apud Danielem iam diximus; ideo legi ab Assyriis non potuisse, quia Samaritanis characteribus illam exarasset, non quia transpositè delineasset literas. Neque magni faciendum est à Septuaginta Interpretibus *Chaldæos* vertisse pro *cor leuantes*: nam simpliciter כשדים eos legisse existimo, textúmque quo vsi sunt לב קמי non habuisse: quæ enim mentis occultandæ causa subesse poterat, quæ per totum caput tam clarè, & luculenter apparet? Thargum Ionathan *Chaldæos* quidem addit, verùm periphrasticè, nam statim posteà לב קמי interpretatur, *quorum cor eleuatum est*. Symmachus, & Aquila nullum mysterium suspicati sunt: hic enim vertit *cor excitantes*; ille vocem Hebraicam retinuit *leccabe*, vel potius *leb-came*.

CAPVT IV.

Exponitur quid sit Rex Sesach *apud Ieremiam.*

Agitur de festis Saccarum, siue Sacearum.



NVNC videamus quid *Sesach* apud Ieremiam sit? Fortasse si Babylon non dicta fuerit *Sesach*, id est, *Byssi saccus*, ob Byssi, & Purpuræ abundantiam (inquit Hieronymus,) alludit Propheta ad festa quædam Babylonica, vsurpata posteà à Persis: Scheschac enim linguâ Babylonicâ, significat diem festum celebrantem, atque hac vocis allusione diem ipsum casus Babylonici, velut digito demonstrauit Ieremias, quo festum, & epulas agebant Babylonij. De isto autem festo, & mensis, quo celebrabatur die, testimonium Berosi Chaldæi ab iniuria temporis seruauit Athenæus Dipnosoph. 14. Βήρωσος, inquit ille, ἐν τῷ πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν, τῷ Λώῳ μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ φησὶ ἄγεσθαι ἑορτὴν Σακέαν προσαγορευομένην ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε, ἐν αἷς ἔθος εἶναι ἄρχεσθαι τοὺς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφηγεῖσθαί τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδυκότα στολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ, ὃν καὶ καλεῖσθαι Ζωγάνην. μνημονεύει τῆς ἑορτῆς καὶ Κτησίας ἐν δευτέρῳ Περσικῶν. hoc est, *Berosus in primo Babylonicorum refert 16. die mensis Loi, festum Sacean dictum Babylone dies quinque celebrari. In his morem esse, Dominos parêre imperio seruorum; præesse autem familia eorum vnum vestem Regiæ similem indutum. Hunc Zoganen nuncupari. Festum memorat etiam Ctesias in*

secundo

secundo Persicorum. Serui autem nomen, qui festo præfuit, & Zogana hic dicitur, Chaldaicam petit originem. Nam סגן *Segan, præfectus* est in ea dialecto. Dion Chrysostomus oratione quartâ de Regno, Persis tribuit hunc festum, quem à Chaldæis poterant accepisse: eius ritus describit: *An Saccorum solemne ignoras, quod Persæ celebrant? Vinctorum qui duci ad supplicium debent aliquem in sella Regis collocant, & veste regiâ ornant, faciúntque ei potestatem delicatè, & molliter viuendi, Regiísque pellicibus, per eos dies vtendi, neque illum quisquam impedit, quominus quidquid voluerit faciat; deinde exutum, & flagellatum suspendunt.* Vel fortasse ab his festis Babel dicta *Sesach*, à gaudio illo, quod erat typus gaudij mundi, vt sic Propheta ostenderet similem conditionem futuram Regis Babylonici. Ioannes Seldenus putauit idolum Babylonicum esse *Sesach*, aut *Sach*, atque inde putat quod Regem *Sesach*, & ipsam vrbem, eodem nomine, meminerit Propheta. *Quomodo* (inquit) *capta est Sesach?* Nam Bel, Merodach, Melcom, & qui sunt id genus alij pro ipsâ gente, seu populo, à quo in veneratione habiti sunt, capitibus tribus præcedentibus sæpè accipiuntur. Ita de Babyloniis *Sesach* capit. Et Scaliger in notis ad Berosi fragmentum, festa illa quæ commat. 39. & 57. capitis quinquagesimi primi memorantur, sacros, quos diximus dies putat denotare, non epulas Baltassaris vti sentit vulgus Chronologorum. Prophetiam enim illam ad Babylonem refert à Cyro captam, cùm scilicet, vt testis est Herodotus, tota vrbs choreis, & oblectationibus occupata festum ageret. Optimè sanè conuenit, stragem, & gentis captiuitatem à sacrosancto sub eius numinis vocabulo designari, cui dum flagellum illud Dei Optimi Maximi erat meritò spectandum, celebrarent sacra. Verùm non satis constat de numine aliquo apud Babylonios eiusmodi dictum, nisi quis vellet affine illi nomen esse *Seches*, eiusmodi enim appellabatur Mercurius apud Babylonios, quod sic Hesychius notat: Σεχὲς ὁ Ἑρμῆ ἀστὴρ, Βαβυλώνιοι.

Tum ea festa dici Sacea, siue Sacarum possent, paululùm corrupto nomine Græco, non ab aliquo Deo, sed à Sesach ipsâ ciuitate Babylonis, si fortasse eiusmodi etiam appellata est. Nam sicut Romani ludi dicebantur ab vrbe Roma, in qua celebrabantur, sic Sacei, aut Sesacei à *Sesach* vrbe: quidquid hoc sit, puto nomine *Sesach* ad festum Babyloniorum intendisse Prophetam: nam & *Sesac* gaudium significat, & quidem aptissimè irrisisset Ieremias humana gaudia, & epula Baltassaris Regis per comparationem festorum illorum, quæ ex Dione Chrysostomo protulimus. Sicut enim in illis per ludum eligebatur Rex, qui inter medias delicias, & omnium voluptatum licentiam miserè occidebatur. Sic Rex Babylonis Baltassar ludicer prorsus Rex, & festiuum, vt sic dicam, fortunæ ludibrium, in mediis deliciis, in omni voluptatum licentiâ, atque luxu interficiendus erat, cuius propterea interitus illâ Sesaceorum comparatione idoneè prænuntiatus est. Id adijcio similia his Chaldæorum, & Persarum festa, fuisse noui orbis incolis, prout noster Iosephus Acosta testatur libro historiæ, Indice quinto, capite vigesimo nono, ibi scribit: In festo Dei diuitum assumi solitum seruum, indutúmque Idoli insignibus coli ab omnibus, delectatúmque epulis, musicis, canticis, tandem occidi.

CAPVT V.

Notaricarum literarum scriptio apud Hebræos, Ægyptios, & Græcos vsitata, an itidem in sacris literis, & à Moyse instituta.

Cur Christus vocatus piscis?

NOTARICÆ scriptionis vsum, cùm simplex litera substituitur signum integræ dictionis, in sacro textu notauit Hieronymus in Traditionibus, ex tertio Regum libro, capite secundo, examinans verba illa Dauidis ad Salomonem: *Habes quoque apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessimâ*: in hæc verba scribens: *Pessima Hebraicè Nimrezeth dicitur, quod quinque literis enuntiatur, id est, נ Nun: מ mem: ר res: צ zade: ת thau. In Nun, Noeph, id est, adulter: Mem, Moabita: Res rasa, id est, impius: Zade, zara, id est, leprosus: Thau, thoana, id est, abominatus.* Fuisse antiquitus

quibus istam scientiam, aut usum elementarium, id est, per primas literas significandi res, videtur constare ex Clemente Alexandrino quinto Stromatum, non longè ab initio, qui sic scribit: *Sacram Scripturam apud Ægyptios, aut esse per prima elementa, quæ appellatur propriè loquens, aut esse symbolicam, quæ per signa significat.* Et Basilius Epist. 178. *Literarum notis vtuntur homines, vt sermonum auolantium velocitatem, qui scribit, prehendat.* Plato in Cratylo, vbi de nominum etymologia, non dissimilem disciplinam tractat. Augustinus quoque in tractatu nono super Ioannem, & ante eum Cyprianus in tractatu de Sina, & Sion: & post vtrumque Beda in commentariis super Ioannem, explicantes etymologiam nominis *Adam*, putant primum hominem sic appellatum, quia terra illa, ex qua fictus est, à Deo sumpta esset ex quatuor mundi cardinibus: qui quatuor literis eiusdem nominis cōprehenduntur: nam A, ἀνατολὴν, id est, Orientem: D, δύσιν, id est, Occasum: aliud A, ἄρκτον, id est, Septentrionem: & M, μεσημβρίαν, hoc est, Meridiem significat. Hanc nominis interpretationem Sibylla in secundo Oraculorum libro his carminibus expresserat:

Αὐτὸς δὴ θεός ἐστι ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἀδὰμ,
Τὸν πρῶτον πλασθέντα, καὶ οὔνομα πληρώσαντα,
Ἀνατολήν τε, Δύσιν τε, Μεσημβρίαν τε καὶ Ἄρκτον.
Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus est, & qui nomine complet,
Ortúmque, Occasum, Austrum, Boreámque rigentem.

Aliud notaricum ex Sibyllis obseruarunt sancti Patres, qui propterea vocant Christum Dominum ἰχθὺν, id est, *piscem*. Optatus Mileuitanus libro tertio aduersus Parm. scripsit: *Hic* (Christus) *est piscis, qui in Baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat à pisce, etiam piscina vocitetur, cuius piscis nomen secundùm appellationem Græcam in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet: ἰχθὺς enim Latinè est Iesus Christus Dei filius Saluator.* Sanctus Augustinus libro decimo octauo de ciuitate explicuit has voces Græcas, dicens: Cap. 23. *Horum autem Græcorum quoque verborum quæ sunt Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, quod est Latinè: Iesus Christus Dei filius Saluator, si primas literas iungas erit ἰχθὺς, id est, piscis, in quo nomine mysticè intelligitur Christus, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit.* Hinc Tertullianus libro de Baptismo: disputans aduersus Quintillam Baptismatis fructus negantem, dixit: *Nuper conuersata istic quædam de Caiana hæresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, imprimis Baptismum destruens planè secundùm naturam: nam ferè viperæ, & aspides, ipsique reguli serpentes arida & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundùm ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur. Nec aliter quàm in aqua permanendo salui sumus. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi ius erat, optimè nouit pisciculos necare, de aqua auferens.*

CAPVT VI.

Exempla Notaricæ inscriptionis, ex sacris libris.

AT QVI vt ad sacra Biblia regrediamur, Notaricæ scriptionis videtur aliquibus institutor Moyses: nam capite 37. Genesis dicitur Iacob dedisse Iosepho filio suo tunicam פסים, *polymitam*, tunicam istam notaricè explicatam futuræ captiuitatis indicem fuisse volunt, פוטיפר סוחרים ישמעאלים מדינים *Putipharo diuendunt Ismaelitæ Madianitæ.* Quin primam Genesis dictionem בראשית, in principio sic interpretantur, בראשונה ראה אלהים שיקבלו ישראל תורה *In principio vidit Deus, quod acciperent Israelitæ legem.* Ecce omnes huius sententiæ dictiones per ordinem incipiunt à literis, ex quibus componitur בראשית. Dei igitur mens videtur ab ipso legis limine, quam gratiam Iudęis esset collaturus, indicare. Et quoniam in scriptura dicitur *Principium verborum tuorum veritas.* Quærunt quomodo hoc verum sit, cùm verborum Dei initium sit: *In principio creauit Deus cælum, &c.* Quæstio ista per Notaricum finale facilè soluitur בראשית ברא אלהים את השמים tres postremæ literæ dictionum trium post primam, quæ *in principio* significat, componunt אמת *veritatem:* Videtur igitur demonstratum verborum Dei initium esse; *In principio veritas.* Idem concluditur ex tribus primis dictionibus: finales enim literæ sunt ם, א, ת, quæ transpositæ componunt אמת *veritatem.* Præter hæc, quater in eodem capite idem Notaricon exprimitur ex initiis versuum 4. 21. 27. 31. quibus omnia Deum in

veritate creasse confirmatur, & stabilitur, quod Psalmo octogesimo quinto canit Propheta, אמת מארץ תצמח, *Veritas de terra orta est*: quorum verborum initiales literæ אמת *veritatem* iterùm exhibent. Quippe ex fine nonnunquam notarica componuntur. Notat Bahal Hatturim in Genesi, capite decimo tertio, cùm Loth ab Abrahamo separatur per Notaricon, סופי תיבות, literarum finalium compendia שלום *pacem* colligi, & separati sunt איש מעל אחיו אברם, *vir à fratre suo Abraham*, vt separationem illam pacis causâ factam esse doceatur. Appositum quoque videtur Notaricum nominis אביר *abir*, quo Deus in sacris Literis solet significari, vt cùm Dauid dixit: Sicut *Iurauit Domino Deo Iacob*; Et Iacob, *Erit mihi Dominus in Deum*: hoc igitur nomen *Abir* refert mysteria Trinitatis & Incarnationis, ita vt prima litera א, indicet Patrem, qui dicitur אב *ab*, secunda ב significat Filium, qui vocatur בן *ben*, vltima ר Spiritum sanctum, qui nominatur רוח *ruach*. Tum dum inseritur litera י *iod* secundæ literæ indigitat nomen Dei incarnati ישוע *Iesuach*.

Angelicam quoque manum Maldonatus, Raderus, & Antonius Fernandez putant scripsisse per notaricas literas sententiam Baltassaris Regis in hunc modum מ.מ.ת.פ. Machabæos in vexillo initiales inscripsisse literas, imò ipsum Machabæorum nomen notum est notaricè compositum esse ex primis literis huius sententiæ מי כמכה באלים יהוה, *Quis sicut tu inter fortes, Domine?* quæ habetur Exodi decimo quinto capite. Aliud fingunt ex Psalmo tertio: *Multi insurgunt aduersùm me*. Qui sunt illi multi? aiunt notaricè in voce רבים *multi* contineri רומיים· בבליים. יונים· מדיים· Romanos, scilicet Babylonios, Græcos seu Iones, & Medos. Hoc Notaricum è Rabbinis notauit Reuchlinus. Bahal Hatturim in Genesis capite decimo quarto, Melchisedechum probat eundem esse cum Sem filio Noe, eo quod dicatur Rex Salem מלך שלם, cuius Notaricum est שם Sem. Aliud notat Archangelus commentario in propositiones Cabbalisticas Pici Mirandulani, Genesis capite quadragesimonono; *Donec veniat Silo, & ipsi congregabuntur populi*. Quis ille Silo? explicatur in textu per Notaricum, עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים tres priores literæ יבא שילה ולו simul iunctæ ישו Iesum componunt.

Tandem illud adiiciam, quod noster Pineda affert, & priùs obseruauit Bartholomæus Valuerdius Commentario primo in Salomonis Alphabetum; super id, *Byssus & purpura vestimentum eius*, nomen *purpuræ*, flammantis nimirum, atque ignescentis, rectè posse in Angelos conuenire, qui cùm sint ministri Dei, facit illos flammas ignis. Rursus ignitos hos ministros esse quadrigas currus gloriæ Dei, qui ipsi sunt equi ignei, 4. Regum 2. 11. & 6. 17. & Ezechiel dicit, *Similitudo animalium, & aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*. Purpuram verò, dici ipsam quadrigam sponsi, colligitur ex Cantic. 3. 10. in descriptione ferculi Salomonis; Ascensum eius fecit purpureum. Quod Rabbi innominatus apud Genebrardum vertit, currum purpureum; & posset eadem ratione vertere, quadrigam. Est enim idem originale nomen quadrigæ, & currus, sicut & Psalmo centesimo tertio dicitur: *Ponis nubem ascensum tuum*: quod Tigurina, Pagninus, Regia, Hieronymus, & ferè Hebraïzantes omnes legunt: *Ponis nubem currum tuum*. Ergo currus pro quadrigis; currus autem, vel quadrigæ purpureæ sunt animalia illa, vel Angeli igniti, & scintillantes. Hinc iam illa traditio, nomen originale purpuræ, quod bis tantum in scriptura legitur *Argaman*, constare quatuor literis, quæ sunt initiales quatuor Angelorum vehentium currum gloriæ Dei, & Sponsi; quatuor Angelicarum quadrigarum, videlicet R. *Raphael*; G. *Gabriel*; M. *Michael*; N. *Nuriel*; qui idem est *Vriel*. Et opportunè sanè hi ministri præ cæteris, Sponsi, id est, Dei hominis currum vehunt, & ministerium Incarnationis celebrant; nam de Gabriele constat ex Proculo ipsam Angeli nomenclaturam Dei fortitudinem cum nostra infirmitate coniunctam repræsentare; Gabriel enim est idem quod fortitudo Dei, siue vt idem Proculus ait: Gabriel idem est quod vir, aut homo Deus; & refertur in Concilio Ephesino, tomo sexto, capite septimo. Michael autem videtur etiam seruire peculiari quodam obsequio Deo incarnato, vt peculiari quodam miraculo ostensum est, cùm cruci argenteæ mirabiliter tres imagines insculptæ nulla humanâ arte apparuerunt: media cui nomen Emanuel visebatur ab vno latere; secunda cui nomen Gabriel; tertia ab altero cui Michael; quod refertur in libro Martyris Procopij, & habetur in eadem Synodo Ephesina, Actione quarta. Et videtur Michaelis nomine afferri quædam diuinæ sancti-

tatis admiratio, sonat enim, Quis sicut Deus? Tertius Raphaël, quod sonat Medicina, aut venia ignoscentis Dei. Quartus Nuriel, siue Vriel, qui sonat lumen, aut ignis Dei. Hæ profectò quadrigæ videntur respondere quatuor virtutibus, seu attributis Regis sponsi Dei hominis vehentibus currum gloriæ eius, quæ Psalmo quadragesimo quarto commemorantur. Michaël iustitiæ, siue sanctitati: Gabriel virtuti terrificæ dexteræ. Raphaël mansuetudini & clementiæ: Vriel veritati & doctrinæ, de quibus dictum est Sponso: Regna, ascende, inequita super veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & cum his tribus deducet te quarta etiam quadriga propriæ virtutis, & dexteritatis, sicut scriptum est: Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

CAPVT VII.

Notarica scriptio non obseruanda in sacris Literis. Anceps, incerta, & fortuita est.

NIHILOMINVS censeo non obseruandam hanc in sacris Literis scriptionem cùm incerta sint, & fortuita, quæ inde excipi possunt, & ad multas facies eamdem torqueri literam promptum sit, quemadmodum accidit Æsopo: Hic provt in eius vita legitur, cùm vnà cum hero suo Xantho, veteres ædificiorum ruinas perlustraret, fortè incidit in columnam quandam marmoream, cui septem Græcæ literæ erant insculptæ, indicantes thesaurum eo in loco, non longè à columnia defossum: quarum cùm Xanthus intelligentiam anxiè disquireret, Æsopus inuentis dictionibus, quæ ab iisdem characteribus incipiebant, scripturam illam, tribus adhibitis expositionibus illustrauit. Erant autem literæ huiusmodi, A. B. Δ. O. E. Θ. X. quas Æsopus manifestans hero suo locum thesauri, quem literæ designabant, sic primum exposuit, A, ἀποβὰς, id est, Ascendens, B, βήματα, gradus, Δ, τέσσαρα, quatuor, O, ὀρύξας, fodiens, E, εὑρήσεις, inuenies; Θ, θησαυρὸν, thesaurum, X, χρυσίου, aureum, hoc est, *Ascendens gradus quatuor, inuenies thesaurum aureum.* Cùm itaque Xanthus thesaurum effodisset, neque partem vllam auri Æsopo decerneret: modestè eum admonuit Æsopus, vt præcepto columnæ insculpto pareret, quod literæ illæ continebant, hunc in modum: A, ἀνελόμενοι id est, tollentes, B, βαδίσαντες, ite, Δ, διέλεσθε, diuidite, O, ὃν, quem, E, εὕρετε, inuenistis, Θ, θησαυρὸν, thesaurum, X, χρυσίου, aureum, hoc est, *Tollentes, ite, diuidite, quem inuenistis thesaurum aureum.* Quod cùm Xanthus facere contemneret, solúsque auro potiri vellet; indignatus Æsopus, comminatus est, nisi partem acciperet, se alterum eiusdem scripturæ mandatum executurum, ita præcipientibus literis, A, ἀπόδος, id est, Redde, B, βασιλεῖ, Regi, Δ, Διονυσίῳ, Dionysio, O, ὃν, quem, E, εὗρες, inuenisti, Θ, θησαυρὸν, thesaurum, X, χρυσίου, aureum; hoc est, *Redde Regi Dionysio, quem inuenisti thesaurum aureum.* Cùm Syracusis mos esset, vt proditurí in concionem literarum notis designarentur, atque illæ ducerentur sorte, vt vbi quisque suam literam adipisceretur, fieret illi potestas loquendi ad populum. Dionysius cùm priuatam etiamnum vitam ageret, sortitus est locum, & ius concionis per literam M, cui quidam contemptui illum habens dixit, μωρολογεῖς Διονύσιε, *garriendi ius sortitus es Dionysi.* Est enim μωρολογία fatua, & insulsa loquacitas. Respondit tamen Dionysius eludens scomma, simúlque ad sortitionis literam M, alludens Μοναρχήσομεν δὴ ἄρα, *Monarchico igitur*, inquit, *potiemur Principatu.* Veluti elementum id non morologiæ, vt ille cauillabatur, sed Monarchiæ futuræ fuisset præsagium, quam posteà per tyrannidem pulsis Carthaginensibus sibi comparauit. Amœna quoque sunt quæ Rutilius in vita Rutilij Iurisconsulti narrat: *Scaurus absolutus crimine ambitus, in Rutily accusatoris sui tabulis ostendit has literas A. F. P. R. easque sic interpretabatur: Actum fide Publy Rutily. Rutilius contrà sic: Ante factum, post relatum. C. Cannius vero, qui Rutilio aderat, exclamauit neutrum significari; sed illud: Æmilius fecit. Plectitur Rutilius.* Sic etiam detortum est illud Sibyllinum. S. P. Q. R. *Salua populum quem redemisti.* cùm tandem ad Romanam Rempublicam translatum sit *Senatui, Populóque Romano.* Tam facilis, tam volubilis & ad vtrumque latus obuia est istæc Notarica obseruatio.

Quapropter placet mihi, quod nostro Pinedæ ad illa Dauidis verba *maledictione pessimâ*, hanc elementariam scientiam, aliquando aliquid vtilitatis habere posse; sæpè tamen ac sæpius inutilem, ac futilem esse, & in illa quam tractauimus maledictione Semei videri commentitiam, & Rabbinorum fabellam. Nam vocem illam *Nimrezeth*, docti interpretes opportunè deducunt à radice *Marats*, quod est forte, aut violentum esse. Quare Pagninus in thesauro vertit: *Maledictione valde forti*, in Biblus autem *vehementi*, Regia *roborata*, Tigurina *Acerbissima*, Septuaginta *Acerba*, Forsterus *Maledictione disruptionis*, quasi diceret quâ præ dolore rumpebar. Quæ omnia opportunò complexus est vulgatus dicens *Maledictionem pessimam*. Et quidem verba illa, quibus petulantissimus Semei Dauidem exeuntem incessebat, non fuisse illa quinque Rabbinica, sed alia longè diuersa certo constat ex secundo Regum 16. vbi accuratè describuntur. Ita loquebatur Semei, cùm malediceret Regi: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saül, quoniam inuasisti Regnum pro eo, & dedit Dominus Regnum in manu Absalom filij tui; & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Et inferius num. 13. *Ambulabat Dauid, & socij eius per viam cum eo, Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur maledicens; & mittens lapides aduersus eum, terramque spargens.* Quod cum Septuaginta, & Hebræa dicant *puluerem*; at Theodoret. q. 32. cœnum iecisse in Dauidem interpretatur. Illa igitur sunt verba, quibus impetebat Dauidem, non illa alia quinque Rabbinica. Quanquam quidem ex ea maledictione, quam scripturà exprimit, si paulò accuratius consideretur, illa quinque, quæ Hebræi numerant, videntur posse quodammodo colligi. Primum *leprosus* ex illo egredere, egredere; nam sicut leprosus eiiciebatur ex conuictu, & cogebatur egredi ex vrbe; ita videbatur eiici Dauid ex sua vrbe, & Regno. Secundum *vir sanguinum*, videtur ad iniquitatem, vel impietatem illam referri indicata in *res*: nam eodem nomine Rasagh dicitur Numer. 35. *Non accipietis pretium ab eo, qui est reus sanguinis.* Pagnin. & Regia, *Qui est impius*, &c. Tertium *vir Belial*; videtur idem esse quod Moabita absque iugo quicumque idololatra absque Dei lege. Quartum *Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem*, &c. videtur ad abominationem illam pertinere significatam ת Thau, nam pollutus sanguine abominatus censebatur, & ab illo auertebat Deus oculos. Quintum tandem *adulter* ex facto Absalom colligitur, qui par pari rependit. Nam videtur adulter Dauid punitus, cùm Absalom ingressus est ad concubinas patris sui, &c. iuxta illud 2. Regum cap. 12. *Tu fecisti, abscondite; ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.*

CAPVT VIII.

Zachariæ Papæ definitio reiicitur Notaricum Angelicorum quatuor nominum.



VÆ de Notarico quatuor Angelicorum nominum ex Valuerdio, & Pineda produximus, vt omittam violenta, & incompleta esse; displicet quidem viris doctissimis Vrielis nomen inter sacra Angelorum censeri. Alij licet admittant, fortasse non considerarunt Concilij Romani, & Zachariæ Papæ sententiam. Quam cùm vidisset noster Serarius, omnia prorsus Angelorum præter tria nomina refutat. In secundo libro historiæ sancti Bonifacij refertur: Impius quidam hæreticus Adelbertus, cum sese Apostolis æquipararet, multáque impiis hæreticorum nostrorum dogmatibus, de Sanctorum templis, de peccatorum confessione, aliísque, id genus, consimillima doceret, addebat; epistolam se & precarionem è cælo accepisse, & in hac ipsa octo Angelorum nomina, in quibus & Vriel erat quasi diuinitus missa recensebat. Ad hæc sanctus Bonifacius, Ex octo istis Angelis, vnus tantum ait, est sanctus Michaël: reliqui septem potius dæmones. Hoc loco sanctus Bonifacius Vrielis nomen habuit. Grauius tamen authoritatis nomen tum è Romano Concilio, in eadem historia est, dum de Angelorum nominibus quandam veluti fidei professionem edunt congregati Patres, ipséque qui Concilium coëgerat, Pontifex Maximus. Nam cùm hæretici illius Adelberti charta prolata esset, subditur in Concilio: *Suscepta est, & lecta oratio, cuius initium tale erat. Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, & α. & ω. qui sedes super septimum thronum, & super Cherubim, & Seraphim: pietas magna, & dulcedinis satis est apud*

te,

te, Pater sanctorum Angelorum, qui fecisti cælum, & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt: te inuoco, & clamo, & inuito super me miserrimo, quia tu dignatus fuisti dicere: Quæcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis: à te peto, te clamo, & Domino Christo confido animam meam. Cùmque per ordinem legeretur, peruenit ad locum vbi dicit, *precor vos, & coniuro vos, & supplico nil nisi ad vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel. Dum verò hæc oratio sacrilega vsque ad finem perlecta fuisset, Zacharias sanctus Papa dixit. Quid ad hæc sancti fratres respondetis? Sancti Episcopi, & venerabiles Presbyteri responderunt. Quid aliud agendum est, nisi vt omnia, quæ coram nobis lecta sunt igni concrementur? authores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Aldebertus inuocauit, non Angelorum præter Michaelis, sed magis dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit: nos autem, vt à vestro sancto Apostolatu edocemur, & diuina tradit auctoritas, non plus quàm trium Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michaël, Gabriel, Raphaël.* Atque huic Concilio cùm alij omnes, tum Zacharias ipse subscripsit, rursumque posteà in epistola nona confirmauit.

Hæc & plura alia congerit Serarius, vt nec Vrielis nomen admittat quantumuis aliqui Patres & Doctores, haud reiecisse illud videantur. Baronius quoque tomo nono, latissimè narrat eiusdem Concilij, & Zachariæ acta, cuius auctoritate Vrielis, & aliorum Angelorum præter tria reiicit nomina. Et addit; *Quibus perspicuè intelligis librum quartum Esdræ nomine vulgatum, in quo frequens est mentio Angeli Vriel ab Ecclesia Romana proscriptum, penitúsque esse reiectum.* Et quidem Catholica Ecclesia, cùm in Litaniis, tum aliis in precibus, & Ritualibus omnibus, tria tantum nomina recipit, & vsurpat: cætera non item. Glycas Bizantinus in Annalium parte tertiâ hæc etiam habet: *Appellatio Vrielis, quemadmodum reapse sapiens Psellus scripsit; nec prisci fœderis libris, nec noui continetur; sed extat in libro quodam Hebraico qui inscriptionem habet, Precatio Iosephi, & apocryphus est.* Ita ille. Habentur eadem, quæ apud Zachariam Papam, de tribus tantummodo Angelorum nominibus in Capitularibus Caroli Magni, libro primo, capite decimo sexto. In Concilio Laodicensi *præcipitur, vt ignota Angelorum nomina, nec fingantur, nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate; hi sunt Michael, Gabriel, Raphael.* Hæc ibi. Noster quoque Delrius libro primo Disquisitionum Magicarum auctoritate Zachariæ, Vrielis & alia Angelorum nomina similiter refellit. Rangolius etiam in librum primum Regum, capite vigesimo, eadem in sententia stat, & ex definitione Zachariæ impugnat intelligentias Trithemij.

CAPVT IX.

Digreßio opportuna circa nomen Vrielis Angeli.

CÆTERVM quoniam huc venimus, & ne ignarus diuersa sentientium pronuntiem meam sententiam, veniali adhuc excurram digressione. In hac quæstione certissimum censeo, plura nomina Angelorum, quæ à Ioanne Trithemio, Theodoro Graminæo, Aitsingero, & aliis, producuntur respuenda prorsus. Deinde iudico Vrielis nomen aliquatenus minus, interdum suspectum, quod viderim à multis admissum. Sanctus Isidorus libro septimo Etymologiarum, capite quinto scribit: *Vriel interpretatur Ignis Dei, sicut legimus apparuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignem missum desuper, & implesse quod præceptum est.* In Missa Æthiopum, quæ habetur tom. 4. Bibliothecæ Veterum Patrum ita orat Sacerdos: *Custodi Domine populum tuum per preces maiorum Angelorum splendentium, Michaëlis, & Gabrielis, ac Raphaelis, & Vrielis, & quatuor animalium sine carne.* Sanctus Ambrosius libro tertio de fide ad Gratianum, *non moritur Raphael, non moritur Vriel.* Cap. 2. Videtur inter Ambrosij, & Isidori sæcula Vrielis nomen in vsu Catholicis fuisse. Siquidem Surius in Commentariis rerum in orbe gestarum ad annum 1544. scribit eo anno mense Februarij Romæ, in Vaticano inuentum corpus Mariæ vxoris Imperatoris Honorij multis exornatum gemmis, monilibus & muliebribus ornamentis. *In quibus vna earum, quas hodie Agnus Dei vocant, per cuius ambitum inscriptum erat Maria nostra florentissima, laminaque ex auro, & in ea hæc nomina Michaël, Gabriel, Raphael, Vriel.* Beda quoque in Collectaneis sic ait: *Gabriel esto mihi lorica, Michael esto*

mihi halsheum, Raphael esto mihi scutum: Vriel esto mihi protector, Rumiel esto mihi defensor, Phanuel esto mihi sanitas. Ante hos omnes meminit Origenes ἀρχάγγελον Οὐριὴλ, *Archangeli Vrielis* cuius in Philocaliæ capite vigesimo secundo mentio fit. Atque in libro secundo Sibyllinorum oraculorum sic canitur, iuxta quosdam codices,

Ἠδ᾽ ἀρ Μιχαὴλ τε, Γαβριὴλ, Ῥαφαὴλ τ᾽ Οὐριὴλ τε.

Sed in aliis voluminibus est,

Ῥεμιὴλ, Οὐριὴλ, Σαμιὴλ, Ἀζαὴλ τε.

Locupletius sanctus Bonauentura tertiâ centiloquij parte, capite decimo octauo, vbi ait: *Angeli habent ab hominibus defectum quadruplicem releuare, scilicet prauitatem ad malum, difficultatem ad bonum, longinquitatem à Domino & tepiditatem à mente. Ad quæ quatuor designanda, quatuor nomina Angelorum, & non plura sunt in scriptura hominibus reuelata, scilicet Raphael, qui interpretatur medicina Dei, siue sanans Dominus. Hic est missus curare Tobiam à caecitate oculorum, & Saram ab improperio de occisione virorum. Et hoc contra duo, quæ ex originali contraximus, quæ sunt ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum: per quæ duo reddimur ad malum labiles. Item Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei, quia fortificamur, & confortamur ad obseruantiam preceptorum Dei, & adimpletionem consiliorum. In signum primi missus est annuntiare ortum Præcursoris de coniugatis. In signum secundi missus est annuntiare ortum Saluatoris de Virgine. Per Ioannis exemplum reddimur fortes ad expugnandum malum: per Christi beneficium & exemplum, reddimur dispositi, & faciles ad bonum. Item Michael qui interpretatur quis vt Deus, qui dicitur animas in cælo Domino præsentare: propter quas de manu Diaboli eruendas commisit prælium cum Dracone. Huius duas solemnitates solemniter celebramus, scilicet apparitionis, & dedicationis: In signum quod ipse pro nobis est, dum viuimus in hoc sæculo, & dum educimur de exilio. Item Vriel, qui interpretatur lucens Deo, siue apparens Deo, vel ignis Dei, aut incendium Dei: qua duplex interpretatio innuit, quod per eius ministerium illustramur in veritate, & inflammamur in charitate. Mittuntur enim Angeli ad illuminandum nostrum intellectum, & inflammandum nostrum affectum, etsi non effectiuè, saltem dispositiuè. De hoc nomine Vriel, legitur in tertio Esdra, quia missus est iste Angelus ad consolationem populi Dei, qui ab alienigenis premebatur.* Hæc ille.

Addictissimus sancto Bonauenturæ censuit idem Ioannes Gerson parte tertiâ, tractatu octauo super Magnificat: *In libris Esdræ fit mentio de Vriel Angelo, cuius interpretatio sonat Ignis Dei; licet Angelum quemlibet viatoribus singulis deputatum Vriel appellare, cuius officium est, suauiter vrere renes & cor nostrum, consumere sordes vitiorum, succendere totum cor ad virtutes, sacrificare pietatis holocaustum, quod est in odorem Domino suauissimum. Vriel iste redigit, quos inflammat in cinerem, per timorem, & humilitatem spiritus; mollit per pietatem, & mititatem contra cordis duritiem lapideam; resoluit in luctum per propria fragilitatis sententiam; cor roborat per decoctionem, & humoris fluidi resolutionem, vnde venit apud animam fames, & sitis congrua, tractabilem reddit ad consilium & misericordiam; subtilizat & purificat cor ad intelligendum. Demum saporem, & internam pacem efficit per renouationem iuuentutis, sicut aquilæ, sicut coruorum, sicut accipitris, sicut serpentis. Nota sunt ista similitudines, quales per metaphoram operatur in nobis Vriel noster, si non obstiterit ipse animus noster.* B. Amadæus raptu quinto suæ Apocalypsis, hunc hymnum animarum sanctarum scripsit: *Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu, laudemus, & magnificemus eum in sæcula. Benedicti sunt omnes spiritus cælestes, qui sanctæ Trinitati fuerunt obedientes. Benedictus sit Michael Princeps inter omnes creaturas, primus qui cum fortissimo Gabriele in infernum demisit omnes aduersarios nostros. Benedictus sit ipse Gabriel cum Raphaele, & Vriele, qui salutem nostram assiduè procurare non cessant. Benedicti omnes Angelici spiritus, qui hominem Deum colunt, & venerantur.* Guillelmus Durantus libro quarto de ritibus Ecclesiæ, capite trigesimotertio, postquam interpretatus est nomina Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis, addit: *Vriel interpretatur Ignis Dei, sicut legimus, apparuisse ignem in rubo: legimus etiam ignem missum desuper, & impleße quod præceptum est. Hæc sunt nomina personalia Angelorum, quæ nec à se ipsis, nec à Deo imposita sunt, sed ab hominibus, & nesciuntur à quibus, nec alia personalia inueniuntur in scriptura.* Hactenus Durantus. Hieronymus Gratianus in cultu septem Angelorum principalium hæc habet: *Vriel (ignis Dei) est iudex maior Regis omnipotentis, inflammator cordium tepidorum, patronus aduersus tentationes, præest omnibus Angelis qui plectunt. Iuuat homines ne plectantur, & vt Deum ament, & tentationes vincant, & obtineant charitatem, zelum, & rectitudinem, cuius titulus est Ignitus socius. Pingitur vestitus colore rubro cum ignito in dextra gladio. De eo fit mentio libro quarto Esdræ*

Esdræ capite quarto. Hic est qui Adamum & Euam expulit paradiso, qui stricto, & denudato gladio obstitit Balaam, cùm pergeret ad maledicendum populo Dei, & qui occidit centum octoginta, & quinque mille Assyrios. Hactenus ille. Et noster Hieronymus Prado quatuor Ecclesiæ tutelares Angelos vocat Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Vrielem. Antonius Duca, & alij testantur Panormi, & Romæ altaria esse dicata septem Angelorum Principibus, suum quodque denotans nomen, inter ea Vriel: quin & in Germania cultum Vrielem Angelum ipse Seratius sic fatetur. Docti viri, qui sancti Henrici Imperatoris æuo floruerunt, eúmque vel priuatim, vel publicè in scholis, & templis docuerunt. In templo siquidem Basileensi, quod Augustus ille Henricus magnificè restaurauit, donísque plurimis condecorauit. *Eminet* (inquit libro tertio rerum Germanicarum fol. 140. Beatus Rhenanus) *lamina illa aurea lignea tabula adhærens, septem millibus florenorum æstimata, qua ipse priuatim in larario suo cum viueret vsus est. Vnde & tutelares diuos refert, quos ille præcipuè coluit, nempe quatuor Angelos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Vrielem, & Benedictum, ac in horum medio stantem Christum, cuius pedibus ipse cum vxore Cunigunde aduoluitur.* Vnde verò hæc Imperatori, eiúsque coniugi religio & sententia, nisi ab iis, quos diuinarum tum rerum interpretes audiebant? Albertus Magnus in sua quam Vviceliana proferunt exercitamenta, Litania, Vrielem precatur. Videmus etiam Christianis quibusdam Vrielis nomen imponi, quod sacro in Baptismo, vel Confirmatione, nunquam fieret, si dæmonis tantum nomen foret, in ipsa Archiepiscopali sancti Bonifacij sede Moguntina, primò quidem Decanus, deinde Archiepiscopus fuit Vriel à Gemmigen, qui anno 1514. è viuis excessit, prout eius in Principe Moguntina Æde monumentum ostendit. Græcolatinarum precum liber apud Hieronymum de Manerf anno 1580. editus fol. 120. in Litaniis disertè ponit Ἅγιε Οὐριὴλ πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν. Ludouicus Alcazar non censet respuendum nomen Vrielis, ita tamen vt ei Angelo tribuatur, quem in igne apparuisse certum sit ex libris Canonicis, nimirum capite tertio Exodi. Vrielem autem illum, cuius in libro quarto Esdræ mentio fit apocryphum iudicat, sicut & Ieremielem apud eundem librum, capite quarto.

Hæc autem non obstabunt, quominus cum Baronio, Delrio, Rangolio, & Serario sentiam, posteaquam sanctissimi Pontificis, & Synodi Romanæ sententiam agnoscere datum est; tribus Angelorum nominibus plura cur agnoscenda? Quæ alias in rebus omnibus tenetum mihi os fingit (ait Serarius) balbutientémque, præfando, linguam format pia, & erudita mater Ecclesia, cur in hisce nomenclaturis, à me non audiatur? Cabalæorum fumosæ apud Reuchlinum appellationes, prodigiosa item Tritemij, & Agrippæ nomina, cæteráque omnia iis consimilia placeant quibus lubebit. Maximi sanè Pontificis hæc ad illam Synodum subscriptio est: *Zacharias Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ vrbis Romanæ his gestis; atque sententia à nobis promulgatis subscripsi.* Neque de nihilo videtur, quod sanctissimæ Trinitatis personæ tres tria tantùm è tot cælestium spirituum ipsis assiduè famulantium myriadibus in authentico verbi sui volumine, sacrisque Synodis, nomina patefacere voluerint, rursúmque quod interdum de suis interrogari nominibus Angeli, enuntiare abnuerint. Luctantem secum Angelum, interrogauit Iacob. Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit, *Cur quæris nomen meum?* Cùm Samsonis Patri apparuisset Angelus, dixit ille huic: Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te. Cui ille respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile.* Gen. 32. Iudic. 13.

Porrò interpretationes, siue excusationes Alcazaris, & Cornelij à Lapide parum fortasse satisfaciunt. Alcazar putat solummodo damnari à Zacharia nomina Angelorum, quæ non colligantur ex canonicis scripturis. Cornelius autem respondet tantum damnasse magica, & conficta Angelorum nomina. Verùm in Concilio Romano & confirmatione Zachariæ Pontificis, non solùm damnantur nomina Angelorum, quæ producebat Aldebertus Hæreticus, sed pronuntiatur ab Ecclesia, *Non plus quàm tria Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.* Quapropter nomen Vriel, siue ex libro quarto Esdræ sumatur, siue aliunde, quamuis ex canonica scriptura velint illud deducere, excluditur per hanc definitionem, nec Ecclesia probat inueniri in canonico libro. Deinde Aldebertus inter sua Angelorum nomina posuit Vriel: & nihilominus Ecclesia illud reiecit. Hoc magis considerandum est, quandoquidem vnum ex iis, Michaëlis nimirum nomen admittit. Cùm igitur ex Aldeberti nominibus Angelicis, inter quæ Michael, & Vriel erat; vnum recepit, alterum damnauit; non est cur dicatur reiecta esse ab Ecclesia, solum quia magica erant Angelorum nomina ab Aldeberto iactata; nam Aldebertus inter sua Angelica nomina recensuit Michaël, & tamen illud admisit Ecclesia; reiecit tamen Vriel &

alia

alia nomina. Cur ergo? quia ex scriptura, vsúque Ecclesiæ vniuersalis tantùm agnoscit tria Angelorum nomina. Et quidem consilium Apostoli est vitare vocum nouitates. Prætereà si ex scriptura non constant, nec authoritate Pontificia. Vnde scimus authenticè illos Angelos sic vocatos? Dices ex reuelatione aliqua posteriori: sed vnde sciet Ecclesia illam esse Dei reuelationem, refragante authoritate Pontificia, & sine eius Sedis approbatione? Hanc certò non habemus, potiùs contrà reperimus stare Romanam Synodum. Id prætereà certissimum habemus ab hominibus superstitiosis, qualis Agrippa multa, Angelorum nomina introducta esse; quapropter vel hac solum ratione suspecta omnia videntur habenda, præter illa, quæ in canonicis literis explicatè referuntur. Quod si Panormi, & alibi tolerat Ecclesia altaria septem Angelis cum eorum nominibus dicata, non est inconueniens altaria dicari Angelis aliis præter Michaëlem, Gabrielem, & Raphaelem: quia re verâ sunt alij Angeli sancti, quibus maxima beneficia debemus: nominibus autem aliis, quam tribus abstinendum iudico, & si quæ sunt in illis altaribus, ea tolerat Ecclesia, non quia sint illa Angelorum propria nomina, sed velut epitheta, quibus quodammodo distinguerentur. Nam nihil mali significant, & aliqua notant Angelorum munera, quemadmodum sanctus Raphaël se dedit noscendum Tobiæ, non per proprium nomen, sed per epithetum dicens: *Ego sum Azarias*, id est, auxilium Dei, quia nimirum afferebat Tobiæ Dei auxilium. Hæc responsio magis mihi nunc placet quàm alia, quam aliquando excogitaui, vt responderem Vvitaccero, qui ausus fuit dicere Raphaelem Angelum mentitum esse, cùm dixit, *Ego sum Azarias*: eámque libenter hìc aggerabo, fortasse aliis non displicebit. Raphaëlem puto ex supremis Hierarchiis esse vnum ex iis spiritibus, qui iuxta sanctum Dionysium, nunquam mittuntur: ab ipsis tamen eredo alios inferiores mitti sui nomine, quod etiam est secundùm eundem sanctum Dionysium. Hoc pacto bene cohærent duo illa nomina, cùm duos diuersos Angelos possent significare. Atque Angelus à Raphaële misso, duobus vti nominibus poßet: Vno proprio, altero spiritus mittentis, & cuius vices, & personam gerebat. Sanè posteà inueni in B. Amadæo raptu quarto suæ Apocalypsis hanc sententiam, vbi de Angelo Raphaële est sermo: *Non ipse in persona, sed in nuncio suo comitatus est Tobiam, filium Tobiæ; ostendebat se comedere, cùm non comederet. Non enim Raphael ille in persona ad Tobiam iuit, sed vnum Angelum de vltimo choro nomine suo destinauit. Sicut & ille Angelus, qui nomine Michaëlis in monte Gargano, & aliàs apparuit se Michaëlem (quia nuntius eius erat) appellabat. Michael ipse in persona non mittitur, nisi pro totius populi auxilio, & salute.* Porrò Azarias siue vt in Hebræo est Hananiel, cuius filium se dixit Raphaël, significat gratiam siue donum Dei: nam omnes sancti Angeli sunt filij gratiæ, & doni Dei, hoc est, ipsius Dei per gratiam eius, quæ illos constituit adoptiuos Dei filios. Denique ea quæ diximus de tribus solummodo Angelorum nominibus, non ita intelligenda sunt, vt tantùm sint tres Angeli nominati in Scriptura, Quoniam probabile est duos Michaeles esse, & fortasse duos Gabrieles. Aliud est, tria nomina Angelorum esse, aliud tres Angelos nominatos: nam tribus nominibus possunt plus quàm tres nominari?

CAPVT X.

De Ephesiis literis: an similes aliquæ in sacris Libris?

HOc etiam vestigandum, an aliquid per literas Ephesias, vel Ephesiis similes, in scriptura indicatum: quemadmodum à non nemine, non quidem ineruditо audiui: quippe scriptura illa parietis, quam interpretatus est Daniel: *Mane, Tekel, Phares*, cuius singula verba singulas sententias dictabant, Ephesiæ scriptioni similis videtur. Idem censuit de voce *Sela*, in aliquibus Psalmis permixta, quam Latina versio non reddit, nec exprimit. Ego potius nomine *Iehoua* abuti Hebræos pro Ephesiis literis censerem. Illa autem multum videntur mihi distare ab Ephesiis literis, de quibus producam quæ inuenio & sentio; licet enim credam Hebræis vsitatissimam eam scriptionem, procul tamen à sacris Literis amandanda est. De his literis luber prius verba Hesychij hoc loco subiicere, qui sic inquit: Ἐφέσια γράμματα ἦν μὲν πάλαι. ὕστερον δὲ προσέθεσαν τινες ἀπατεῶνες καὶ ἄλλα. φασὶ δὲ τῶν πρώτων τὰ ὀνόματα τάδε, ἄσκι. κατάσκι. αἶξ. τέτραξ. δαμναμενεύς. αἴσιον. δηλοῖ δὲ ὁ μὲν ἄσκι, σκότος. τὸ δὲ κατάσκι, φῶς. τὸ δὲ αἶξ, αὐτός. δαμναμενεὺς δ' ἥλιος. αἴσιον δὲ ἀληθές. ταῦτα οὖν ἱερὰ ἐστὶ καὶ ἅγια. *Ephesiæ litera*

ra quondam quidem erant: posteà verò addiderunt quidam deceptores & alias. Feruntur verò priorum hæc nomina ἄσκι. κατάσκι. αἶξ. τέτραξ. δαμναμενεὺς αἴσιον. *Significat autem* ἄσκι, *tenebras*: κατάσκι, *lucem*: αἶξ, *ipsum*: τέτραξ.... δαμναμενεὺς, *Solem*: αἴσιον, *verum.* Hæc sunt verba Hesychij Grammatici, qui indicat fuisse priscas quasdam voces pro sacris habitas, quibus posteriores deinde multas addiderunt. Priscas putat has fuisse ἄσκι, quod interpretatur *tenebras*: κατάσκι, *lumen*: αἶξ, *ipse*: δαμναμενεὺς, *Sol*: αἴσιον, *verum.* Illud satis apparet librariorum incuriâ commissum, quod cùm Hesychius inter Magicas voces recenseat τέτραξ, non meminit tamen interpretans singula. Explicuit id Clemens Alexandrinus, & aliam literam numerat quam vocat λὶξ, quæ vox priscâ appellatione dicitur *terra.* Sed præstat integra verba Clementis Theologi doctissimi, & antiquissimi in medium adducere. Itaque ille lib. 5. Stromatum sic inquit: Ἀνδροκύδης γ' οὖν ὁ Πυθαγορικὸς τὰ ἐφέσια καλούμενα γράμματα: ἐν πολλοῖς δὴ πολυθρύλλητα ὄντα, συμβόλων ἔχειν φησὶ τάξιν· σημαίνειν δ' ἄσκιον μὲν τὸ σκότος, μὴ γὰρ ἔχειν τοῦτο σκιάν: φῶς δὲ κατάσκιον, ἐπεὶ καταυγάζει τὴν σκιάν. λίξ τ' ἐστὶν ἡ γῆ κατὰ ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν. καὶ τετρὰς ὁ ἐνιαυτὸς διὰ τὰς ὥρας: δαμναμενεὺς δ' ὁ ἥλιος, ὁ δαμάζων· τὰ αἴσιά τε, ἡ ἀληθὴς φωνή· σημαίνει δ' ἄρα τὸ σύμβολον ὡς κεκόσμηται τὰ θεῖα, οἷον σκότος πρὸς φῶς, καὶ ἥλιος πρὸς ἐνιαυτὸν, καὶ γῆ πρὸς παντοίαν φύσεως γένεσιν, hoc est, *Androcydes certè Pythagoricus, literas quæ vocantur Ephesia, in vulgus autem valde fuerunt iactata, dicit locum tenere symbolorum. Significare autem* ἄσκιον *quidem tenebras, eas enim non habere vmbras.* κατάσκιον *autem lucem, quoniam illustrat vmbram.* λὶξ *autem prisca appellatione est terra. &* τετρὰς *hoc est, quaternio, annus propter horas.* δαμναμενεὺς *autem Sol, qui domat, &* αἴσια *vox vera. Significat autem symbolum, rerum diuinarum cum esse ornatum qui est tenebrarum, si conferatur cum luce, & Sol cum anno, & terra cum omnis generis naturæ generatione.* Hactenus Clemens. Cæterùm quamuis aliqui has literas Ephesias sacras putauerint, potiùs execrandæ videntur, nam magicæ erant. Scribit Diogenianus Ephesiis notulas quasdam & voces magicas fuisse, quibus vtentes, in omni negotio victores euaderent. Eustathius in Odis Φ. tradit his literis vsum Crœsum in rogo. Fuisse autem verba quædam, obscura, ænigmatibus simillima, neutique cohærentia, descripta in pedibus, zonâ & coronâ Dianæ. Suidas addit huiusmodi fabulam, in Olympiis Milesium quempiam cum Ephesio in palæstra commissum nihil potuisse in conflictu, quod is Ephesius in talo Ephesias haberet literas. Quod simul ac animaduersum esset, ademptis literis Ephesium, qui iam triginta defatigarat succubuisse. Meminit harum, & Anaxylas apud Athenæum lib. 12. Commemoratis enim Philosophi cuiusdam deliciis ait, καὶ πρὸς τούτοις ἐν σαυβαλίοις ῥαπτοῖσι φορῶν ἐφέσια γράμματα καλὰ, id est, *Ad hæc in consutilibus pelliculis gestans Ephesias literas pulchras.* Nec desunt hodie, qui huiusmodi confictis vocibus imponant stultis. Multæ autem sunt Hebrææ; nam Hebraicis, & peregrinis nominibus, maiorem vim tribuunt superstitiosi, non solùm Hebræi, sed aliqui Platonici, à quibus Iamblichus propter Hebræas voces multis defendere argumentis, peregrinas voces conatur, dicens nomina eiusmodi incognita, inscitáque, habere tamen apud Deos notiones suas, & esse modum in eis significandi ineffabilem. Si verò quæritur, cur inter diuinorum nomina, cæteris barbara anteponebantur, illa affertur ratio, *quia sacrarum gentium, velut Ægyptiorum, Assyriorúmque totum Dij sermonem approbauerunt, tanquam sacris maximè congruentem.* Propterea inquit, *communes dictiones, modósque loquendi arbitramur cognata ad Deos dictioni, orationique adhibendos, præsertim, quia antiquior primúsque extitit modus hic loquendi. Et quoniam prima nomina diuinitùs acceperunt, dum ea cum propria lingua miscerent, tanquam cum familiari consentaneâque illis voce contemperantes, ita nobis seruanda perpetuò tradiderunt.* Adiicit: *Porrò non eandem prorsus mentem seruare nomina in aliam translata linguam: sed esse singulis gentibus propria quædam, quæ aliis vocibus significari nequeant. Quod si maximè interpretari possint, non tamen eandem permutata seruare potentiam. Habere insuper nomina barbara multam emphasim, id est, insinuationis, demonstrationísque efficaciam: habere & concisam breuitatem: minimum verò ambiguitatis, & varietatis, multitudinísque verborum. Proptérque omnia hæc, superis congruere maximè.* Denique concludens, ritus adorationis antiquos conseruandos esse ait intactos: *Siquidem eorum demutationem fuisse causam, cur debilitarentur vota: quando Græci naturâ rerum nouarum auidi, & præcipites, instárque nauis saburrâ carentis, nil habentes obfirmatum ac stabile non custodissent ab aliis accepta, sed deluxassent subinde, ac multa demutassent. Barbaros verò, vt sunt moribus graues ac firmi, in eisdem perdurare sermonibus inconcussos, proindéque esse Diis amicos, & gratas offerre orationes, quas nulli vnquam ratione quapiam permutare sit fas.* Hæc Iamblichus censuit, cui Origenes ad hanc hallucinationem præluxit libro quinto

alia nomina. Cur ergo? quia ex scriptura; vsúque Ecclesiæ vniuersalis tantùm agnoscit tria Angelorum nomina. Et quidem consilium Apostoli est vitare vocum nouitates. Præterea si ex scriptura non constant, nec authoritate Pontificia. Vnde scimus authenticè illos Angelos sic vocatos? Dices ex reuelatione aliqua posteriori: sed vnde sciet Ecclesia illam esse Dei reuelationem, refragante authoritate Pontificia, & sine eius Sedis approbatione? Hanc certò non habemus, potiùs contrà reperimus stare Romanam Synodum. Id præterea certissimum habemus ab hominibus superstitiosis, qualis Agrippa multa, Angelorum nomina introducta esse; quapropter vel hac solum ratione suspecta omnia videntur habenda, præter illa, quæ in canonicis literis explicatè referuntur. Quod si Panormi, & alibi tolerat Ecclesia altaria septem Angelis cum eorum nominibus dicata, non est inconueniens altaria dicari Angelis aliis præter Michaëlem, Gabrielem, & Raphaelem; quia re verâ sunt alij Angeli sancti, quibus maxima beneficia debemus: nominibus autem aliis, quam tribus abstinendum iudico, & si quæ sunt in illis altaribus, ea tolerat Ecclesia, non quia sint illa Angelorum propria nomina, sed velut epitheta, quibus quodammodo distinguerentur. Nam nihil mali significant, & aliqua notant Angelorum munera, quemadmodum sanctus Raphaël se dedit noscendum Tobiæ, non per proprium nomen, sed per epithetum dicens: *Ego sum Azarias*, id est, auxilium Dei, quia nimirum afferebat Tobiæ Dei auxilium. Hæc responsio magis mihi nunc placet quàm alia, quam aliquando excogitaui, vt responderem Vvitacero, qui ausus fuit dicere Raphaëlem Angelum mentitum esse, cùm dixit, *Ego sum Azarias*: eámque libenter hîc aggerabo, fortasse aliis non displicebit. Raphaëlem puto ex supremis Hierarchiis esse vnum ex iis spiritibus, qui iuxta sanctum Dionysium, nunquam mittuntur: ab ipsis tamen credo alios inferiores mitti sui nomine, quod etiam est secundùm eundem sanctum Dionysium. Hoc pacto bene cohærent duo illa nomina, cùm duos diuersos Angelos possent significare. Atque Angelus à Raphaële misso, duobus vti nominibus posset: Vno proprio, altero spiritus mittentis, & cuius vices, & personam gerebat. Sanè posteà inueni in B. Amadæo raptu quarto suæ Apocalypsis hanc sententiam, vbi de Angelo Raphaële est sermo: *Non ipse in persona, sed in nuncio suo comitatus est Tobiam, filium Tobiæ, ostendebat se comedere, cùm non comederet. Non enim Raphaël ille in persona ad Tobiam iuit, sed vnum Angelum de vltimo choro nomine suo destinauit. Sicut & ille Angelus, qui nomine Michaelis in monte Gargano, & aliàs apparuit se Michaelem (quia nuntius eius erat) appellabat. Michael ipse in persona non mittitur, nisi pro totius populi auxilio, & salute.* Porrò Azarias siue vt in Hebræo est Hananiel, cuius filium se dixit Raphaël, significat gratiam siue donum Dei: nam omnes sancti Angeli sunt filij gratiæ, & doni Dei, hoc est, ipsius Dei per gratiam eius, quæ illos constituit adoptiuos Dei filios. Denique ea quæ diximus de tribus solummodo Angelorum nominibus, non ita intelligenda sunt, vt tantùm sint tres Angeli nominati in Scriptura, Quoniam probabile est duos Michaeles esse, & fortasse duos Gabrieles. Aliud est, tria nomina Angelorum esse, aliud tres Angelos nominatos: nam tribus nominibus possunt plus quàm tres nominari.

CAPVT X.

De Ephesiis literis: an similes aliquæ in sacris Libris?

HOc etiam vestigandum, an aliquid per literas Ephesias, vel Ephesiis similes, in scriptura indicatum: quemadmodum à non nemine, non quidem inerudito audiui: quippe scriptura illa parietis, quam interpretatus est Daniel: *Mane, Tekel, Phares*, cuius singula verba singulas sententias dictabant, Ephesiæ scriptioni similis videtur. Idem censuit de voce *Sela*, in aliquibus Psalmis permixta, quam Latina versio non reddit, nec exprimit. Ego potius nomine *Iehoua* abuti Hebræos pro Ephesiis literis censerem. Illa autem multum videntur mihi distare ab Ephesiis literis, de quibus producam quæ inuenio & sentio; licet enim credam Hebræis vsitatissimam eam scriptionem, procul tamen à sacris Literis amandanda est. De his literis lubet prius verba Hesychij hoc loco subiicere, qui sic inquit: Ἐφέσια γράμματα ἦν μὲν πάλαι. ὕστερον δὲ προσέθεσαν τινες ἀπατεῶνες καὶ ἄλλα. Φασὶ δὲ τῶν πρώτων τὰ ὀνόματα τάδε, ἄσκι. κατάσκι. αἲξ. τέτραξ. δαμναμενεύς. αἴσιον. δηλοῖ δὲ ὁ μὲν ἄσκι, σκότος. τὸ δὲ κατάσκι, φῶς. τὸ δὲ αἲξ, αὐτός. δαμναμενεὺς δὲ ἥλιος. αἴσιον δὲ ἀληθές. ταῦτα οὖν ἱερά ἐστι καὶ ἅγια. *Ephesia litera*

ra quondam quidem erant: posteà verò addiderunt quidam deceptores & alias. Feruntur verò priorum hæc nomina ἄσκι. κατάσκι. αἲξ. τετρὰξ. δαμναμενεὺς αἴσιον. *Significat autem* ἄσκι, *tenebras*: κατάσκι, *lucem*: αἲξ, *ipsum*: τετρὰξ .... δαμναμενεὺς, *Solem*: αἴσιον, *verum*. Hæc sunt verba Hesychij Grammatici, qui indicat fuisse priscas quasdam voces pro sacris habitas, quibus posteriores deinde multas addiderunt. Priscas putat has fuisse ἄσκι, quod interpretatur *tenebras*: κατάσκι, *lumen*: αἲξ, *ipse*: δαμναμενεὺς, *Sol*: αἴσιον, *verum*. Illud satis apparet librariorum incuriâ commissum, quod cùm Hesychius inter Magicas voces recenseat τετρὰξ, non meminit tamen interpretans singula. Explicuit id Clemens Alexandrinus, & aliam literam numerat quam vocat λὶξ, quæ vox priscâ appellatione dicitur *terra*. Sed præstat integra verba Clementis Theologi doctissimi, & antiquissimi in medium adducere. Itaque ille lib. 5. Stromatum sic inquit: Ἀνδροκύδης γ' οὖν ὁ Πυθαγορικὸς τὰ ἐφέσια καλούμενα γράμματα: ἐν πολλοῖς δὴ πολυθρύλλητα ὄντα, συμβόλων ἔχειν φησὶ τάξιν· σημαίνειν δ' ἄσκιον μὲν τὸ σκότος, μὴ γὰρ ἔχειν τοῦτο σκιάν: φῶς δὲ κατάσκιον, ἐπεὶ καταυγάζει τὴν σκιάν. λὶξ τ' ἐστὶν ἡ γῆ κατὰ ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν. καὶ τετρὰς ὁ ἐνιαυτὸς διὰ τὰς ὥρας: δαμναμενεὺς δ' ὁ ἥλιος, ὁ δαμάζων· τὰ αἴσιά τε, ἡ ἀληθὴς φωνὴ· σημαίνει δ' ἄρα τὸ σύμβολον ὡς κεκόσμηται τὰ θεῖα, οἷον σκότος πρὸς φῶς, καὶ ἥλιος πρὸς ἐνιαυτὸν, καὶ γῆ πρὸς παντοίαν φύσεως γένεσιν, hoc est, *Androcydes certè Pythagoricus, literas quæ vocantur Ephesiæ, in vulgus autem valde fuerunt iactata, dicit locum tenere symbolorum. Significare autem* ἄσκιον *quidem tenebras, eas enim non habere vmbras.* κατάσκιον *autem lucem, quoniam illustrat vmbram.* λὶξ *autem prisca appellatione est terra. &* τετρὰξ *hoc est, quaternio, annus propter horas.* δαμναμενεὺς *autem Sol, qui domat, &* αἴσια *vox vera. Significat autem symbolum, rerum diuinarum eum esse ornatum qui est tenebrarum, si conferatur cum luce, & Sol cum anno, & terra cum omnis generis naturæ generatione.* Hactenus Clemens. Cæterùm quamuis aliqui has literas Ephesias sacras putauerint, potiùs execrandæ videntur, nam magicæ erant. Scribit Diogenianus Ephesiis notulas quasdam & voces magicas fuisse, quibus vtentes, in omni negotio victores euaderent. Eustathius in Odis Φ. tradit his literis vsum Crœsum in rogo. Fuisse autem verba quædam, obscura, ænigmatibus simillima, neutique cohærentia, descripta in pedibus, zonâ & coronâ Dianæ. Suidas addit huiusmodi fabulam, in Olympiis Milesium quempiam cum Ephesio in palæstra commissum nihil potuisse in conflictu, quod is Ephesius in talo Ephesias haberet literas. Quod simul ac animaduersum esset, ademptis literis Ephesium, qui iam triginta defatigarat succubuisse. Meminit harum, & Anaxylas apud Athenæum lib. 12. Commemoratis enim Philosophi cuiusdam deliciis ait, καὶ πρὸς τούτοις ἐν σκυταρίοις ἐαπτοῖσι φορῶν ἐφέσια γράμματα καλὰ, id est, *Ad hæc in consutilibus pelliculis gestans Ephesias literas pulchras.* Nec desunt hodie, qui huiusmodi confictis vocibus imponant stultis. Multæ autem sunt Hebrææ: nam Hebraicis, & peregrinis nominibus, maiorem vim tribuunt superstitiosi, non solùm Hebræi, sed aliqui Platonici, à quibus Iamblichus propter Hebræas voces multis defendere argumentis, peregrinas voces conatur, dicens nomina eiusmodi incognita, inscitáque, habere tamen apud Deos notiones suas, & esse modum in eis significandi ineffabilem. Si verò quæritur, eur inter diuinorum nomina, cæteris barbara anteponebantur, illa affertur ratio, *quia sacrarum gentium, velut Ægyptiorum, Assyriorúmque totum Dij sermonem approbauerunt, tanquam sacris maximè congruentem.* Propterea inquit, *communes dictiones, modósque loquendi arbitramur cognata ad Deos dictioni, orationique adhibendos, præsertim, quia antiquior primúsque extitit modus hic loquendi. Et quoniam prima nomina diuinitùs acceperunt, dum ea cum propria lingua miscerent, tanquam cum familiari consentaneáque illis voce contemperantes, ita nobis seruanda perpetuò tradiderunt.* Adiicit: *Porrò non eandem prorsus mentem seruare nomina in aliam translata linguam: sed esse singulis gentibus propria quadam, quæ aliis vocibus significari nequeant. Quod si maximè interpretari possint, non tamen eandem permutata seruare potentiam. Habere insuper nomina barbara multam emphasim, id est, insinuationis, demonstrationísque efficaciam: habere & concisam breuitatem: minimum verò ambiguitatis, & varietatis, multitudinísque verborum. Proptérque omnia hæc, superis congruere maximè.* Denique concludens, ritus adorationis antiquos conseruandos esse ait intactos: *Siquidem eorum demutationem fuisse causam, cur debilitarentur vota: quando Græci naturâ rerum nouarum auidi, & præcipites, instárque nauis saburrâ carentis, nil habentes obfirmatum ac stabile non custodiissent ab aliis accepta, sed deluxassent subinde, ac multa demutassent. Barbaros verò, vt sunt moribus graues ac firmi in eisdem perdurare sermonibus inconcussos, proindéque esse Diis amicos, & gratas offerre orationes, quas nulli vnquam ratione quapiam permutare sit fas.* Hæc Iamblichus censuit, cui Origenes ad hanc hallucinationem præluxit libro quinto

aduerſus Celſum: *Repetimus*, ait, *nominum naturam non eſſe ad hominum placitum: id quod viſum eſt Ariſtoteli. Et voces geminam vim habentes in lingua quapiam, ſi transferantur in aliam, non eamdem vim obtinent. Hominem enim à natiuitate Græco nomine illo, vel illo vocatum, ſi mutato nomine in Romanum, aut Ægyptium, aut cuiuſuis gentis incantaueris, non erit efficax incantatio: alioqui futura, ſi vtereris nomine dudum illi impoſito. Idem accidet in Romano nomine, ſi in Græcum mutato incantationem tentes, non valebit incantatio, quæ valitura erat, ſi vtereris nomine priſtino. Id ſi verum eſt in humanis nominibus, quid ſentiendum de attributis Deo, quacumque de cauſa? Exempli gratiâ, ſignificat aliquid, ſi interpreteris, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Adiuret aliquis per Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob, efficiet aliquid per innatam vim eorum nominum, cedentibus dæmonibus, & victoris iuſſa facientibus. Idē adiurator ſi dicat, per Deū Patris electi ſonantis, per Deum riſus, per Deum ſupplantatoris, tantūdem efficiet, quantū ſi adhibeat nomen quodcumq; inertiſſimum. Sic neque Iſrael, neq; Sabaoth, neq; Adonai, ſeruatâ ſuâ ſignificatione, mutatū in aliam linguā eſt efficax.* Tantùm ſcilicet nominū ipſorum ſono tribuit Origenes. Idē lib. 1. dixerat: *Nomina hæc Sabaoth, Adonai, aliáque apud Hebræos cū magna veneratione tradita, efficacia ſunt, ſi pronūtientur quodā ipſis congruenti modo, & ordine. Alia quoq; Ægyptiaca lingua prolata Dæmonum nomina ſuam quandā vim habent: rurſúſque aliam alia lingua Perſa, & ſic apud ſingulas gentes alias, & quoſdam aſſumuntur vſus.* Hæc ille: Nullâ tamen hoc firmâ ratione probari poteſt; neque vllâ efficaciâ naturali, aut verbis, aut ſcriptis ineſt. Alibi de hoc diſputaui, neque operæpretium eſt, nec opportunum longam de eodem permiſcere diſquiſitionem. Sat eſt dicere pro inſtituto noſtro literas Epheſias non eas eſſe, quæ vno verbo aliquam complecterentur ſententiam. Sed quæ ſuperſtitioſè inſcriptæ ferebantur ad fortunæ melioris præſidium, ideò excludendæ ſunt ab ſcriptione Moyſis, quamuis multi Hebræi verba à Moyſe ſcripta pro Epheſiis litteris habeant, & vtantur. Hic obſeruandum ab Origene comparari verba Scripturæ ſacræ Epheſiis literis, & vocibus, ſeu incantationibus, atque efficaciam iis concedere ad ſpiritus de cælo euocandos, cuius verba, quia ad commendationem ſacræ paginæ facient, atque vt ſano explanemus ſenſu, qualis iſta efficacia ſit, lubet integram ſententiam exhibere.

CAPVT XI.

Verba Origenis de efficacia ſacrorum verborum. Et quo ſenſu ea comparet Epheſiis literis, & vocibus: ex homilia 20. in Ioſue.

» SI enim creditum eſt à gentibus, quod quædam carmina, quas præcantationes
» appellant, quibus iſtud artis eſt inſuſurrantes, nominibus quibuſdam compella-
» tis, quæ ne illi quidem qui inuocant, norunt, ex ſolo vocis ſono, vel ſopiantur
» ſerpentes, vel etiam de cauernis protrahantur abſtruſi: ſæpè autem, & in corporibus hu-
» manis tumores, aut alia huiuſcemodi voce ſolâ reprimere dicuntur, interdum etiam ani-
» mæ ſtuporem quemdam ſenſus infligere, vbi tamen Chriſti non reſtiterit fides: quanto
» magis totius præcantationis, & carminis validiorem, & potentiorem ducendam credimus
» quamcumque illam Scripturæ ſanctæ, vel ſermonum, vel nominum appellationem? Sicut
» enim apud infideles contrariæ virtutes audientes illa, vel illa nomina in carminibus, vel
» præcantationibus, adſunt, & exhibent famulatum, & dant operam in hoc, ad quod inuo-
» cari ſe ex illo, vel ex illo nomine ſenſerint, officij ſui rem quodammodò ac miniſterij, cui
» ſemetipſos mancipauerint dependentes: eò magis vtique cæleſtes virtutes, & Angeli Dei,
» qui nobiſcum ſunt, ſicut Dominus de paruulis Eccleſiæ dicit, quia Angeli eorum ſemper
» aſſiſtant in conſpectu Domini, videntes faciem eius, libenter, & gratè accipiunt, ſi ſemper
» verba ſcripturæ & horum nominum appellationes velut carmina quædam, & præcanta-
» tiones ex noſtro ore promamus. Quia etſi nos non intelligimus, quæ de ore proferimus, il-
» læ tamen virtutes, quæ nobis adſunt, intelligunt, & velut carmine quodam inuitatæ adeſſe
» nobis, & ferre auxilium delectantur. Quia autem ſunt non ſolùm circa nos multæ diuinæ
» virtutes, ſed etiam intra nos, indicat Propheta, cùm dicit in Pſalmis: *Benedic anima mea Do-*
» *minū, & omnia interiora mea nomen ſanctū eius.* Hoc eſt, omnia quæ intra me ſunt. Conſtat
ergo

ergo multas eſſe virtutes intra nos, quibus vel animarum noſtrarum, vel corporum cura
permiſſa eſt, quæ vtique ſi ſanctæ Scripturæ leguntur à nobis delectantur, & validiores
erga noſtri diligentiam fiunt, ſi linguis loquamur, & ſpiritus noſter oret; Senſus autem no-
ſter ſine fructu ſit. Dixit enim & hoc ſanctus Apoſtolus, & mirum quodammodo myſte- 1. Cor. 14.
rium humanis auribus protulit, dicens aliquando fieri poſſe, vt ſpiritus qui in nobis eſt,
oret, & ſenſus noſter ſine fructu ſit. Intellige ergo ex hoc, quia fit aliquando noſter qui-
dem ſenſus ſine fructu; ſpiritus autem, id eſt, virtutes illæ, quæ animæ noſtræ in adiuto-
rium datæ ſunt, paſcuntur & reficiuntur ex auditu Scripturæ ſanctæ, velut ex diuinis, &
rationalibus cibis. Quid dico, quia diuinæ virtutes paſcantur, & epulentur in nobis, ſi nos
verba diuinæ Scripturæ proferamus ex ore? Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſi nos
inueniat his vacantes, & huiuſcemodi ſtudiis & exercitiis operam dantes, non ſolùm pa-
ſci, & refici dignatur in nobis, verùm etiam ſi has epulas apud nos viderit apparatas, Pa-
trem ſecum dignatur adducere. Sed hæc quia ſatis magna, & ſupra hominem videntur,
non meis tibi, ſed ipſius Domini, & Saluatoris ſermonibus comprobentur dicentis: *Amen
dico vobis, quia ego & pater veniemus, & manſionem faciemus, & cœnabimus apud eum.*
Quem? Illum profectò, qui ſua mandata cuſtodit. Sed ſicut diximus, quia ſicut ex huiuſ-
cemodi meditationibus, diuinarum erga nos virtutum conſortia & officia prouocamus:
ita è contrario malignatum virtutum inſidias, & peſſimorum Dæmonum incurſiones, ex
huiuſcemodi ſermonum, & nominum appellationibus effugamus. Verbi gratiâ, vt ſi quis
veſtrûm aliquando perſpexit præcantationibus ſopitum ſerpentem portari in manibus,
vel protrahi de cauernis, nihil valentem nocere venenis, vtpote incantationis virtute tor-
pentibus: ita etiam lectionis diuinæ virtute ſi quis intra nos eſt contrariæ poteſtatis ſer-
pens, ſi quis ad inſidiandum coluber latet, ſi patienter feras, ſi non tædio fatigatus auertas
auditum, ſcripturæ carminibus, & diuini ſermonis aſſiduitate depellitur. Si ergo vides, ô
auditor, aliquando legis ſcripturam in auribus tuis quam non intelligis, & ſenſus eius tibi
videtur obſcurus, interim hanc primam ſuſcipe vtilitatem, quod ſolo auditu velut præ-
cantatione quadam, noxiarum virtutum, quæ te obſident, & quæ tibi inſidiantur, virus
depellitur & fugatur. Obſerua tantùm ne efficiaris ſicut aſpides ſurdæ, & obturantes au-
res ſuas, ne audiant vocem incantationis, & veneficij, quod incantatur à ſapiente. Verbi
causâ, eſt carmê quod præcantatur à ſapiente Moſe, & quod præcantatur & canitur à ſa-
piente Ieſu Naue, & quod præcantatur, & canitur à ſapientibus omnibus Prophetis. Hæc
autem idcirco diximus, ne faſtidium capiamus audientes ſcripturas, etiamſi non intelligi-
mus, ſed fiat nobis ſecundùm fidem noſtram, credentibus quia omnis ſcriptura diuinitus
inſpirata vtilis eſt. Si ergo diuinitus inſpirata eſt & vtilis, etiamſi non ſentiamus vtilita-
tem, credere tamen debemus, quia vtilis eſt. Solent Medici præbere interdum cibum ali-
quem, interdum etiam potum dare, verbi gratiâ ad diſcutiendam caliginem viſus: nec ta-
men in edendo ipſo cibo, vel in potando ſentimus, quia vtile eſt, & prodeſt oculis: Sed cùm
tranſierit viſum cibi illius, aut poculi virtus, paulatim purgat aſpectum, & tunc demum
ſentire incipimus, quia cibus ille, vel potus profuit oculis. Sed & in aliis ſimiliter corporis
partibus eadem fieri ſolent. Hoc ergo modo credendum eſt etiam de Scriptura ſancta,
quia vtilis eſt, & animæ prodeſt, etiam ſi ſenſus noſter ad præſens intelligentiam non ca-
pit, quoniam (vt diximus) & bonæ virtutes, quæ nobis adſunt, reficiuntur in his ſermoni-
bus, & paſcuntur, & contrariæ torpeſcunt his meditationibus, & effugantur. Sed fortaſſe
dicitur ab auditoribus. Hæc nobis idcirco dicis, vt te ab officio diſputationis excuſes; & in
iis finias, neque quidquam prorſus vel ex iis quibus poſſibile eſt, conſolationis exhibeas,
neque vt Dominum depreceris præſtare gratiam ſuam ad reuelanda ea quæ lecta ſunt,
vt paruum ſaltem cibum ex occultorum, & ſecretorum explanatione ſumamus. Non iſta
de cauſa hæc diximus, nec excuſantes nos iſta protulimus, ſed vt oſtenderemus in Scri-
pturis ſanctis eſſe vim quandam, quæ legenti etiam ſine explanatione ſufficiat.

Hactenus Origenes, cuius ſententia eatenus vera eſt, quatenus ſancti Angeli propter reuerentiam ſermonis diuini cùm à nobis pronuntiatur, gratum & venerandum ſibi audiunt. Dæmones autem ſubinde oderunt. Puto etiam poſſe ſpeciali Dei fauore, velut ſacramentale aliquod verba affici ſacra, ſicut crucis ſignum, & alias res ſacras.

Ioann. Euſeb. de Origine S. Script.

CAPVT XII.

Quid vox Sela *in Cantico Abacuc, & nonnullis Psalmis.*

VOCEM *Sela* quę versiculis aliquorum Psalmorum interseritur, & in Cantico Habacuc, Latinéque non redditur, existimo esse non instar Ephesię literę, sed notam musicam, quemadmodum libri nostri Musici pleni sunt notulis ad cantus seu vocis variationem, & mutationem: Idcirco Septuaginta διάψαλμα interpretati sunt Hoc est consentaneum sancto Hieronymo, qui censuit esse signaculum musici cuiusdam soni. Nec dissentit sanctus Chrysostomus in procemio in Psalmos ex Hippolyti sententia: Μουσικοῦ τινὸς μέλους, ἢ ῥυθμοῦ τερπνῆς γινομένης, ἢ διανοίας ἐναλλαγμένης ἔγραψαν τὸ διάψαλμα οἱ ἑρμηνεύσαντες, ὡς Ἱππόλυτος ὁ σοφώτατός φησι. *Mutatione factá*, inquit, *musici carminis, aut rhythmi, vel sententiæ variatione, Diapsalma scripserunt interpretes, vt vir sapientissimus Hippolytus ait.* Eusebius quoque in Psalmi quarti commentario sic ait: Σημειωτέον δὲ καὶ ταύτας τὰς ἐπὶ τοῖς διαψάλμασι διαστολὰς ἤτοι τῆς διανοίας ἐναλλαγὴν παριστώσας, ἤ τάχα μεταβολὴν μέλους ἐναλλάττοντας ἤτοι ῥυθμοῦ. *Notabis autem, hoc quoque loco distinctiones illas in Diapsalmatis, vel sententiæ mutationem indicare, vel fortè mutationem cantus diuersi, aut rhythmi.* In Psalmo item secundo, cùm ante illa verba, *Dirumpamus vincula eorum.* in Septuagintá sit Διάψαλμα, & in Hebræo non sit *Sela* idem author hæc dicit: Τὸ διάψαλμα παρὰ τοῖς Ο΄ κεῖται· οὐκ ἔτι δὲ παρὰ τῷ Θεοδοτίωνι καὶ Συμμάχῳ· καί τοι γε εἰώθασι πολλάκις χρῆσθαι τῇ λέξει ταύτῃ ὁμοίως τοῖς Ο΄ διὸ εἰκὸς εἰ καὶ τὸ πρόσωπον μεταβέβληκεν, τὸν μουσικὸν ῥυθμὸν τετηρεῖσθαι, καὶ διὰ τοῦτο μὴ προστεθεικέναι τὸ διάψαλμα τὸν Θεοδοτίωνα καὶ τὸν Σύμμαχον. *Diapsalma apud Septuaginta positum est, non item apud Theodotionem, & Symmachum quamuis hac dictione perinde ac Septuaginta vti soleant. Itaque consentaneum est, etiamsi personam immutauit, musicum tamen rhythmum seruatum esse, ac propterea non fuisse à Theodotione, ac Symmacho appositum Diapsalma.* Fortasse hæc variatio fiebat non continuatè, sed per aliquam morulam, vt sic componamus aliorum sententiam, qui eam vocem silentij, seu pausę alicuius signaculum dicunt, vt interim mysterium, quod canebatur aliquis meditandi locus daretur. Idque ibi fiebat, vbi aliqua noua inspiratio superuenisset Psalmorum authori siue Dauidi, siue Asaph, siue alij. Hinc est vt aliquando in fine Psalmi *Sela* notetur, vbi iam sonus non erat mutandus. Confirmat hoc Eusebius dicens Ἕκαστος δὲ πνεύματι ἁγίῳ κινούμενος ὕμνει τὸν θεόν. ἡνίκα τοίνυν ἐνεργεῖτο τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὸν μακάριον Ἀσάφ, οἱ πάντες ἡσυχίαν ἦγον, ὑποτασσόμενοι καιρῷ, εἰρηνικῷ πνεύματι κατηρτισμένοι· ὑπεφώνουν δὲ ἀκολούθως τῷ ψάλλοντι εἰς ὕμνον θεοῦ λέγοντες, ἀλληλούϊα, ὃ σημαίνει ἐκ τῆς ἑβραΐδος φωνῆς, εἰς τὴν Ἑλληνίδα μεταβαλλόμενον, αἰνῶμεν τὸν ὄντα θεόν. πάντες οὖν ὑποτεταγμένοι ἐγίνοντο. ἡνίκα δὲ ἐνεργεῖτο ἐπὶ τὸν πρότερον τὸ πνεῦμα, καὶ ἐπεπαύετο, οἱ λοιποὶ ἐπαύοντο. ἡνίκα δὲ ἐφ' ἕτερον, πάλιν οὗτοι ἠρέμουν. τούτῳ τῷ λόγῳ ἀποχρώμενος Παῦλος ὁ ἀπόστολος, βουλόμενος καταστῆσαι τὴν ἐκκλησίαν ἀκολούθως, ὃν τρόπον ἐν ἀρχῇ τεταγμένως ἐφέρετο ὁ Ἰσραήλ, διδάσκει λέγων. ἐὰν ἑτέρῳ ἀποκαλυφθῇ, ἕτερος σιγάτω. οὕτω γὰρ δύνασθε πάντες καθ' ἕνα προφητεύειν· καὶ γὰρ πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται. *Hoc est, Vnusquisque Spiritu sancto instinctus laudabat Deum. Cùm igitur insiliret spiritus in Beatum Asaph omnes silebant, & Deo se subijciebant, pacifico spiritu compacti, atque perfecti, sed psallenti consequenter succinebant, in laudem Dei dicentes Alleluia, quæ vox in Græcam ex Hebræa; si transferatur significat* αἰνῶμεν τὸν ὄντα θεόν. *Laudemus illum qui vere Deus est. Omnes igitur tacentes subditi erant: vbi autem in priorem spiritus insiluisset, reliqui cessabant: cum verò in alterum, hi vicissim quiescebant. Hac ratione vsus Paulus Apostolus, cùm vellet statum Ecclesiæ componere, ad eundem modum quo olim Israel ordinatè regebatur, docet his verbis: si alteri reuelatum fuerit, alter taceat: sic namque potestis omnes per singulos prophetare: Etenim spiritus Prophetarum Prophetis subijciuntur.* Sequutus Eusebium sanctus Gregorius Nyssenus, ait: *Progrediente secundùm ordinem Psalmodia, si qua fiebat, prophetante Dauid, altera sancti Spiritus diuina illustratio, & acceptio gratiæ secundùm scientiam ad eorum vtilitatem, qui prophetiam accipiebant, sustinens vocem, tempus dabat menti, ad accipiendam cognitionem sensuum, qui illi ex diuina illustratione suggerebantur.*

Fateor Aquilam eam vocem vertisse *semper* quod & Chaldęus probat, vt sit interpositio quædam ad confirmanda ea quę superius dicta erant, nõ aliter ac apud Hebręos Amen & Salom, quod est *pax ac feliciter.* In aliquibus editionibus redditur εἰς τέλος, *in finem*: in

alijs δι' ὅλης siue διηνεκῶς, id est, *per totum*, sed quamuis hęc vox *Sela* alioqui significaret, existimo ad ea quæ diximus notanda positam. Mirarer prorsus, si significatiua fuisset alicuius rei, quæ spectaret ad sententiam Psalmi, non fuisse explicatam à tot nobilibus interpretibus, qui sacra Biblia verterunt.

CAPVT XIII.

An Gemmatricâ scriptione vtantur libri sacri?

HOc etiam quęrendum est, an sit in sacra Scriptura aliquis literarum vsus, quatenus signa arithmetica sunt, hoc est, nō solùm quatenus signa prolationis oris, sed etiam numerationis, atque hoc vsu ad scribendum & significandum aliquid vsurpata, quod Hebręi vocant Gemmatriam, qui mos vt apud Latinos incognitus, ita apud Græcos, & apud Hebræos hac potissimum ratione vsitatus est, quod ipsorum literę singulæ numerum aliquem significent. Siquidem Hebræi א Aleph vnum significat, ב Beth duo, ג Ghimel tres, ד Daleth quatuor, & sic deinceps singula elementa Alphabeti Hebraïci aliquem numerum indicant. Gręcis quoque α vnum repręsentat, β duo, γ tres, δ quatuor, &c. quæ sequuntur: apud Latinos verò non ita est, quibus tantum septem sunt literæ numerorum indices: id est, C. D. I. L. M. V. X. quarum I, vnitatem significat, V, quinarium numerum: X, denarium: L, quinquagesimum: C, centesimum: D, quingentesimum: M, millesimum. Et ideò Latini hunc explanationis modum, tanquam Latinis literis ineptum negligunt: quem Iudęis, & Gręcis olim fuisse vsitatum ostendunt peruulgatę quędam vtriusque gentis expositiones. Sic Heliodorus in Historię Æthiopicę libro nono scribit: *Nihil aliud esse omnino Nilum quàm annum, hoc & appellatione confirmante. Literis enim, quæ nomine continentur in calculos distributis, ter centum quinque & sexaginta vnitates, quot & dies sunt anni congregabuntur.* Hęc ille. Quod monstrabitur ex hac combinatione numerorum & literarum nominis νεῖλος.

N ——	50
E ——	5
I ——	10
Λ ——	30
O ——	70
Σ ——	200
Summa ——	365

Facetissimè quoque lusit Poëta Græcus ex Damagoræ cuiusdam nomine æqualem numerum continente, ac nomen λοιμὸς, hoc est, *Pestis*, sic falsè canens:

Δαμαγόραν καὶ λοιμὸν ἰσόψηφόν τις ἀκούσας
  Ἔστησ' ἀμφοτέρων τ̃ τρόπον ἐκ κανόνος.
Εἰς τὸ μέρος δ' ὃ καθείλκετ' ἀναγκασθεὶν τὸ τάλαντον
  Δαμαγόρου, λοιμὸν δ' εὗρεν ἐλαφρότερον.

Quidam audiens Damagoram, & pestem esse æqualis numeri
  Statuit vtriusque mores in trutina.
Ad partem autem cùm subducta libra traxisset,
  Reperit pestem Damagora leuiorem.

Vtriusque nominis æqualis calculatio ex subiecta descriptione constabit:

Δ ——	4
A ——	1
M ——	40
A ——	1
Γ ——	3
O ——	70
P ——	100
A ——	1
Σ ——	200
Summa ——	420

Λ ——	30
O ——	70
I ——	10
M ——	40
O ——	70
Σ ——	200
Summa ——	420

Gelebres ſunt apud Homerum verſus ἰσόψηφοι, de quibus Muretus libro decimoquarto variarum capite decimo tertio hæc notat: Cùm literæ Græcorum etiam ad numeros ſignificandos adhibeantur, quorum verſuum omnes literæ pro numeris acceptæ eundem numerum efficerent, ac conſtituerent, eos verſus ἰσοψήφους vocabant. Huc pertinet explicatio illa Appionis Grammatici Alexandrini, qui à Tiberio Auguſto cymbalum mundi eſt appellatus. Is, cùm exponeret primam illam dictionem Homericæ Iliados, Μῆνιν dicere ſolebat, Homerum artificiosè à ſyllaba μη, librum ſuum inchoaſſe. Nimirum, vt his duabus literis comprehenderet totum numerum octo, & quadraginta voluminum, quibus abſoluitur vniuerſum corpus Iliados, & Odyſſeæ à ſe editum; numerum enim octo, & quadraginta per μ & η, Græci deſignant. Sibyllæ quoque Gematrico artificio vſæ ſunt. Fertur Sibyllæ Cumanæ de Filij Dei incarnatione, atque eius ſanctiſſimo nomine Græcum in his verſibus vaticinium:

Δή τοτε καὶ μεγάλοιο θεοῦ παῖς ἀνθρώποισι
Ἥξει σαρκοφόρος θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ.
Τέσσαρα φωνήεντα φέρει, τὰ δ' ἄφωνα ὃν αὐτῷ
Δισσῶν ἀγγέλων, ἀριθμοῦ δ' ὅλον ἐξονομήνω.
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας τοσὰς δεκάδας, ἐπὶ τούτοις
Ἠ δ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀπιστοέροις ἀνθρώποις
Οὔνομα δηλώσει, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇ νόησον.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis
In terris ſimilis natus patris omnipotentis
Corpore veſtitum: vocales quatuor autem
Fert, non vocaleſque duas binum geniorum,
Sed, quæ ſit numeri totius ſumma, docebo.
Namque octo monades, totidem decadas ſuper iſta,
Atque hecatont adas octo infidis ſignificabit
Hominibus nomen: tu verò mente teneto.

Supputationem literarum nominis Ieſu, à Sibylla his carminibus collectam, Beda in primo libro Commentariorum in Lucam clariùs explicat, adiecto numero ſeptuagenario, qui in Sibyllino carmine deeſt. Loquitur autem hunc in modum: Huius ſacroſancti nominis IESV non tantùm etymologia, ſed & ipſe, qui literis comprehenditur, numerus perpetuę ſalutis noſtrę myſteria redolet. Sex quippe literis apud Gręcos ſcripſit ΙΗΣΟΥΣ videlicet I, & H, & Σ, & O, & Y, & Σ, quarum numeri ſunt X, & VIII, & CC, & LXX. & CCCC, & CC. qui fiunt ſimul DCCCLXXXVIII. qui profectò numerus figurę reſurrectionis adgaudet. Octauus enim numerus in ſacris literis reſurrectionis glorię conuenit; quia Dominus octauâ die, hoc eſt, poſt ſeptimam Sabbati reſurrexit, & ipſi poſt ſex huius ſeculi ætates, & ſeptimam Sabbathi animarum, quę nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore ſurgemus. Aliquando has obſeruantias probauit ſanctus Auguſtinus tractatu in Ioannem decimo, exponens illud ex Euangelio Ioann. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, dixit, Numerum quadraginta ſex annorum ædificationis templi, ſignificare ædificationem templi corporei, quod ſibi Chriſtus ædificauit ex carne Adę, cuius nomen ΑΔΑΜ apud Gręcos componitur ex literis numerum quadraginta ſex comprehendentibus, ſiquidem A, vnum ſignificat, Δ, quatuor, A vnum, M quadraginta; qui numeri ſimul iuncti faciunt quadraginta ſex, tot enim diebus Chriſti corpus in vtero Marię abſolutum eſt. At quod plus eſt, videtur hoc interpretandi genus à ſancto Ioanne in Apocalypſi firmatum, dum dixit Antichriſtum facturum: *Ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum hominis eius: hic ſapientia eſt, qui habet intellectum computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Ex quo numero nomen Antichriſti, aut beſtiæ multi conati ſunt venari. Iuxta ſanctum Irenęum, & Aretam λατεῖνος dicendus eſt. Iuxta ſanctum Hippolytum ἀρνοῦμαι ſeu τειτᾶν. Iuxta Primaſium ἀντεμος. Iuxta Ticonium λαμπετὶς. Iuxta Aretam [illegible]. Rupertus & Haymo notant nomen ἀρνητι-

κὸς,

νὸς, illum numerum conficere, & interpretantur *gentium seductor* quasi Antichristi prodromus fuisset Gensericus Vvandalorum Rex, qui vastauit Romam. Alcazar per bestiam intelligens Imperium Romanum, dicit eius nomen esse *ἡ ἀλαζονεία βίου, superbia vitæ*, cuius nominis Græcæ literæ eundem calculum habent. Alia afferunt Irenæus & Aretas, quæ collegit Feuardentius.

Veniamus ad libros Moysis, & alios sacros veteris instrumenti. Bahal Hatturim in Beresith notat primam Genesis vocem בראשית ברא *In principio creauit*; & בראש השנה נברא *in principio anni creatus est*; vtramque constare numero 1116. quo demonstratur mundus initio anni creatus. Secundo בראשית *bereschit*, idem quod בתורה יצר *in lege creauit*, vtrumque constat 913. eo quod propter legem quæ vocatur principium, creatus est mundus. Denique hæc verba, ישראל בחר בעמים *Israelem elegit in populis*, numerum 913. conficiunt. Idem תריג יצר *Tharig creauit*. Vulgatissimum est apud Iudæos in lege præcepta 613. contineri, quæ *τεχνικῷ* vocabulo *Tharig* eundem numerum complectente significant. Colligit inde Rabbinus ille mundum à Deo creatum, vt 613. præcepta legis Israëlitæ complerent. Lex dicitur lata in sapientia. Hoc axioma Gemmatricè probant Cabbalistæ, ex eo quod חכמה sapientiæ calculus sit 613. tot scilicet, quot numerant in lege præcepta. Calculus iste colligitur, vt sic loquar, ex literis expansis: nam חכמה 73. tantum conficit. Verùm si numerum è literis plenis, atque vt scribuntur, & pronuntiantur expiscemur, 613. colliguntur. Experiri quiuis potest ex iis sic scriptis, חית.כף.מם.הא, *cheth, caph, mem, he*. Hæc Reuchlinus. Item per Gemmatriam מצותי *Præcepta mea*, idem quod שמור *custodi*, vtraque dictio 546. complectitur. שושנה, *Susanna*, seu *lilium*, idem quod אסתר *Esther*, vtrumque 661. Hæc author אבקת רוכל, seu pulueris Pigmentarij. Argutum quoque illud est, quod Hatturim in vigesimum quintum Genesis caput obseruat in id: concepit Rebecca vxor eius, scribit hæc scitu certè non iniucunda, אשתו *vxor eius* idem esse Gemmatricè cum אש. וקש *ignis, & stipula*: vtriusque summa 707. quæ conueniunt non tantùm cum dissidio Esaui, & Iacobi, sed expressius cum verbis Abdiæ: *Erit domus Iacob ignis, &c. & domus Esau stipula.*

Nihilominus non est fidendum his interpretationibus ancipitibus, & quidem optimè monuit Aben Esdra: *Scriptura non loquitur Gemmatricè, nam facilè posset quilibet pro arbitrio quoduis nomen educere, siue in bonam, siue in malam partem, sed tantum verba intelligenda sunt vt sonant*, hoc est, iuxta sensum literalem. Sciteque eiusmodi interpretes Noctuis comparat, eo quod in literalis sensus splendore cæci sint, & in mysteriorum tenebris perspicaces videri gestiant: imò multos errores subinde impingant, quemadmodum Rabbi Salomon Iarki in 14. Genes. v. 14. vbi dicitur Abraham vernaculos suos trecentos decē & octo in prælium armasse; notat Maiores docuisse Eliezerem Abrahæ solum adfuisse, eo quod אליעזר, Eliezeris literæ per Gemmatriam 318. æquiualeant. Elias Leuita explicans in Thisbi quamobrem Deus מקום *Locus* à Rabbinis appelletur, hanc rationem adfert: מקום Gemmatricè 186. conficit totidem יהוה. Verùm vt calculus non aberret literarum numeros simplices non eligunt, sed numerorum quadrata: non omnino insulsè, nam numeri vel lineæ, vt loquuntur Geometræ, potentiâ, quadratum est. Hoc modo Iod valet 100. He 25. Vau 36. He 25. summa 186. solent enim, vt epilogismos suos colligant, numeros aliquando duplicare, vel triplicare, aliquando aggregato numerum literarum dictionis addere, vel demere, hoc modo כסא *Kisse, solium*, idem quod אלהים *Deus*: aliquando non simplicium literarum numerum, sed literas במילאו *in plenitudine sua*, hoc est, vt in Alphabeto scribuntur, coniungere; in omnes denique partes seipsos versare, vt quod semel conceperunt, tandem confirment. Gemmatriæ istius planè immemor Moses Ægyptius solidam, & philosophicam istius diuini Epitheti rationem adducit lib. Nebochim parte 1. cap. 8. Immemores quoque fuerunt eius commentatores Schem Tob, & Ephodæus, & qui pluribus rationem loci Deo attributi persequitur Ioseph Albo. Nec vllibi idem Moyses Ægyptius Gemmatriæ meminit. Lubricus est eius vsus, & bifrons ad bonum, & malum, quod sic ostendit Ioannes Morinus. Solent impij Iudæi à sanctissimo nomine IESV ישוע vltimam literam rollere; sic enim semper efferunt ישו & sæpè odio perciti per impiam Gemmatriam, אלהי נכר. Simili portento ex tremendo Dei nomine שדי *Sadai* literarum permutatione fit שיד *Dæmon*, cui permutationi Mirandulanus in Cabbalistis propositionibus alludit. Auctor אבקת רוכל, ait Idolum ab Aarone conflatum, עגל מסכה *vitulum fusilem*, à Mose appellatum, vt ex auri 125. talentis fusum fuisse manifestum fieret: מסכה *Maseca* enim seu *fusile*, hunc

hunc numerum complectitur. Vtraque autem dictio עגל מסכה, *vitulus fusilis* si Gemmatricè examinetur, epitheto ברוך *Benedictus* æquiualebit.

CAPVT XIV.

Particularis Gemmatriæ vsus.

ILLVD etiam obseruandum substituere solitos Hebræos literas pro literis, si eumdem numerum constituant, & vnam pro duabus sic טו pro יה quod est nomen Dei, vsurpant. Nam vtraque literarum colligatio notat quindecim; atque in numeris nolunt ex superstitione quadam vti יה quia est vnum ex nominibus Dei, & eius loco per טו numerant quindecim, & per easdem literas significant nomen illud Dei. Sic etiam י Iod quæ decennarij numeri nota est, substituitur pro duabus הה *he, he*, quoniam vnum ה *he* quinque demonstrat. Per hanc artem elicuit Rabbi Heccados, qui maximæ authoritatis fuit apud Hebræos priscos, nomen Matris Messiæ futurum esse *Maria*. Hic enim in tertia partitione eius libri qui *Galerazeya*, id est, Reuelator arcanorum dicitur, inquisitioni Antonini Consulis vrbis Romæ satisfacere volens, qui ipsum inter cætera de nomine matris Messiæ interrogauerat, sic ei respondit, prout sibi in spelunca duplici oranti, Elias reuelauerat. *Quod autem interrogasti, quo nomine prophetissa vocetur? Maria est nomen eius. Ideóque Isaias cecinit 9. cap. dicens* כי ילד ילד לנו בן נתן לנו. Hoc est, *Quia infans natus est nobis, & filius datus est nobis.* Et infrà לםרבה המשרה. Id est, *ad multiplicandum imperium, vel principatum, siue vt multiplicetur imperium, vel principatus. Quæ verba significant Messiam à Deo generandum esse, qui multiplicabit imperium, qui est Dominus totius orbis. Nascetúrque ex Maria Domina, & hoc est quod dicit* לםרבה, המשרה *lemarbe hammisra, id est, ad multiplicandum imperium. Ab his enim dictionibus oritur* מרים שרה, *Mirjam Sara, id est, Maria Domina, hoc modo: Si accipies* ל *lamed,* ם *mem, &* ר *resc, constituent primam particulam lemarbe, hoc est,* לםר *lemar. Si autem acceperis* ה *ex lemarbe, &* ה *he huius dictionis* המשרה *hammisra. Quarum singularum numerus est quinque, & amba decem conficiunt, significant* י *Iod huius dictionis* מרים *Mirjam. Additio autem* ם *mem huius dictionis hammisra. Ecce tibi* מרים *Mirjam, id est, Maria. Ex dictione autem* המשרה *hammisra, restat* שרה, *Sara, id est, Domina, quæ tribus literis scribitur. Ecce tibi ex lemarbe, hammisra, quod idem est, quod ad multiplicandum imperium, siue principatum* למרים שרה, *lemirjam Sara, id est, Maria Domina. Vt nobis innotescat, hanc Mariam esse Dominam, & superiorem vniuersi, ac cælorum Reginam.* Hæc ille.

Tandem hic admonendum Gemmatriæ artificio aliquas voces superstitiosè compositas à Iudæis, quibus pro amuletis vtuntur, multáque ex Gemmatria vana obseruant instar Pythagoræorum. Pythagoras enim in Arithmeticis nominum literis multas vires cōstituebat, sed ridiculè, & falsò. In Germanico contra Carolum Quintum bello certam victoriam ex eadem arte sibi pollicebantur Lutherani, quia literæ huius nominis *Carolus* valerent tantùm 155. literæ autem nominis *Mauricius* continerent 1210. euentus dixit vanam eorum spem, & ridendam obseruantiam.

CAPVT XV.

Vtrum Moyses anagrammaticè aliquid scripserit, aut eiusmodi in sacris Literis sit digestum?

Explicatur titulus Psalmi noni.

ANAGRAMMATICA scriptio priscis non vsitata, à paucis hinc ætatibus apud Latinos notior, hoc sæculo frequentissima est: ipsius nihilominus artificium in sacris Literis, ipsísque Mosaicis voluminibus considerarunt multi, atque per eam ausi sunt sacrum interpretari textum, vnius nominis literas inuicem permutantes, vt aliud aliquid

quid aliter conrugatæ significent. Hoc enim titu anagramma constat; sic illud Psalmi vigesimi: *In virtute tuâ lætabitur Rex.* De Messia dictum probant, quoniam ישמח *lætabitur*, permutatum facit משיח *Messiam.* Sic חמר *Asinus*, vt notat Archangelus, per mutationem facit רחם *clementiam*, seu *misericordiam.* Vnde, inquit, Christus Asinam ascendit, vt sese misericordem demonstraret: quod consentit verbis Euangelicis: *Ecce Rex tuus mansuetus.* Atque vt ad scripta Moysis veniamus Rabbi Iacob author Hatturim, commentans primam vocem Geneseos in omnes illam partes, haud infaceta per anagrammata versat. Ipsius referam verba: *Literæ Beresith* בירת ראש, *caput siue principium domus significant, quasi diceret, domus Sanctuary primi; sicut dicitur solium gloriæ altitudinis à principio; locus sanctificationis nostræ. Alio modo literæ istæ intelligi possunt (aliter scilicet dispositæ)* א בתשרי *in primo mense Tisri creatus est mundus. Aliter* ברא שתי *duas creauit: quia creauit duas leges, scriptam & oralem. Aliter* ירא שבת *coluit Sabbatum, veluti diceret quod propter meritum, & honorem Sabbati creatus est mundus. Aliter* ברית אש, *fœdus ignis, quia propter fœdus, quod est circumcisio, & propter ignem quod est lex, facta est gehenna.* Aliam addit istius dictionis diuisionem minus efficacem בראת יש *in visione sunt*, quia, inquit, *sæcula ab omnibus iustis conspiciuntur*, præsens intellige, & futurum. Ierem. 17.

Conuersio earumdem literarum, nam facilior hic anagrammatismus, obuia quoque videtur in sacra pagina, & vsitatam Hebræis nouit sanctus Isidorus. Sic Rabbi Iochanam censuit Angelicam illam scriptionem, prout Chaldæus habet, *Mene, Mene, Tekel Vpharsin*, literis vniuscuiusque dictionis contrario modo digestis fuisse exaratam. *Anam, Anam Lachath Nisrephu*, atque huiusmodi dissimulatam scripturam, ne Chaldæis sapientibus pateret. Rabbi Samuel etiam per anagramma, sed alio modo Angelum scripturæ suæ sensum occultasse existimat, dictionem longam ופרסין in duas diuisisse ופר סין, vt dictiones omnes triliteræ essent; deinde omnes primas literas harum dictionum מנא מנא תקל ופר סין in vnam dictionem coniunxisse ממתום *mamthus*, Samech in fine legendum, non Mem, vt in textu Talmudico scribitur. Posteà omnes secundas ex quibus coalescit vox ננקפי *nankephi.* Denique omnes vltimas, quæ dictionem אאלרן *aalran* componunt. Rabbi Ase aliter literas inuertit, vt nouas dictiones barbarè componat: Mediam literam primo loco collocat, primam secundo, tertia sedem retinet. In dictione ופרסין nihil mouet, præter Vau, quam loco secundo donat. Inde consurgunt נמא נמא קתל פורסין *Nema, Nema Kethal Phursin.* Omnes autem dictiones istæ dant sine mente sonum. In titulo quoque Psalmi noni Dauidem vsum anagrammatismo obseruant Titelmanus, Ricardus Genomanus, Genebrardus, Drusus, Arias. Et pro *Nabal* dicunt scripsisse *Laben*, vt sic occultaret nomen inimici dicens *pro occultis Laben* non apertè, & clarâ appellatione *Nabal*, sicut Psalmo septimo dissimulauit nomen Saulis, vocans illum Chusi: aliter ab aliis anagramma digeritur, & *laben* scriptum dicunt pro *nebel*; id est, *nablo* vt denotaretur instrumentum musicum, ad cuius sonum hic Psalmus concineretur: nam in libro Paralipomenon primo dicitur occulta cum nablis decantata: *Maasias, & Banaias in nablis occulta cantabant.*

Verùm ista anagrammatum consideratio parum firma est, nec à sacris Scriptoribus considerata, sed vt plurimùm commentara à Rabbinis, in qua nullum magnum mysterium credi est opus. Rabbinorum sententiam de Angelica scriptione apud Danielem iam reiecimus. De Dauide dicamus, an per anagramma dissimulatet nomen Nabal in titulo Psalmi noni? Non credo, quoniam non loquitur in ipso Psalmo de illo, nec contra illum: nam vt legenti constabit, loquitur aduersus victum hostem, & exercitum qui valde Israël afflixerat. Puto igitur לבן *laben* esse nomen בן Ben, quì filium significat cum affixa genitiui nota. Idcirco versum est pro occultis filij. Potest igitur fieri, vt quemadmodum Psalmus quadragesimusquintus hunc titulum habet (in finem filiis Core pro arcanis) eodem modo in hoc titulo, sed concisè dictum sit pro arcanis filij; vt intelligatur filio Core solemne fuisse hunc Psalmum canere. Et fortè per *filium Core* intelligit Principem inter filios Core cantores, qui fuit Heman, vt legitur primo libro Paralipom. cùm eius genus ad Core Principem referatur. Illi igitur Coritarum Principi, tanquam proprius hic Psalmus attributus est, vt eum à suo choro canendum curaret. Nostri, qui in hunc Psalmum scripserunt, ferè omnes arcana, seu occulta filij, occulta Christi interpretantur. Quem sensum sicut veneror atque suspicio, sic si quid ad historicum, literalémque sensum pertinens inueniatur, aut dicatur, non

puto esse reiiciendum. Qui in Chaldæum Psalmos vertit, videtur filij nomine intellexisse Goliam. Sic namque interpretatur: Ad laudandum super morte viri, qui egressus est de medio castrorum. Sic autem legimus primo Regum libro: *Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath*, & quæ sequuntur, quasi in eius morte hic Psalmus compositus sit: ideò autem filius appellatur, quia scriptura dicit egressum esse de medio castrorum: de medio autem castrorum Hebraicè est Isabenaim, Banim autem filios significat, paululum immutatâ dictione, ideò filium putauit Chaldæus interpres significare Goliam. Et certè multa sunt in Psalmo, quæ iuxta historiam non sunt à Goliath aliena. Postremò, non est contemnenda illorum sententia, qui proprium viri nomen putant, quod in Hebræo est, *Ben* quamuis id ipsum nomen filium significet. Vnde inter cantores numeratur *Ben*, primo Paralipomenon: & cum eis fratres eorum in secundo ordine, Zachariam, & Ben, & Iaziel, quod etiam concisè dictum est, pro Benaja: sic namque vocabatur, vt ibidem paulò pòst legitur. Et eo magis hæc sententia ad verum accedit, quod idem id muneris inter cantores habebat, vt in nablis arcana, hoc est, occulta cantaret. Occulta igitur Ben, id est, filius canebat, qui idem Banajas erat, vt vtrobique id intelligentes Septuaginta posuerunt. Hæc opinio, quod ad historiam pertinet, verisimilis admodum esse videtur: nam & nomen cantoris conuenit, & munus, quia occulta canebat. Hæc Agellius, & post eum Mariana. Addo ad Christum sublimiori referri intellectu, siue *pro occultis filij*, siue *pro morte filij*, vt alij legunt, inscribatur; quoniam nomen filij absolutè ponatur, & præcedat nomen arcani, siue occulti, id est, mysterij reconditi, vt intelligamus Psalmum tractare de vnico filio Dei, qui eatne occultatus humanâ, & nouo bellandi genere, hostes deuicit, Diabolum cum exercitu suo, quod Apostolus dixit Mysterium absconditum à sæculis: ad quem sensum spectat illa alia lectio, *pro morte filij*, hoc est, filij Dei, quatenus eius mors fuit gloriosa debellatio Principis tenebrarum. Nec enim Psalmus referri potest ad mortem Absalonis filij Dauid, nam ea mors ignominiosa ipsi Absaloni fuit, & tristissima Dauidi, qui eam acerbè defleuit; hic autem Psalmus lætitiæ est.

CAPVT XVI.

Expositio elementaria ostenditur fallax.

Illvd obseruandum aduersus eos omnes qui elementa superstitiosè in Hebræis libris obseruant, multos errores pro arcanis venerari, magnáque architectari mysteria nullo fundamento, nisi inertiâ scribarum, quod nonnullis exemplis non piget confirmare. In capite vigesimo quinto Exodi vers. 31. sic legunt Iudæi Neoterici מִקְשָׁה תֵּיעָשֶׂה הַמְּנֹרָה *Ductile fiet candelabrum.* In voce תֵּיעָשֶׂה duo sunt, quorum prius est insolentissimum, epenthesis scilicet τῦ *Iod* post ת, futuri characteristicam: sic tamen habent omnes libri excusi, & sic legendum notant Masorethæ, lectore admonito id tantùm hoc loco fieri. Posterius propter mysterij phantasiam commissum est, punctorum scilicet adnotatio iuxta formam tertiæ personæ futuri *Niphal*. Mysterium ex Rabbinis Menahem, Mose Sacerdote, Salomone Iarki, Aben-Ezra, & aliis enarrabo qui illud de Tanchuma antiquo libro sect. 8. hauserunt. Aiunt candelabrum istud cum omnibus ramis, calamis, sphærulis, hastili, &c. ex vna massa sine vlla commissura, & partium insitione componi Deum iussisse. Mosi verò rei difficultate deterrito, Deum statim dixisse, *fiet candelabrum*, scilicet à seipso, non ampliùs *facies*. Quapropter iubente Deo auri massam in ignem Moses coniecit, candelabrúmque, vt Deus præscripserat, statim fabrefactum nullo alio adhibito labore, aut artificio ab igne remouit. Hinc præcipuè Menahem, & Moses colligit verbum istud in tertia persona futuri *Niphal* efferendum esse, non autem in secunda futuri *Kal* seu Actiui: vnde sequitur תֵּעָשֶׂה non תַּעֲשֶׂה legendum. Difficultatem tamen istius artificij, quæ miraculo superata est, parui fecit Abarbinel in hunc locum. Superest irreptio τῦ Iod, cuius cùm nulla sit ratio, nam non magis passiuæ, quàm actiuæ significationi addi debet, ad panaceam, & ordinarium suum asylum confugiunt: additionem illam diuinitùs factam esse, vt decem candelabra, quæ Salomon facturus erat, mysticè significarentur. Sic Aben-Esra ex aliorum sententia: Sic præterea se scriptum inuenisse in margine cuiusdam libri Biblici scribit Menahem. Aliud mysterium idem auctor

refert

refert ex libro רעיא מהימנא, seu *pastoris fidelis*, Deum *Iod* addidisse, vt his dictionibus תיעשה המנורה *fiet candelabrum*, quatuor literæ tetragrammati comprehensæ candelabrum sine partium cum corpore pet commissuras coagmentatione in similitudinem diuinæ simplicitatis, fieri oportere docerent. Quod cùm Moses intelligeret. & admodum difficile factu existimaret, Deus illum monuit hoc bene institutum: nam illa litera non tantùm notat candelabri vnitatem instar Dei compositionis expertem, sed etiam sicut diuinitas à seipsa est, ita candelabrum à seipso sine artificum industria formatum iri. Hæc sunt mysteria quibus Iudæi veluti vallis, & aggeribus corruptiones, quæ Biblia semel inuaserunt, ab omni emendatione conseruant. Si tamen litem dirimere velis, ab aliquo Rabbino ante punctorum textui adnotationem, Iod addita est, vt תעשה passiuè legendum esse doceret. Solent enim Iudæi cùm sine punctis scribunt, dictionibus Iod inserere, vt lectorem moneant syllabam cum tsere, vel chirich legendam esse, ne nimium ancipitibus homonymiis ipsorum sermo laboret. In Genesis capite primo dicitur יהי מארת *fiant luminaria*. Nomen Meoroth, *luminaria* duobus Vau deficit, scribi enim deberet מאורות: sed hoc fit propter magna mysteria: Nam inquit R. Salomon, *Scripta est dictio cum defectu Vau, eo quod dies ille maledictus est, qui inducit anginam in infantes; & hoc est quod tradunt Rabbini, quod die quartâ ieiunatur propter anginam ne infantibus accidat*. Fundamentum rationis est, quod vox illa defectiuè scripta ex æquo, vel potius maledictiones significat, quàm luminaria; si enim legas מארת *Meeroth*, maledictiones erunt. Omissa est igitur Vau, vt die quartâ, tum enim dictum est *fiant luminaria*; hunc suffocationis morbum puellos inuadere doceremur, & institutum ieiunium, vt illi precibus occurratur. De dictione אסכרה, & ieiunio inde instituto, vide Eliam in Thesbite. R. Bechai postquam multa de stellis orbibus suis affixis, & lumine ab orbis crassitie non impedito, ait Lunam à seipsa lumen non habere, sed sicut ferrum ab igne calorem, ita lumen à Sole Lunam mutuari. Et propter hoc dictum esse *fiant luminaria* cum defectu Vau, vt significaretur vtrique lumen idem esse. Bahal Hatturim addit Solem vnitate auctum idem esse Gemmatricè, quod מארת luminaria; שמש *schemesch* enim quod Solem significat 640. conficit, מארת verò 641. vt significetur Solem propter splendorem à maledictione, hoc est, quin adoretur, parum abesse. Insulsè maluit hæc effutire, quàm Cabbalisticum εὕρημα præterire. Longè acutius consimili vnitatis additione cabbalizat Iuda Muscato in libro secundo Cosri, capite sexagesimo octauo. Interpretantur Iudæi, *Erat autem terra laby vnius*, de lingua sancta, seu Hebraica. Hanc explicationem Gemmatricè probat, quia לשון הקדש, *lingua sancta*, vnitate tantum superat שפה אחת, *labium vnum*; illud enim 795. continet, hoc 794. vnitatis autem illum excessum linguæ sanctæ simplicitatem, & à cæterarum permistione conseruationem portendere existimat. Abarbinelis celeberrimi apud Iudæos Rabini & Philosophi sententia haud negligenda est, vt redeam ad luminaria. Censet ille cælos simplicissima esse corpora, astra cælorum, in quibus sunt, partes densatas, & conglobatas esse: lucem die primo creatam, & in aëra diffusam: cælos Solem & astra die secundo, sed sine luce, & splendore: die tandem quarto Soli, & astris lucem impositam, & insertam fuisse; vt autem significaretur ista lucis à Sole, & Luna trium dierum absentia מארת defectiuè scriptum esse. Hæc in legem fol.16.col.2.3. Verùm in re ludicra seriò agere, aut è stercore aurum colligere, quid vetat? Contendit præterea Abarbinel, sed folio 9. & 10. aduersus Bar-Nachman, lucem qualitatem esse seorsim creatam, non in opaco aliquo, aut lucido subsistentem, sed mirabiliter per aëra expansam, & sese sine subiecto sustinentem. Ideo quoque de luce dictum non esse ויהי כן, *& factum est ita*, vt de cæteris, *Sed & facta est lux. Et propterea lumen illud non ministrauit, nisi vsque ad quartum diem, ideo dictum non est, & factum est ita, sed, & facta est lux, quia substitit lux illa sine corpore lucido*. Hæc ille. Item in capite duodecimo Numerorum, vbi dicitur, *Erat enim Moyses vir mitissimus*, והאיש משה ענו מאד, notatur in margine legendum עניו pro ענו. Antequam castigationem istam castigem, ad mysteria magna diuertam. Scribitur in מנחה בלולה, qui commentarius est breuis in legem. *Scribitur* ענו *cum defectu Iod, vt in plenitudine sua conficiat numerum 248. doceatúrque in omnibus membris eius (Mosis) non fuisse arrogantiam.* Hoc mysterium intelliget lector, modo duorum quæ superius indicata sunt, meminerit: Prius, Iudæos in humano corpore 248. membra computare. Posterius in Arithmetica Cabbalistica literas in plenitudine sua numerari, cùm non nuda figura numeratur, verbi gratiâ נ pro 50.

sed vt pronuntiatur נון Nun. Hoc modo litera illa æquiualet 106. עין 130. & זן duodecim, ex quibus iunctis consurgunt 248. Bahal Hatturim aliter somniat, ideo ענן sine iod scriptum, vt numerum dierum in monte præteritorum contineret. Cùm autem numerus ille 120. non excedat, addit Mosen in monte sex diebus nube tectum mansisse, quibus cõfiunt 126. dies, quot ענן complectitur. Iterum notat Gemmatricè ענן idem esse quod בעדן in Eden seu Paradiso, vt hac ꝯ Iod omissione paradisum sperare doceamur. Hæc ex Ioanne Morino excerpsi, qui omnia isthæc mysteria errores fuisse eruditè ostendit, & integritatem codicis Samaritani obiectat.

Quid? In defectu duorum versuum, qui scribarum incuria ferè omnibus Hebraicis absunt codicibus; mysteria inueniunt Rabbini. Versus sunt ex vulgata hoc modo: *Et trans Iordanem, quà contra Ierico, de tribu Ruben, ciuitatem, refugium homicida, Bosor in deserto Misor & suburbana eius: & Iasor, & suburbana eius: & Mapha, & suburbana eius: ciuitates quatuor.* Laniadus nihilominus arcanum istius omissionis consilium putat: Ruben scilicet primum de liberatione Iosephi verba fecisse; ideò cùm vrbes quatuor anteà daturum dictum esset, quas posteà dederit, nihil opus fuisse speciatim enarrare. Dubium enim non erat hoc præstiturum, cùm liberare, & aliis benefacere esset illi naturale, sicut dicitur Iob 17. *Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.* Illud quoque notandum valde corrupta esse Hebræorum Biblia, aliquos ex ipsis Hebræis fateri. Rabbi Iacob Benchaim, ad finem præfationis ad Biblia quæ edidit, sic ait: *Postquam inspexi libros Masora, animúmque his applicui, vidi illos omnino confusos, & eo vsque perturbatos, vt nulla in illis esset domus sine mortuo. Perturbatio maxima erat in versibus scriptura, quos adducebant, & enumerabant Masoretha; eo quod libri circa quorum marginem adscripta erat Masora, adscripta non erat iuxta ordinem columnarum.* Perturbationis istius exempla refert, posteà subdit, *Multi quoque descripserunt Masoram cum ligaturis, & figuris; ita vt impossibile sit verbum vllum ex illis intelligere, cùm scopus scriba fuerit scripturam suam ornare, non autem eam intelligere, & considerare.* Alias huius perturbationis causas reddit, linearum scilicet æquationem. Quatuor, inquit, supernè solent semper adscribere, quinque infernè, atque vt iste numerus neque augeatur, neque minuatur, modò sententiam & enumerationem Masorethicam in medio, modò in principio resecare. Denique adiiciendum elementorum obseruationem nonnullis hæresibus occasionem fuisse; & præter id quod ex Irenæo, & Tertulliano afferri posset. Philastrius scribit in hunc modum: *Marcus autem quidam Heracleonis successor, numerum, & mensuram, & calculum, rationem etiam computationis faciens literarum, quasi verisimilis, & cuiusdam rei noua inuentor, cùm æstimaret à quibusdam se posse laudari, non in paruam itidem erroris incurrit amentiam. Dicit enim ita: Viginti quatuor litera sunt, qua perfectionem habent omnium rerum. Propter quod & Christus, inquit, dicebat: Ego sum Alpha, & Omega. Dicebat etiam in postremo tẽpore Christum descensurum ad Iesum in figura & similitudine Columba; ipsúmque Christum colũbam esse docebat, qua descendit (inquit) ad duodecim Æonas, id est, ad duodecim Apostolos; & vnum ex eis cecidisse, hoc est, Iudam æstimabat.* Hæc Philastrius. Et hæc satis de elementis, & primo eorum inuentu vsûque, vnà cum sacris Literis.

IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII, DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

An lingua noua reuelata fuerit Moysi vt sacra Scriptura traderetur?

AVDEM aliam ſcriptionis ſanctæ diſceptandam in medium obiicio, pro reuerentia vtique diuini eloquij. Sunt enim qui prodiderint memoriæ linguam ſacram pariter cum Scriptura ſacra cœpiſſe. Theodoretus apertiſſimè cenſuit reuelatam Moyſi Hebræam linguam, vt Hebraïco idiomate libros auſpicaretur ſacros: atque tunc cœpiſſe eloquium Hebræum, illatenus orbi incognitum, dono ſcilicet Moyſi & populo Iſraelitico à Deo collatum vnà cum lege & ſacra pagina. Extat Theodoreti ſententia in quæſtione ſexageſima in Geneſim, ibi poſtquam definiſſet Syriacam linguam primam omnium; rurſus ſubinde quærit: *Vnde cœpit Hebraica lingua?* Cui quæſito ita reſpondet: *Vocem Hebraicam arbitror eſſe ſacram. Quemadmodum enim in templis Græcorum quidam ſunt literarum characteres peculiares, quos ſacros appellant: ſic Deus omnium per Moſem donauit hanc linguam non naturalem, ſed ad docendum aptam.* Poſteà ſubdit: *Quod puto Beatum Dauidem iudicaſſe octogeno Pſalmo: Linguam quam non nouerat audiuit;* nimirum Iſraeliticus populus, cum exiret de Ægypto, audiuit, intellexítque diuinitus donatam linguam Hebræam. Suidas in eadem penè exiſtimatione fuit, niſi quod Abrahamo tribuit inuentionem linguæ Hebtaicæ, quam Theodoretus veroſimilius Moyſi addixit. Verba Suidæ hæc ſunt de Abtahamo loquentis: *Hic ſacras literas reperit, & eam linguam excogitauit, cuius Hebræi periti fuerunt vt eius diſcipuli, & poſteri.* Et quidem S. Auguſtinus capite tertio ſupra quadrageſimum libri de ciuitate Dei decimiſexti originem & inuentionem Hebraicæ linguæ ad tempora, quæ poſt diluuium ſucceſſerunt referre viſus eſt, dum ait: *Pueritia fuit huius generis populi Dei à Noe vſque ad ipſum Abraham: & ideò prima lingua inuenta eſt, id eſt, Hebræa.* Philo quoque alicubi, idem quod Suidas præſtruxit, & literas, & linguam, quibus ſacra pagina ſcripta primùm fuit Abrahamum inueniſſe. Congruit his mutatio nominis Abrahæ, & eiuſdem nominis ſignificatio ab ipſo Philone tradita: *Teſtatur hoc*, inquit Philo in libro de Abrahamo, *mutatio nominis, prius enim Abram vocatus, mox cœpit appellari Abraham, vnius tantùm duplicatione literæ, videlicet A, ſed quæ magnum quiddam ſignificabat. Abram enim interpretatur Pater ſublimis: Abraham verò Pater electus vocis.* In ſacra autem Scriptura rerum inuentores *Patres* vocantur. Sic Iabel dicitur *Pater habitantium in tentoriis*, & Gen. 4.
Iubal *Pater canentium citharâ & organo.* Quapropter videbitur alicui vocatus Abraham

Pater electus vocis, quoniam diuinitus electus, vt nouas Hebraicæ locutionis voces inueniret. Multi quoque, quorum postea mentio renouabitur, qui Chaldaicam linguam præferunt antiquitate Hebrææ, hanc malunt inuentam, aut initiatam ab Abrahamo, vel Moyse.

Multa in his videbuntur ardua, & multa quidem inuoluta sunt, quæ partim opus est digerere, partim euomere: quare explanabimus aliqua, & quid verosimilius sit, decernemus. In primis Philonis & Suidæ assertum imputantium Abrahamo inuentionem literarum iam reiecimus; quare & sententia integra, cuius altera portio de Hebraicæ locutionis inuentu ad Moysem potiùs restringenda est. Similior siquidem vero videtur Theodoreti cogitatio, quam rigidâ nunc staterâ expendemus. Multa enim multi pro Hebraicæ linguæ senio & primatu, haud solidè aggerunt; multósque pro eodem sensu Patres laudant. Deinde non videntur omnibus Hebraico idiomate sacra eloquia auspicata, quod Theodoretus supponit: sed facilè hoc cæmentum permonstrabimus tutum.

CAPVT II.

Quo idiomate cœpta primùm scribi Scriptura sancta?

ANTEQVAM ad alia transmittamus sermonem, breui exponendum quâ linguâ exordium sacra sumpsit Scriptura. Et quidem eùm librum Iob imputauerimus authori Moysi, eorum opinionem expulimus, qui primùm lingua Arabica Deum scriptis locutum, dixerint; Quapropter Arabicum siue Idumæum idioma exclusum ab hac inquisitione manebit. Non enim eum librum Iob Idumæus scripsit alphabetariis elementis; imò non ille scripsit, vt iam præmisimus, sed Moyses. Quod si daremus tot labores appinxisse Iob Hieraticis, aut Sinensium literis similibus, atque à Moyse iis commentariis vso historiam Iob digestam in scripta alphabetaria, non sequitur Arabica, aut Syra lingua Iob scripsisse. Nam Hieraticæ, & Sinenses literæ non comitantur linguam, cùm eas possint intelligere ij qui diuersissimâ Dialecto vtantur; cùm ars eiusmodi scribendi nihil habeat commune cum arte loquendi, & modo pronunciandi. Hoc nunc accidit Sinensibus, inter quos ij qui minimè communem linguam habent, communem habent scribendi rationem, quique se loquendo intelligere nequeunt, intelligunt scribendo, eorum quippe literæ non sunt signa vocum, & pronuntiationis, sed rerum; res autem omnibus communes sunt iis, quibus voces non sunt. Itaque scriptio huius, vel illius peculiaris linguæ solùm potest dici scriptio alphabetaria, non Hieratica. Reiectâ igitur Arabicâ Dialecto, lis inter Chaldaicam & Hebraicam potissimùm constringitur: vtrâ scilicet linguâ Moyses scripserit. Philo Iudæus libro de vita Moysis secundo scribit Dei legem ab initio scriptam Chaldaica lingua: *Lex*, inquit, *antiquitùs scripta fuit linguâ Chaldaicâ, mansitque longo tempore in ea.* Nescio vnde hoc accipi potuerit nisi hoc indicio: duxisse scilicet Hebræos à Chaldæis originem. Chaldæus siquidem Abraham fuit, quare linguam suam adusque Moysem in posteros transfudisse verosimile censuit, aut potuit existimare eâ linguâ cœptam meritò Scripturam diuinam, quæ infusa fuit diuinitus hominibus, atque hanc fuisse Chaldæam omnium linguarum antiquissimam, & primam iuxta plurium existimationem. Credo tamen latè locutum Philonem & Chaldaicâ voce Hebræam linguam denotasse, quam Chaldaicam nuncupauit. Tum quia Hebræi, Chaldæi aliquando fuerunt, tum quia essentialiter, vt inquiunt, ex linguæ non discernuntur; atque ideò S. Hieronymus in caput Danielis primum, Philonem explicuit, vt pro Chaldaica intellexerit Hebraicam linguam. Et alioqui substituit sæpè Philo nomen Chaldaicum pro Hebraico. Præterea quoniam Græcis notius erat Chaldæorum nomen, illud potius notauit: idcirco in libro de Abraham, & aliis locis nomina Hebræa exponens, vocat etiam Chaldæa: nisi fortassè censuit septuaginta Interpretes, de quibus loquitur, transtulisse in Græcum sacros libros ex Chaldaico exemplari, non Hebraico, quemadmodum Rabbi Azarias scribit & Philonem interpretatur, eum pariter, & quidem iure notans ignorasse vtramque linguam, & Chaldaicam & Hebraicam, quod facilè colligi potest ex nominum Hebraicorum interpretatione, de quibus multa philosophatur, præsertim in libello de mutatione nominum. Denique non solùm Philo, sed alij huius temporis authores, vt idem Azarias obseruat

Chaldaicum cum Hebraico confundebat, & sæpissimè permutabant. Alia quæ obiici possent de antiquitate Chaldaicæ locutionis sequentibus quæstitis respondemus. Certum itaque esto Hebræâ linguâ Moysem scripsisse legem: nam & Hebræis illam scripsit, & non constat ex Chaldaico in Hebræum translatam,, sed potiùs ex Hebræo in Chaldæum sermonem, quod non Onkelus primus id fecit, sed in captiuitate Babylonica.

CAPVT III.

An ante diluuium fuerint multæ linguæ, aut post diluuium ante ædificium turris Babylonicæ?

SEQVITVR nunc examen primæuæ omnium linguæ, ipsíque coæuæ humano generi: anceps fortasse inquisitio quæque vix explorari potest, nisi fortasse iuxta Theodoreti placitum de reuelata, aut dara Moysi lingua Hebræa, aut saltem restaurata, tunc singulari prouidentiâ, vt actus priscorum Patrum narrarentur; sed opportunè ad ea, quæ postea dicturi sumus præmittenda est. Etenim incerta & dubia mihi sunt, quæ pro primæ principatu locutionis instantur. Priùs obiiciam aliorum difficultates circa hoc quæsitum, & meum iudicium interponam. Si ante turrim Babelicam multæ in vsu hominum linguæ fuissent, incertum esset, an ea, quæ penès illos maneret, qui insano ædificio assensum abnuissent, esset prima. Quid si aliqua linguarum varietas ante diluuium accidisset? mirum nisi accidisset: mirum tot sæculorum excursu inuariatam indecisámque dialectum primam perstitisse in tanta humani generis multitudine, & populorum varietate, cùm maximè si nullis vt præstruximus libris alligata linguæ alicuius puritas perennaret, cùm modò videamus penè ad centenum quemque annum linguas variari, quod postea magis confirmabimus. Si hoc ita venisset vsu, vnde constaret primæua dialectus? Post diluuium autem ante constructionem turris, linguarum aliquam multiplicitatem præcessisse, Catholicum Philastrius censuit in hæresum catalogo capite secundo supra centesimum, asseueranter credendum esse asserens etiam ante ædificationem Babel multis sæculis plures fuisse sermonum, ac linguarum varietates, quarum scientiam omnes homines ex Dei dono vsque ad turris constructionem, & linguarum confusionem habuerunt. Quod autem loco citato dicatur terra fuisse labij vnius, & sermonum eorumdem, ideo dictum putat, quia etsi plura essent genera linguarum, omnes tamen se inuicem intelligebant, eratque omnibus lingua vna, & sermo idem, non secundum eundem vocabulorum vsum, sed secundùm eandem sensuum intelligentiam: suam opinionem confirmat Philastrius ex Gen. cap. 10. in quo antequam Moses Turris ædificationem in cap. 11. eiusdem Gen. describere inciperet, ait, à filiis Iapher diuisas esse insulas gentium in regionibus suis secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.

Non magnum ista mihi negotium facessunt; puto enim ante confusionem Babylonicam vnitatem locutionis sic perennasse, vt nulla notabilis linguæ varietas intercederet. Nam etsi ante diluuium non sit religiosè tenendum indiuisam fuisse locutionem, & satis temporum, satisque gentium fuerit, vt multiplex varietas loquendi introduceretur, tamen longæuitas hominum in causa fuit, vt inconcussa, saltem non notabiliter quassata eadem lingua perstaret. Quod si homines exiguæ vt nunc ætatis fuissent, multiplicia proculdubio idiomata enata tunc essent, aut saltem puritas eloquij primi degenerasset, sicut multæ Europææ nationes, & nostra Hispania sunt expertæ, idque opportunè postmodum explanabimus.

Philastrij autem existimatio firma non est, quam potius Alphonsus Castrensis hæreseos eriminatur: quia Moses apertissimè docet ante Babel extructionem vnicam tantùm fuisse linguam, dum inquit: *Erat autem terra labij vnius*, & sermonum eorumdem. Et dum post pauca addit: *Ibi* (id est, in ædificatione Babel) *confusum est labium vniuersæ terræ*, hoc est, tunc primò diuisum & varium, multiplexque esse cœpit, quod antè indiuisum, vnum, simpléxque fuerat. Equidem Philastrium hac in re deceptum esse negare non auderem: Siquidem sacra Scriptura apertissimis verbis loco notato docet vnam fuisse omnium linguam ante extructionem Babel; & patet etiam ex ipsis verbis Dei paulò pòst in eodem capite subiunctis, vbi loquens de filiis Adam fabricantibus Babel, inquit: *Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus*. Et inferiùs subdit: *Venite igitur, descendamus, & confundamus*

Gelebres ſunt apud Homerum verſus ἰσόψηφοι, de quibus Muretus libro decimoquarto variarum capite decimo tertio hæc notat: Cùm literæ Græcorum etiam ad numeros ſignificandos adhibeantur, quorum verſuum omnes literæ pro numeris acceptæ eundem numerum efficerent, ac conſtituerent, eos verſus ἰσοψήφους vocabant. Huc pertinet explicatio illa Appionis Grammatici Alexandrini, qui à Tiberio Auguſto cymbalum mundi eſt appellatus. Is, cùm exponeret primam illam dictionem Homericæ Iliados, Μῆνιν dicere ſolebat, Homerum artificioſè à ſyllaba μη, librum ſuum inchoaſſe. Nimirum, vt his duabus literis comprehenderet totum numerum octo, & quadraginta voluminum, quibus abſoluitur vniuerſum corpus Iliados, & Odyſſeæ à ſe editum; numerum enim octo, & quadraginta per μ & η, Græci deſignant. Sibyllæ quoque Gematrico artificio vſæ ſunt. Fertur Sibyllæ Cumanæ de Filij Dei incarnatione, atque eius ſanctiſſimo nomine Græcum in his verſibus vaticinium:

Δή τότε καὶ μεγάλοιο θεοῦ παῖς ἀνθρώποισιν
Ἥξει σαρκοφόρος θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ.
Τέσσαρα φωνήεντα φέρει, τὰ δ' ἄφωνα ὂν αὐτῷ
Δισσῶν ἀγγέλων, ἀριθμοῦ δ' ὅλον ἐξονομήνω.
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας τοσσὰς δεκάδας, ἐπὶ τούτοις
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀπιστόεσις ἀνθρώποις
Οὔνομα δηλώσει, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇ συνόησον.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis
In terris ſimilis natus patris omnipotentis
Corpore veſtitum: vocales quatuor autem
Fert, non vocaleſque duas binum geniorum,
Sed, quæ ſit numeri totius ſumma, docebo.
Namque octo monades, totidem decadas ſuper iſta,
Atque hecatont adas octo infidis ſignificabit
Hominibus nomen: tu verò mente teneto.

Supputationem literarum nominis Ieſu, à Sibylla his carminibus collectam, Beda in primo libro Commentariorum in Lucam clarius explicat, adiecto numero ſeptuagenario, qui in Sibyllino carmine deeſt. Loquitur autem hunc in modum: Huius ſacroſancti nominis IESV non tantùm etymologia, ſed & ipſe, qui literis comprehenditur, numerus perpetuę ſalutis noſtrę myſteria redolet. Sex quippe literis apud Gręcos ſcripſit ΙΗΣΟΥΣ videlicet Ι, & Η, & Σ, & Ο, & Υ, & Σ, quarum numeri ſunt X, & VIII, & CC, & LXX. & CCCC, & CC. qui fiunt ſimul DCCCLXXXVIII. qui profectò numerus figurę reſurrectionis adgaudet. Octauus enim numerus in ſacris literis reſurrectionis glorię conuenit; quia Dominus octauâ die, hoc eſt, poſt ſeptimam Sabbati reſurrexit, & ipſi poſt ſex huius ſeculi ætates, & ſeptimam Sabbathi animarum, quę nunc interim in alia vita geritur, quaſi octauo tempore ſurgemus. Aliquando has obſeruantias probauit ſanctus Auguſtinus tractatu in Ioannem decimo, exponens illud ex Euangelio Ioann. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, dixit, Numerum quadraginta ſex annorum ædificationis templi, ſignificare ædificationem templi corporei, quod ſibi Chriſtus ædificauit ex carne Adę, cuius nomen ΑΔΑΜ apud Gręcos componitur ex literis numerum quadraginta ſex comprehendentibus, ſiquidem A, vnum ſignificat, Δ, quatuor, A vnum, M quadraginta; qui numeri ſimul iuncti faciunt quadraginta ſex, tot enim diebus Chriſti corpus in vtero Marię abſolutum eſt. At quod plus eſt, videtur hoc interpretandi genus à ſancto Ioanne in Apocalypſi firmatum, dum dixit Antichriſtum facturum: *Ne quis poßit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum hominis eius: hic ſapientia eſt, qui habet intellectum computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Ex quo numero nomen Antichriſti, aut beſtiæ multi conati ſunt venari. Iuxta ſanctum Irenęum, & Aretam λατεῖνος dicendus eſt. Iuxta ſanctum Hippolytum ἀρνοῦμαι ſeu τειτὰν. Iuxta Primaſium ἄντεμος. Iuxta Ticonium λαμπετις. Iuxta Aretam ὀνικητὴς. Rupertus & Haymo notant nomen γενσηρικὸς,

κὸς,

κὸς, illum numerum conficere, & interpretantur *gentium seductor* quasi Antichristi prodromus fuisset Gensericus Vvandalorum Rex, qui vastauit Romam. Alcazar per bestiam intelligens Imperium Romanum, dicit eius nomen esse ἡ ἀλαζονεία βίου, *superbia vitæ*, cuius nominis Græcæ literæ eundem calculum habent. Alia afferunt Irenæus & Aretas, quæ collegit Feuardentius.

Veniamus ad libros Moysis, & alios sacros veteris instrumenti. Bahal Hatturim in Beresith notat primam Genesis vocem בראשית ברא *In principio creauit* ; & בראש השנה נברא *in principio anni creatus est* ; vtramque constare numero 1116. quo demonstratur mundus initio anni creatus. Secundo בראשית *bereschit*, idem quod בתורה יצר *in lege creauit*, vtrumque constat 913. eo quod propter legem quæ vocatur principium, creatus est mundus. Denique hæc verba, ישראל בחר בעמים *Israelem elegit in populis*, numerum 913. conficiunt. Idem תריג יצר *Tharig creauit*. Vulgatissimum est apud Iudæos in lege præcepta 613. contineri, quæ τεχνικῷ vocabulo *Tharig* eundem numerum complectente significant. Colligit inde Rabbinus ille mundum à Deo creatum, vt 613. præcepta legis Israëlitæ complerent. Lex dicitur lata in sapientia. Hoc axioma Gemmatricè probant Cabbalistæ, ex eo quod חכמה sapientiæ calculus sit 613. tot scilicet, quot numerant in lege præcepta. Calculus iste colligitur, vt sic loquar, ex literis expansis: nam חכמה 73. tantum conficit. Verùm si numerum è literis plenis, atque vt scribuntur, & pronuntiantur expiscemur, 613. colliguntur. Experiri quiuis potest ex iis sic scriptis, חית.כף.מם.הי, *cheth, caph, mem, he*. Hæc Reuchlinus. Item per Gemmatriam מצותי *Præcepta mea*, idem quod שמור *custodi*, vtraque dictio 546. complectitur. שושנה, *Susanna*, seu *lilium*, idem quod אסתר *Esther*, vtrumque 661. Hæc author אבקת רוכל, seu pulueris Pigmentarij. Argutum quoque illud est, quod Hatturim in vigesimum quintum Genesis caput obseruat in id: concepit Rebecca vxor eius, scribit hæc scitu certè non iniucunda, אשתו *vxor eius* idem esse Gemmatricè cum אש.וקש *ignis, & stipula*: vtriusque summa 707. quæ conueniunt non tantùm cum dissidio Esaüi, & Iacobi, sed expressius cum verbis Abdiæ: *Erit domus Iacob ignis, &c. & domus Esaü stipula*.

Nihilominus non est fidendum his interpretationibus ancipitibus, & quidem optimè monuit Aben Esdra: *Scriptura non loquitur Gemmatricè, nam facilè posset quilibet pro arbitrio quoduis nomen educere, siue in bonam, siue in malam partem, sed tantum verba intelligenda sunt vt sonant*, hoc est, iuxta sensum literalem. Scitéque eiusmodi interpretes Noctuis comparat, eo quod in literalis sensus splendore cæci sint, & in mysteriorum tenebris perspicaces videri gestiant; imò multos errores subinde impingant, quemadmodum Rabbi Salomon Iarki in 14. Genes. v. 14. vbi dicitur Abraham vernaculos suos trecentos decē & octo in prælium armasse; notat Maiores docuisse Eliezerem Abrahæ solum adfuisse, eo quod אליעזר, Eliezeris literæ per Gemmatriam 318. æquiualeant. Elias Leuita explicans in Thisbi quamobrem Deus מקום *Locus* à Rabbinis appelletur, hanc rationem adfert: מקום Gemmatricè 186. conficit totidem יהוה. Verùm vt calculus non aberret literarum numeros simplices non eligunt, sed numerorum quadrata: non omnino insulsè, nam numeri vel lineæ, vt loquuntur Geometræ, potentiâ, quadratum est. Hoc modo Iod valet 100. He 25. Vau 36. He 25. summa 186. solent enim, vt epilogismos suos colligant, numeros aliquando duplicare, vel triplicare, aliquando aggregato numerum literarum dictionis addere, vel demere, hoc modo כסא *Kisé, solium*, idem quod אלהים *Deus*: aliquando non simplicium literarum numerum, sed literas במילאו *in plenitudine sua*, hoc est, vt in Alphabeto scribuntur, coniungere; in omnes denique partes seipsos versare, vt quod semel conceperunt, tandem confirment. Gemmatriæ istius planè immemor Moses Ægyptius solidam, & philosophicam istius diuini Epitheti rationem adducit lib. Nebochim parte 1. cap. 8. Immemores quoque fuerunt eius commentatores Schem Tob, & Ephodæus, & qui pluribus rationem loci Deo attributi persequitur Ioseph Albo. Nec vllibi idem Moyses Ægyptius Gemmatriæ meminit. Lubricus est eius vsus, & bifrons ad bonum, & malum, quod sic ostendit Ioannes Morinus. Solent impij Iudæi à sanctissimo nomine IESV ישוע vltimam literam tollere; sic enim semper efferunt ישו & sæpè odio petciti per impiam Gemmatriam, אלהי נכר. Simili portento ex tremendo Dei nomine שדי *Sadai* literarum permutatione fit שיד *Dæmon*, cui permutationi Mirandulanus in Cabbalistis propositionibus alludit. Auctor אבקת רוכל, ait Idolum ab Aarone conflatum, עגל מסכה *vitulum fusilem*, à Mose appellatum, vt ex auri 125. talentis fusum fuisse manifestum fieret: מסכה *Maseca* enim seu *fusile*,

hunc

hunc numerum complectitur. Vtraque autem dictio עגל־מסכה *vitulus fusilis* si Gemmatricè examinetur, epitheto ברוך *Benedictus* æquiualebit.

CAPVT XIV.

Particularis Gemmatriæ vsus.

ILLVD etiam obseruandum substituere solitos Hebræos literas pro literis, si eumdem numerum constituant, & vnam pro duabus sic טו pro יה quod est nomen Dei, vsurpant. Nam vtraque literarum colligatio notat quindecim; atque in numeris nolunt ex superstitione quadam vti יה quia est vnum ex nominibus Dei, & eius loco per טו numerant quindecim, & per easdem literas significant nomen illud Dei. Sic etiam י Iod quæ decennarij numeri nota est, substituitur pro duabus הה *he, he*, quoniam vnum ה *he* quinque demonstrat. Per hanc artem elicuit Rabbi Heccados, qui maximæ authoritatis fuit apud Hebræos priscos, nomen Matris Messiæ futurum esse *Mariæ*. Hic enim in tertia partitione eius libri qui *Galerazeya*, id est, Reuelator arcanorum dicitur, inquisitioni Antonini Consulis vrbis Romæ satisfacere volens, qui ipsum inter cætera de nomine matris Messiæ interrogauerat, sic ei respondit, prout sibi in spelunca duplici oranti, Elias reuelauerat. *Quod autem interrogasti, quo nomine prophetissa vocetur? Maria est nomen eius. Ideóque Isaias cecinit 9. cap. dicens* כי ילד ילד לנו בן נתן לנו. Hoc est, *Quia infans natus est nobis, & filius datus est nobis*. Et infrà לםרבה המשרה. Id est, *ad multiplicandum imperium, vel principatum, siue vt multiplicetur imperium, vel principatus. Quæ verba significant Messiam à Deo generandum esse, qui multiplicabit imperium, qui est Dominus totius orbis. Nascetúrque ex Maria Domina, & hoc est quod dicit* לםרבה המשרה *lemarbe hammisra, id est, ad multiplicandum imperium. Ab his enim dictionibus oritur* מרים שרה *Mirjam Sara, id est, Maria Domina, hoc modo: Si accipies* ל *lamed*, ם *mem*, & ר *resc, constituent primam particulam lemarbe, hoc est*, לםר *lemar. Si autem acceperis* ה *ex lemarbe, &* ה *he huius dictionis* המשרה *hammisra. Quarum singularum numerus est quinque, & ambæ decem conficiunt, significant* י *Iod huius dictionis* מרים *Mirjam. Additio autem* ם *mem huius dictionis hammisra. Ecce tibi* מרים *Mirjam, id est, Maria. Ex dictione autem* המשרה *hammisra, restat* שרה *Sara, id est, Domina, quæ tribus literis scribitur. Ecce tibi ex lemarbe, hammisra, quod idem est, quod ad multiplicandum imperium, siue principatum* למרים שרה *lemirjam Sara, id est, Maria Domina. Vt nobis innotescat hanc Mariam esse Dominam, & superiorem vniuersi, ac cælorum Reginam.* Hæc ille.

Tandem hic admonendum Gemmatriæ artificio aliquas voces superstitiosè compositas à Iudæis, quibus pro amuletis vtuntur, multáque ex Gemmatria vana obseruant instar Pythagoræorum. Pythagoras enim in Arithmeticis nominum literis multas vires cõstituebat, sed ridiculè, & falsò. In Germanico contra Carolum Quintum bello certam victoriam ex eadem arte sibi pollicebantur Luthetani, quia literæ huius nominis *Carolus* valerent tantùm 155. literæ autem nominis *Mauricius* continerent 1210. euentus dixit vanam eorum spem, & ridendam obseruantiam.

CAPVT XV.

Vtrum Moyses anagrammaticè aliquid scripserit, aut eiusmodi in sacris Literis sit digestum?

Explicatur titulus Psalmi noni.

ANAGRAMMATICA scriptio priscis non vsitata, à paucis hinc ætatibus apud Latinos notior, hoc sęculo frequentissima est; ipsius nihilominus artificium in sacris Literis, ipsísque Mosaicis voluminibus considerarunt multi, atque per eam ausi sunt sacrum interpretari textum, vnius nominis literas inuicem permutantes, vt aliud aliquid

quid aliter coniugatæ significent. Hoc enim titu anagramma constat; sic illud Psalmi vigesimi: *In virtute tuâ lætabitur Rex.* De Messia dictum probant, quoniam ישמח *lætabitur*, permutatum facit משיח *Messiam.* Sic חמר *Asinus*, vt notat Archangelus, per mutationem facit רחמם *clementiam*, seu *misericordiam.* Vnde, inquit, Christus Asinam ascendit, vt sese misericordem demonstraret: quod consentit verbis Euangelicis: *Ecce Rex tuus mansuetus.* Atque vt ad scripta Moysis veniamus Rabbi Iacob author Hatturim, commentans primam vocem Geneseos in omnes illam partes, haud infaceta per anagrammata versat. Ipsius referam verba: *Literæ Beresith* בירת ראש*, caput siue principium domus significant, quasi diceret, domus Sanctuary primi; sicut dicitur solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ. Alio modo literæ ista intelligi possunt (aliter scilicet disposita)* א בתשרי *in primo mense Tisri creatus est mundus. Aliter* ברא שתי *duas creauit: quia creauit duas leges, scriptam & oralem. Aliter* ירא שבת *coluit Sabbatum, veluti diceret quod propter meritum, & honorem Sabbati creatus est mundus. Aliter* ברית אש*, fœdus ignis, quia propter fœdus, quod est circumcisio, & propter ignem quod est lex, facta est gehenna.* Aliam addit istius dictionis diuisionem minus efficacem בראת יש *in visione sunt*, quia, inquit, *sæcula ab omnibus iustis conspiciuntur*, præsens intellige, & futurum. Ierem. 17.

Conuersio earumdem literarum, nam facilior hic anagrammatismus, obuia quoque videtur in sacra pagina, & vsitatam Hebræis nouit sanctus Isidorus. Sic Rabbi Iochanam censuit Angelicam illam scriptionem, prout Chaldæus habet, *Mene, Mene, Tekel Vpharsin*, literis vniuscuiusque dictionis contrario modo digestis fuisse exaratam. *Anam, Anam Lachath Nisrephu*, atque huiusmodi dissimulatam scripturam, ne Chaldæis sapientibus pateret. Rabbi Samuel etiam per anagramma, sed alio modo Angelum scripturæ suæ sensum occultasse existimat, dictionem longam ופרסין in duas diuisisse ופר סין, vt dictiones omnes triliteræ essent; deinde omnes primas literas harum dictionum מנא מנא תקל ופר סין in vnam dictionem coniunxisse ממתוס *mamthus*, Samech in fine legendum, non Mem, vt in textu Talmudico scribitur. Posteà omnes secundas ex quibus coalescit vox ננקפי *nankephi.* Denique omnes vltimas, quæ dictionem אאלרן *aalran* componunt. Rabbi Ase aliter literas inuertit, vt nouas dictiones barbarè componat: Mediam literam primo loco collocat, primam secundo, tertia sedem retinet. In dictione ופרסין nihil mouet, præter Vau, quam loco secundo donat. Inde consurgunt נמא נמא קתל פורסין *Nema, Nema Kethal Phursin.* Omnes autem dictiones istæ dant sine mente sonum. In titulo quoque Psalmi noni Dauidem vsum anagrammatismo obseruant Titelmanus, Ricardus Genomanus, Genebrardus, Drusus, Arias. Et pro *Nabal* dicunt scripsisse *Laben*, vt sic occultaret nomen inimici dicens *pro occultis Laben*, non apertè, & clarâ appellatione *Nabal*, sicut Psalmo septimo dissimulauit nomen Saulis, vocans illum Chusi: aliter ab aliis anagramma digeritur, & *laben* scriptum dicunt pro *nebel*, id est, *nablo* vt denotaretur instrumentum musicum, ad cuius sonum hic Psalmus concineretur: nam in libro Paralipomenon primo dicitur occulta cum nablis decantata: *Maasias, & Banaias in nablis occulta cantabant.*

Verùm ista anagrammatum consideratio parum firma est, nec à sacris Scriptoribus considerara, sed vt plurimùm commentata à Rabbinis, in qua nullum magnum mysterium credi est opus. Rabbinorum sententiam de Angelica scriptione apud Danielem iam reiecimus. De Dauide dicamus, an per anagramma dissimularet nomen Nabal in titulo Psalmi noni? Non credo, quoniam non loquitur in ipso Psalmo de illo, nec contra illum: nam vt legenti constabit, loquitur aduersus victum hostem, & exercitum qui valde Israël afflixerat. Puto igitur לבן *laben* esse nomen בן Ben, quì filium significat cum affixa genitiui nota. Idcirco versum est pro occultis filij. Potest igitur fieri, vt quemadmodum Psalmus quadragesimusquintus hunc titulum habet (in finem filiis Core pro arcanis) eodem modo in hoc titulo, sed concisè dictum sit pro arcanis filij; vt intelligatur filio Core solemne fuisse hunc Psalmum canere. Et fortè per *filium Core* intelligit Principem inter filios Core cantores, qui fuit Heman, vt legitur primo libro Paralipom. cùm eius genus ad Core Principem referatur. Illi igitur Coritarum Principi, tanquam proprius hic Psalmus attributus est, vt eum à suo choro canendum curaret. Nostri, qui in hunc Psalmum scripserunt, ferè omnes arcana, seu occulta filij, occulta Christi interpretantur. Quem sensum sicut veneror atque suspicio, sic si quid ad historicum, literalémque sensum pertinens inueniatur, aut dicatur, non

S puto

puro esse reiiciendum. Qui in Chaldæum Psalmos vertit, videtur filij nomine intellexisse Goliam. Sic namque interpretatur: Ad laudandum super morte viri, qui egressus est de medio castrorum. Sic autem legimus primo Regum libro: *Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath*, & quæ sequuntur, quasi in eius morte hic Psalmus compositus sit: ideò autem filius appellatur, quia scriptura dicit egressum esse de medio castrorum: de medio autem castrorum Hebraicè est Isabenaim, Banim autem filios significat, paululum immutatâ dictione, ideò filium putauit Chaldæus interpres significare Goliam. Et certè multa sunt in Psalmo, quæ iuxta historiam non sunt à Goliath aliena. Postremò, non est contemnenda illorum sententia, qui proprium viri nomen putant, quod in Hebræo est, *Ben* quamuis id ipsum nomen filium significet. Vnde inter cantores numeratur *Ben*, primo Paralipomenon: & cum eis fratres eorum in secundo ordine, Zachariam, & Ben, & Iaziel, quod etiam concisè dictum est, pro Benaja: sic namque vocabatur, vt ibidem paulò pòst legitur. Et eo magis hæc sententia ad verum accedit, quod idem id muneris inter cantores habebat, vt in nablis arcana, hoc est, occulta cantaret. Occulta igitur Ben, id est, filius canebat, qui idem Banajas erat, vt vtrobique id intelligentes Septuaginta posuerunt. Hæc opinio, quod ad historiam pertinet, verisimilis admodum esse videtur: nam & nomen cantoris conuenit, & munus, quia occulta canebat. Hæc Agellius, & post eum Mariana. Addo ad Christum sublimiori referri intellectu, siue *pro occultis filij*, siue *pro morte filij*, vt alij legunt, inscribatur; quoniam nomen filij absolutè ponatur, & præcedat nomen arcani, siue occulti, id est, mysterij reconditi, vt intelligamus Psalmum tractare de vnico filio Dei, qui carne occultatus humanâ, & nouo bellandi genere, hostes deuicit, Diabolum cum exercitu suo, quod Apostolus dixit Mysterium absconditum à sæculis: ad quem sensum spectat illa alia lectio, *pro morte filij*, hoc est, filij Dei, quatenus eius mors fuit gloriosa debellatio Principis tenebrarum. Nec enim Psalmus referri potest ad mortem Absalonis filij Dauid, nam ea mors ignominiosa ipsi Absaloni fuit, & tristissima Dauidi, qui eam acerbè defleuit; hic autem Psalmus lætitiæ est.

CAPVT XVI.

Expositio elementaria ostenditur fallax.

ILLVD obseruandum aduersus eos omnes qui elementa superstitiosè in Hebræis libris obseruant, multos errores pro arcanis venerari, magnáque architectari mysteria nullo fundamento, nisi inertiâ scribarum, quod nonnullis exemplis non piget confirmare. In capite vigesimo quinto Exodi vers. 31. sic legunt Iudæi Neoterici מִקְשָׁה תֵּיעָשֶׂה הַמְּנוֹרָה *Ductile fiet candelabrum*. In voce תֵּיעָשֶׂה duo sunt, quorum prius est insolentissimum, epenthesis scilicet τοῦ *Iod* post ת, futuri characteristicam: sic tamen habent omnes libri excusi, & sic legendum notant Masorethæ, lectore admonito id tantùm hoc loco fieri. Posterius propter mysterij phantasiam commissum est, punctorum scilicet adnotatio iuxta formam tertiæ personæ futuri *Niphal*. Mysterium ex Rabbinis Menahem, Mose Sacerdote, Salomone Iarki, Aben-Ezra, & aliis enarrabo qui illud de Tanchuma antiquo libro sect. 8. hauserunt. Aiunt candelabrum istud cum omnibus ramis, calamis, sphærulis, hastili, &c. ex vna massa sine vlla commissura, & partium insitione componi Deum iussisse. Mosi verò rei difficultate deterrito, Deum statim dixisse, *fiet candelabrum*, scilicet à seipso, non ampliùs *facies*. Quapropter iubente Deo auri massam in ignẽ Moses coniecit, candelabrúmque, vt Deus præscripserat, statim fabrefactum nullo alio adhibito labore, aut artificio ab igne remouit. Hinc præcipuè Menahem, & Moses colligũt verbum istud in tertia persona futuri *Niphal* efferendum esse, non autem in secunda futuri *Kal* seu Actiui: vnde sequitur תֵּעָשֶׂה non תַּעֲשֶׂה legendum. Difficultatem tamen istius artificij, quæ miraculo superata est, parui fecit Abarbinel in hunc locum. Superest irreptio τοῦ Iod, cuius cùm nulla sit ratio, nam non magis passiuæ, quàm actiuæ significationi addi debet, ad panaceam, & ordinarium suum asylum confugiunt: additionem illam diuinitùs factam esse, vt decem candelabra, quæ Salomon facturus erat, mysticè significarentur. Sic Aben-Esra ex aliorum sententia: Sic præterea se scriptum inuenisse in margine cuiusdam libri Biblici scribit Menahem. Aliud mysterium idem auctor

referat

refert ex libro רעיא מהימנא, seu *pastoris fidelis*, Deum *Iod* addidisse, vt his dictionibus תיעשה המנורה *fiet candelabrum*, quatuor literæ tetragrammati comprehensæ candelabrum sine partium cum corpore per commissuras coagmentatione in similitudinem diuinæ simplicitatis, fieri oportere docerent. Quod cùm Moses intelligeret, & admodum difficile factu existimaret, Deus illum monuit hoc bene institutum: nam illa litera non tantùm notat candelabri vnitatem instar Dei compositionis expertem, sed etiam sicut diuinitas à seipsa est, ita candelabrum à seipso sine artificum industria formatum iri. Hæc sunt mysteria quibus Iudæi veluti vallis, & aggeribus corruptiones, quæ Biblia semel inuaserunt, ab omni emendatione conseruant. Si tamen litem dirimere velis, ab aliquo Rabbino ante punctorum textui adnotationem, Iod addita est, vt תעשה passiuè legendum esse doceret. Solent enim Iudæi cùm sine punctis scribunt, dictionibus Iod inserere, vt lectorem moneant syllabam cum tsere, vel chirich legendam esse, ne nimium ancipitibus homonymiis ipsorum sermo laboret. In Genesis capite primo dicitur יהי מארת *fiant luminaria*. Nomen Meoroth, *luminaria* duobus Vau deficit, scribi enim deberet מאורות: sed hoc fit propter magna mysteria: Nam inquit R. Salomon, *Scripta est dictio cum defectu Vau, eo quod dies ille maledictus est, qui inducit anginam in infantes; & hoc est quod tradunt Rabbini, quod die quartâ ieiunatur propter anginam ne infantibus accidat*. Fundamentum rationis est, quod vox illa defectiuè scripta ex æquo, vel potius maledictiones significat, quàm luminaria; si enim legas מארת *Meeroth*, maledictiones erunt. Omissa est igitur Vau, vt die quartâ, tum enim dictum est *fiant luminaria*; hunc suffocationis morbum puellos inuadere doceremur, & institutum ieiunium, vt illi precibus occurratur. De dictione אסכרה, & ieiunio inde instituto, vide Eliam in Thesbite. R. Bechai postquam multa de stellis orbibus suis affixis, & lumine ab orbis crassitie non impedito, ait Lunam à seipsa lumen non habere, sed sicut ferrum ab igne calorem, ita lumen à Sole Lunam mutuari. Et propter hoc dictum esse *fiant luminaria* cum defectu Vau, vt significaretur vtrique lumen idem esse. Bahal Hatturim addit Solem vnitate auctum idem esse Gemmatricè, quod מארת luminaria; שמש *schemesch* enim quod Solem significat 640. conficit, מארת verò 641. vt significetur Solem propter splendorem à maledictione, hoc est, quin adoretur, parum abesse. Insulsè maluit hæc effutire, quàm Cabbalisticum ἔυρημα præterire. Longè acutius consimili vnitatis additione cabbalizat Iuda Muscato in libro secundo Cosri, capite sexagesimo octauo. Interpretantur Iudæi, *Erat autem terra laby vnum*, de lingua sancta, seu Hebraica. Hanc explicationem Gemmatricè probat, quia לשון הקדש, *lingua sancta*, vnitate tantum superat שפה אחת, *labium vnum*; illud enim 795. continet, hoc 794. vnitatis autem illum excessum linguæ sanctæ simplicitatem, & à cæterarum permistione conseruationem portendere existimat. Abarbinelis celeberrimi apud Iudæos Rabini & Philosophi sententia haud negligenda est, vt redeam ad luminaria. Censet ille cælos simplicissima esse corpora, astra cælorum, in quibus sunt, partes densatas, & conglobatas esse; lucem die primo creatam, & in aëra diffusam: cælos Solem & astra die secundo, sed sine luce, & splendore: die tandem quarto Soli, & astris lucem impositam, & insertam fuisse; vt autem significaretur ista lucis à Sole, & Luna trium dierum absentia מארת defectiuè scriptum esse. Hæc in legem fol. 16. col. 2. 3. Verùm in re ludicra seriò agere, aut è stercore aurum colligere, quid verat? Contendit prætereà Abarbinel, sed folio 9. & 10. aduersus Bar-Nachman, lucem qualitatem esse seorsim creatam, non in opaco aliquo, aut lucido subsistentem, sed mirabiliter per aëra expansam, & sese sine subiecto sustinentem. Ideo quoque de luce dictum non esse ויהי כן, *& factum est ita*, vt de cæteris, *Sed & facta est lux. Et propterea lumen illud non ministrauit, nisi vsque ad quartum diem, ideo dictum non est, & factum est ita, sed, & facta est lux, quia subsistit lux illa sine corpore lucido*. Hæc ille. Item in capite duodecimo Numerorum, vbi dicitur, *Erat enim Moyses vir mitissimus*, והאיש משה ענו מאד, notatur in margine legendum עניו pro ענו. Antequam castigationem istam castigem, ad mysteria magna diuertam. Scribitur in מנחה בלולה, qui commentarius est breuis in legem. *Scribitur* ענו *cum defectu Iod, vt in plenitudine sua conficiat numerum 248. doceatúrque in omnibus membris eius (Mosis) non fuisse arrogantiam*. Hoc mysterium intelliget lector, modo duorum quæ superius indicata sunt, meminerit: Prius, Iudæos in humano corpore 248. membra computare. Posterius in Arithmetica Cabbalistica literas in plenitudine sua numerari, cùm non nuda figura numeratur, verbi gratiâ נ pro 50.

ſed vt pronuntiatur נון Nun. Hoc modo litera illa æquiualet 106. עין 130. & ין duodecim, ex quibus iunctis conſurgunt 248. Bahal Hatturim aliter ſomniat, ideo ענו ſine iod ſcriptum, vt numerum dierum in monte præteritorum contineret. Cùm autem numerus ille 120. non excedat, addit Moſen in monte ſex diebus nube rectum manſiſſe, quibus cõfiunt 126. dies, quot ענו complectitur. Iterum notat Gemmatricè ענו idem eſſe quod בעדן in Eden ſeu Paradiſo, vt hac ĩ Iod omiſſione paradiſum ſperare doceamur. Hæc ex Ioanne Morino excerpſi, qui omnia iſthæc myſteria errores fuiſſe eruditè oſtendit, & integritatem codicis Samaritani obiectat.

Quid? In defectu duorum verſuum, qui ſcribarum incuria ferè omnibus Hebraïcis abſunt codicibus; myſteria inueniunt Rabbini. Verſus ſunt ex vulgata hoc modo: *Et trans Iordanem, quà contra Ierico, de tribu Ruben, ciuitatem, refugium homicidæ, Boſor in deſerto: Miſor & ſuburbana eius: & Iaſer, & ſuburbana eius: & Mapha, & ſuburbana eius: ciuitates quatuor.* Laniadus nihilominus arcanum iſtius omiſſionis conſilium putat: Ruben ſcilicet primum de liberatione Ioſephi verba feciſſe; ideò cùm vrbes quatuor anteà daturum dictum eſſet, quas poſteà dederit, nihil opus fuiſſe ſpeciatim enarrare. Dubium enim non erat hoc præſtiturum, cùm liberare, & aliis benefacere eſſet illi naturale, ſicut dicitur Iob 17. *Et tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem.* Illud quoque notandum valde corrupta eſſe Hebræorum Biblia, aliquos ex ipſis Hebræis fateri. Rabbi Iacob Benehaim, ad finem præfationis ad Biblia quæ edidit, ſic ait: *Poſtquam inſpexi libros Maſoræ, animúmque his applicui, vidi illos omnino confuſos, & eò vſque perturbatos, vt nulla in illis eſſet domus ſine mortuo. Perturbatio maxima erat in verſibus ſcripturæ, quos adducebant, & enumerabant Maſorethæ; eo quod libri circa quorum marginem adſcripta erat Maſora, adſcripta non erat iuxta ordinem columnarum.* Perturbationis iſtius exempla refert, poſteà ſubdit, *Multi quoque deſcripſerunt Maſoram cum ligaturis, & figuris; ita vt impoſſibile ſit verbum vllum ex illis intelligere, cùm ſcopus ſcribæ fuerit ſcripturam ſuam ornare, non autem eam intelligere, & conſiderare.* Alias huius perturbationis cauſas reddit, linearum ſcilicet æquationem. Quatuor, inquit, supernè ſolent ſemper adſcribere, quinque infernè, atque vt iſte numerus neque augeatur, neque minuatur, modò ſententiam & enumerationem Maſorethicam in medio, modò in principio reſecare. Denique adiiciendum elementorum obſeruationem nonnullis hæreſibus occaſionem fuiſſe; & præter id quod ex Irenæo, & Tertulliano afferri poſſet. Philaſtrius ſcribit in hunc modum: *Marcus autem quidam Heracleonis ſucceſſor, numerum, & menſuram, & calculum, rationem etiam computationis faciens literarum, quaſi veriſimilis, & cuiuſdam rei nouæ inuentor, cùm æſtimaret à quibuſdam ſe poſſe laudari, non in paruam itidem erroris incurrit amentiam. Dicit enim ita: Viginti quatuor literæ ſunt, quæ perfectionem habent omnium rerum. Propter quod & Chriſtus, inquit, dicebat: Ego ſum Alpha, & Omega. Dicebat etiam in poſtremo tẽpore Chriſtum deſcenſurum ad Ieſum in figura & ſimilitudine Columbæ; ipſúmque Chriſtum colũbam eſſe docebat, quæ deſcendit (inquit) ad duodecim Æonas, id eſt, ad duodecim Apoſtolos; & vnum ex eis cecidiſſe, hoc eſt, Iudam æſtimabat.* Hæc Philaſtrius. Et hæc ſatis de elementis, & primo eorum inuentu vsque, vnà cum ſacris Literis.

IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII, DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

An lingua noua reuelata fuerit Moysi vt sacra Scriptura traderetur?



AVDEM aliam scriptionis sanctæ disceptandam in medium obiicio, pro reuerentia vtique diuini eloquij. Sunt enim qui prodiderint memoriæ linguam sacram pariter cum Scriptura sacra cœpisse. Theodoretus apertissimè censuit reuelatam Moysi Hebræam linguam, vt Hebraïco idiomate libros auspicaretur sacros: atque tunc cœpisse eloquium Hebræum, illatenus orbi incognitum, dono scilicet Moysi & populo Israelitico à Deo collatum vnà cum lege & sacra pagina. Extat Theodoreti sententia in quæstione sexagesima in Genesim, ibi postquam definisset Syriacam linguam primam omnium; rursus subinde quærit: *Vnde cœpit Hebraica lingua?* Cui quæsito ita respondet: *Vocem Hebraicam arbitror esse sacram. Quemadmodum enim in templis Græcorum quidam sunt literarum characteres peculiares, quos sacros appellant: sic Deus omnium per Mosem donauit hanc linguam non naturalem, sed ad docendum aptam.* Posteà subdit: *Quod puto Beatum Dauidem indicasse octogeno Psalmo: Linguam quam non nouerat audiuit;* nimirum Israeliticus populus, cùm exiret de Ægypto, audiuit, intellexitque diuinitus donatam linguam Hebræam. Suidas in eadem penè existimatione fuit, nisi quod Abrahamo tribuit inuentionem linguæ Hebraicæ, quam Theodoretus verosimilius Moysi addixit. Verba Suidæ hæc sunt de Abrahamo loquentis: *Hic sacras literas reperit, & eam linguam excogitauit, cuius Hebræi periti fuerunt vt eius discipuli, & posteri.* Et quidem S. Augustinus capite tertio supra quadragesimum libri de ciuitate Dei decimisexti originem & inuentionem Hebraicæ linguæ ad tempora, quæ post diluuium successerunt referre visus est, dum ait: *Pueritia fuit huius generis populi Dei à Noe vsque ad ipsum Abraham: & ideò prima lingua inuenta est, id est, Hebræa.* Philo quoque alicubi, idem quod Suidas præstruxit, & literas, & linguam, quibus sacra pagina scripta primùm fuit Abrahamum inuenisse. Congruit his mutatio nominis Abrahæ, & eiusdem nominis significatio ab ipso Philone tradita: *Testatur hoc*, inquit Philo in libro de Abrahamo, *mutatio nominis, prius enim Abram vocatus, mox cœpit appellari Abraham, vnius tantùm duplicatione literæ, videlicet A, sed quæ magnum quiddam significabat. Abram enim interpretatur Pater sublimis: Abraham verò Pater electus vocis.* In sacra autem Scriptura rerum inuentores *Patres* vocantur. Sic Iabel dicitur *Pater habitantium in tentoriis*, & Gen. 4
Iubal *Pater canentium citharâ & organo.* Quapropter videbitur alicui vocatus Abraham

Pater electus vocis, quoniam diuinitus electus, vt nouas Hebraicæ locutionis voces inueniret. Multi quoque, quorum postea mentio renouabitur, qui Chaldaicam linguam præferunt antiquitate Hebrææ, hanc malunt inuentam, aut initiatam ab Abrahamo, vel Moyse.

Multa in his videbuntur ardua, & multa quidem inuoluta sunt, quæ partim opus est digerere, partim euomere: quare explanabimus aliqua, & quid verosimilius sit, decernemus. In primis Philonis & Suidæ assertum imputantium Abrahamo inuentionem literarum iam reiecimus; quare & sententia integra, cuius altera portio de Hebraicæ locutionis inuentu ad Moysem potiùs restringenda est. Similior siquidem vero videtur Theodoreti cogitatio, quam rigidâ nunc staterâ expendemus. Multa enim multi pro Hebraicæ linguę senio & primatu, haud solidè aggerunt: multôsque pro eodem sensu Patres laudant. Deinde non videntur omnibus Hebraico idiomate facta eloquia auspicata, quod Theodoretus supponit: sed facilè hoc cæmentum permonstrabimus tutum.

CAPVT II.

Quo idiomate cœpta primùm scribi Scriptura sancta?

ANTEQVAM ad alia transmittamus sermonem, breui exponendum quâ linguâ exordium sacra sumpsit Scriptura. Et quidem cùm librum Iob imputauerimus authori Moysi, eorum opinionem expulimus, qui primùm lingua Arabica Deum scriptis locutum, dixerint: Quapropter Arabicum siue Idumæum idioma exclusum ab hac inquisitione manebit. Non enim eum librum Iob Idumæus scripsit alphabetariis elementis: imò non ille scripsit, vt iam præmisimus, sed Moyses. Quod si daremus tot labores appinxisse Iob Hieraticis, aut Sinensium literis similibus, atque à Moyse iis commentariis vso historiam Iob digestam in scripta alphabetaria, non sequitur Arabica, aut Syra lingua Iob scripsisse. Nam Hieraticæ, & Sinenses literæ non comitantur linguam, cùm eas possint intelligere ij qui diuersissimâ Dialecto vtantur; cùm ars eiusmodi scribendi nihil habeat commune cum arte loquendi, & modo pronuntiandi. Hoc nunc accidit Sinensibus, inter quos ij qui minimè communem linguam habent, communem habent scribendi rationem, quique se loquendo intelligere nequeunt, intelligunt scribendo, eorum quippe literæ non sunt signa vocum, & pronuntiationis, sed rerum; res autem omnibus communes sunt iis, quibus voces non sunt. Itaque scriptio huius, vel illius peculiaris linguæ solùm potest dici scriptio alphabetaria, non Hieratica. Reiectâ igitur Arabicâ Dialecto, lis inter Chaldaicam & Hebraicam potissimùm constringitur: vtrâ scilicet linguâ Moyses scripserit. Philo Iudæus libro de vita Moysis secundo scribit Dei legem ab initio scriptam Chaldaica lingua: *Lex*, inquit, *antiquitus scripta fuit linguâ Chaldaicâ, mansitque longo tempore in ea.* Nescio vnde hoc accipi potuerit nisi hoc indicio: duxisse scilicet Hebræos à Chaldæis originem. Chaldæus siquidem Abraham fuit, quare linguam suam advsque Moysem in posteros transfudisse verosimile censuit, aut potuit existimare eâ linguâ cœptam meritò Scripturam diuinam, quæ infusa fuit diuinitus hominibus, atque hanc fuisse Chaldæam omnium linguarum antiquissimam, & primam iuxta plurium existimationem. Credo tamen latè locutum Philonem & Chaldaicâ voce Hebræam linguam denotasse, quam Chaldaicam nuncupauit. Tum quia Hebræi, Chaldæi aliquando fuerunt, tum quia essentialiter, vt inquiunt, eæ linguæ non discernuntur: atque ideò S. Hieronymus in caput Danielis primum, Philonem explicuit, vt pro Chaldaica intellexerit Hebraicam linguam. Et alioqui substituit sæpè Philo nomen Chaldaicum pro Hebraico. Præterea quoniam Græcis notius erat Chaldæorum nomen, illud potius notauit: idcirco in libro de Abraham, & aliis locis nomina Hebræa exponens, vocat etiam Chaldæa: nisi fortasse censuit septuaginta Interpretes, de quibus loquitur, transtulisse in Græcum sacros libros ex Chaldaico exemplari, non Hebraico, quemadmodum Rabbi Azarias scribit & Philonem interpretatur, eum pariter, & quidem iure notans ignorasse vtramque linguam, & Chaldaicam & Hebraicam, quod facilè colligi potest ex nominum Hebraicorum interpretatione, de quibus multa philosophatur, præsertim in libello de mutatione nominum. Deniquenon solùm Philo, sed alij huius temporis authores, vt idem Azarias obseruat

Chaldaicum

Chaldaicum cum Hebraico confundebat, & sæpissimè permutabant. Alia quæ obijci possent de antiquitate Chaldaicæ locutionis sequentibus quæsitis respondemus. Certum itaque esto Hebræâ linguâ Moysem scripsisse legem: nam & Hebræis illam scripsit, & non constat ex Chaldaico in Hebræum translatam, sed potiùs ex Hebræo in Chaldæum sermonem, quod non Onkelus primus id fecit, sed in captiuitate Babylonica.

CAPVT III.

An ante diluuium fuerint multæ linguæ, aut post diluuium ante ædificium turris Babylonicæ?

SEQVITVR nunc examen primæuæ omnium linguæ, ipsique coæuæ humano generi: anceps fortasse inquisitio quæque vix explorari potest, nisi fortasse iuxta Theodoreti placitum de reuelata, aut data Moysi lingua Hebræa, aut saltem restaurata, tunc singulari prouidentiâ, vt actus priscorum Patrum narrarentur; sed opportunè ad ea, quæ postea dicturi sumus præmittenda est. Etenim incerta & dubia mihi sunt, quæ pro primæ principatu locutionis instantur. Priùs obiiciam aliorum difficultates circa hoc quæsitum, & meum iudicium interponam. Si ante turrim Babelicam multæ in vsu hominum linguæ fuissent, incertum esset, an ea, quæ penès illos maneret, qui insano ædificio assensum abnuissent, esset prima. Quid si aliqua linguarum varietas ante diluuium accidisset? mirum nisi accidisset: mirum tot sæculorum excursu inuariatam indecisámque dialectum primam perstitisse in tanta humani generis multitudine, & populorum varietate, cùm maximè si nullis vt præstruximus libris alligara linguæ alicuius puritas perennaret, cùm modò videamus penè ad centenum quemque annum linguas variari, quod postea magis confirmabimus. Si hoc ita venisset vsu, vnde constaret primæua dialectus? Post diluuium autem ante constructionem turris, linguarum aliquam multiplicitatem præcessisse, Catholicum Philastrius censuit in hæresum catalogo capite secundo supra centesimum, asseuerantes credendum esse asserens etiam ante ædificationem Babel multis sæculis plures fuisse sermonum, ac linguarum varietates, quarum scientiam omnes homines ex Dei dono vsque ad turris constructionem, & linguarum confusionem habuerunt. Quod autem loco citato dicatur terra fuisse labij vnius, & sermonum eorumdem, ideo dictum putat, quia etsi plura essent genera linguarum, omnes tamen se inuicem intelligebant, eratque omnibus lingua vna, & sermo idem, non secundum eundem vocabulorum vsum, sed secundùm eandem sensuum intelligentiam: suam opinionem confirmat Philastrius ex Gen. cap. 10. in quo antequam Moses Turris ædificationem in cap. 11. eiusdem Gen. describere inciperet, ait, à filiis Iaphet diuisas esse insulas gentium in regionibus suis secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis.

Non magnum ista mihi negotium facessunt: puto enim ante confusionem Babylonicam vnitatem locutionis sic perennasse, vt nulla notabilis linguæ varietas intercederet. Nam etsi ante diluuium non sit religiosè tenendum indiuisam fuisse locutionem, & satis temporum, satisque gentium fuerit, vt multiplex varietas loquendi introduceretur, tamen longæuitas hominum in causa fuit, vt inconcussa, saltem non notabiliter quassata eadem lingua perstaret. Quod si homines exiguæ vt nunc ætatis fuissent, multiplicia proculdubio idiomata enata tunc essent, aut saltem puritas eloquij primi degenerasset, sicut multæ Europææ nationes, & nostra Hispania sunt expertæ, idque opportunè postmodum explanabimus.

Philastrij autem existimatio firma non est, quam potius Alphonsus Castrensis hæreseos criminatur: quia Moses apertissimè docet ante Babel extructionem vnicam tantùm fuisse linguam, dum inquit: *Erat autem terra labij vnius*, & sermonum eorumdem. Et dum post pauca addit: *Ibi* (id est, in ædificatione Babel) *confusum est labium vniuersæ terræ*, hoc est, tunc primo diuisum & varium, multiplexque esse cœpit, quod antè indiuisum, vnum, simpléxque fuerat. Equidem Philastrium hac in re deceptum esse negare non auderem: Siquidem sacra Scriptura apertissimis verbis, loco notato docet vnam fuisse omnium linguam ante extructionem Babel; & patet etiam ex ipsis verbis Dei paulò pòst in eodem capite subiunctis, vbi loquens de filiis Adam fabricantibus Babel, inquit: *Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus.* Et inferiùs subdit: *Venite igitur, descendamus, & confundamus*

mus ibi linguam eorum,vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Ergo illud vnum labium, quod prius idem erat omnibus, posteà fuit diuersum,ac confusum. Ita Chrysostomus, Augustinus,& alij Patres censent. Quæ autem pro suo sensu produxit Philastrius ex decimo Geneseos capite,per anticipationem dicta sunt censenda. Etenim iuxta Tichonis regulam diuinæ Scripturæ mos est aliqua per anticipationem narrare, vt scilicet antequam facta fuerint quodammodo & perfunctoriè narrentur, vt posteà suo ordine res

Lib.16. de Ciuit.cap. 14. quæque gesta latiùs describatur. Idem docet S. Augustinus sic scribens : Cùm ergo in suis linguis istæ gentes fuisse referantur,redit tamen ad illud tempus narrator,quando vna lingua omnium fuit,& inde iam exponit,quid acciderit, vt linguarum diuersitas nasceretur. Et erat,inquit,omnis terra labium vnum,& vox vna omnibus,&c.

CAPVT IV.

An omnes homines affuerint ædificationi turris Babylonicæ, & eius ædificio Noë consenserit?

PROCEDAMVS ad alia. Si omnes homines affuissent ædificationi turris, vt non vnus Caietanus censuit, penès hos videretur antiqua lingua resedisse. At qui fuerint hi homines, & vbi, nescitur. Heber autem à quo genus fluxit Hebræum, putarunt aliqui consensisse ædificationi. Quapropter confusionem propriæ linguæ passum. Porrò defuisse plures Babylonico ædificio, quidam ex eo suspicantur; quoniam Occidentem habitaturi minimè opus habebant mouere suas sedes Orientem versus,rursúsque ad Occidentem,vbi campus Senaar iacebat,discedere. Et quidem Sibyllinum oraculum productum à Iosepho,non omnes in molem insanæ turris venisse præcinuit: Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ. οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν, καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. Id est, *Cùm omnes homines eiusdem linguæ vsum haberent,quidam eorum turrem ædificarunt altissimam,quasi per eam cælum essent ascensuri. Dij verò immissis ventis,turrem euerterunt,& linguam cuique peculiarem & propriam dederunt, à quo euentu ciuitas Babylō est vocata.* Alij id colligūt ex Cantico Moysis,vbi ait: *Constituit terminos populorum iuxta numerū filiorum Israel,*quibus verbis declarasse putant duodecim

Deut.32. tantum homines fuisse ex singulis linguis, quæ confusæ, & distributæ sunt in dispersione Babelis. Sic censuit Caietani Scholiastes in congerie illa hominum,quæ dissipata fuit propter linguarum confusionem: Ex vnaquaque lingua duodecim dumtaxat homines fuisse interpretatus huiusmodi Cantici verba , constituit numerum populi cuiusque in propria lingua iuxta numerum filiorum Israël,siue filiorum Iacob,qui duodecim extiterunt. At si non plures passi essent linguæ confusionem,testasse necesse est alios plures cum primitiua loquela. Saltem Noe vir sanctissimus non videtur fabricæ illi affuisse,nec affauisse. Philo in Antiquitatibus Hebraicis scribit iam mortuum; sed fallitur, sicut & in tempore ipso confusionis,quod ad tempus Abrahæ refert. Protraxit enim Noë vitam ad multos vsque annos post confusionem linguarum; nam capite nono Geneseos dicitur: *Vixit autem Noe post diluuium trecentis quinquaginta annis*, quo tempore multa inter mortales vidit, fleuitque hominum flagitia. Vidit turrim Babel; vidit idololatriam inualescere; vidit posterorum suorum cum prima Assyriorum monarchia plura & horrenda bella, & Ninum educentem in aciem equitum ducenta millia, peditum decies septies centena millia aduersus Bactrianorum Regem Zoroastrem,qui sub signis habebat quadringenta millia,hæc mala potiùs deploraret Noë, quàm foueret.

Credo nihilominus cum Iosepho, Aben Ezra, Abulensi, Pereira, Cornelio, Delrio, Bonfretio, atque Tirino affuisse Noë turri Babelicæ ædificandæ cum alijs viris piis, qui omnes ædificium illud iuuarunt, sed bono vtique animo: plures eius structuræ non mali fines præstitui possent, vt turris illa vndique omnibus conspicua pro specula seruiret, pro loco publici commercij,pro directione itineris,cùm singulæ familiæ ad regionem destinatam discederent pro communi memoria; quoniam inde genus humanum discerpendum esset, pro communi denique ornatu, & gloriâ. Omnes igitur homines , qui tunc erant in Armenia cum Noë egressi sunt in Sennaar, hoc est, Babylonicum campum , quasi in meditullium orbis terrarum, vt inde commodius quaquauersum illos dispergeret,& circumquaque

quaque sibi inuicem vicini essent. Oportuit solemniter fieri hanc dispersionem, ipsoque Noë præsente, qui vt sanctus Epiphanius in Anchorato scribit, iureiurando filios adegit se verum Dei cultum, & mutuam concordiam seruaturos.

Quæ de Sibylla produxit Iosephus minoris momenti mihi sunt, cùm polytheismum eius verba contineant. Quæ vaticinia nequaquam sunt, cùm omnes Sibyllæ authenticæ post diluuium multò sua oracula profuderint: potuit itaque quicumque illam enarrauit historiam è suo cerebro effutiisse. Deinde cùm constringat ædificatores turris ad aliquos dumtaxat, non ad omnes extendat mortales, intelligi possunt ij, qui prauo fine insano illi ædificio operam nauabant, hi aliqui erant, non omnes; omnes tamen adfuerunt, & iurarunt; quidam bono, quidam & plures malo fine.

Expositio autem illa Mosayci Cantici insulsa quidem & frigida est, exigui quippe ponderis est ea coniectura, duodecim dumtaxat viros in singulis populis & linguis tunc fuisse. Mirum quidem tam paucos tunc homines dispertitos: nam etsi variè numerus eorum cõputetur, non intra illas angustias humanum genus coarctatum ausum esset insanum illud ædificium aggredi, cui maior operariorum vis necessaria erat. Quamuis enim daremus quod liberaliores concedunt in septuaginta quinque linguas orbem diuisum, factâ hinc supputatione singulis linguis duodecim homines continentibus vsque ad nongentos dumtaxat tota mortalium multitudo assurgeret. Quid si, quemadmodum mox videbimus, in quinquaginta quinque dumtaxat linguas ea dispersio facta fuerit, solùm sexcentos, & sexaginta homines comprehenderet mortalium genus. Hæcce exigua manus prorsus insaniret si immane illud ædificium ad cælum vsque cogitaret. Plinius scribit vnam solum Pyramidem Ægyptiorum trecenta sexaginta sex hominum millia construxisse, quo pacto tanto minori hominum numero, tanto maius opus tentatum esset?

CAPVT V.

Non fuerunt septuaginta duæ linguæ diuisæ, nec totidem posteri Iacob Ægyptum ingressi.

LYRANVS, Haymo, Abulensis, Titelmanus, & alij mollius videntur sibi verba Moysis ita exponere, cùm Iacob descendit in Ægyptum omnes animæ de domo eius fuisse septuaginta, & iuxta hunc numerum filiorum Israel Deus populorum terminos constituit. Diuisas enim gentes post diluuium in septuaginta duos populos communis fert opinio cum sancto Augustino dicente: *Ex illis tribus hominibus filiis Noe septuaginta duæ gentes: totidémque linguæ per orbem esse cæperunt.* Id ipsum affirmant Sanctus Hieronymus in caput Matthæi sextum, & vigesimum, Epiphanius in Panario, Prosper libro de vocatione gentium secundo. Tum sanctus Isidorus, S. Eucherius, & Albinus. Porrò vt numerum integrum expleant authores aliqui huius interpretationis addunt: cum nepotibus Iacob natis in Ægypto ex Ioseph, Ephraim scilicet, & Manasse, septuaginta duos similiter esse ex familia Iacob. Hoc quoque interpretamentum in pluribus peccat, tum quia contextui Cantici quadrare ægrè videtur, vt ex dicendis constabit: nullum sic notandum beneficium Dei erga Israeliticum populum significaretur. Tum quia numerum filiorum Israel, qui duodecim fuerunt protrahit ad nepotes, & omnem familiam. Tum, quod præcipuum est, nec numerus ille, siue septuaginta, siue septuaginta duo, fuit filiorum, seu nepotum Iacob, neque diuisorum populorum, aut linguarum, quod facilè nunc demonstrabo. In capite enim quadragesimo sexto Genesis sic de numero posterorum Iacob dicitur: *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore eius absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex.* Non ergo septuaginta duo filij & nepotes Iacob; mox computans omnem numerum familiæ Iacob cum ipso Iacob, & Ioseph, qui iam in Ægypto erat, & duobus Ioseph filiis Ephraim, & Manasse, subdit sacer textus: *Filij autem Ioseph qui nati sunt ei in terra Ægypti animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum septuaginta.* Notantes hîc dictum omnes animæ domus Iacob, non filiorum, & nepotum Iacob; nam

filij & nepotes quantumuis computarentur Ioseph, Ephraim, & Manasses, non essent nisi sexaginta nouem: tota autem domus Iacob, computato ipso Iacob continebat septuaginta viros. Sic obseruauit Hieronymus in traditionibus Hebraicis: *Sexaginta sex*, inquit, *animæ cum Iacob ingressæ sunt, & reppererunt in Ægypto tres animas, Ioseph scilicet, & duos eius filios; septuagesimus autem ipse fuit Iacob.* Insignis igitur lapsus est dicere familiam Iacob additis Ephraim, & Manasse fuisse septuaginta duo; nam etiam iis additis non fuerunt nisi sexaginta nouem posteri. Erroris occasio fuit quod in capite primo Exodi non ita explicatè dicatur: *Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore. Iacob septuaginta, Ioseph autem in Ægypto erat.* Vbi pro more scripturæ proponitur numerus rotundus & integer, septuaginta scilicet pro sexaginta nouem; sicut in nono Iudicum capite dicuntur septuaginta filij Ierobaal ab Abimelech interfecti, cùm tamen huic numero deessent duo; ipse nimirum Abimelech, qui eos interfecit, & Ioathan natu minimus, qui euasit. Pari lege dicuntur septuaginta filij, & posteri Iacob, cùm ingressus est Ægyptum, etiam si dumtaxat essent sexaginta nouem. Computaris quoque Ioseph, & eius filiis, quod authores illi non cogitarunt, obliti fortasse eorum quæ in Genesi dicta fuerant. Ideirco addiderunt filios Ioseph, qui iam in calculis erant additi. Quod si consideremus numerum à septuaginta Interpretibus conscriptum, & à sancto Stephano capite septimo Actuum Apostolorum commemoratum, non derogabit nobis. Assignant septuaginta quinque. Quoniam cum ipso Iacob numerant Machir filium Manassis, & Galaad eius nepotem, tum Sutalaam, & Iaam filios Ephraim, ac nepotem Edem qui fuit filius Sutalaam. Adduntur hi, quoniam nati sunt superstitibus adhuc Iacob, & Ioseph, descensúmque Iacob, & ingressum in Ægyptum extendunt vsque ad mortem Iacob, & Ioseph, quemadmodum notauit Augustinus dicens: *Introitus Iacob in Ægyptum, quando eum in septuaginta quinque hominibus scriptura commemorat; non vnus dies, vel vnus annus, sed totum illud est tempus, quamdiu vixit Ioseph, per quem factum est, vt intrarent.*

Act. 7.

Lib. 16. de Ciuit. cap. 40.

Sed neque numerus dispertitarum linguarum & populorum septuaginta duo fuerunt: quamuis enim in capite decimo Geneseos septuaginta duo viri nominentur, & enumerentur, à quibus diuisæ sunt gentes, nimirum quatuordecim ex filiis Iaphet, & triginta vnus ex Cham filiis, & viginti septem ex filiis Sem, cum Cainam; quem tamen textus Hebræus & Latinus non numerant, tamen demenda inde sunt nomina Patrum, cùm Patres non struxerint diuersam à filiis familiam; iis ergo demptis, & Cainam, si velis, restant duntaxat quinquaginta quinque filij, à quibus singulis singulæ nationes exortæ fuêre, cùm in Babylonica dispersione propriam linguam sunt sortitæ. Quod latè & eruditè noster Pererius in Commentariis super Genesim disseruit. Cui considerationi addi potest, non omnes fortasse familias diuersam fuisse linguam sortitas; namque vndecim familiæ & gentes ex vndecim filiis Chanaan, quæ in Chananæa remanserunt, vnâ dumtaxat linguâ Chananitide fuisse vsas tradunt non ineruditi. Nimium quippe videtur vni Chananææ vndecim diuersas linguas accidisse. Quin multi præterea fuerunt, qui adhuc numerando patres & filios non consentiunt numero septuaginta duo; Alij malunt fuisse septuaginta dumtaxat; Alij septuaginta duo; Alij septuaginta tres; Alij septuaginta quatuor.

CAPVT VI.

Explanatur locus Deuteronomij 32.

Deut. 32.

RELIQVVM est, vt sensum Mosaicæ sententiæ explanemus: *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel:* Origenes & S. Hieronymus hærent Septuaginta lectioni: *Constituit terminos populi iuxta numerum Angelorum Dei.* Sicque non opus habent concordare numerum populorum cum filiis Israël. Rupertus ad hunc modum exponit: *Constituit terminos populorum*, id est, statuit, vt duret genus humanum, & durent populi iuxta numerum filiorum Israël, id est, donec impleatur numerus electorum, qui appellantur filij Israël. Verùm istæ expositiones non omnino stylo Cantici quadrant, vbi sermo est de beneficiis à Deo in Israëliticum populum collatis, quibus tamen ipse populus extitit ingratus, ac proinde peculiaris aliqua

diuinæ prouidentiæ beneuolentia erga Israëlitas videtur his significata verbis,& partim cognita ab ipsis Israëlitis, & à patribus in filios per traditionem transmissa eius memoria velut rei præteritæ, quod indicant illa verba quæ præcedunt: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos; & dicent tibi, &c.* Eâdem causâ non amplector Glossæ interlinearis & nostri Sebastiani Barradæ interpretamentum, qui hyperbolicè hoc dictum censet, atque hoc modo elucidat: Constituit Deus terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël, hoc est, plurimis populis constituit plurimas regiones, in quibus habitarent, ita vt numerus populorum esset tantus, quantus est personarum in vno populo Israëlitico; fecit populos iuxta numerum filiorum Israel, id est, quàm plurimos, quemadmodum quàm plurimi sunt filij Israël, nullum tamen ex aliis populis elegit, sed elegit populum Israël. Est autem hyperbolicus hic loquendi modus, quia multò plures erant personæ filiorum Israël, quàm gentes & populi in orbe terrarum. Verba Glossæ interlinearis hæc sunt: *Hyperbole est, id est, tot constituit singulas gentes, quot erant singulæ personæ in populo Israel, &c.*

Propiùs veritati Caietanus & Iansenius censuit constitutos terminos populorum, hoc est, Chananæorum iuxta numerum filiorum Israel, id est, vt postulabat numerus futurus Israëlitarum, qui habitaturi erant regionem illam. Magnum fuit beneficium, & prouidentia Dei erga Hebræos, cùm Deus populos per orbem diuidebat, populis Chananæorum tam latos dedit terminos, quàm latos poscebat habitatio filiorum Israël. Illis enim statuerat regionem illam donare, & veluti filiis de habitatione prouidebat. Proximus tamen vero Arias Montanus caleulat duodecim populos Chananæorum, exponitque hoc pacto. Constituit Deus terminos populorum, id est, Chananæorum iuxta numerum filiorum Israel, quia filij Iacob duodecim fuerunt, populi Chananæorum totidem. Numerantur autem Genes. 10. vndecim filij Chanaan, Sidon, Hethæus, Iebusæus, Amorrhæus, Gergezæus, Heuæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, Amathæus, si Patrem quoque numeres, duodecim fiunt. Verum Patrem Chanaan non censeo numerandum, quoniam non constituit diuersum populum à filiis, ac proinde vndecim tantùm eius filij componendi sunt cum vndecim filiis Iacob, inter quos terra Chanaan diuidenda erat; nam licèt filij Iacob duodecim fuerint, vnus non accepit hæreditatem, nec partem in Chanaanitide, nimirum tribus Leui, ac proinde vndecim manent filij Israel (quamuis Ioseph duas partes sit sortitus) inter quos diuisa fuit terra Chanaan, hoc est, vndecim filiorum Chanaan. Hanc censeo fuisse analogiam, quam hoc loco subnotauit Moyses: neque huic obstat expositioni posterioribus temporibus tantùm notari septem Chananæorum populi. Nam anteà cùm constituit Dominus terminos populorum, vndecim fuerunt, idcirco numerati sunt in diuisione populorum vndecim filij Chanaan totidem populorum capita.

Non obinde nego singulis populis constitutos tutelares Angelos, sed hi constituuntur iuxta numerum populorum, vtcumque ad probandam Angelicam custodiam populorum, & prouinciarum vtuntur multi Patres interpretatione Septuaginta. Sanctus Dionysius Areopagita libro de cælesti Hierarchia: Sacra (inquit) Scriptura Michaëlem Principem Iudaicæ gentis appellat, & alios cæterarum nationum. Statuit enim Altissimus terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei. Sanctus Epiphanius: Regna (inquit) & gentes sub Angelis positæ sunt, vt testatur Moses: Quando diuisit Altissimus gentes, velut dispersit filios Adam, constituit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei. Sanctus Hieronymus etiam in caput Danielis septimum: Quatuor (inquit) ventos cæli, quatuor arbitror Angelicas potestates, quibus principalia Regna commissa sunt, iuxta illud, quod in Deuteron. legimus: Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei. De cæl. Hier. c. 9. In fine hæresis 51.

Hæc quæ diximus sic intelligenda sunt, vt non vnum duntaxat Angelum, sed multos, imò exercitus Angelorum constitutos singulis populis à Deo credamus: Nam præter vnum Angelum præfectum cæteris, & Archiducem aliorum, multi alij ciuitatibus, & collegus, & aliis publicis locis, imò personis eius prouinciæ cõstituuntur custodes, ita vt exercitus Angelorum cuique populo velut Præsidiarij milites adsint, quod obseruauit Euthymius quoque in hoc canticum sic interpretatus: Constituit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei, eorum scilicet Angelorum, qui ordinati sunt, & cõstituti, vt gentibus præessent, &c. Adducit aliam interpretationem, quæ huiusmodi est: Constituit Deus terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei, quia vnicuique populo exercitum multorum Angelorũ attribuit, vt eum protegat: vel, inquit Euthymius: Deus Angelorum

Ioann. Euseb. de Origine S. Script. T 2 exercitus

exercitus per loca & regiones disposuit, vt malignas Dæmonum potentias coercerent. Nam nisi hoc factum esset præ inuidia fortasse malignus Dæmon vniuersos iam homines perdidisset. Hoc ipsum colligitur ex capite trigesimo secundo Genesis, vbi de Iacob dicitur: *Fuerunt et obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra.* Hi Angeli, vt potissimi interpretes volunt, erant custodes Chananææ, duce eorum, vt Theodorus Tarsensis ait, sancto Michaële. Habuerat Iacob aduersus Laban tutelares Mesopotamiæ Angelos propitios, qui incolumem illum vsque ad Chananæam deduxerant. In confinibus autem Chananææ cis Euphratem occurrit illi noua Angelorum cohors ex custodibus Chananitidis, quæ illum aduersus fratrem defenderet, vbi maius erat discrimen. Idcirco Iacob conspiciens binas Angelorum turmas, & castra aliorum redeuntium in Mesopotamiam, aliorum excipientium se in terra Chanaan appellauit locum illum *Mahanaim*, hoc est, bina castra Dei.

CAPVT VII.

An extet nunc lingua Paradisi, & communis ante diluuium?

RESTITVAMVR nunc promissæ quæstioni de linguarum principatu. Quæramus primùm an aliqua cæteris tempore antistet, deinde perquiremus, quænam illa sit. Et quidem Philippus Cluuerius libro suæ Germaniæ primo sub capitis octaui finem, non solùm Hebraicam dialectum omnium inficiatur primam, verùm opinatus est primam illam à Deo infusam homini linguam nullibi iam apparere, nec vnquam apparituram, nisi in futuro sæculo. Sed hoc non demonstrat, & aduersus eum Hadrianus Scrieckius secundo aduersariorum libro egit capite vndecimo. Negat quidem Cluuerius Hebræi idiomatis primatum, quoniam à prima lingua cæteras deriuandas censet, ac proinde contracturas inde multas voces, quæ saperent originem suæ matricis, quod in Hebræa non reperit. Verùm hanc dignitatem alij venerantur in dialecto Hebraica, vnde plurium nominum deducunt etyma, & *linguarum linguam* appellant. Sicut & sanctus Hieronymus *linguarum matricem*. Præterea cùm idiomatum multiplicitas non naturali humanarum rerum cursu acciderit, sed per subitam diuinitus impressionem nouorum habituum deleto antiquo, non erat necesse reliquias primæ dialecti retinere. Liberum quippe Deo fuit à quo illa cōfusio venit, diuersissimas prorsus dispergere humanis mentibus species vocum. Satius primææuæ linguæ abolitioni, & interitui fauerent, qui modernam censent linguam Hebræam ab Abraham, vel Moyse inchoatam, quos postea referemus; quapropter si Hebraica lingua senior omnibus non est, videtur in Babelica linguarum confusione antiquum eloquium extinctum, cùm maximè omnes mortales, vt iam diximus, ædificandæ turri affuerint, & assauerint. Verùm posteà dispiciemus processum Hebraicæ locutionis quem à turris ædificio explanabimus. Neque fini confundendarum linguarum obstare potuit pristinam ante diluuium dialectum in aliquibus resedisse, iis scilicet, qui non malo animo in Babel desudarunt. Quapropter interim examinare libet, quænam superstes potuit esse lingua post diluuium, quæ antea effloruit omnium prima. Prose habet præiudicium nominis Heb aica, quæ ab Heber, id est, trans, seu transiens sic dicta, posset existimari quoniam ea fuerit, quæ vnicè transierit diluuium & Babylonicam confusionem, cuius scilicet dialectus tempore ante ædificium turris communis ab eo, adusque posteriora tempora Israëlitarum pertransierit: Adrianus Scrieckius propterea dici vult eiusmodi quasi vlteriorem linguam. Verùm integrum hoc relinquamus, quoniam postmodum alia placebit eius appellationis ratio.

CAPVT VIII.

An lingua Togormana fuerit omnium prima?

LINGVARVM principatum multi controuersum reddiderunt Hebræis. Multa cumulat Goropius Becanus vir magni, sed infortunati ingenij, vt deroget Hebraicæ antiquitati, & senium suadeat linguæ Togormanæ, siue Scythicæ, siue Phriygæ, siue Cymbricæ, siue Ascaniæ tot nominibus eandem linguam notat, quà locuti sunt

ſunt Phryges. Imitatus eſt Gotopium, ſed minus auſus Adrianus Serieckius pro eiuſdem linguæ antiquitate ſatis deſudans. Quamuis hæc ſententia antiquior ſit, & plurium omnium ſcilicet Ægyptiorum iuxta narrationem Herodoti, qui in Euterpe ſua hæc habet *Ægypty priuſquam apud eos regnaret Pſammetichus omnium hominum ſe priores extitiſſe arbitrabantur: verùm Pſammeticho regnum adepto, cùm inceſſiſſet cupido noſcendi, quinam primi hominum extitiſſent, ex eo tempore putauerunt Phrygas, quàm ſe priores extitiſſe, ſe verò quam cæteros. Enimverò Pſammetichus, vbi ſciſcitando quinam primi hominum extitiſſent, nullum exitum inuenire poſſet, huiuſmodi rem machinatur. Pueros duos ex humilibus parentibus recens natos, tradit paſtori inter pecora educandos, hunc in modum iubens neminem coram eis vocem vllam edere, ſolitaria in caſa ambos ſibi ipſi relinqui, eiſdem in tempore capras admoueri, vbi lacte expleti forent, alia adminiſtrari. Hæc ideò faciebat, iubebatque Pſammetichus, quod cuperet ex pueris, vbi inarticulatè vagire deſiſterent, audire, ſiqua vox prima erumperet, prout & contigit. Nam vbi bimatus exactum eſt tempus, paſtori qui hæc adminiſtrabat aperienti ianuam, atque intranti, ambo infantes porrectis manibus procidentes* Bec *clamabant. Quod primò audiens Paſtor, obticuit. Cùm verò crebriùs adeunti, & obſeruanti idem verbum frequentaretur, ita demum re domino indicatâ, iuſſus ab eo pueros attulit, exhibuitque. Quos cùm & ipſe Pſammetichus audiſſet, percontabatur, quinam homines beccus quippiam appellarent. Hac percontans, comperit Phrygas ſic panem appellantes. Tali negotio urgumentati, Phrygas ſe priores extitiſſe Ægypty conceſſerunt. Quod ita actum eſſe equidem ex Sacerdotibus Vulcani, qui ſunt Memphi, audiebam. Græci tamen alia multa, & inepta memorant. Pſammetichum pueros educandos curaſſe apud mulieres, quarum linguas præcidiſſet.*

Hanc narrationem non meram fabulam, ſed doctrinam ſapientium Ægyptiorum, qui inuolucris ſacris omnia ſimulabant cenſet Becanus in ſuis Indoſcythicis. Non vana, inquit, hæc eſt fabella, ſed de vera nata hiſtoria. Primam enim mundi poſt diluuium ætatem infantium nomine ſignificabant Ægyptij, atque eorum linguam illam fuiſſe, in qua *Bec* panem notaret. Neque enim hoc voluerunt homini à natura ſermonem datum fuiſſe, quod abſurdum ſit de Ægyptiorum doctrina ſuſpicari, ſed primam mundi infantiam hac linguâ vſam eſſe. Apuleius idem videtur notaſſe, cùm Phrygas appellauit Primigenios Eiuſdem meminit Claudianus ad hunc modum canens:

Nec Rex Ægyptius vltrà
Reſtitit, humani poſtquam puer vberis expers
In Phrygiam primum laxauit murmura linguam.

Plato quoque dum primam omnium linguam quæreret, confeſſus eſt Græcos plurimas mutuatos eſſe voces à Barbaris, quibus illæ deberentur, & Phrygas potiſſimum nominauit. Fulcrum huius opinionis primum eſt Iaphetum, & Gomer, atque alios Iapheti poſteros, qui Europam, & Septentrionem habitaturi erant non affuiſſe turri Babylonicæ; atque idcirco confuſionem linguæ propriæ minimè paſſos, retinuiſſéque priſcam, & vnicam linguam, quæ ante diluuium inter omnes mortales vnius labij vſitata fuit. Alterum argumentum antiquitatis Cymbricæ dialecti eius ſimplicitatem producunt; ea enim quæ ſimpliciora ſunt, priora ſunt. Deinde ſuam exiſtimationem fulcit Becanus, deducens omnia ſacræ Scripturæ nomina à lingua Cymbrica. Adam dicit ſignificare *Odium aggeris*, quoniam homo ſit, quaſi quidam agger tentationum, & inuidiæ fluctibus obiectus. Eua *ſæculi vas*, quoniam in prima femina principium omnium ſæculorum ſit conceptum. Abel *odium belli*, nimirum à Caino fratre ſibi illati. Cain *matus finis*. Mathuſalem *ſalua te*, nimirum ab inſtante diluuio. Henoc *Iuramentum* Dei, ſcilicet cum hominibus. Noë *contentum reddo*, ſiue *quieto*, quò reſpexiſſe videtur Lamech Pater Noë, cùm in natiuitate illius dixit: *Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum.* Prolixè in ſimilibus antiquorum nominum Etymis deſudat, ſicut etiam Serieckius, qui Hebraica nomina Cymbricè exponens in ſecundo ſuo indice miſcello: *Iacob* ait, vel *Iacof*, ita enim quoque legitur Scythis eſt *I-hack-of*, id eſt, qui à Sylua inferiori: interpretibus dicitur ſupplantator, vel calcaneus, aut planta, vel veſtigium. Et de Abraham; Abraham abſ-rah-am, Scythis ſonat, ſeparata rupes contermina, Francicè, *le Rocher voiſin ſeparé*. Sed figuratè interpretatur *pater multorum excelſorum*; qui vt rupes eminens, & conſtans inter alias altitudines, inter excelſas gentium multitudines conſtanter offerretur. Neque ſuffecit ei etyma quærere à ſacris omnino aliena, etiam quod miror, quædam quæ in ſacris aſſignantur, vult omnino eſſe inconuenientia, atque de etymo nominis Iacob locutus: *Abſit*, ait, vt à ſupplantatione ſanctus Patriarcha nomen habeat. Tandem concludit Becanus: *Non video, quinam defendi queat eorum aſſertio, qui Hebraicam linguam omnium primam eſſe contendunt, cùm nulla ſit*

pluribus difficultatibus implicata nulla plus habeat ambiguitatis, nulla profundiorem caliginem; adeò vt in eius abyssis perscrutandis non Delio natatore, sed Delio vate frequenter opus esse videatur. Hinc tanta interpretum eius discordia, tot obscuræ, incertæque de verborum, orationúmque intelligentia coniectura, quas qui compendio nouisse volet, Lexica ipsorum consulat, in quibus paucas voces videbit vnius dumtaxat notationis. Plura dat liberaliter verba, quæ solido non statuit cæmento, quæque pro antiquitatis palma Cymbricæ linguæ aggerat, parum firma video; nam absentiam Iapheti, & eius filiorum ab ædificanda turri Babelica iam retrusimus, cùm omnes tunc temporis mundi accolæ turris Babelicæ ædificio tulisse opem suffragari fuimus. Quin & sacer Textus capite Geneseos decimo, postquam Iaphetum, eiúsque posteros, vnà cum Sem & Cham, horúmque progeniem numerasset, addit, ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium, quod intelligunt omnes sacri interpretes in confusione Babylonica accidisse. Et inde colligunt numerum diuisarum linguarum, computatis quoque Iapheti posteris. Quod autem de simplicitate linguæ iactatur, non puto primitiuæ linguæ indicium esse: nam & Sinensium lingua simplicissima est, non tamen omnium prior.

CAPVT IX.

Ex lingua Arabica deriuationes Hebraicorum nominum.

NEQVE vim ingerit quod de etymis Cymbricis laborauit Becanus, nam coacta sunt, & congruentiora in Syriaca, & Hebraica dialecto reperiuntur, nam in omnibus nominum propriorum, quæ sunt in Scriptura, deriuationibus quis non videt, quanto felicior sit lingua Hebræa quàm Cymbrica? dum אדם *Adam* ab אדמה *adama*, id est, terra, קין *Cajin* à קנה *Kana*, id est, possedit, נח *Noah* à verbo נוח *nuach*, id est, quietum reddidit, vel consolatus est, deriuat. Coactas autem deriuationes nominum facillimum est dare, non tamen hoc est argumentum eius linguæ nomen esse, in quo aliqualis, & extorta eius significatio inuenietur: nam & in Arabica lingua inueniuntur multa significata Hebraicorum nominum, imò Romanorum, non tamen ea nomina fuerunt Arabibus in vsu nec à lingua Arabica accepta. Exempla aliqua promam, quæ Petrus Kirstenius coegit. IESVS, *O receptio clamoris*: MARIA, *O signam, seu prodigium.* Matthæus, *adueniens.* Dauid, *affectus charitatis.* Abraham, *curans* vel *sanans eos*, siue *Pater ingeniorum*, siue *acies vagans* Isaac, *risio.* Iudas, *sparsus.* Phares, *diuisio.* Zara, *visitatio.* Thamar, *fructus*, siue *dactylus.* Esron, *obsidione contentus*, vel *retentus.* Aram, *explorator*, *scrutator.* Aminadab, *Populus conuocatus*, siue *communis planctus.* Naasson, *terminans.* Booz, *incurrens inopiam.* Rachab, *dilatata.* Obed, *seruus.* Ruth, *videns salutem.* Iesai, *medicus*, seu *sanans.* Vrias, *ostendens.* Roboam, *dilatatus populus.* Abia, *nolens*, vel *pater.* Asa, *ordinatus*, *instructus.* Iosaphat, *arbor sanans*, seu *reficiens.* Ioram, *Apostema*, siue *vlcus.* Ozias, *consolator.* Ioatham, *O delictum.* Achaz, *possidens*, siue *robustus.* Manasses, *oblitus*, siue *crescens.* Amon, *tectus*, siue *ornatus.* Iosias, *largiens* vel *administrans.* Iechonias, *gratiosus*, vel *incuruatus*, vel *confusio*, *captiuitas*, *peregrinatio.* Salathiel, *integer membris*, vel *mancus esse desiit.* Zorobabel, *falsa confusio* Abiud, *æternus*, *perpetuus.* Eliacim, *resurgens*, *resurrectio*, *durus*, *ferus*, *stans*, *consistens*, *indigus auersione*, *vel operimento.* Sadoc, *iustus.* Achim, *frater.* Eliud, *apparens*, *splendens.* Mathan, *incuruatus*, *exceptus*, *diffamatus*, *descendens.* Ioseph, *Iaspis*, siue *Iaspideus.* MARIA, *Domina maris*, vel *myrrha maris.* EMANVEL, *Robur generale*, seu *commune*, siue *populi potentia*, *multitudinis facultas.* Bethlehem, *Domus carnis*, fertilis enim ad pascua erat. Herodes, *pauidus*, *timidus.* Magi, *aduenientes donare*, vel *aduentus doni.* Hierosolyma, *Doctrina sana*, vel *doctrina salutis*, seu *pacis*; *doctrina incipiens cantum*, *caput conueniens*, seu *vtile*, *diuitiæ vtiles.* Ægyptus, *recessus*, *intestinum.* Archelaus, *recipiens munera*, *non donans*, vel *non administrans munera.* Nazareth, & Nazaræus, *auxiliator*, *defensor.* Ioannes, *gratiosus*, *amabilis*, *delicatus*, *subtilis.* Esaias, *fundamentum.* Pharisæus, *diuisus*, *raptor*, *prædo.* Sadducæus, *scortatione attritus.* Diabolus, *non pater*, quia occidit scilicet. Satanas, *extremus.* Capharnaum, *infidelium peregrinatorum gyrus*, siue *infideles nos circumimus*, vel *gyramus.* Zabulon, *senectus*, *tabes.* Nephtalim, *vtile sputum.* Simon, *auscultans*, *obediens.* Petrus, *lapis acutus.* Andreas, *robur capitis*, seu *Principis.* Zebedæus, *spumeas.* Syria, *Tuber*, *tumor*, *pustula*, *onus.* Moyses, *administrator*, *donator*, *æquus*, *distributor*, *habens cutẽ asperam*,

seu

ſeu *varijs maculis coloratam, legis promulgator.* Philippus,*ornatus, veſtitus.* Bartholomæus, *iuſtus traducens aquas communicando* ,vel *in laudando tributum* , ſeu *lucrum referens* , ſiue *Adamantis inſtar perſeuerans , & afflictionum ictus perferens : in pſallendo , ſeu prædicando aquam communicans.* Thomas,*delinquens.* Halpheus,*errans inſtaurans.* Lebbæus, *ad miſeriam natus.* Taddæus,*calcans,triturans.* Cananæus,*viuax,regularis.* Iſcariotes,*coacte modeſtus*, ſeu *coacte ſubiectus.* Samaritani,*vigiles,excubatores.* Sodoma,ſiue Iudicum , *obductum, obturatum.* Gomorrha, ſiue Gamiuora,*abyſſo cooperta* , ſiue *ſubmerſa.* Beelzebul, *Dominus ſtercoris*, ſiue *phthiſeos*, vel *tabis.* Corozaim, *Regio ornamenti,venuſtatis.* Bethſaida, *domus venationis.* Tyrus,*forma, figura.* Magedam,*tortuoſus.* Cæſar,*vim inferens,cogens*, vel *debilitatus.* Elias,*quis ad me?* vel *quis mecum.* Ieremias, *protectus.* Bethphage , *repentina domus, repentinus incurſus.* Sion, *ſerenitas, lux.* Bethania,*domus ſollicitudinis,curæ,adiutory,laboris, ſtudy.* Abel,ſiue Haabiil,*curatus, proiectus.* Zacharias,*iuſtificatus ſimulatione*,ſiue *hypocriſi.* Barachias,*iuſtum fundamentum.* Caiphas,*vomitus oris*,vel *tradens.* Pilatus , *madefactus*, vel *elephantiacus, pano*,vel *ſiccus.* Magdalena,*intorta.* Leui,ſiue Laui, *intortus,inflexus, inuolatus.* Matthæus,*electus.* Marcus,*purificatus,colatus,ſuccoſus.* Lucas,*dignus,decens, gratus.*

CAPVT X.

An lingua Arcadica antiquior?

DIDICISSE poterat ipſe Becanus,quàm futilis,& anceps ſit aliqualis ſignificatio vocum ex ſuo ipſo nomine,in cuius etymo facetum hoc accidit. Cum enim *Becanus* dictus eſſet à Belgico *beec*,id eſt,torrère,quaſi torrentinus,vel Phrearæus,ferunt ancillam eius tot etymologiarionum , quas anxiè quotidie quærebat impatientem,aliquando rogaſſe,nū proprij nominis ſui etymon noſſet,ſubieciſſeque quod Becanus diceretur, quaſi *bec-aen-nues*,id eſt,quod os naſo vicinum, & naſum ori ſuperincumbentem haberet,quod cum riſu acceptum,ridiculum quoque eius argumentum diſſoluit. Tum & Panicus dici poterat à *Bec* ſuo Phrygio panem ſignificante,quem petiiſſe illos duos pueros Ægyptij tradiderunt,quam vocem non natura docuiſſet,ſed ouium balatus:eos propterea,qui inde antiquitatis Phrygiæ argumentum venabantur, ridet Ariſtophanes vna cum antelunari Arcadum præſumptione. Sic enim alloquitur Strepſiadem: Καὶ πῶς ὦ μῶρε σύ, καὶ Κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέληνε. Argutè illudit vocans Beccesſelanos, hoc eſt, Beccelunares,ſiue Panilunares eos qui tam ſtolidi eſſent,vt vera crederent ea,quæ de *Bec*,hoc eſt,pane lingua Phrygia,& proſelenis,id eſt, antelunaribus priſci fabulati ſunt. Fuit enim non nominis phantaſia,qui Arcadicam linguam , & gentem antiquiorem cenſeret. Et quidem Ariſtides in Panathenaico ſic Athenienſibus adulatur , vt non ipſorum modo primos parentes ex Attica producat , ſed aſſerat huic regioni deberi omne genus humanum, πρώτη γὰρ, φησὶν, ἤνεγκεν ἄνθρωπον καὶ πρώτη πατρίς ἐστιν ἀνθρώπου,id eſt, *Prima enim,inquit, hominem tulit , & prima eſt hominis patria.* Arcades, quò Athenienſes in hoc certamine inferiores eſſe conuincerent , ſe ante Lunam creatam fuiſſe fabulantur. Ideo Halicarnaſſæus auctoritate Antiochi Syracuſani , & Pherecydis Athenienſis, Aborigines Oenotros genere Arcadicos fuiſſe colligit: ſic dictos,quòd montes more Arcadum priſco habitarent. In hac Arcadum fabella myſterium antiquitatis primæ ſic aliqui nugantur, ante Lunam extitiſſe ab Arcadibus dictum fuiſſe , quòd ſcirent maiores ſuos tam vetuſtos eſſe: vt ante linguarum fuerint confuſionem. Sicut enim Solis conſtantia , & vnitas eſt propria,ita Lunæ inconſtantia , commutatio , confuſióque eſt tributa. Linguarum verò diuerſitas per Lunam notatur, eò quòd linguarum varietate alij aliorum moneantur , quemadmodum diuerſis Lunis alius aliud ſibi agendum intelligit. Lunam autem à monendo in priſca ſiue prima lingua dictam Goropius aliquando diſſeruit. At ex his mythologiis ridiculum eſt argumenta captare aduerſus ſacratiores hiſtorias. Quare hæc rideamus, & ſat ſit cum pudore meminiſſe, ad ſeria pergamus.

CAPVT XI.

An lingua Syra fuerit omnium prima?

QVI minus procul vero opinati sunt, Syriacæ linguæ vetustatem ab ipso mundi exordio asseuerant. Pro hac sententia stat S. Gregorius Nazianzenus in libro Arabico interrogationum Basilij, & Nazianzeni. Ibi S. Basilius sic interrogat: *Dic mihi, quānam linguā locutus est Deus cum Adam, & quænam lingua fuit in principio vsque ad ædificationem turris, in qua diuisæ sunt linguæ.* Basilio respondet Gregorius: *Linguam, quâ locutus est cum Adam, esse linguam Syram, linguam illam simplicem, facilem omnibus gentibus, gloriosam, potentem in verbo, expeditam, atque liberam in sermone.* In veteri quoque testamento Arabico, capite decimo Genesis sic dicitur: *Ab his discussi sunt omnes populi super terram post diluuium, & diuisæ sunt linguæ, & varietas linguæ eorum Syriaca.* Pro eadem sententia citant aliqui sanctum Ephrem. Clarissimè Theodoretus eam tutatus est quæstione quinquagesima nona, vbi quærit: *Quænam lingua est antiquior?* & respondet: *Nomina ipsa indicant. Adam enim & Cain, Abel, & Noe propria sunt linguæ Syriacæ. Syrorum enim mos est terram rubram vocare Adam. Interpretatur ergo Adam terrenus, aut puluerosus: & Cain possessio. Hoc enim Adam laudans Deum dixit: possedi hominem per Deum: & Abel idem est quod luctus. Primus enim ille visus est mortuus, & primus parentibus luctum attulit. Noe verò idem quod requies.* Consensisse his videtur Plato, dum primum nominum impositorem Syrum pronuntiauit. Idem sentit Rabbi Iudas Aramæum Syriacúmque eloquium omnium esse vetustissimum, in tractatu Sanhedrin ait: *Adæ sermo Aramæus, id est, Syriacus fuit.* Argumenta quibus hæc sententia fulcitur penè eadem sunt, ac quibus Chaldaicæ, aut Hebraicæ linguæ senium persuadetur, ac proinde in iis morari non oportet postmodum siquidem illa repræsentabimus. Solum hic apponemus coniectionem ex vaticinio Sophoniæ capite tertio, vbi promittit Deus: *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Labium autem seu lingua, quam reddidit Dominus Iudæis post captiuitatem, non fuit Hebræa, sed Syriaca. Exinde enim postquam reædificata Hierusalem, Iudæi restituti, Chaldæorum gens punita, & Babylonicum imperium excisum, cœperunt Iudæi loqui Syriacè, eáque lingua perennauit in Iudæa vsque ad Christi Domini aduentum, qui Syriacè loquutus fuit, concionatus, & cælestis doctrinæ panem largitus. Ergo hæc lingua est electa, quoniam omnium prima, & cuius vsus futurus erat in statu innocentiæ. Nam cùm dicat Deus per Sophoniam, redditurum se labium, seu linguam electam, supponit aliquando eius linguæ fuisse vsos fideles, & Dei populum. At non constat hoc accidisse, nisi ante diluuium, & turris Babelicæ ædificium. Igitur Syriacæ linguæ antiquitas, ante omnes it. Quapropter videtur non posse interpretari hoc oraculum de Hebræa lingua, cùm maximè eâ vterentur Iudæi Sophoniæ æuo. Congruum quippe erat, vt eâ linguâ vteretur filius Dei, & nouus Adam, quâ vetus est vsus. Christus autem Syriacè conuersatus est cum hominibus, consentaneè quidem, vt eâ linguâ vitæ author Christus IESVS loqueretur, & salutaria præberet consilia, quâ pessimum peccandi consilium serpens dedit. Neque obstat his Sophoniam non loqui de Iudæis, sed de omnibus gentibus, omnibúsque populis quibus Deus labium promisit electum. Quapropter non esset intelligendum de Syriaca dialecto: nam vt obseruat Magister meus Gaspar Sanctius, sic gens Israelitica dispersa fuit variè, vt plures populi vocari potuerint: neque enim omnes capti sunt primùm ab Assyriis, deinde à Babyloniis, cùm constet multos ad Ægyptios, alios ad alias prouincias fuisse delapsos. Indicat Ieremias capite quadragesimo, versu vndecimo: *Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in vniuersis regionibus, audito, quòd dedisset Rex Babylonis reliquias in Iudæa; & quod præposuisset super eos Godoliam,* &c. Et quidem decem tribus, quæ captæ fuerunt ab Assyriis, populi vocari potuêre diuersi, quia iam pridem sese à duabus tribubus societate distraxerant. At ex illis plurimi redierunt permixti Iudæis, quibus etiam labium Deus reddidit electum. Adde prætereà huic cogitationi, quod verbum *reddo* aliquid importat datum, quod antè exciderat, aut amissum fuit; at labium illud electum Gentili populo datum antè non fuerat, quare de illo non videtur datum hoc vaticinium.

In Epinomide.

CAPVT XII.

An multis, vel vnicâ linguâ in cælo sint loquuturi Beati, & quanam futura eorum dialectus, Hebraicáne an alia?

Explicatur locus Sophoniæ cap. 3.



VALDE anceps & controuersa ista sententia est; nam fortasse Sophonias non est accipiendus de peculiari aliqua dialecto, sed de piorum hominum verbis sanctis laudantibus Deum, & veram fidem confitentibus quacumque lingua proferantur. Et quamuis de idiomate aliquo interpretandus esset, Syriaci nemo prorsus meminit; cùm tamen sint, qui interpretentur, labium hoc electum fuisse Græcam linguam; quoniam in ea promulgatum Euangelium. Alij Latinam malunt, quæ pro vsu Romanæ Ecclesiæ est; alij eruditissimique anctores Hebræam præferunt. Rabbi Abraham Aben-Ezra ad hunc locum ait: *Conuertentur ad solum Deum colendum labiis puris, id est, lingua sancta, in qua sola inuocatur nomen Dei venerabile.* Hanc dicunt nonnulli, qui cum Lyra ad tempus post Antichristum referunt vaticinium Sophoniæ, post mortem Antichristi futuram communem toti Ecclesiæ, imò mundo. Sic est interpretatus verba Sophoniæ Rutilius Benzonius libro primo super *Magnificat*, capite tertio. Georgius Venetus, imo sanctus Bonauentura. Quidam autem, quod satius censerem, ad alteram vitam pro omnium beatorum in cælo vsu Hebraicam remittunt linguam hîc promissam. Libet quoque Tobiæ id ipsum insinuat: *Portæ*, inquit, *Hierusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.* Et subdit: *per vicos eius halleluia cantabitur.* Quæ cùm de cælesti Hierusalem, & non de terrena intelligenda sint, præsertim cùm portas ex lapidibus pretiosis ædificandas tradat, quod de eadem cælesti Hierusalem ab Apostolo Ioanne in Apocalypsi explicari videtur, & ibi decantandum sit *Alleluia*, quæ vox Hebræa est: infertur, eius linguæ vsum in cælo futurum. Cum enim humana lingua à Dei laudibus in æternum decantandis cessare non debeat, & apud Esaiam legamus vnum ex Seraphim, alterum ad alterum clamasse, & dixisse in Hebræâ dialecto: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, (*Kadosch, Kadosch, Kadosch*) *Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ eius*: mirum esse non debet, si homines beati, Angelorum laudes, & præconia æmulantes, Hebræum idioma vsurpent. His addo sancti Ioannis testimonium, qui in Apocalypsi fatetur se vidisse beatos cantantes Canticum Moysi serui Dei. Hoc autem Canticum Hebraicè dictum fuit. Quapropter Beati linguâ Hebræâ videntur loquuturi. Neque enim verisimile fortasse est translatione aliquâ vsuros, cùm emphasim & leporem natiuum, quæ transferuntur in alienam dialectum non retineant. Hinc dixit Haymo linguam Angelorum in Apostolo fuisse Hebræam. Tandem videtur hæc lingua esse quasi naturalis, ac proinde velut debita homini, cùm de Adam, qui Hebræa nomina animalibus indidit, dicatur: *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomen eius.* Vtcumque autem consentiunt Beatorum linguam fore Hebræam, Haymo, Remigius, Ioannes Dominicus Cardinalis, sanctus Bonauentura, Maior, Georgius Venetus, Michaël de Palacios, Dominicus Soto, Arias Montanus, Leo à Castro, Galatinus, Salmeron, Christophorus à Castro, Franciscus Donatus.

Verùm alij opinantur, omnibus scilicet linguis Deum celebrandum, quia hoc videtur spectare ad maiorem Dei gloriam, & vt Paulus dixit: *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus est in gloria Dei Patris.* Quemadmodum etiam Poëta quidam Epigrammatum scriptor blandiendo Cæsari, de vrbe Roma dixit:

Vox diuersa sonat populorum, est vox tamen vna,
Dum verus patriæ diceris esse pater.

Contrà tamen videtur stare idem Apostolus, cùm ait: *Charitas nunquam excidit, siue prophetia euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Non igitur multarum linguarum vsus videtur in cælo futurus. At quid de vna dicendum, nam Apostolus non

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script.

inquit, *lingua*, sed *linguæ*? Opinor linguæ alicuius sensibilis & vocalis vsu Beatos in cælo se vicissim allocuturos, & laudaturos Deum iuxta illud: *Exaltationes Dei in faucibus eorum.* Et colligitur ex variis Apocalypsis locis: id ipsum confirmarunt sapientes Ethnicorum maximè Persarum Sacerdotes, siue Magi, Plutarcho in libro de Iside, referente his verbis: Ἔπεισι δὲ χρόνος εἱμαρμένος, ἐν ᾧ τὸν Ἀρειμάνιον ἀνάγκη φθαρῆναι παντάπασι, καὶ ἀφανισθῆναι. τῆς δὲ γῆς ἐπιπέδου καὶ ὁμαλῆς γενομένης, ἕνα βίον καὶ μίαν πολιτείαν ἀνθρώπων μακαρίων, καὶ ὁμογλώσσων ἁπάντων γενέσθαι. Hoc est, *Instare tempus fatale, quo necesse sit Arimanium,* id est, dæmonem, *perdi, atque aboleri: terra vero æquabili, ac plana facta, vnam fore vitam; vnámque ciuitatem beatorum hominum vniuersorum, vnâ linguâ vtentium.* Et Diogenes Laërtius in procemio: Ὁ δὲ Θεόπομπος καὶ ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους φησὶ τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους, καὶ τὰ ὄντα τῇ αὐτῶν ἐπικλήσει διαμένειν. id est, *Theopompus etiam reuicturos homines, ex magorum sententia tradit, immortalésque futuros, & omnia suas appellationes retentura.* Non tamen cælestis ea lingua erit aliqua ex iis quæ in hoc exilio & peregrinatione sunt notæ. Philippus Cluuerius existimauit fore linguam omnium primigenam, quam putat nunc prorsus amissam, neque Hebræam fuisse: at ego censeo cælesti eâ linguâ nunquam homines vel in ipso paradiso, statûque innocentiæ fuisse vsos. Erit
Tap. 4. Medit. enim suauior, perspicuior, lætior, quàm Hebræa, vt S. Bernardus dixerit: *Vna erit lingua omnium iubilatio indefessa.* Non erit in illa pace diuersitas linguarúm, nimirum quoad mutuæ intelligentiæ necessitatem; quo sensu dixit Apostolus linguas cessaturas. Itaque ex hoc Apostoli loco nihil colligi potest pro numero linguarum, quibus cælestes ciues sint vsuri, sicut nec ex altero loco, vbi dicit omnem linguam confessuram, quoniam Dominus Iesvs in gloria est Dei Patris: nam hîc non loquitur de cælestibus dumtaxat, sed de terrestribus etiam, imò infernis. Cùm hoc tamen non obstat posse Beatos diuersis linguis aliquando collaudare Deum, id solùm affirmaui peculiarem futuram, & excellentiorem linguâ corporum post resurrectionem. Tunc enim Deus noua faciet omnia, & sicut alia corporum gloriosorum ornamenta excellentiora sunt futura, quàm in paradiso, sic & lingua. Quapropter non erit Hebræa cælicû locutio, sed purior & excellentior. Quæ pro Hebraica lingua protulimus, non persuadent cõmunem cælestium ciuium linguam futurã Hebræam. Etenim eas ipsas Dei laudes perfectiùs & propriùs dicent Beati cælesti illâ linguâ, cuius verba, quia mortales ignorant nostro modo significarunt sacri scriptores. Neque naturalis est lingua Hebræa, nec debita Hebræa nomina animalibus. Nam in quacumque lingua imponi rebus iusta nomina possunt, vt ipsa sint earum nomina: quoniam habita scientia verborum facile inde est formare nomina, quæ quibusque rebus conueniant.

Quoad vaticinium Sophoniæ multis existimo impletum modis & sensibus in sancti Spiritus aduentu: tum quoniam Hebræa lingua ibi restituta est Apostolis per linguarum donum, qui non Hebræa antiqua, sed Syriaca, sicut cæteri Iudæi vsi fuerant, & callebant. Tum quia labium electum rectè potest dici, quod omnia idiomata loquitur; Tum quia nunquam maior vniformitas diuinarum laudum, & vnius veri Dei, & vnius fidei confessio, quàm ab eo tempore: Tum quia & de Iudæis, & de Ethnicis potest intelligi Sophonias: Itaque quocumque modo accipiatur verbum *reddam*, siue de restitutione, siue de donatione, & quocumque accipitur modo nomen *labium*, siue pro idiomate, siue pro consensu sermonis, & vniformitate completum oraculum per cælestis spiritus descensum videmus. Exinde inuocarunt omnes gentes in nomine Domini, & seruierunt humero vno: propendeo nihilominus specialius notari à Propheta donum omnium linguarum, cum quo restitutus fuit Apostolis idem fructus loquendi, ac olim fuit ante confusionem linguarum, cùm omnis terra erat vnius labij, quoniam quisque omnes homines intelligebat, & ab omnibus intelligebatur. Hoc præstitit donum linguarum, cùm per illud Apostoli intelligerent omnes, & intelligerentur ab omnibus: nam quâlibet linguâ loquentes, intelligebantur ab omnibus, etiam qui eam linguã ignorassent: ita vt prædicante Paulo aut Petro Grecè, intelligerent illum Romani. Donum itaque linguarum id effecit in Apostolis, quòd olim vnius linguæ concordia ante linguarum confusionem; idem enim quod præstitit labium vnum, effecit hoc linguarum labium electum. Et vt Chaldæus ait: *labium clarum*, quia intelligebant omnes, & intelligebantur ab omnibus. Labium clarũ opponitur confuso: labium item *candidum* verti potest, & à Symmacho *mundum* redditur, quia fine obscuritate confusionis: hoc autem labium electum, siue donum linguarũ datum meritò in Pentecoste, *vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant in humero vno*, vt omnes gentes nomen Dei agnoscerent, & iugum Christi subirent per prædicationem Apostolicam. Dixerat quoque Propheta immediatè antè: *In igne enim zeli mei deuorabitur omnis*

omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum, &c. Communicatum quippe fuit hoc donum specie ignis, *quoniam apparuerunt illis dispertita lingua tanquam ignis*, vt impleretur in omni terra, quod Saluator dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur.* Illum autem in omni terra incenderunt Apostoli dono accepto linguarum: dicitur autem populis dari labium electum, quia Apostolis datum omnium populorum labium. Et Apostoli sunt dati omnibus populis: *In omnem* quippe *terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Et quoniam pro bono omnium populorum concessum fuit hoc donum, & quia omnes populi intelligebant Apostolos etiam in aliena lingua prædicantes, vt aliis etiam Sanctis accidit.

CAPVT XIII.

An lingua Chaldaica ea fuerit quâ homines in Paradiso, & ante diluuium sunt locuti?



RANDIVS facesseret aliquibus negotium Chaldaica dialectus, quam Camillus Borelus in Apologia historica, Iacobus Christopolitanus tractatu sexto in Prolegomenis Psalmorum, Georgius Michaël Amira in præludio secundo Syriacæ Grammatices, Doncellinus in epistola super orationes Themistij præferunt Hebraicæ. Georgius quoque Venetus tomo primo de historiis sacramentalibus, sect. 3. palam fatetur Hebræam gentem, & linguam è Chaldaica emanasse. & pridem Albumasar scripsit. Neque hic sensus destitui prorsus ratione videtur, quoniam Hebræis sunt antiquiores Chaldæi: quapropter illorum lingua iunior quoque erit. Etenim in capite Iudith quinto, cùm Holofernes Assyriorum militiæ princeps, & acerrimus Hebræorum hostis quæreret, quisnam esset populus ille, qui præ omnibus qui habitabant in Oriente, se, suosque exercitus contemneret, ac sibi obuiam non prodiret. Et Achior dux omnium filiorum Ammon respõdens ait: Si digneris audire, domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat: & non egredietur verbum falsum ex ore meo. Populus iste (id est, Hebræus) ex progenie Chaldæorũ est, hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos Patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque ceremonias Patrum suorũ (scilicet Chaldæorum) quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in Charan, &c. Ex quo loco colligitur & Hebræos esse ex progenie Chaldæorum, & Chaldæos esse patres Hebræorum. Ac proinde fatendũ esse linguam Hebraicam habere originem à lingua Chaldaica, sicut ipsi Hebræi, in quibus talis inhæret lingua, habent originem à Chaldæis, in quibus similiter Chaldaica lingua inhæret. Confirmari potest ex Iustino Martyre, & Philosopho in oratione parænetica ad gẽtes, qui ibi ex Philone & Iosepho probat Mosem ex Chaldæorum genere prodiisse. *Hi enim*, inquit, (scilicet Philo & Iosephus) *Iudæorum res scribentes Mosem ex Chaldæis quidem genus duxisse dicunt.* Et tamen Moses fuit Hebræus, Hebraïsque vetus scripsit Testamẽtum: signum autem videtur dici Hebræum, ratione generis Hebræorũ, quia videlicet Hebræi omnes sunt de genere Chaldæorum. Idipsum constituit Hieremiæ vaticinium cap. 5. in quo magnopere cõmendatur Chaldaica antiquitas: ibi enim Deus loquens cum filiis Israel, inquit: *Ecce ego adducam super vos gentẽ de longinquo domus Israël, ait Dominus, gentem robustam, gentẽ antiquã, gentẽ, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur.* Textus autem Græcus loco *gentẽ antiquam*, habet *gentẽ à sæculo*; similiter & Paraphrasis Chaldaica, *populum, qui à sæculo est.* Hunc autem locum intelligi de gente ac populo Chaldæorum, qui vrbem, & templum Ierosolymitanum destructurus erat; & ipsos Hebræos Babylonem vi, & armis abducturus, acerbissimúmque longæ seruitutis iugum eorum ceruicibus impositurus, præterquam quod constans est ferè omnium interpretum sententia, manifestè colligitur ex secũdo Paralipomenon, vbi propter nefanda Hebræorum scelera, & iniquitates, de eis sic scribitur: *Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis & virginis, & senis, nec decrepiti quidem; sed omnes tradidit in manibus eius, vniuersaque vasa domus Domini tam maiora, quàm minora, & thesauros templi, & Regis, & principum, transtulit in Babylonem. Incenderunt hostes domum Dei, destruxerúntque murum Ierusalem, vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt. Si quis euaserat gladiũ, ductus in Babylonẽ, seruiuit Regi, & filiis eius, donec* Cap. vlt.

imperaret Rex Persarum, vt compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ. Hinc sequi videtur Deum illis epithetis, quæ Chaldæis attribuit; significare aliquid, quo Hebræi Chaldæis sint inferiores, præsertim virium robore, generis antiquitate, ita vt Deus nobis indicet Chaldæos esse Hebræis viribus robustiores, & genere antiquiores. Nam alioquin Hebræi Deo possent respondere: sumus Chaldæis robore, vel æquales, vel superiores, & genere antiquiores. & ita sequeretur Deum frustrà illa Epitheta Chaldæis attribuere; quod afferere magnæ est temeritatis. Concludendum igitur videtur ex hoc loco pariter constare Chaldæos esse Hebræis antiquiores; ac proinde linguam eorum esse lingua Hebraica priorem. Denique Abraham ex quo gens Hebræorum prognata Chaldæus fuit conteste sacro eloquio. Deinde consentaneum rationi, & iuri videbitur fortasse, vt lingua prima, & communis in ea resideret regione communi, in qua dum moles Babylonicæ turris surgebat, ipsius linguæ communis facta est confusio, ea autem regio Chaldæa fuit. Huius sententiæ videtur esse Philo, siue author antiquitatum Biblicarum, qui ante confusionem linguarum, & ædificationem turris scribit locum quemdam appellatum *lingua Chaldæorum Deli, quod interpretatur Deus.* Verùm plura ibi narrantur falsissima, nec huic historiæ fides danda est, quæ supponit, vt legenti constabit, Abrahamum, Nachor, & Loth ædificandæ turri restitisse, cùm nondum essent nati. Cætera nihil amplius probant, quàm eâ linguâ, quâ prisci Chaldæi loquuti fuerunt non posse antiquiorem esse linguam, quâ posteri Abrahæ sint locuti. Quid si illa Chaldæorum lingua fuisset ipsissima Hebræa, in Chaldæa primùm vsitata, postea tamen tot sæculorum excursu degenerasse, vt ferè omnes linguæ solent, & postmodum demonstrabitur.

CAPVT XIV.

Infringuntur argumenta, quibus probatur antiquitas linguæ Hebrææ, & coniecturæ Caietani, & Guidonis Fabricij infirmantur.

IN patrocinium Hebrææ linguæ confluit magna authorum vis non magnis semper viribus eam cæteris dialectis anteponentium, sed vt plurimum non omnes id præstant solidis rationibus, aut probabilibus indiciis. Illud dicunt idioma cæteris antiquitate præstare, in quo mulieris nomen ab viri nomine elapsum est, vel illi affine accedit. At in nulla alia lingua vir & mulier hanc nominum similitudinem possident, nisi in Hebræa, in cuius dialecto אשה *Issa*, quod mulierem notat, deducitur à nomine איש *is*, quod virum significat. Igitur lingua Hebraica prouectior senio est vniuersis aliis. Eneruc hoc indicium semper existimaui. Equidem nescio, cur non possit vna lingua aliis antiquior esse quantumuis feminea nuncupatio à virili non vsurparetur. Deinde si aliquæ linguæ præter Hebræam idem haberent, quid inde? habent quidem id ipsum Syriaca, & Chaldaica, & fortasse aliæ. Latinis quoque à viro virago, & virgo effluxit.

Dicunt quoque Hebræam linguam omnium primam, quia omnibus simplicior. Latet tamen ingenium meum, cur simplicitas sit argumentum antiquitatis: nam & Latina est simplicior Græcâ, non tamen senior, lingua quoque Turcica simplicior est Arabicâ, atque Latinâ, non tamen vetustior. Prætereà lingua Cymbrica, & Sinensis cum penè monosyllabæ sint de simplicitate maiori se iactare possunt. Et Becanus hoc idem argumentum pro Cymbrica sua retorsit. De Sinensibus quoque scribit noster Trigautius libro primo Sinicæ expeditionis: *Cuiuslibet apud Sinas sermonis voces ad vnam omnes monosyllabæ sunt, & ne vna quidem dissyllaba, aut polysyllaba reperitur.* Denique vt non malè obseruauit Michaël Amira, Lingua potest dici simplicior & breuior cæteris linguis dupliciter: primò, quia non habet tot voces, quot sunt res appellandæ, vt aliæ habent linguæ, & sic, quò lingua est cæteris breuior, eò potius illis est imperfectior, quàm antiquior. Secundò, quia non habet tot phrases ac varias dicendi formulas ad vnum, eundémque sensum exprimendum; nec varias voces vni, eidémque rei explicandæ impositas. Et sic quò lingua est breuior, eò cæteris se esse iuniorem, magisque inopem indicat, non autem magis antiquam, vt re verâ est lingua Hebraica, quæ si vetus testamentum excipias, paucos admodum habet libros, qui sint puris vocibus Hebraicis scripti, & non pleni vocibus Chaldaicis seu Syriacis.

Cap. 5.

Syriacis. Sed quidquid sit de maiori. Negatur etiam minor, quia lingua Chaldaica, seu Syriaca, est magis, vel æquè simplex, ac Hebraica, vt consideranti vtramque patet: est etiam breuis, & concisa, si cum Arabica & Græca lingua comparetur: non tamen ita, quin habeat multas, variasque elegantissimas phrases, variosque dicendi modos ad vnum, eundémque sensum exprimendum, & varias multasque voces ad vnam rem declarandam, prout multos, variosque eloquentissimos scriptores temporis progressu habuerit. Quod non tam antiquitati ipsius obest, quàm linguam antiquam à variis eloquentissimis auctoribus locupletatam, amplificatámque esse demonstrat.

Ex Alphabeti Hebraici significatione venantur alij antiquitatem eius dialecti: nam illam linguam antiquiorem censent, cuius Alphabeti literæ nomina significatiua sortiuntur. Hæc autem est Hebræa, inde huius linguæ senium euincunt. Verùm hæc ratio non antiquitatem dialecti suadebit, sed literarum in ea lingua; neque enim æquæuæ debent esse vox & scriptio: poterat vnius linguæ idioma antiquius esse, quàm alterius linguæ character.

Duo pro Hebraicæ linguæ principatu indicia adiecit Caietanus. Vnum ex Dei nomine tetragrammato eâ linguâ venerando. Alterum Babyloniæ seu Babel nomen, quod superba illa ciuitas nacta est secundùm Hebraicam dialectum, quod apud gentes omnes perennauit. Neutrum ex his argumentis rem dirimit; namque apud Syros quoque, imò apud Græcos, Latinósque nomen Dei quatuor constat literis. Nomen autem IEHOVA reuelatum fuit Moysi, vt iam monstrauimus post varietatem linguarum. Et sicut Moysi Hebræo illud Deus reuelauit, poterat & Iob Idumęo, & Melchisedech Chananęo reuelare. Neque posterius Caietani indicium quidquam obtinebit apud eos, qui Babel nomen non putant Hebręum esse, sed Chaldaicum, seu Syriacum tractum à nomine *Boblo*, nimitum confusio, linguæ titubatio, hęsitatio, balbuties.

Infirmiores adhuc puto coniecturas Guidonis Fabricij Boderiani, quibus tamen fretus verissimum dixit, & extra omnem controuersiam Hebręam linguam multis antè Abraham sęculis extitisse, imò Adamo fuisse familiarem, & vernaculam; quoniam inquit: *Apostolus Iudas in sua Canonica librum Henochi septimi ab Adamo viri, & eiusdem Adami, vt fertur, Amanuensis, prophetias citet, quas certum est Hebraico sermone fuisse conscriptas. Flauius item Iosephus primo antiquitatum Iudaicarum libro narrat à filiis Seth duas erectas fuisse columnas, lapideam vnam, alteram lateritiam, in eisque quas inuenerunt artes scriptas fuisse; atque adeò columnam lapideam ad sua vsque tempora in Syria permansisse; qua quidem inscriptio ad aliam linguam quàm Hebraicam referri non potest. Itaque Solis luce clarius apparet Hebræum idioma esse omnium primum, & antiquissimum.* Hactenus ille. Verùm hæc indicia in superioribus repulsa manent, vbi nullum Henochi præcessisse librum adstruximus. Atque literas columnares Sethi, seu potius filiorum eius Hieraticas fuisse, non Alphabetarias. Prætereà etsi vtrumque daremus. Vnde probatur scripsisse Henochum & filios Seth Hebraicè? Aliunde igitur clausula huius litis petenda est.

CAPVT XV.

Ratio S. Augustini & aliorum Doctorum expenditur.



MAGNA authorum cohors antiquitatem venatur Hebraicę linguę ab *Heber* atauo Abrahę, & inde nomen accepisse Hebræos. Dicunt Heber ædificio Babel non annuisse. Idcirco priscam retinuisse linguam, atque in posteros transfudisse. Cumulant huic sententię suffragia Iosephi, Hieronymi, Acacij, Eusebij, Augustini, & plurium Patrum. Contrà tamen stat Theodoreti ratio. Quod si Hebręi denominarentur ab *Heber*, non solùm illos oportebat sic appellatos esse: *Permulta enim nationes ab Heber originem ducunt, & vt reliquas omnes prætermittam, ex eo orti sunt Ismaelitæ, & qui ex Cethura Idumæi, Amalecitæ, Moabitæ, atq; Amonitæ, & qui Carram habitant ex Nachor & Laban genus trahentes; nullus tamen illorum Hebraicâ linguâ vsus est.* Vt satisfaciant huic obiecto, qui contrarium sensum tuentur; dicunt non penès omnes posteros Heber linguam resedisse Hebręam, sed penes eos quibuscum lingua & fides vnius Dei propagata est. Hoc etiam arduum; nam & gratis assertum videtur. Deinde falsum est penes solos fideles Heber posteros Hebræam linguam sedisse, saltem ma-

iotes Abrahæ, apud quos Hebræam linguam tenentam necessariò fatentur authores eius opinionis, idololatras fuisse ex sacro textu constat capite vigesimo quarto Iosue, vbi ipse Iosue admonet suos: *Nunc ergo timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo, & auferte Deos quibus seruierunt Patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino.* Paulò antè nominauerat Thare & Nachor: *Trans fluuium,* inquit, *habitauerunt Patres vestri Thare pater Abraham & Nachor, seruierúntque Diis alienis.* Quin & ipsum Abraham aliquando idololatram fuisse testatur Philo: eum stellas adorasse Rabbi Rambam prodit; Cedrenus, Genebrardus, Masiius & Rabbini plurimi, Rabbi Ioannam, & Rabbi Amua tradunt quadragesimo octauo ætatis anno cœpisse Abraham Deum colere, & idololatriam deserere. Sed de hoc modò non disputo, sufficiunt eius maiores. Itaque Hebræa lingua incurrit in infideles Heber posteros, tum in Mesopotamia, & Chaldæa ante Abraham, tum in Ægypto post Abraham.

Nouit hoc sapientissimus Augustinus, atque idcirco non adstringit successionem linguæ Hebraicæ fidelitati posterorum, sed illi lineæ, ex qua Christus nasciturus erat. Verba sancti Augustini præsentabo, quoniam omne horum authorum iudicium solidius firmat, & occasionem nobis suppeditabunt, quod videbitur in hac re similius vero dissentiendi. Hæc de lingua Hebræa locutus eximius Doctor, ait: *Credenda est ipsa fuisse prima illa communis, quoniam de pœna venit illa multiplicatio, mutatioque linguarum, & vtique præter hanc pœnam esse debuit populus Dei. Nec frustrà lingua ista est, quam tenuit Abraham, nec in omnes filios suos transmittere potuit, sed in eos tantum qui propagati per Iacob, & insignius atque eminentius in Dei populum coalescentes, Dei testamenta, & stirpem Christi habere potuerunt. Nec Heber ipse eandem linguam in vniuersam progeniem suam refudit, sed in eam tantùm, cuius generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiamsi non euidenter expressum est fuisse aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur; non ad hoc valuit hæc obscuritas, vt quærentis fraudaretur, sed potius, vt exerceretur intentio. Cùm enim legitur vnam fuisse linguam primitus omnium, & ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamuis ab illo quintus oriatur, & Hebræa vocatur lingua, quam Patriarcharum, & Prophetarum, non solùm in sermonibus suis, verùm etiam in Literis sacris custodiuit auctoritas: profectò cùm quæritur in diuisione linguarum, vbi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit antè communis, quæ sine vlla dubitatione, vbi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum, quid aliud occurrit, nisi quod in huius gente remanserit, à cuius nomine nomen accepit; & hoc iustitiæ gentis huius non paruum apparuisse vestigium, quod cùm aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non peruenit tale supplicium.* Lib. 16. de Ciuit. cap. 11. Hac viâ directum huius sententiæ assertum felicius procederet, sed suas adhuc inueniemus salebras: nam verisimile non videtur in vnius tantùm familiæ angustias lingua hæc nobilissima velut carcerem reiecta, & sic inclusa, vt nec ad omnem familiam, sed ad vnum filium aliquando non primogenitum, & non ad alterum, ita vt ad Heber vsque ad Iacobi progeniem, etiamsi essent multi filij eiusdem Patris, & in eadem domo adulti, vnus tantùm hæreditaret linguam, alius, vel alij nequaquam: nisi dicamus duas linguas habuisse priscos illos progenitores Abrahæ, vnam alienam & communem, alteram Hebræam, & priuatam, quam latenter vni filio edocerent. At cur vni, & non alij maximè idololatræ, quales habuit Abraham maiores qui reuelationem, aut fidem incarnandi ex semine suo filij Dei non habebant? Præterea videtur lingua Hebræa tunc temporis latissimè patere, & multis aliis hominibus, tum posteris Heber per alias lineas, tum omnino extraneis notam esse, quod indicant nomina Hebræa quibus vtebantur: Melchisedech Chananæus erat, Abimelech similiter, quorum nomina Hebræa sunt. Vnde igitur, si lingua Hebræa sic lateret? Iob Idumæus erat, Laban Mesopotamus, vterque ab Heber descendens, non per lineam Abrahæ, & primogenitorum filij Dei: rum in Mesopotamia vsum linguæ Hebrææ fuisse, postea exhibebimus.

Tandem gratis aliquibus videtur meritis Heber linguam Hebraicam suæ familiæ relictam, quoniam incertum putant ædificio Babelico abnuisse: imò Michaël Arima sic discedit ab Augustini sensu, vt neget non consensisse Heber extructioni turris cum aliis scelestis hominibus. Verba eius aduersus eos, qui cum Augustino sentiunt, hæc sunt: *Multa in hac responsione assumuntur, & non probantur. Primò enim vndenam habetur Heber, & suos habitasse in Chaldæa, & potius habuisse linguam Hebræam quàm patriam? Secundò (vt Philosophi loquuntur) petitur principium, linguam videlicet Hebræam, quam dicunt habuisse Heber, fuisse primam, & communem. Hoc enim in quæstione positum est. Tertiò, vnde colligitur Heber cum illis hominibus ad illud non conspirasse: cùm contrarium omnino in sacra Scriptura indicetur.*

indicetur. Nam postquam dictum fuit Genesis vndecimo, Cùm proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum Sennaar, &c. subiungitur, dixit alter ad proximum suum: Venite, faciamus, &c. id est, vnusquisque, vt in Paraphrasi Chaldaica, in qua habetur: dixerant, vnusquisque ad proximum suum, &c. Quæ vox est vniuersalis affirmatiua nullum excipiens; ergo vnusquisque illorum hominum, inter quos erat Hebèr, dixit, consensumque præbait, vt ædificium illud erigeretur. Confirmatur ex verbis Dei postea subiectis; Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus, &c. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum (id est, prædicti populi, & omnium quibus erat vnum labium, inter quot etiam sine dubio erat Heber, cui commune erat illud vnum labium) vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Ergo vnusquisque linguarum confusionis pœnam passus est: siquidem vnusquisque non audiebat vocem proximi sui; ac proinde sequitur vnumquemque cum communi pœna affectus esset, communem culpam contraxisse. Et ita manifestum est Heber quoque hanc culpam participasse. Quartò non videtur esse vera similitudo illa inter Noè & Heber, quandoquidem ille vir erat iustus, hic verò tantum abest, vt fuerit iustus, vt prædictum commune scelus patrasse, & idola coluisse, sicut multos eius posteros ex locis sacrarum literarum citatis, & ex aliis non difficile colligatur: quemadmodum etiam indicare videtur sanctus Augustinus in quæstionibus, ex vtroque mixtim. Accedit etiam, quod si Heber fuisset iustus, Scriptura sacra de eius iustitia propter tam præclarum facinus mentionem fecisset, cùm ipse solus, vt ædificium illud erigeretur, consensum non præbuerit, sicut fecit de Noè iustitia Genesis sexto, & de iustitia Ioseph ab Arimathia, Lucæ vigesimo tertio, vbi dicitur: Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio vir bonus & iustus. Hic non consenserat consilio, & actibus eorum, &c. Et facere solet propter præclara facinora, de aliorum virorum iustitia. Quapropter concludendum est, nullam esse probabilem rationem, cur potius in domo Heber, quàm alterius lingua prima, & communis conseruata sit, & ab eo denominata sit, & non potius Heber linguam Chaldaicam naturalem suæ patriæ, scilicet Chaldææ, quàm Hebraicam sortitus sit. Hæc ille. Multa quidem inuoluit, nonnulla falsa. Quid nos proximum vero censeamus, in sequentibus differemus.

CAPVT XVI.

Cur Sem commendetur in sacra Scriptura ab Heber quinto nepote suo, & qualis Heber fuerit?

IN primis decernenda aliqua sunt circa ipsam personam Heber, à quo Hebræorũ nomen defluxum plerique conscribunt. Qualis ille? an fidelis, vel idololatra? cur ante omnes posteros Sem commemoretur, an fuerit nominis Hebræi occasio? Censeo igitur ædificio Babylonico consensum præstitisse Heber, quod iam superius est dissertum, quandoquidem ipsum Noë Babylonico campo affuisse, & suffragatum esse turri ædificandæ, bono tamen fine præmisimus. Deinde non idololatram, sicut Michaël Amira opinatur, sed seruum Dei, & prophetico spiritu Heber præditum dico. Siquidem in extremo Iosuè capite solùm Thare pater Abrahæ, & Nachor auus, idololatriæ notantur: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluuium habitauerunt Patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, seruieruntque Diis alienis.* Cùm hos designet, & solos, cæteros maiores excipere videtur ab Infidelitatis labe: cur enim hos potius quàm horum Patres, *Sarug*, *Reu*, aut alij designarentur, cùm maximè Heber, qui aliunde colligitur prophetiæ excelluisse donô, idcirco multo ante diuisionem regionum, & linguarum eam præuidit, ac proinde nato suo nomen idoneum indidit Phaleg: *eo quod in diebus eius diuisa sit terra.* Illud pronomen *eius* non ad Heber referendum est, sed ad Phaleg, cui illud Gen. 10.
nomen imposuit Pater, quoniam tanquam Propheta Dei, quantumuis multo tempore natiuitate filij sui posteriorem iam tunc prædixit eam gentium dispersionem, & Propheticum nomen filio dedit. Scio aliquos sequi Iosephum, qui ait: *Vocatus est autem Phaleg, quia natus est eo tempore, quo habitationes destruerentur* (id accidit statim post diuisionem linguarum) *Phalec enim Hebræi vocant diuisionem.* Et sic ad tempus natiuitatis Phaleg hoc referunt. Verùm contrarium asseritur in Seder-holam: *Scribitur, quia in diebus eius diuisa est terra, non quidem dierum eius initio; nam Iectan frater eius erat minor natu, qui tamen tredecim cognationes, siue stirpes, quæ in hanc diuisionem venerunt procreauit.* Planè ista considetatio

ſideratio non minimi momenti eſt, Ieƈtan ſcilicet fratrem Phaleg, tantam poſteritatem habuiſſe, qualis deſcribitur capite decimo Geneſis, & nondum Phaleg fratrem natum fuiſſe. Qui tamen primo loco numeratur tanquam primogenitus, ſed quamuis non eſſet primogenitus, non ita facilè credi oportet tot annis vnum fratrem ante alterum ortum fuiſſe. Quid ſi accedat quod Leonardus Marius probat latiùs, non ſufficere contrarium opinantibus Ieƈtan fuiſſe maiorem natu, quàm Phaleg; & ante huius ortum adſcribere illi tredecim filios, qui iam adoleuerant in capita familiarum eo tempore quo Phaleg naſcebatur, & linguę diuidebantur; *Debebant, inquit, ex anno natiuitatis Phaleg aduertiſſe quod dictum ipſorum cum ſcriptura non conſiſtat, nam Phaleg natus eſt anno patris ſui trigeſimo quarto.* Addunt Iudæi in Seder-olam diuiſionem linguarum factam: *Non in medio* (ſcilicet ætatis Phaleg) *quia id Moſaica indicaret hiſtoria. Quod ergo ait in diebus eius ad finem vita pertinet.* Sed hoc parui pro inſtituto noſtro.

Illa quoque verba decimi capitis Geneſeos: *De Sem quoque nati ſunt patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore,* ad magnæ ſanƈtitudinis commendationem ipſius Heber vſurpant multi. Iacobus Bolducus putat Heber inſtitutorem familiæ Religioſæ, & ipſum Sem conſtitui ibidem ſupremum patrem omnium filiorum Dei Religioſorum, qui Abrahæ temporibus, & longè prius dicebantur filij, id eſt, diſcipuli Heber, quia tunc ſupremus illorum erat Archimandrita. Et hoc videtur quod de Sem cum additamentum ſignificante particula dicitur: *Etiam ipſe pater omnium filiorum Heber.* Quaſi dicat: Sem totius Eccleſiæ ſummus erit Pontifex; nam in Iapheto præerit omnibus Eccleſiaſticis & Epiſcopis: in Chamo omnibus laicis: & in Heber omnibus Religioſis. Hoc probat Bolducus ex verbis Noë ad tres ſuos filios, Sem, Cham, & Iaphet, quibus incipiendo à maledictione Chanaan filij Cham, qui nuditatem eius deriſerat, eum ſeruum ſeruorum fratribus ſuis, Sem videlicet, & Iaphet conſtituit; deinde benedicit aliis duobus. Verba eius ſunt: *Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius:* ſed iuxta Hebræum, *ſit Chanaan ſeruus eis,* nempe, Deo & Semo, de quibus ſermo immediatè præceſſit; quaſi Chanaan conſtituatur ſeruus Dei ſub Semi moderamine. An verò talis ſeruitus iure maledictio dici poterit, & non potius, ac duntaxat ſtatus, conditioniſque minoritas? Proſequitur Noë: *Dilatet Deus Iaphet,*
Gen. 9. *& habitet in tabernaculis Sem.* Quibus verbis ſanƈtus Patriarcha videtur præficere Iaphetum tabernaculis, id eſt, templis, locisque ſacris, ſuper quæ Sem tanquam ſummus Pontifex auƈtoritatem ſupremam habiturus eſt, & ideò vocantur tabernacula Sem. Cham verò in ſuo filio Chanaan in ſtatu laico conſtitutus, tanquam huiuſmodi futurus eſt ſeruus ſeruorum, hoc eſt, miniſtrorum tam Iapheti, qui ſacris præerit, quàm Semi; qui ſummus Pontifex erit. Vt igitur Moyſes iſta declararet, poſtquam deduxit ampliſſimam generationem Iaphet, & poſtea illam quæ eſt Chanaan; antequam Semi narret progeniem, ſic iuxta Hebræum loquitur: *Iſti fily Cham, &c. Et ipſi Sem eſt natus* (ſupple Cham) *etiam ipſe* (ſupple Sem eſt) *pater omnium filiorum Heber, frater Iapheth maior.* vbi vox Hebræa יֻלַּד *Iullad,* quæ refertur ad Cham, cùm natiuitatem ſignificare non poſſit, non enim Cham filius eſt Sem, ſed frater, importat obſequium & ſubieƈtionem, ſicut per eandem vocem apud Pſalmiſtam *Chus,* (id eſt, Æthiops, pro Æthiopibus) dicitur *natus,* hoc eſt, ſeruus, & vernaculus eſſe in Sione; & per aliam eiuſdem radicis, nempe יְלִיד *Ielid, natus domus* ſæpè dicitur, id eſt, vernaculus, vel etiam filius ſpiritualis. Cham igitur, qui priùs à patre conſtitutus fuerat ſeruus Dei, & Semi: nunc Semi natus, ſeu vernaculus, ſeu filius ſpiritualis appellatur, vt intelligatur de quanam ſeruitute priora verba intelligi debeant. Quod autem dicitur Sem eſſe *frater Iapheti maior;* vel iuxta emphaſim nominis Hebræi הַגָּדוֹל *Haggadol, maximus,* ſpiritualem quoque magnitudinem importare poteſt; quâ Sem Iapheto ætate iam maior in hoc etiam frater eius eſt, quod ſicut ipſe habeat tabernacula quibus inhabitet ac præſit, hoc eſt, in his quæ ad Deum attinent præfeƈtus ſit: ſed in hoc illo maior eſt, quod ſua ſunt omnia tabernacula, in quibus habitaturus eſt Iapheth. Hoc eſt, ſupremam ſuper illa omnia habebit auƈtoritatem, quæ ſub Iapheti erunt curâ & moderamine. En quomodo Sem tam Iapheto quàm Chamo fratri præfertur, eorúmque princeps conſtituitur.

Hęc argutè diƈta ſunt, non ſolidè ſicut alia, quę coaƈtè in eo libro, nec cum magna reuerentia vulgatę, & communis Patrum interpretationis dicuntur. Non nego tamen ſingularem Heber virtutem meruiſſe nominari ante alios Sem poſteros, & ab eodem commendari Sem atauum. Sed eorum verborum ſenſum longè alium puto quàm Bolducus adſtruxit, qui etiam falsò ſupponit Sem fuiſſe Melchiſedech.

CAPVT

CAPVT XVII.

Posteri Heber Chaldæi fuerunt, nec ab eo dicti Hebræi.



EXPLOSA hac sententiâ, alias quoque eneruemus, vt nostram roboremus. Crebrior sensus est: commemorari Sem Patrem filiorum Heber, quoniam ab Heber Hebræum defluxit nomen. Proinde ea verba tantundem esse, ac Sem fuisse primogenitorem Hebræorum. Idcirco potius Heber nominatum, & non alium ex Sem posteris. Verùm mihi valde incertum est Hebræum nomen ab Heber vsurpatum. Tum quoniam aliæ nationes ex Heber prognatæ Hebræorum nomenclationes hæreditaturæ essent; tum quoniam Hebræum nomen non est auditum nisi postquam Abraham traiecit Euphratem, qui antè Chaldæus vocabatur, & erat Chaldæus sicut cæteri maiores Abrahæ. Verissimum quippe est Hebræam gentem ex Chaldæis duxisse originem, quomodo Hebræum nomen ab Heber sumptum, qui vixit antequam Chaldæa gens esset; imò ipsum puto Heber exordium Chaldæis dedisse. Et quidem in sacra Scriptura posteri Heber ante Abraham non Hebræi, sed Chaldæi vocantur. In capite quinto Iudith, dicit Achior de Hebræis: *Populus iste ex progenie Chaldæorum est.* Berosus etiam apud Iosephum vocauit Abraham Chaldæum: μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Decimà generatione post diluuium fuit apud Chaldæos quidam vir iustus & magnus & cælestia expertus.* Sic de Abraham locutus ille. Oraculum quod citat S. Iustinus Martyr in oratione ad Græcos propter fidem & religionem Abrahæ; & deinde posterorum eius respondit: .15.

> Μοῦνοι χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
> Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν αὐτόν.
> *Solus Chaldæus sapit, & Iudæus Apella*
> *Per se ipsum genitum, Regémque, Deúmque colentes.*

Zonaras quoque tomo Annalium primo, clarissimè ait: τοῦ δὲ ἑβραίων γένους προπάτωρ καὶ πατριάρχης τῶν αὐτοῦ πατριῶν ὁ μέγας ἐστὶν Ἀβραάμ, ὃς χαλδαῖος ἦν τὸ γένος. *Primus pater gentis Hebrææ, & Patriarcha suarum familiarum magnus Abraham, qui Chaldæus genere erat.* Tertullianus libro de Pallio, vocat Hebræos Chaldæum semen. Et Clemens Alexandrinus ait libro Stromatum primo: *Moyses cùm ex alto petitâ origine esset Chaldæus natus est in Ægypto.* Eusebius Cæsariensis non semel Abrahamum dicit esse Chaldæum.

Vnde igitur Hebræa gens appellari huiusmodi cœpit? multi excogitarunt ab Abraham dictos Hebræos, quasi Abræos, quod minimè arridet mihi, cùm ipse Abraham Hebræus in sacra pagina vocetur, dum dicitur: *Ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre:* Præterea Abraham per א, Hebræus verò per ע, scribatur. Idcirco sanctus Augustinus retractauit quod dixerat libro primo de consensu Euangelistarum, ab Abram dictos Hebræos. Theodoretus vult dictos Hebræos ab Euphrate, dicens: *Hebræa enim Syrorum linguâ idem est quod Euphrates.* Itaque Hebræus iuxta Theodoretum, idem erit ac Euphrateus. Nescio vnde hoc acceperit. Satius mihi est Hebræum dici ab Heber, quod est *trans*, siue à radice עבר *Abar*, hoc est, *transiuit*, quasi dicentes, *transiens*, siue *transamnanus*. Quemadmodum nos dicimus transmarinos, & transalpinos, quia scilicet Abraham, ex quo gens illa profluxit ex Chaldæa ortus traiecerit Euphratem, habitauitque Chanaham. Cùm igitur ad Chananæos peruenit, cœpit homo externus vocari ab incolis Hebræus, hoc est, trans-Euphratæus, vel qui ex altera fluuij parte venit. Quapropter Septuaginta & Aquila pro Hebræo transtulerunt περάτῃ *transitori* nimirum, vel vt sanctus Augustinus vertit: *Transfluuiali*, neque valde verosimile est, si aliquis excogitaret Heber nomen dedisse posteritati, non regioni, quoniam iuxta proprietatem sui nominis posteros habiturus esset transitores, hoc est, peregrinos, quales fuerunt Abraham, Isaac & Iacob. Gen. 14.

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script. X CAPVT

CAPVT XVIII.

Quæ videntur nomina propria Hebræa in Scriptura sæpè dissoluenda sunt in significatum suum.

Sic explicantur multi loci.

NEc obinde probo quod affirmari poterat, illa verba Geneseos: *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber*, interpretanda aduerbialiter, quasi illud *Heber* non sit nomen proprium viri, sed aduerbium *trans*, quemadmodum Hispanè dicimus *allende*, ac si loqueremur *Todos los de allende*, vt sic omnes filij Heber sint omnes vltra habitantes, trans Euphratem scilicet. Scio quidem in sacra Scriptura similes translationes reperiri, atque aliquando ipsas voces Hebræas, vt iacent relinqui non interpretatas, quasi essent nomina propria, aliquando interpretari ipsa propria nomina, ac si alia sententia essent. De hoc postea edisseremus. De priori vsu nonnulla nunc aggeremus. In libro Paralipomenon primo de Banania dicitur: Cap.11. *Ipse percussit duos, Ariel Moab.* Ecce nomen Hebraicum retentum, quod significat leonem Dei, siue magnum, percussit enim Bananias duos leones fortissimos Moab. Clarissimè siquidem in libro secundo Regum (vbi eadem narratur historia) dicitur, *Ipse percussit duos leones Moab.* In capite decimo Genesis vertunt Septuaginta, *Egressus est Assur, & ædificauit Niniuem, & Rechoboth.* Ad quem locum D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis: *Non putemus*, inquit, *Niniue & Rehobot duas esse vrbes; sed quia Rehobot plateæ interpretantur, ita legendum est. Et ædificauit Niniue, & plateas ciuitatis, quasi id adiectum fuerit ad significandum amplitudinem huius vrbis, quæ multas & magnas habuit plateas.* In capite vigesimo sexto eiusdem libri legitur, *Cùm venissent de Geraris Abimelech & Ochozat amicus illius, & Phicol dux militum.* Chaldæus & sanctus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis accipiunt Ochozat non proprium nomen viri, ait quippe Hieronymus vocem Hebræam non hominem significare, sed potius verti debere *collegium*, vel *turbam amicorum eius*, qui scilicet cum Abimelech venerant. Sic Chaldæus habet: *Comitatus amicis suis.* De nomine *Phicol* etiam notat Bonfrerius non esse proprium alicuius hominis, sed appellatiuum officij vel dignitatis, sicut Dictator, & Tribunus. *Phicol* enim est *os omnium.* Fortasse, quoniam ad eius officium spectaret non tantum bellica curare, sed quæ populus à Rege Abimelech impetrare volebat ad Regem referre. In Psalmo septuagesimo tertio dicitur: *Tu siccasti fluuios Ethan.* Pro *fluuios validos* seu *magnos.* S. Hieronymus non reliquit *Ethan* Hebræum, sed vertit *flumina fortia.* In secundo Paralipomenon libro de Ioathan Rege dicitur: *Ipse ædificauit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel.* Rabbi Kimhi, & Pagninus vertunt *arcem*, quia hoc significet. In decimo octauo eiusdem libri capite, Ioas dicitur *filius Amelech*, hoc est, *filius Regis*, vt Septuaginta vertunt. Erat enim vnus ex filiis Regis Achab. Cap.27.
1.Esd.4. In libro primo Esdræ capite quarto, nominantur *Reum Beelteem, & Samsai scriba*, vbi retinetur nomen Hebraicum, vel Chaldaicum *Beelteem*, quasi nomen esset proprium, cùm sit nomen officij, sicut Scriba. *Beel* Chaldaicum, siue Baal Hebraicum significat Dominum, siue Præfectum, seu Præsidem. *Teem* vel *Taam* concilium: creditur eo nomine significari Cancellarius, cuius erat omnia ad Regem referre. In Esther capite vndecimo dicitur, *Epistola Phurim*, pro *epistola fortium.* In Iudith capite decimo ponitur *myros* Græcè pro *vnguento.* In primi Machabæorum libri capite decimo tertio scribit Rex Demetrius, *coronam auream, & Bahem quem misistis, suscepimus.* vbi *Bahem* ponitur pro *ramo palmæ*, vtique aureo in victoriæ signum. Græcè est *βαΐον*, atque *Baij*, & *Baion* ramum palmarem significat. Hinc explicabitur titulus Psalmi trigesimi tertij; *Dauid cùm immutauit vultum suum coram Achimelech*, in Hebræo est *coram Abimelech.* Vtrumque arduum est; nam illa immutatio vultus non accidit, nisi coram Achi Rege. Verùm si morem scripturæ consideremus illud Achimelech non est integrè accipiendum, tanquam nomen proprium alicuius, sed sic dissoluendũ coram Achi. *Melech*, hoc est, corã Achi Rege. *Melech* enim Regem significat; quod in Hebræo sit Abimelech parum refert, nã id est nomẽ commune Regũ Palęstinorũ, de quo posteà nonnihil memorandũ. In primo quoque Regum

Regum libro, capite septimo dicitur: *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerũt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab, in Gabaa.* Hic *Gabaa* non est nomen ciuitatis, vt existimauit Lyra, sed loci editi, aut collis in eadẽ ciuitate Cariathiarim. Gabaa enim Hebraicè significat collem, vnde quædam ciuitas in tribu Benjamin nomen accepit, quoniam in colle ædificata erat. Hîc autem solùm collem significat, & sublimiorem locum ciuitatis Carjathiarim, vbi arca resedit, quod satis constat ex priori Paralipomenon libri, capite tertio decimo, vbi quæ in libris Regum dicitur: *Gabaa* appellatur *collis*. Sic enim ait: *Ascendit Dauid, & omnis vir Israël ad collem Cariathiarim, &c. vt afferrent inde Arcam Domini de domo Abinadab.* Apud Ioëlem quoque capite tertio: *Vallis Iosaphat* ponitur iuxta sanctum Hieronymum, Rupertum, Haymonem, Albertum, & Ariam Montanum pro *Vallis iudicij Domini.* Et sic habet Chaldæus, etenim Iosaphat idem est ac iudicium Domini; quamuis non quidem incongruè determinatam vallem etiam significari censeam, scilicet vallem illam latam, longam & profundam, quæ est inter Ierusalem & montem Oliueti, quam perluit torrens Cedron, & in qua hortus erat Gethsemani, vbi Christus extremâ nocte orauit, & proditus fuit à Iuda, vbi & Gehenna erat & Thopheth, & infantes cremabantur idolo Moloch, vbi & commune vulgi cœmeterium erat, vbi & sepulta Beata Virgo Maria, inquit Adrichomius, vbi & à piis Regibus Ezechiâ & Iosiâ combusta templi idola, & aliæ sordes. Nomen verò accepit Vallis Iosaphat ex triumpho, quem istic egit, & ex arcu triumphali, ac pyramide quam ipsi istic erexerunt post victoriam partam de Ammonitis, Idumæis, Moabitis & Syris inquit V. Beda & Saligniacus. Fuerunt autem omnia ista quasi typi & figuræ eorum quæ in iudicio extremo in hac valle peragenda sunt. Et Ioel cap. 3. sat indicat vallem hanc iudicij propinquam fore vrbi Ierosolymæ, supra cuius verticem in aëre Christus Iudex thronum suum & tribunal regium figet, è quo disceptabit, id est, iudicio contendet cum omnibus gentibus in subiecta valle Iosaphat, vicinisque circum regionibus in vnum collectis. Et verò cùm debeat aliquo loco iudicium institui, non videtur toto orbe commodior designari posse, quàm meditullium orbis inhabitati, in quo ipsemet Iudex per passionem & mortem suam operatus est salutem totius orbis. Vt vbi ipse ab impiis iudicatus, damnatus crucifixus est, & summâ ignominiâ affectus, summo vicissim honore ab omnibus excipiatur, (vt ipsemet Caiphæ prædixit) & omne genu ipsi flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.

CAPVT XIX.

Cur Sem dicatur Pater omnium filiorum Heber?

HÆc quidem nominum Hebraicorum conseruatio, substitutioque pro eorumdem significatu, licet ita interdum eueniat, non etiam præsenti loco necesse fingere; existimo enim *Heber* non aduerbium, sed nomen viri proprium esse. Sicut nonnulla ex his quæ protulimus, excusari possunt. Nam *Rehobot* fortasse non malè acceperunt Septuaginta pro nomine proprio ciuitatis; nam ipsemet sanctus Hieronymus in capite trigesimo sexto Genesis eandem vocem vt nomen proprium sumpsit. Quod eo loco negari non potest, & siue eadem sit cum Niniue, quæ binomina fuerit, siue diuersa ciuitas, à plateis latis ita dicta videtur. Sæpè quidem, tum in Vulgata, tum in Septuaginta vsurpatum videmus, vt pro nomine proprio vocis interpretatio substituatur, cuius multa postea exempla cumulabimus. Ochozath autem videtur etiam nomen proprium esse amici alicuius, qui Abimelech adhæsit, fauentque Hieronymus, Septuaginta, & Pagninus: quoniam מֵרֵעֵהוּ *merehehu* verti aliter non potest, quam *amicus eius*: nam vt verteretur *amicorum eius*, debuisset in Hebræo esse מֵרֵעָיו *mereau*. Phicol autem quid obesset nomen esse proprium sicut & Ophel? Quoniam S. Hieronymus ex LXX. & antiquorum Hebræorũ traditione scribit duas fuisse præcipuæ altitudinis turres Hierosolymis, vnã *Hophel* dictam à caligine, quod ad nubes pertingeret, alteram *Baham* à probando, quod in contemplando eius culmine probarentur oculi, an satis perspicaces essent. Atque vtriusq; meminit Isaias capite 2. supra trigesimum. Prope alteram harum turrium dicitur eo loco Ioatham Rex construxisse magnam muri partem cum opportunis propugnaculis, & vrbis ornamentis. Similiter puto nomen Heber, non pro aduerbio *trans*, sed pro ipso proprio nomine Heber inpræsentiarum sumptũ. Notantissimè enim & meritò animaduertendũ erat Sem fuisse patrem omnium filiorum Heber, vt penitùs clareret, aut magis commendaretur Israëlem ex Sem nobilissimo, & maiore Noë filio traxisse genus, quod dubium esse

Ioann. Euseb. de Origine S. Script.

poterat; quoniam in orbis partitione Iapheto contigit Europa cum aliis Septentrionalibus partibus Asiæ: Cham sortitus est Africam, & Chananæam; ad Sem spectauit Asia. Cùm igitur Israelitæ, & omnes posteri Hebet non habitassent in ea parte quam sortitus est Sem, sed quæ pertinebat ad Cham, oportuit hoc inculcari, nimirum Sem esse progenitorem illorum, & per Heber virum alioqui eximium; de quo eadem causa ambigere aliquis posset ex Sem habitatore Asiæ genitum, si audiret ex eo descendere Israëlitas habitatores Chananææ: cuius Heber posteri, licèt quidam in Asia, quidam in Chananæa habitarent, omnium pater non Cham, sed Sem fuit, vt quamuis Israelitæ in Chananæa vixissent, & postea in Ægypto, quæ prouinciæ spectabant ad Cham, & posteri eius occupauerant, nihilominus filij erant Sem, quamuis Asia ad eum spectaret. Idcirco notanter additur *omnium*, non solum dicitur Sem pater filiorum Heber, sed omnium tam eorum qui cis Euphratem, quàm eorum, qui vltrà, hoc est, Hebræorum etiam. Hæc est causa eius animaduersionis: *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber*. Hic erat Moysis scopus genus nobilissimum Israëlitarum, ex Sem deducere, & prosequi. Idcirco prius narrat progenies Iaphet & Cham, vt ab eis citò se expediret, & vltimo loco narrat generationes Sem, cuius posteros per Heber sanctum & excellentem virum prosecuturus erat. Sed duo ibi aduertit, & esse patrem omnium filiorum Heber, & fratrem Iaphet maiorem. Primum notauit ob rationem dictam, ne putaretur, aut dubitaretur Heber vir adeò insignis, qui habuit posteros in partitione Cham, & partitione Sem, ex Cham fluxisse, & non ex Sem: alterum notauit, ne putaretur Sem esse vltimum filium Noë, cum vltimo loco eius generationem enarraret, sed esse fratrem maiorem, licet vltimo loco eum memoraret, id tamen fecit, quoniam eius posteritatem prosequi, in animo habebat.

CAPVT XX.

An lingua Hebraica vsus fuerit in Chananæa ante aduentum Abrahæ?

OPORTET quoque vt partim ea, quæ superiùs diximus, firmemus, partim quæ asserturi sumus, præstruamus explorare, an olim ad vnam dumtaxat familiam reclusus fuerit Hebraicæ linguæ vsus, vt plerique putarunt. Hinc etiam magis elucebit Hebræum nomen, non ab Heber decisum vna cum lingua Hebraica, siquidem ea olim lingua fuerunt locuti multi non Hebræi, imò vt ego puto, omnis Chaldæa vulgarem linguam habuit eam ipsam, quam nunc Hebraicam vocamus. Postea istud roborabimus, nunc examinemus, an extra Chaldæam patuerit eadem lingua. Id volunt Arias Montanus, nostri Gabriel Aluarez, & Iacobus Bonfrerius. Et quidem multa sunt, quæ probant Chananæos vsos fuisse linguâ Hebræâ. Quod indicant nomina Hebræa insignium hominum Chananæorum, imò vrbium: Melchisedech, Abimelech, & Adonisedech Chananæi erant, & tamen eorum nomina Hebraica sunt. Salem quoque, Hiericho, Cariat Sephet, Cariatharbe, Cariatbaal, & alia plurima vrbium, locorúmque Chananæorum nomina sunt Hebræa, hausta ex Hebraicæ linguæ fontibus. Accedit vaticinium Isaiæ capite decimo nono, vbi ait: *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes linguâ Chanaan*. Lingua autem Hebræa est consentientibus omnibus interpretibus, quam hoc loco significauit Propheta. Tum etiam quomodo aliàs cum Chananæis Patriarchæ locuti fuissent, suósque concelebrassent contractus? quomodo Gabaonitæ cum Iosue, quomodo cum exploratoribus Rahab egisset? Si lingua Hebræa lateret in angulo non terræ alicuius, sed vnius domus inter Nachor, & Thare Chaldæos, aut Thare, & Abraham. Quonam pacto erupit in Chananæos, nisi iisdem innotueret. Neque huic obiecto faciunt satis, qui Melchisedech affirmant fuisse Sem primogenitum Noë, ac proinde non mirum Hebræum nomen possedisse, ipsiusque Hebraicæ linguæ gnarum. Iam enim hoc responso firmatur vsus Hebraicæ linguæ in Chananæa fuisse. Deinde de Abimelech Rege Geraris, & de Adonisedech Rege Hierusalem, quid dicendum? Præterea falsum mihi est Melchisedech Sem fuisse. Potioris momenti est, authoritas Apostoli appellantis Melchisedech sine patre, & sine matre, quoniam in Scriptura non fiat mentio eius genealogię, quàm existimatio Rabbinorum suspicantium filium Noe fuisse. Etenim si Sem fuisset Melchisedech, eius in sacris Literis genecatio non semel traditur. Præterea Oriens, & Asia ad Sem spectabat, illucque commigrauit,

commigrauit, non Chananæa, quæ portio posterorum Cham erat. Vt quid Regnum quęreret Sem Rex iustissimus in alienis sedibus? Denique Apostolus indicat non esse Melchisedech de genere & prosapia Abrahæ, dum dixit: *Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham.* Hebr. 7.

Hæc tamen omnia non suadebunt mihi Hebræam linguam, cùm prima omnium fuerit, & post Babylonicam confusionem residua in progenie Sem, per lineam Heber, & Phaleg communem fuisse filiis Chanaan, quos puro diuersâ linguâ vsos: nam in diuisione linguarū, cùi Heber & Phaleg astiterunt, qui cum Hebraicæ dialecti puritate remāserunt; afferunt quoque Chanaan, & vndecim filij eius, in quos diuisæ sunt diuersæ familiæ, & populi, ac proinde diuersę linguę. Preterea indicia quibus probari videtur linguā Chananęorū esse eandem cum Hebræa, suaderent quoque vnam esse linguā Chananæorum: non ita factum est, plures namque numerantur filij Chanaan, cùm accidit diuisio linguarum, & gentium, atque in totidem linguas videntur diuisi. Septem saltem Chananæorum populorum celebris in scriptura mentio fit. Deinde variatio nuncupationis Regum Hierusalem, quorum vnum Moyses vocauit *Melchisedech*, alterum Iosue dixit *Adonisedech* indicat non eos esse sonos vocum propriæ eorū linguæ, sed interpretationes iuxta Hebręam, sic differenter interpretari sunt, hoc est, diuersis vocibus Hebræis idem tamen significantibus, quod apud habitatores Salem vnâ voce, & nomine sonabat, quemadmodum hanc vocem Imperator iustitiæ æquè rectè interpretaretur Hebraicè, qui Melchisedech, ac qui Adonisedech diceret. Puto enim Reges Salem, imò alios Chananæos habuisse communia nomina, non aliter ac omnes Reges Ægypti dicebantur olim Pharao, postea Ptolomæus: femina Cleopatra: Reges Syri, Benadab: Reges Medi, Arphaxad: Reges Babylonij, Merodac: Imperatores Romani Cæsares à primo omnium Cæsare: sic Reges Salem in Chananæa dicti sunt suâ linguâ communi compellatione Rex iustitiæ, siue vnicâ voce, *iustidominans*, à pio illo, & sancto Rege, quem habuerunt: is fuit, qui occurrit Abrahæ, quem eiusmodi vocabant omnes propter eximiam eius iustitiam, & sanctitatem. Vnde nomen illi proprium est tributum, inde tamen communi appellatione cæteri eius ciuitatis Reges idem nomen vsurparunt tanquam faustum & felix. Sicut nomen Cæsar proprium fuit Cæsaris primi omnium Romanorum Imperatoris, à quo cæteri Imperatores communi agnomine dicti sunt Cæsares.

Abimelech quoque, id est, *Pater meus Rex* communis agnominatio fuit Regum Chananæorum: sic nuncupatur Rex Geraris, imò & Rex Geth, qui proprio nomine Achis dicebatur, quòd Psalmi trigesimi tertij confirmat inscriptio, quam paulò ante notauimus, & secundum Hebręum hæc est: *Dauidis in mutando ipsum gestum suum ad faciem Abimelech, & expulit eum, & abyt.* Iuxta hæc in multis exemplaribus inscribitur: *Dauid cùm immutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abyt.* Alludit ad historiam libri primi Regum, vbi dicitur de Dauid: *Extimuit valde à facie Achis Regis Geth, & immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ; defluebantque saliuæ eius in barbam, & ait Achis ad seruos suos, vidistis hominem insanum, &c.* Cùm igitur Achis fuerit iste Rex, & in Psalmi titulo Abimelech dicatur, censuerunt S. Basilius, Rabbi Dauid, & alij, hoc fuisse commune nomen. Opportunè quoque Rex Achis quoad res Dauid vocatur communi nomine Abimelech, id est, Pater Rex, vt multi Rabbini notant, quoniam hic Rex Geth tanquam Pater se habuit erga Dauid; nam hortantibus cunctis ad perniciem Dauid seuire noluit, sed benignè se habuit, & eodem modo affectus, ac olim Abimelech ergà Abraham & Isaac.

CAPVT XXI.

Respondetur obiectis pro vsu Hebrææ linguæ in Chananæa. Explicantur plura Scripturæ loca.

IGITVR ad primum indicium, quo probari videtur Hebræam, Chananæamque linguam vnam, & eandem esse, nimirum ex argumento nominum Hebraicorum, quibus viri & vrbes Chanaan designantur multis modis respondemus. Primò, quædam nomina esse non ipsissimas voces quibus Chananæi vtebantur, sed earum interpretationes

pretationes non aliter ac nomina propria Hebræorum per interpretationem significationis denotat interpres Latinus, cuius multa exempla in scriptura inueniemus: in primo libro Paralipomenon, capite septimo, dicit noster Interpres, *Regina peperit virum decorum.* Hebraicè est, *Molechet peperit Ishod.* non autem transcripsit nomina propria cum sono, & voce Hebræâ, sed cum significatione Latinâ, *Molechet* enim significat Reginam; & *Ishod* virum decorum; *Is* enim virum significat, & *hod* decorem. Sic compositum *Ishod* virum decoris, siue virum decorum designat. In secundo Regum libro, capite vigesimo tertio dicitur: *Hæc nomina fortium Dauid, sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres.* Hîc etiam res significata substituitur pro nomine proprio, *Iesbaam filius Hachamoni*, prout vocatur vndecimo capite primi Paralipomenon, quod teste sancto Hieronymo, idem est, atque sedens in populo, seu in Cathedra *sapientissimus.* In quarto eiusdem libri Paralipomenon capite dicitur: *Qui stare fecit Solem, virique mendacij, & securus, & incendens, qui Principes fuerunt in Moab.* Multi hoc loco hallucinati putarunt alium in veteri Testamento præter Iosue, Solem detinuisse fixum. S. Hieronymus, Dionysius, Hugo, Lyranus, Feuardentius, Abulensis, & Glossa ordinaria, ex Hebræorum somniis tradunt, ad preces *Elimelechi*, vt suos Bethleemitas conuerteret, *stetisse Solem*, vt steterat tempore Iosue. Non est opus hoc confingere; *nam qui stare fecit Solem* sicut *mendacium, & securus & incendens*, Nomina propria sunt significantia Hebraicas voces. Qui stare fecit, supple Solem, significatio est nominis proprij *Iockim.* Sic viri Mendacij pro viris oppidi *Cozeba.* Rursum *securus, & incendens* pro *Ioas* & *Seraph.* Hi enim quatuor fuêre Principes ex posteris Iuda per *Selam* propagatis, qui peregrinati fuerunt in *Moabitica* regione. Quoniam igitur Hebræi nominibus propriis vel gentilitiis sæpè mysterium aliquod, vel rem particularem designant, hinc interpretes, ne mysterium illud, vel allusio vocis occulta remaneat pro nomine proprio, vel gentilitio, quod est in Hebræo sæpè interpretationem ponunt, vt Genesis vigesimo sexto pro nominibus puteorum propriis ponunt significatum eorumdem, vnum pro *esec*, vocantes *calumniam*, alterum pro *sitna*, *inimicitias*; tertium pro *rechobot, latitudinem*; quartum pro *sabea, abundantiam.* Iob vltimo filias Iob vnam vocat *Diem*, alteram *Cassiam*, tertiam *Cornu stibij.* Oseæ primo, filiam suam vocat *Lo-rachuma*, id est, *absque misericordia*; filium, *Loammi*, id est, *non populus meus.* Ad quem locum simili modo interpretantes alludunt Paulus ad Romanos nono, & Petrus primæ Epistolæ, capite secundo. Sic Sophoniæ secundo, pro *ponet speciosam.* Hebræa, Chaldæa, & Septuaginta habent, *ponent Niniuem*, (quæ Hebraicè *speciosam* significat) *in solitudinem, & in inuium, & quasi desertum.* Michææ primo, pro *Aphra, Sapir Maroth & Aczib*, quæ sunt nomina propria vrbium, ponit interpres *puluerem, pulchram, amaritudines, mendacium.* Secundo Regum octauo: *Tulit Dauid Frænum tributi* (Hebraicè *methegamma*, & est cognomen vrbis Geth) *de manu Philisthijm.* Secundo Regum vigesimo primo, pro *Elcanan filius Iaare*, Noster ponit *Adeodatus filius saltus.* Prouerbiorum trigesimo capite, pro *verba Agur filij Iake.* Interpres habet *verba congregantis filij vomentis.* Sic Ezechielis vigesimo quinto, pro *interfectoribus*: Et Sophoniæ secundo, pro *perditoribus*, Hebraicè est *cherethim*, quod plerique putant proprium nomen esse gentis. In Psalmo septuagesimo quinto: *Factus est in pace locus eius*, Hebraicè est, in שָׁלֵם *schalem*, seu *Ierusalem* de qua vrbe loqui Prophetam patet ex vocula *Sion*, quæ immediatè subnectitur. Secundo libro Esdræ, capite tertio
2. Esd. 3. dicitur, *turris centum cubitorum*, pro turri *Meah*, hoc erat eius nomen. Eiusdem libri capite sexto, *vituli* ponuntur pro *Chephirim*, quod erat nomen proprium loci. Similiter capite nono dicitur *ignis Chaldæorum*, pro *Vr Chaldæorum*, nomen ciuitatis Chaldaicæ est. Multa hinc explicabuntur nomina titulis Psalmorum inscripta, vbi passim substituuntur interpretationes vocum pro nominibus instrumentorum. Huiusmodi fortasse accidit multis Chananæis vocibus in interpretatione Hebraica, quod Hebraicis in interpretatione Latina, vt quemadmodum interpres Latinus significata expressit, nihil de voce Hebræa, & sono curans. Sic etiam Moyses significata Chananæorum nominum notasse potuit, non ipsissimas voces.

Deinde vsu forsitan venit aliquas voces Hebræorum, & Chananæorum easdem esse, quamuis in tota lingua dissiderent; Latini enim, Hispani, & Itali, quamuis linguâ dissideant, concurrunt quibusdam in vocabulis. Quin Barbari Peruani nomina propria possidebant, quæ significationem Hispanam præferunt, sicut *Manco, Capay Roca*; habebant quoque Romana nomina. Sic etiam Germani, Galli, Macedones, Thraces, & Hispani antiqui conspirarunt in nomine *Berg*, id est, mons, vnde multa sunt oppidorum nomina deducta, *Bergium* in Germania, *Bergomum* in Gallia Cisalpina, *Berga* in Macedonia, *Bergium*

&

& *Berga* quoque in Thracia. Porrò in Hispania plura sunt *Bergilla*, *Bergidum*, *Bergusia*, quod compositum est ex *Berg*, id est, mons, & *huus*, hoc est, domicilium. Multæ huiusmodi communes voces Italis, Hispanis, Gallis ostendi possent. Sicut enim aliquæ voces Hebrææ concurrerunt cum Ægyptiacis, & Idumæis, seu Arabibus: sic etiam cum Chananæis concurrere possent, & multò maior occursus in consideratione nominum accidet. Moyses nomen Ægyptium est, idem tamen, & Hebræum: namque ab vtraque lingua deduci potest. Iosephus ait, eiusmodi appellatum Moysem, quoniam Ægypti vocent aquam *mos*, & *yses* seruatos, quasi qui fuerit seruatus & liberatus ab aqua. Eadem fermè habent Philo, Clemens Alexandrinus, Procopius, Rabanus, nomen Ægyptiacum fatentes, & quidem femina Ægyptia nomen illud imposuit. Nihilominus Hebræum etiam nomen agnoscunt Tostatus, Eugubinus, Oleaster, Forsterus à radice משה *mascha*, quod significat *educere*, præsertim ex aqua: Quoniam in hoc dumtaxat sensu reperitur in Scriptura. Sic sunt multa nomina, quæ etymologiam Hebræam habent simul & Arabicam, vt Iudas Hebræis est *confeßio*, Arabibus *sparsus*. Bethleem *domus panis* Hebraicè sonat, Arabicè *domus carnis*. Et sexcenta alia quæ suprà dedimus. Quapropter si Ægyptiacis, & Arabicis significationibus concurrere possunt Hebraica nomina, non mirum si Chananæa cum Hebraicis aliquando componantur. Accedit non leui ex parte aliquorum Chananææ populorum linguam quasi mediam esse inter Hebræam & Ægyptiam, quemadmodum sanctus Hieronymus notauit. Tandem aliquorum locorum nomina fortè per anticipationem Hebræis nominibus signantur à Chananæis olim diuersimodè vocata, quod de *Chariath-Sepher* multi excogitarunt, & suprà notauimus. Frequens est sacræ Scripturæ hæc anticipatio nominum. In capite trigesimo primo Geneseos vocatur mons Galaad antequam illud nomen ipsi imponeretur in federe Laban & Iacob. In capite quadragesimo septimo Genesis dicitur: *Ioseph verò patri & fratribus suis dedit poßeßionem in Ægypto in optimo terræ loco Rameßes*. At Ramesses post multos annos ædificata fuit ab ipsis posteris Iacob, vt dicitur capite primo Exodi. Itaque Moyses in Genesi vsus est anticipatione, & ab vrbe Ramesses postea ædificata, voluit terram Gessen appellare terram Ramesses. Balam quoque vrbem Genesis quartodecimo capite vocat *Segor*, quæ non tunc, sed postea eiusmodi est vocata, cùm euasisset Loth ex Sodomis. Ibidem vocat montes Seir, qui longè post huiusmodi nuncupati fuerunt. Item Dan vocauit, quæ tunc temporis Lais dicebatur. Similem ritum nomina locorum anticipandi ex Virgilio suprà dedimus. Alia quæ adiiciuntur pro vsu Hebraicæ apud Chananæos linguæ minoris momenti sunt. Parum quippe refert posterioribus sæculis vocari Hebræam linguam, linguam Chanaan, cùm tunc temporum in Chananæa vigeret, postquam occuparunt Chanaan Hebræi, non tamen inde sequitur olim eamdem fuisse linguam; nam nec lingua Hispana post Romanorum, & Gothorum aduentum eadem est, quæ olim. Denique initiò Hebræi poterant agere cum Chananæis, aut discendo linguam, aut malè loquendo, aut per interpretem, aut ex similitudine, & non maximâ diuersitate dialectorum sicut Itala, & Hispana.

CAPVT XXII.

An lingua Hebræa vsus fuerit apud Chaldæos, & Mesopotamos?

Explicatur locus arduus Genes. 31.

QVAMVIS autem Chananæis negem Hebraicam dialectum non Chaldæis, & Mesopotamis, imò credo natiuam, patriamque Chaldæorum linguam fuisse Hebræam, atque vt omittam nomina Chaldæorum, & Mesopotamorum, vt Bathuel, Laban, Lia & Rachel, quæ Hebraica sunt. Fœdus Iacob & Laban nunc considerandum est, quippe in quo reperiemus Laban Mesopotamum genere quidem Chaldæum, Hebraico idiomate vsum fuisse; hoc interim dispiciemus, donec vberiùs confirmabimus, Hebraicam locutionem generalem fuisse Chaldæis, quod nonnullis magnam difficultatem ingessit. In capite trigesimo primo Geneseos dicitur: *Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum, dixitque fratribus suis: afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederúntque super eum, quem vocauit Laban, Tumulum testis, & Iacob, Aceruum testimonij, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ, dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me, & te hodie, & idcir-*

eo appellatum est nomen eius Galaad, id est, tumulus testis, &c. Hic locus sic multos anxios habuit, vt nihil haberent dicere nisi mendum esse vulgatæ. Absit vt tam facile criminemur probatissimam versionem limpidiorem ipso originali textu, prout nunc habemus, maximè cùm probet rem mihi veram, & quam postmodùm robotabimus, nimirum Hebræam linguam possedisse pristinos Chaldæos. Hoc egregiè supponit iste locus, & sic facilis: iis autem qui intra vnam familiam Abrahæ, Isaac, & Iacob Hebraicum idioma premunt, arduus satis. Namque Hebraicum est, quod Laban locutus est, & quidem iuxta proprietatem linguæ suæ, vt notat Vulgatus. Verba autem Iacob non Hebraica, sed potius Syriaca sunt. Quod dixit Iacob est aceruus testimonij, non quidem Hebraicè: nam est Syriacè יְגַר שָׂהֲדוּתָא *Iegar Sahaduta*; quod autem dixit Laban, est tumulus testis, Hebraicè quidem גַּלְעֵד *Galhed.* Differentia vtriusque pronuntiati est, quod Laban locutus sit Hebraicè, & concreto vsus fuerit, Iacob Syriacè, & abstractum posuerit: licet enim *Iegar* Syriacum, & *gal* Hebræum idem prorsus significet, aceruum scilicet, aut tumulum. At שהדותא *Sahaduta*, Syriacum formam habet Syriaci abstracti, & valet idem, ac testimonium. Quod autem Hebraicè est עד *hed* significat concretè testem. Vt hanc difficultatem eluderet noster Delrius, ingeniosum excogitauit effugium; putat enim Labanum Syriacè aceruum testimonij vocasse, & Iacobum Hebraicè tumulum testis: & hoc apertè habetur in fonte Hebræo, versione Septuaginta, & Paraphrasi Chaldæa; & indicat Latinus illâ suâ additione, sed vt in fœderibus moris fuit, vt conceptis verbis ea ferirent, & iis dicendis inuicem præirent, Iacobum præeuntem dixisse *Galhed*, & id Labanum subsequentem verba repetiisse: similiter Labanum præiuisse nomen *Ieghar Sahadutha*, & id subsecutum Iacob repetiisse; atque ita nomen ab altero impositum, alterum mutuò confirmasse: & hoc Nostrum velle, cùm Syrum nomen tribuit Iacobo, & Hebræum Labano. Arguta hæc euasio potiùs quam vera; neque enim congruit cum illis nostri textus verbis, vbi cùm positum esset Laban sic, Iacob sic appellauit, subditur *Vterque secundùm proprietatem linguæ suæ.* dicere enim debuisset in sententia Delrij, vterque secundùm proprietatem linguæ alterius, si alter alterius linguâ vsus esset, non suâ.

Deniqueipse Delrius modicum fidens huic interpretamento, adhæsit iis, qui peccatum Librariorum fuisse credunt à quibus interpretis nostri verba iam olim transpositis his duobus nominibus inquinata & nostrum vertisse, scripsisséque: *Quem vocauit Iacob tumulum testis, & Laban aceruum testimonij*; hoc enim conuenit cum eo, quod addidit, & Ecclesia semper recepit, *vterque iuxta proprietatem linguæ suæ.* Et sic conueniet interpretatio nostra cum fonte Hebræo, & cum Septuaginta. Nam Hebraicè habetur, *Et vocauit eum Laban Iegar Sahadutha, & Iacob vocauit eum Galghed.* Septuaginta, καὶ ἐκάλεσεν αὐτὸν Λάβαν, βουνὸς τῆς μαρτυρίας· ὁ δὲ Ιακὼβ ἐκάλεσεν αὐτὸν, βουνὸς μάρτυς. Eodem modo Chaldæus. Idem iudicauit Cornelius à Lapide; sed maior mihi reuerentia est nostri Vulgati, libentiúsque impegisse credam Hebraicos librarios, siue casu, siue inepto consilio. Neque Latinus textus corrigendus est per Hebraicum, sed Hebraicus per Latinum, vt ipse Delrius fatetur in caput Genesis octauum; non enim tot sæculis prætulisset Ecclesia vitiatam versionem, & certissimum est Iudæos descriptores librorum Hebraicorum sæpè indoctos, semper homines, & sæpè labi potuisse, nonnunquam voluisse. Sic puto aliquem sciolum Hebræorum transmutasse dicta Iacobi & Labani ne Labano idololatræ linguam suam Hebraicam tribueret. At non ita solers fuit, qui errati sui vestigium non relinqueret; nam paulò pôst in ipsa formula paciscentis Labani Hebraicum verbum scribitur, & nomen loci illius Galaad appellatum à Labano, dum ait: *Dixitque Laban: tumulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est, tumulus testis, intueatur & iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus à nobis, si afflixeris filias meas.* siue enim Hebraicè appellatum est ille locus Galaad à Labano, siue ab aliis propter dictum Labani vtrouis modo colligitur Labanus Hebraicè locutus. Non enim placebit fingere à Iacobo ita vocatum, neque leniter hoc fert contextus Scripturæ; non ex colloquio Labani, non ex stipulatione Iacobi illud nomen est inditum: sic alij alio diuerticulo conati sunt difficultatem euadere. Sanctus Hieronymus in quæstionibus petparum putat referre, siue dicatur *aceruus testimonij*, siue *tumulus testis*; & eundem aceruum ab vtroque suo idiomate idem significantibus vocibus significatum. Sed videre non possum quo pacto hoc sine vi & contorsione Latinis verbis nostræ vulgatæ queat accommodari, in qua disertè tumulus subauditur, & illa inter se opponuntur *tumulus testis*, & *aceruus testimonij.* Non puto Diuum Hieronymum hæc dicentem ad nostram versionem respexisse sed ad fontem Hebræum. Et licet Leonardus Marius, & noster Bonfrerius etiam in Vulgato

gato parum censeant interesse, siue hoc, siue illo modo dictum sit, & imputatum Iacobo, aut Labano, non placent; nam differentiam aliquam voluit notare vulgatus, quod vnus in abstracto dixerit *testimonium*, alius pronuntiarit concretè *testem*, quæ quidem differentia pariter est in Syriacis, & Hebraicis verbis, ac proinde debuit responderc dicto vtriusque, non confundere, aut transmutare verba. Præterea impositio Hebræi nominis *Galaad*, aut à Laban aut ex alloquio Laban confirmat Hebraicè ipsum locutum, quod postea vberius comprobandum est. Siquidem ni fallor, in Chaldæa; & cis Euphratem Hebraicæ linguæ vsus viguit. Progenies autem Abrahæ transmisso Euphrate paulatim illi desueuit linguæ, Chananæorum conuictu, quorum aliquibus Syriacæ linguæ vsus fuit; Chaldæi verò tametsi olim Hebraicè fuerint locuti, tempore tamen loquelæ priscæ puritatem corrupisse; quo autem pacto Israëlitæ vsum Hebraicæ linguæ repeterent, quum apud Chaldæos desierit, postmodum demonstrandum est.

CAPVT XXIIII.

Posteri Abrahæ mutarunt dialectum, Latinorum instar, Hispanorum, Gallorum, & Germanorum.

PVTO igitur posteros Abrahæ tot peregrinationibus, & dum inter alienigenas degebant Hebraicæ linguæ puritatem paulatim omisisse, donec tandem in Ægypto illis vulgo excidisset. Priùs demonstrabo, vt ea, quæ superiori capite adstruximus, roboremus ipsam rerum naturam ferre, vt idiomata sic tempore varientur, donec in aliam transeant linguam, quemadmodum Italis, Gallis, Hispanisque accidit, quibus olim communis fuit lingua Latina, quæ successu temporis sic genuinam formam deposuit, vt in tres linguas desierit diuersas. Verissimè sanctus Hieronymus dixit: *Ipsa latinitas & regionibus quotidie mutatur & tempore.* Ideo dixit Paulus super Festum: *Latinè loqui à Latio dictum est, quæ locutio adeo versa est, vt vix vlla eius pars maneat in notitia.* Quin ipsam linguam iam deformatam, Hispanicam scilicet, aut Gallicam fermè intra quatuor centum annos accidit satis variari. In primis in ipsamet lingua Latina intra pauciores annos quàm contigit peregrinatio Abrahæ, & posterorum eius, tantam deformitatem Polybius notauit, ab expulsione nimirum Regum ad sua vsque tempora (interuallum fuit trecentorum & quinquaginta annorum, quippe Polybium habuit Magistrum Scipio Africanus, qui Carthaginem & Numantiam demolitus est) vt dixerit: *Tanta enim facta est mutatio Romanæ linguæ ab ea tempestate in hodiernam diem, vt etiam qui antiquitatis peritissimi sint, pleraque nonnisi difficulter intelligant.* Congruunt quæ Quintilianus notat: *Obscuritas etiam fit verbis ab vsu remotis, vt si Commentarios quis Pontificum & vetustissima fœdera, & exoletos scrutetur auctores, id ipsum petat ex his, vt quæ inde contraxerit, non intelligantur.* Idem alibi dixerat: *Saliorum carmina vix à Sacerdotibus satis intellecta.* Idem Marcus Varro notauit libro sexto de lingua Latina: *Licet multi legerent C. Aelij hominis in primis in literis Latinis exercitati interpretationem carminum Saliorum, videbis, & exili litera expedita, & præterita obscura multa. Nec mirum cùm non modò Epimenides post annos quinquaginta experrectus non agnoscatur, sed etiam Teucer Liuij post annos duodecim à suis, quis sit ignoretur.* Satis hoc comprobari possunt Festi Pompeij, & Nonij Marcelli libri, obsoletis Romanæ antiquitatis vocibus referti. Macrobius propterea carpit quemdam, qui priscis voculis vtebatur: *Tu autem quasi cum matre Euandri nunc loquare, vis nobis verba iam multis sæculis oblitterata, reuocare, vel quorum congeriem præstantes, quosque viros, quorum memoria continuus legendi vsus instruxit, incitasti.* Sanctus Isidorus obseruauit quatuor fuisse linguas Latinas: *Priscam, Latinam, Romanam, & mixtam.* Veniamus ad linguam nostram Hispanam, vt videamus paucis annis plurimum deformatam esse: hoc colligetur ex inscriptione variis linguis inscripta sacello Regio Hispalensi, vbi sepultus est Fernandus Rex cognominatus Sanctus; dabo inscriptionem Hispanam, & deinde Latinam, vt Hispanam intelligamus.

In proœm. lib. 2. ep. ad Galat.

Lib. 8. c. 2.

Lib. 1. c. 6.

Lib. 1. Saturn. c. 5.

A QVI YACE EL REY MVY ONDRADO DON
FERRANDO SEÑOR DE CASTIELLA E DE
TOLEDO, DE LEON, DE GALIZIA, DE SEVILLA,
DE CORDOVA, DE MVRCIA, ET DE IAHEN,
EL QVE CONQVISO, TODA ESPAÑA.
EL MAS LEAL, E EL MAS VERDADERO, E EL
MAS FRANC, E EL MAS ESFORÇADO, E EL MAS
APVESTO, E EL MAS GRANADO, E EL MAS
SOFRIDO, E EL MAS OMILDOSO, E EL QVE
MAS TEMIE A DIOS, EL QVE MAS LE FAZIA
SERVICIO, E EL QVE QVEBRANTO, E DES
TRVYO A TODOS SVS ENEMIGOS, E EL
QVE ALÇO E ONDRO A TODO SVS AMI-
GOS, E CONQVISO LA CIVDAD DE SEVILLA,
QVE ES CABEÇA DE TODA ESPAÑA E PAS
SOS HI EL POSTRIMERO DIA DE MAYO EN
LA ERA DE CIↃ CCXC.

Hic iacet Illustrißimus Rex Ferrandus Castella, & Toleti, Legionis, Galicia, Sibillia, Corduba, Murcia, & Iaheni, qui totam Hispaniam conquisiuit. Fidelißimus, veracißimus, constantißimus, iustißimus, strenuißimus, detentißimus, liberalißimus, patientißimus, pijßimus, humillimus, in timore & seruitio Dei efficacißimus, qui contriuit, & exterminauit penitus hostium suorum proteruiam, qui sublimauit, & exaltauit omnes amicos suos, qui ciuitatem Hispalensem, qua caput est, & metropolis totius Hispania de manibus eripuit paganorum, & cultui restituit Christiano, vbi soluens natura debitum ad Dominum transmigrauit, vltimâ die May anno ab incarnatione Domini CIↃ CCLII.

Idem de Gallica & Germanica lingua testatur Iuramentum quod affert Nithardus in historia de dissensionibus filiorum Ludouici Pij, quo concordiam inter se fanciunt Ludouicus & Carolus: Ludouicus quidem Romana lingua (id est, corrupta hac Gallica) sic perorauit:

Pro dio amur, & pro Christian poblo, nuestro cōmun saluament dist di en auant in quant di sauir, & prodir me dunat si saluaras eo cist meon fradre Karlo & in adiudha & in cadhuna cosa si cum om pro dreit son frada saluar dist ino quid il mi altre si fazet & abludher nul plaid nunquam prindras qui meon vol eiss meon fradre Karlo in damno sit.

Quis hæc ceperit nisi commoda interpretatio adiuncta in veteri Germanica lingua? Sic enim idem Nithardus: Quod cùm Ludouicus explesset Karolus Teudiscâ linguâ sic eadem verba testatus est:

In godes minna indutes Christianes folches ind vnser bedhere gealtnisi von tesemo dage frammordesso Framso mir Got gevviz ei indi madh furgibit so hald ihtis an minam bruher scal inthiutha zermig soso madno indunit lahrrem in nothe in mit hing nege gangothemi-nam vvillon imose scadhen vverhen.

Sed nec ea ipsa intelligenda, nisi composita inter se dent lucem.

CAPVT XXIV.

Inconstantia linguarum fulcitur exemplo Latinorum, Hispanorum, & Germanorum, quibus vocabula propria tempus fecit extranea, noua intrudens.

SIc linguæ variantur, deformanturque, sic vocabula noua nascuntur, sic vetera denascuntur. Egregiè cecinit Horatius in arte Poetica:

—— Licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.
Vt sylua foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas.

Et

Et iuuenum ritu florent modo nata, vigéntque.
Debemur morti nos, nostraque.....
Nedum sermonum stet honos, & gratia viuax.

Quis nunc Latinus credet esse idem *ctum* & diuisum; *assum* & purum:*atque* & festinè; *facul* & facile; *exercire* & sarcire; *extusulare* & exercere; *oscitum* & sacratum; *Pacionem* & pactionem:*remare* & reptare; *sas* & suas; *trigam* & vinum; *fragere* & displicere; *gnephosum* & obscurum; *forctum* & bonum;*emussitatum* & exactè factum; *padidum* & obsoletum;*sardare* & intelligere;*Trossulum* & equitem; *frendere* & frangere; *Griceneam* & funem;*Halapantam* & mendacem; *idulem* & ouem; *enubrum* & inhibentem;*parrere* & apparere; *scauum* & malum; *Tuditem* & malleum; *fuetle* & falsum, *gingeriatorem* & tibicinem:*eritudinem* & seruitutem; *pedam* & vestigium; *scensam* & cœnam;*torum* & aridum; *fulgere* & ferire; *glucidatum* & suaue; *eum* & eorum; *sebenteculam* & meretricem; *trepere* & vertere; *gnarigare* & narrare:*Helusam* & olera; *incillam* & fossam; *exdutas* & exuuias; *secespitam* & cultrum;*futare* & augere;*genas* & palpebras. Millia huiusmodi vocabula congerere possem Latina olim, iam Latinissimis ignota;imò aliquando nouæ voces, quæ fuerunt Latinis communes,ipsis iam inueteratæ in alienam traiecerunt dialectum. Hoc testatur quod Lipsius libro de recta pronuntiatione ex historia miscella attulit tempore Mauricij Imperatoris, vbi dicitur: *Clamante quodam Torna,Torna,frater vniuersas copias in fugam versas.* Cap. 3.

Quis Hispanus agnoscet *Omezillo* significare inimicitiam, *Talante* voluntatem, *ledo* alacrem,*loquero* locationem,*Tallar* secare,*orisses* argenti opifices,*fazienda* prælium, *Tardante* triremium,*feble* exilem,*Teble* terribilem,*Pardal* passerem, *fito* terminum,quē nunc dicimus mojon; *Xagas* vulnera,*manfesseres* testamenti executores, *omildanca* humilitatē, *afrontar* requirere, *Alfaxemes* tonsores,*falquias* capistrum, *Amesnadores* satellites,*Cabdelladores* duces, *Alnergueros* caupones, *Almocaden* ducem peditum, *Estauonero* bibliopolam, *conducho* cibum,*camisote* armaturam,*condensar* deponere, *Alcada* appellationem, *Bozero* aduocatum, *cabdales* vexilla, *esleir* eligere, *desposajas* sponsalitia,*auolcza* rem turpem & vilem,*Agiontamiento* pressuram,*Axar* reperire, *Barruntes* exploratores, *Denosto* iniuriam, *gafo* leprosum,*Capellina* galeam,*ensandecer* insanire,*Axente* argentum,*Carcauear* fodere, *Vera* latus,vnde dicta est *la vera de Placencia.* Quid verba? Orationes non intelligendas dabo. Quoniam interpretatione non indiget, quod olim Hispanicè scriptum fuit in legibus seu ritibus, qui vocantur *fueros de Badajos*, vbi inter alia sic præscribitur, *Todo home mesturgo,que mesturgare del concigil al rei quanto auter le manque, i le apelliden mesturgo sin ealoña. Todo home,que en la lid deslinare a otri antes de sin fazer a la arrancada pierda el quiñon,i meßexen le la barba.*

Quis nunc Germanus intelliget in *Buokestaf* literam,in *Adro* diluculo in *lepera* labia,in *Mangon* maxillas,in *Asca* cinerem,in *Bismer* opprobrium, in *Anlitton* vultum, in *Balon* cicatrices,in *Ando* zelum,in *Musca* passerem,in *Iagere* fœneratorem, in *Anfreson* interitum, in *Antomi* frenum,in *Mikil* magnum,in *Egisso* pauorem,in *Mendisle* lætitiam,in *Eldi* senectam,in *Kimo* germen,in *Drohtin* Dominum,in *Hermodi* furorem,in *vnera* reuerentiam,in *fusie* pestilentiam,in *Outrhoriga* præuaricantes,in *Solot* feram, in *Bisa* turbinem, in *Alcadi* insulas,in *Anagen* principium,in *Horvve* lutum. Hæc olim Germanica lingua, nunc nulla. Non malè quidem dixit ille qui de causis corruptarum artium scripsit: *Nam cum lingua arbitrium sit penes populum,dominum sermonis sui,mutatur subinde sermo vsque adeò,vt centesimo quoque anno prope iam sit omnino alius,nec qui tunc viuunt,eorum linguam intelligant, qui ante centum annos fuère.* Aptè Tertullianus in Apologetico gentes alloquitur, *Habitu, victu,ipso denique sermone proauis renuntiastis.* Ludouic. Viues lib. 2. de caus. corrupt. art.

CAPVT XXV.

Quibus indiciis afferi poßit linguæ Hebraicæ primatus?



HÆc omnia suadent,si labentium rerum naturam spectemus puritatem linguæ Hebrææ degenerem indies factam vsque ad Moysem, qui sacram Scripturam auspicatus est, cùm maximè domus Abrahæ inter extraneas gentes peregrina tot sæcula extiterit, & sine literarum Alphabetarum vsu, quo maximæ linguæ seruantur alligaris scriptioni vocibus:imo verò Israeliticum populum eam linguā in Ægypto pluri-

mum deformasse, imo amisisse fortasse multa monent. Quid? inquies, cur Hebraicè scripsit Moyses non intelligentibus Hebraicè? Fortasse verum in hoc est quod Theodoretus scripsit per Moysem datam linguam Hebraicam. Quod sic accipi potest, vt non desierit, propterea omnium primam esse. Imo quia fuit omnium prima, & senio obsoleuit, iam apud Israëlitas vt plurimùm oblita, decuit reparari, opportunè cùm lex Dei tradenda & conscribenda erat, cùm populum peculiarem sibi Deus collegit, cùm solemne fœdus, & pactum admirandum eum Israëlitis celebrasset tot prodigiis, & miraculis firmatum. Et hoc mihi non leue indicium est omnium linguarum primam esse; quoniam vt in ea sacra Scriptura traderetur singulari Dei prouidentia, & prorsus admirando modo reparata est, & reddita Israëlitico populo in exitu Israël de Ægypto, vt linguam quam iam non nouerat, audiret, & disceret à Deo. Tria hæc fulcienda sunt, aut saltem coloranda. Primum linguam Hebræam omnium primam esse, quæ apud Chaldæos resedit. Secundum sic deformatam ab Hebræis in seruitute Ægyptiaca, vt amissa esse, aut dici posset. Tertium diuinitus redditam, & reuelatam perfectionem suam in exitu Israël de Ægypto, vt sacra Scriptura in ea traderetur. In primis primam omnium linguam Hebræam fuisse suadere potest, vt modo dixi, hoc ipsum miraculum quod mox confirmandum pono. Singulare scilicet eius priuilegium, vt populo Israëlitico iam oblito illius rursus reuelata fuerit, & per Moysem data, cuius congruentias postea dabo: accedunt tamen alia indicia, aptissimæ nimirum rationes impositorum nominum antiquis hominibus, quæ congruunt Hebraicæ linguæ, namque causas eorum denominationis tradit Moyses iuxta eam linguam in qua scripsit; ergo ea nomina videntur eiusdem linguæ, in qua scripsit; scripsit autem in Hebræa: ergo Hebræa erunt illa nomina. Igitur & eius primæui temporis lingua Hebræa fuit. Deinde notat Moyses quædam nomina ipsissima, quæ Deus olim imposuit, illa autem sunt Hebræa: ergo Hebræa antiquior lingua videtur. Hoc constat ex vocibus ארץ *erets.* אדמה *adama.* שמים *schamajim.* Deus quippe locutus est Hebraicè, cùm nomina quæ posuit luci, terræ, firmamento, mari, & aliis rebus sint Hebraica. Præterea carere linguam Hebræam propriorum nominum piscium, an fortasse accidit, quoniam Adam
In Gen. c. nomina piscibus non indidit, vt Abulensis obseruat: *Ista est causa quare in Hebræo haben-*
13.q.328. *tur nomina multa auium, & animalium terrestrium, non habentur autem nomina aliqua piscium, nisi nomen commune piscis, sed non aliqua nomina propria.* Callionymus seu sacer piscis colligitur ex eius proprietatibus fuisse, quem occidit Tobias Iunior ex iussu Angeli Raphaëlis; non tamen exprimitur singulariter, sed communi nomine designatur. Accedunt aliæ rationes superiùs notatæ, quæ quamuis singulæ seorsum nihil firmum euincant, collectio omnium aliquid persuadet.

CAPVT XXVI.

Primi Chaldæi Hebraicè loquuti sunt.

HÆc igitur lingua vsque ad turris Babelicæ ædificium perstans communis humano generi, resedisse videtur in Chaldææ Regione: nam Chaldæus Abraham fuit quem gnarum linguæ Hebraicæ certissimum mihi est, & id monent priscum Abræ nomen, & postea nominis sui mutatio, & sacræ coniugis à Deo facta iuxta Hebræam linguam, tum posteros Heber, maiores Abrahæ in Chaldæa restitisse, vt ex sacra Scriptura iam ostendi. Scio Chronicum Alexandrinum notare ab Heber ortos esse Albanos, sed Scriptura nusquam hoc indicauit, ex qua constat posteros eius in Mesopotamia, & Chaldæa, non in Albania sedisse, nisi fortè per lineam rectam, id accidit. Præterea quoniam Heber, siquidem vir pius, & seruus Dei esset, turrique malo fine ædificandæ opem non tulisset, non fuit punitus linguarum dissidio, sed retento pristino eloquio in eadem sede Babylonica constitit, nec dispersus est cum posteris suis ex Phaleg: congruè siquidem in Chaldæa diuisæ sunt gentes & linguæ, vt dispergerentur peccatores, ne superbo animo ædificium promouerent, in ea regione manerent Dei cultores, qui non ex superbia: nec malo affuerunt animo. Atque hoc Dei beneficium agnoscens, & præuidens Heber eius memoriam celebrauit, vocans Phaleg quemdam ex natis suis; *quoniam in diebus eius diuisa sit terra*, nimirum per confusionem linguarum dispersis hominibus, quæ plaga non tetigit familiam Heber & Phaleg; nam cùm ipsorum lingua turbata non fuerit, neque inde

inde discedere opus habuerunt : maximè si Arphaxad auus Heber iam eius loci possessionem acceperat, qui primo illuc traiecit. Hoc enim confirmat communis existimatio S. Hieronymi & Iosephi, qui Chaldæorum progenitorem faciunt Arphaxad auus Heber, qui Heber dicitur natus eo tempore cum Arphaxad ex Armenia discedens Tigrim traiecit, & primus omnium consedit in Chaldæa, ac propterea nepoti tunc nato indidisse nomen Heber, hoc est, *transiens*, Tigrim nimirum. Ideo Chaldæi, vt notat Iosephus, primum vocati sunt Arphaxadæi, & Hebraicè dicti sunt כשדים *Casdim*, à tribus postremis libris nominis ארפכשד *Arpaksad*. Hic enim mos Hebræorum dimidiare aliqua nomina. At Arphaxad per Heber & maiores Abrahæ, Chaldæis dedit originem, quoniam eius posteritas sic narratur: *Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber; Natique sunt Heber filij duo, nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra, & nomen fratris eius Iectan*. Hæc dicuntur in capite decimo Geneseos, vbi describuntur nomina authorum familiarum à quibus diuisæ sunt gentes post diluuium; taceantur reliqui. Ergo Chaldæorum gens, qui genus suum duxit ab Arphaxad solum per Phaleg, aut Iectan illud potuit assequi. Cùm autem constet ex sacris literis Phaleg posteros Thare & Nachor Chaldæam habitasse; non autem filios Iectan, per Phaleg posteros dicendum progenitos esse Chaldæos per illos ipsos qui linguam quæ modo Hebræa dicitur, retinuerunt; hæc autem lingua nequit dici post diluuium in vna particulari, & sola familia, non autem gente superstitisse; tum quoniam gratis hoc diceretur, & difficulter accideret, tum quia diuisio linguarum sic facta fuit inter illas familias, vt eadem familia excresceret in gentem, vna cum eius lingua. Igitur quod euenit aliis familiis, quorum capita ibi numerantur, cur non idem accideret Heber cum Phaleg. Sacra enim Scriptura ait: *Ab his diuisæ sunt gentes post diluuium:* numerauerat autem Heber, & Phaleg. Ergo statim post diluuium diuisa est ab Heber vel Phaleg aliqua gens, cum lingua nimirum sua; nequit autem alia gens esse nisi habitans Chaldæam. Itaque gens Chaldæa linguam Heber retinuit: quoniam gens Hebræorum Israëliticus nimirum populus multa post secula exortus è Iacob, habitauit Chanaan; Chananæa autem imputari nequit Heber aut Phaleg, cùm ad Chanaan spectaret: eo enim ipso tempore, cùm post diluuium diuisi sunt Chanaan, & filij eius, diuisus quoque est Heber, & filius Phaleg cum propria lingua; ergo non fuit Israëliticus populus habitans Chananæam ille, qui spectauit ad diuisionem Heber & Phaleg, sed potius Chaldæus. Ex quo post multos annos prodiit gens Hebræa, quæ occupauit terram Chanaan. His adiungere possumus alia, quæ iam præmisimus, & hanc existimationem stabiliunt: nam Laban Mesopotami seu Chaldæi nomen Hebræum est, eiusque idioma Hebræum fuisse indicauimus. Hoc ipsum fulciunt quæ supra adduximus pro antiquitate Chaldæorum ante Hebræos, & principatu linguæ Chaldaicæ: nam re verâ antiqua lingua Chaldæorum ipsa fuit quæ mox Hebræa dicitur, & Israëlitæ in vsu habuerunt à libertate seruitutis Ægyptiacæ vsque ad captiuitatem Babylonicam, in qua hauserunt linguam, quam tunc temporis possidebant Babylonij, multorum enim decursu sæculorum degenerarunt à puritate Hebraicæ dialecti, quæ transformata fuit in Chaldæum, vel Syriacum idioma, quam deinceps loquelam vsque ad Christi Domini aduentum Iudæi vsurparunt. Neque mirum eandem gentem variasse post multa sæcula dialectum cum Hispanis, Gallis, Italis videamus accidisse, quæ mutatio dialecti facilior fuit, cùm scriptionis vsus non increbruit: Illam aduersus pronuntiata nostra præscriptionem iactabit aliquis, quomodo ad posteros Heber Chaldæa spectaret, cùm ibi imperarent filij Cham? Facilis & frequens est exceptio multorum, quæ obiectum istud diluet, per Tyrannidem scilicet hoc factum. Filij quippe Cham inuaserunt & dominari sunt illis Sem posteris, qui in Chaldæa resederant. Vnde hoc ipsum probat quod nitimur firmare, scilicet posteros Sem per Heber remansisse in campo Sennaar. Alioqui quomodo Nachor, Thare, & Abraham in Chaldæa degerent? Si etiam Assur filius Sem, qui ædificauit Niniuem, expulsus est à Nino ex filiis Cham, qui imperium illic collocauit.

CAPVT XXVII.

An lingua Hebræa amissa Israëlitis in Ægypto?



NVNC videamus quomodo hæc lingua in seruitute Ægyptiaca, aut amissa, vt plurimum fuit, exceptis paucis, aut corruptissima reddita? Iacobus Christopolitanus in Psalmum octogesimum, Iacobus Bolducus libro secundo, capite quoque secundo,

cundo de Ecclesia ante legem, & alij scriptores id supponunt, Hebræósque in Ægypto Ægyptio solum vsos idiomate affirmant, sed potior mihi ratio multiplex coniectura est: nam si exemplum Babylonicæ captiuitatis proferamus, in qua dubio procul amiserunt Iudæi Hebræam linguam, multo maiori ratione eius videntur obliti in Ægyptiorum seruitute. Et quidem amisisse Hebraicam locutionem captiuos Babylone Iudæos constat, quoniam exinde non Hebraicâ, sed Chaldaicâ, siue Syriacâ lingua sunt vsi. Et recens post captiuitatem non intelligebat populus Hebraica librorum sacrorum verba, nisi exponerentur Syriacè quod Esdras præstabat, magnâque lætitiâ populus exultauit, *quia intellexerat verba quæ docuerat eos.* Cur si hæc Babylone, non similia in Ægypto vsu venisse possunt, quoniam captiuitas Chaldaica dumtaxat fuit septuaginta annorum, in Ægypto autem ducentis & quindecim annis perstiterunt, seruitute autem oppressi centum & quadraginta quatuor, secundùm Eusebium, ad minus centum & decem. Præterea in Babylonicam captiuitatem traducti sunt linguâ integrâ & purâ Hebræâ vtentes, in Ægyptum autem degenerante iam propriâ dialecto per alios ducentos annos. Item pauciores anni Babylonicæ tyrannidis minus fuerunt molesti Iudæis nec comparandi cum impia, & prolixa oppressione Ægyptiorum. Babylonij priuatis studiis, & collocutionibus tempus, aut locum expediebant. Idcirco vocatur illa seruitus fornax ferrea, sicut Moyses loquitur:
Deut.4. *Vos eduxit Dominus de fornace ferrea Ægypti.* Et Salomon: *Populus tuus est, & hæreditas*
3.Reg.4. *tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.* Per Ieremiam quoque dicit Dominus: *Eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea.* Deinde dum in Babylone essent Iudæi literarum, librorúmque vsus increbruerat, imò non penitus exusta fuerunt Biblia sacra, cuius causa studium propriæ dialecti oportebat retinuisse. Eius nihilominus obliti sunt. In Ægypto autem nullus librorum Alphabetariorum vsus nulla sacra volumina, nulla scriptio, quæ religatas Hebraicas voces seruaret incorruptas, nullum studium, sed labor vndique occupatio & afflictio. Tum Babylone non ita contraxerant Iudæi mores & ritus Babylonicos, non imbiberant falsam Chaldæorum Religionem, non idololatriam: atque ideo velut separati à reliquo vulgo Babylonico erant, & nihilominus linguam propriam reliquerunt: in Ægypto tamen mores Ægyptios hauserant, imo Religionem Ægy-
Ios.24. ptiorum, & idololatriam, quod apertè dixit Iosue: *Auferte Deos quibus seruierunt Patres*
Ezech.23. *vestri in Mesopotamia, & in Ægypto.* Quod sæpè inculcatur à Propheta Ezechiele: nam loquutus de duabus ciuitatibus sororibus Samaria & Hierusalem, hæc caput fuit Iudaici Regni, illa Israëlitici, ait: *Fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua.* Fornicationis nomine notatur idololatria, quod sæpissimè accidit in sacris libris. Iterum dicit: *Fornicationes suas quas habuerat in Ægypto, non reliquit.* Rursus: *Recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Ægypti.* Quamobrem in deserto Deum Ægyptiorum Apim vitulum scilicet aureum tam facilè adorarunt Hebræi, quod non ita accideret, nisi pridèm ipsius falso cultu imbuti fuissent. Memoria quoque adhuc olerum Ægyptiorum magnoperè sibi omnes eius gentis res placuisse ostendit. Amor iste morum Ægyptiacorum fecit vt linguæ quoque propriæ obliuiscerentur. Inde in iis quæ Deus in lege iussit, curauit auocare Hebræos ab Ægyptiorum moribus, & ritibus Inde tot miracula mirificentissima in deserto, vt confirmaret Israelitas vero cultu. Hoc etiam indicat legatio iniuncta Moysi: *Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos.* Non dixit Deus solùm, non Deus vester, sed Deus Patrum vestrorum vt eiusmodi exhiberentur signa Dei veri, quoniam vt plurimum Israelitæ alios Deos adorarunt, obliti veri Dei, quem Abraham, Isaac, & Iacob coluerunt. Hanc apud Ægy-
Cap.4. de ptum idololatriam Hebræorum Philippus Abbas sic confirmat: *Errore misero Ægy-*
dig. Cler. *ptus misera tenebatur, cùm apud eam plebs Israelitica luti, & lateris operibus premebatur. Qui nimirum error eisdem filiis Israel in ruinam & scandalum fuit; quia multi eorum relicto cultu vnius veri Dei ad colenda Ægyptiorum figmenta sunt conuersi. Videntes enim templa studiosè ædificari, simulacra deuotè adorari, Sacerdotes ordinari, sacrificia celebrari, & hæc agendo Ægyptios præparari: Videntes, inquam, hac leuitate populari mouebantur, & ad agendum similia incitabantur: & quia Deum verum visibiliter non videbant, diis Aegyptiis, quos poterant videre, seruiebant. Ad quorum cultum, eos vel timor Pharaonis impellebat, vel illecebra Aegyptiacæ prosperitatis inducebat, vel fortè erroris & ignorantiæ caligo seducebat. Colebant igitur Apim, taurum scilicet illum, cui & Aegyptij ceruicem flectebant, & cultum debitum Creatoris ordine peruerso, creaturæ exhibebant. Hinc est vt existimo, quod cùm in eremo deos sibi fieri postularent; dicentes ad Aaron, fac nobis deos qui nos præcedant, Huic enim Moysi, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Idem Aaron recolens, quia*

Sic. in

in Ægypto adorauerunt Apim, proiectis in ignem inauribus eorum vitulum fudit, existimans, quia aliud idolum, vel non reciperent, vel potius tam gratum non haberent. Vnde illi nouum conflatile intuentes, & in eo quasi Deum pristinum recognoscentes: præ gaudio exclamauerunt: Hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti. Quod autem dijs alienis seruierint in Aegypto satis aperte diuina testatur Scriptura, quæ postmodum eos ab illorum studet reuocare cultu. Auferte, inquit, deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Aegypto, & seruite Domino. Hactenus ille. Porrò ratio Religionis auitæ magnoperè iuuat ad linguam quoque maiorum, & eiusdem Religionis tuendam, sicut accidit olim Hispanis inter Mauros, & postea Maurorum reliquiis inter Hispanos. Cùm autem Ægyptij Religionem Patrum amisissent, non mirum si linguam quoque reliquerint, & cum Babylone paucioribus annis retinendo etiam diuersam religionem à Babylonica, non retinuerunt linguam propriam; verisimilius est in Ægypto quoque amisisse locutionem auitam: siquidem religionem patriam deseruerunt, & post plures annos seruitus illa Ægyptiaca fuit, vt Abulensis non malè censuit, in pœnā idololatriæ. Quapropter statim, aut paulò post mortem Patriarcharum cœpisse videtur, cúmque pœna generalis esset, culpa quoque videtur vt plurimum generalis fuisse & antiqua. Tum sicut Ægyptij communicarunt Hebræis suam superstitionem, acceperunt quoque ab illis circuncisionem, sicut constat ex vaticinio Hieremiæ capite nono: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium, super Aegyptum, & super Iuda.* Hæc mutua religiosorum rituum communicatio maximum notat aliquo tempore commercium, & consensionem Ægyptios inter & Hebræos, cum qua discretio linguæ difficulter seruaretur, vt meritò omnes explodant, quod Rabbi Kimhi refert sensisse alios Rabbinos, non esse mutatam linguam Hebræam in Ægypto, nec alterius vsum apud Hebræos fuisse.

Præterea in captiuitatem Babylonicam magna multitudo Iudæorum traducta fuit, quæ commodius inter se patrium posset eloquium tutari, at in Ægyptum sexaginta sex dumtaxat viri ex familia Iacob ingressi sunt, qui immersi Ægyptiacæ multitudini, facilius cederent atauorum linguæ & ritibus. Vixerant quippe Israelitæ commixti Ægyptiis: Idcirco obstetricibus præcepit Pharao interficere filios Hebræorum, fuerunt hæ obstetrices Ægyptiæ; neque enim de Hebræis feminis id consideret Rex. Et satis colligitur ex ipsarum obstetricum responso: *Non sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ mulieres: Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Ex quibus verbis Ægyptias fuisse obstetrices colligunt Iosephus, Lyranus, Abulensis, & alij multi qui meritò explodunt Rabbinos, dum Hebræas fuisse commentantur, alteram appellatam Iochabed, & hanc fuisse matrem Moysis, alteram Mariam, & fuisse eius sororem. Cùm igitur Ægyptiæ fuissent obstetrices, quæ Israelitidibus parturientibus opitulabantur, non procul, sed in medio Hebræorum habitabant: nam motas non patitur obstetricandi officium. Idem commercium Israelis & Ægypti confirmat quod dixit Dominus ad Moysem: *Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea.* Exod. 11. Nec enim exiguum commercium erat inter Hebræos, & Ægyptios, cùm in eadem vicinia cohabitassent, quod etiam Philo libro primo de vita Moysis sic fatetur: *Tot plagis Aegyptus fatigata est, quarum tamen nulla Hebræos attigit, quamuis cohabitantes in eisdem oppidis, vicis, domibus*; imò sic indiscreti erant, vt nec habitu dignoscerentur; quapropter vt Eupolemus scripsit, iussit Israelitas Pharao diuersa ab Ægyptiis veste vti. Notetur illa vox *domibus*; neque enim solùm vicini, sed contubernales etiam erant Hebræi & Ægyptij, quod sacræ paginæ authoritate video firmatum: nam capite tertio Exodi dixit Dominus Moysi; *Postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa*, in eodem quippe hospitio in eadem domo nonnulli Hebræi cum Ægyptiis cohabitabant. Ob eandem causam iussi sunt Hebræi notare domos suas aspergendo sanguine superliminare, & vtrumque postem domus, vt plaga occisionis primogenitorum transiliret notatas domos. Sic capite Exodi 12. dicitur: *Transibit enim Dominus percutiens Aegyptios, cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Exod. 12. Notandum est verbum *transcendet*, quod clarissimum facit mixtas fuisse Ægyptiis Iudæorum domos. Quamobrem maiora videntur Ægyptiacarum plagarum miracula, à quibus Hebræi cùm simul habitassent, ita immunes fuêre, vt si in alieno Regno degerent, hoc notauit Dominus cùm dixit: *Eritque clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec antea fuit, nec postea futurum est; apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus, vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Aegyptios & Israel.* Exod. 11. Quod si aliquis quærat aduersus ea quæ diximus de cohabitatione

tione Hebræorum cum Ægyptiis non solùm in eadem vicinia, sed in eadem domo, an primogenita Ægyptia earum domorum occisa fuerunt, cùm signatos inueniret sanguine postes. Puto aut hos Israëlitas non aspersisse sanguine communis domus superliminare, sed priuatos postes suæ peculiaris habitationis, vel fortasse accidit iis domibus nullum extitisse primogenitum Ægyptium.

CAPVT XXVIII.

Terram Gessen non soli habitarunt Israëlitæ, & quo pacto in illa passi sunt Ægyptij plagas.

NEQVE obest dictis in sacra pagina inculcati terram Gessen inhabitasse Hebræos, quoniam in ipsa etiam terra Gessen habitabant pariter Ægyptij. Neque enim deserta erat, cùm Israël illam ingressus est, pinguissimam quippe prouinciam non contempsissent Ægyptij, de ea dicitur capite quadragesimo septimo Genesis, *Ioseph patri & fratribus suis dedit possessionem in Aegypto in optimo terræ loco.* Ipsi Ægyptij satis perspectum hoc habebant. Ideò Pharao dixit ad Ioseph: *In optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen.* Non igitur eximia illa prouincia inhabitata erat, nec si deserta fuisset, traderetur inhabitanda sexaginta sex dumtaxat viris. Nec Ioseph Præsul totius Ægypti, Princepsque secundus post Regem, qui omnes hæreditates Aegyptiorum coemit, sine aliquibus possessionibus, & dominatu relinqueret Ephraim & Manassen, & alios liberos. Colligitur enim Dynastas Ægyptiorum fuisse. Ex primo libro Paralipomenon, capite septimo, vbi dicitur: *Filij autem Ephraim Suthala, Bared filius eius, Elada filius eius. Thahath filius eius, & huius filius Suthala, & huius filius Ezer, & Elad: Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant, vt inuaderent possessiones eorum: luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus.* Ex possessiones videntur esse terræ propriæ Ephraim, quibus filium Proregis & vicedomini Ægyptiorum non est verisimile caruisse. Quæ Paraphrastes Chaldæus in caput secundum Canticorum confingit, reiiciuntur vt falsa. Hinc etiam fulcitur commercium magnum intercessisse Ægyptiis, Hebræisque. Tum quoniam ad opera & labores eius seruitutis compulsi sunt multi è quiete sua discedere, nimirum vt ædificarent *vrbes tabernaculorum Pharaonis Phiton & Ramasses.* Septuaginta addunt tertiam ciuitatem *On* quam Græci vocant Ἡλιόπολιν scilicet ciuitatem Solis. Quod si Ramasses ædificata fuit, vt videtur in terra Gessen, inde etiam confirmatur mixtum esse Ægyptiis Israëlis, quidem Ægyptij ibi vbi habitabat progenies Iacob, ædificarunt ciuitatem. Iosephus adiicit alias operas quibus fuère Israëlitæ addicti, dicens: *Flumen in multas fossas deducere iussi sunt, & mœnia exædificare, & aggeres construere, quibus inundationes fluminis arcerentur, pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis assuescere.* Hæc sunt & plura quæ voce *omnique famulatu* comprehendit caput Exodi primum: *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Videntur quoque Hebræi dispersi, vt agros colerent exercentes pro Ægyptiis agriculturam. Sic in Hebræo clarius dicitur *in agri operibus premebantur.*

Dices: si quidem Israëlitæ sparsi fuerint ad varias Ægyptiorum operas, & Ægyptij in terra Gessen simul habitassent, cur notanter obseruatur in sacra pagina terram Gessen immunem communibus extitisse plagis, cæteras autem Ægyptij prouincias vexatas. Hinc enim fieret, & aliquos Ægyptios fuisse indemnes Aegyptiacis plagis, & aliquos Israëlitas illarum participes. Hoc obiectum facilis repellet ratio, quoniam magna vis dispersorum Hebræorum maximè qui remotiores aberant, aduentu Moysis ex eius & Aaronis monitu in terram Gessen se reciperent, vt illic congregati, præsto ad exitum adessent. Ita vt ferè totus Israëliticus populus in ea prouincia esset; idcirco priuilegiaria fuit. Non tamen ita intelligendum est, vt Aegyptij infideles, qui in eadem prouincia habitabant plagas non sensissent, & Hebræi qui extra fuissent, illas tolerassent, nam magna Dei virtute effectum est, vt & Aegyptij in terra, quam non pertingebat communis plaga, eam fuissent experti & Hebræi in terra afflicta plagis immunes essent. In campo enim Taneos, vbi Moyses & Aaron miranda illa patrabant, plagæ ingruebant, ipsi tamen indemnes manebant. Sic de cæteris Hebræis dicendum, qui Moysi aderant, & quicumque procul abessent terrâ Gessen.

ſen. Nec ranæ, nec cyniphes, nec locuſtæ, nec muſcæ eorum domos, aut res attingebant, quod clariſſimè expreſſit Scriptura in plaga tenebrarum, quæ minus videbatur apta huic diſcretioni: *Factæ ſunt*, inquit, *tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat; vbicumque autem habitabant filij Iſrael, lux erat.* Craſſiſſimæ illæ tenebræ ædes Ægyptiorum obſcurabant, at Hebræorum domos lux clariſſima complebat: mirabili Dei virtute effectum eſt, vt vbicumque eſſent habitacula Iſraelitarum fuiſſent illuſtrata inter palpabiles illas, & caliginoſas nebulas. Exod. 10.

CAPVT XXIX.

An aliqui Ægyptij immunes fuerint ab Ægyptiacis plagis ſicut Hebræi fuerunt?

ILLVD hîc diſpiciendum exhibeo: An ij Ægyptij qui cultores veri Dei fuiſſent, neque iniqui Iſraelitis, ſimili immunitate gauderent ac Hebræi. Sicut enim maior pars Hebræorum Ægypria idola coluit, Ægyptiacoſq; & ſuperſtitioſos ritus vſurpauit. Sic etiam aliqui Ægyptij verum Deum ſunt venerati piis Iſraelitis adhærentes. Neque enim dubitandum eſt poſt calamitoſam Ægyptiorum ſeruitutem Hebræos paulatim reſipuiſſe ab idololatrico cultu. Sicut enim ob idololatriam puniti ſunt tyrannicâ Pharaonum oppreſſione: Sic etiam poſtquam in ipſa oppreſſione agnouerunt Deum aſſerti ſunt iniquiſſimâ ſeruitute. Tunc etiam verum Dei cultum aliis communicarunt, quorum numero cenſeri poſſunt obſtetrices, quæ non duæ tantum, ſed plurimæ fuerunt, quamuis immediatum Pharaonis decretum duabus tantum intimaretur, cæteris per illas declarandum. De iis quamuis Ægyptiæ fuerunt, dicitur: *Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti.* Hinc colligitur, fideles fuiſſe obſtetrices, ac timentes Deum. Sanctus Hieronymus, Rupertus, Carthuſianus, Abulenſis, Tirinus, & alij cenſent propterea conſequutas æternam ſalutem cum aliis bonis temporalibus. Hoc ſaltem certiſſimum: nam ſubdit, *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus.* Et poſtea: *quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos.* Nicolaus Lyranus cenſet dici ædificaras domos his obſtetricibus, quoniam in populum Dei, hoc eſt, Iſraeliticum, fuerunt allectę, nupſeruntq; primariis viris, qui illuſtrium familiarum capita extiterint. Nec Dionyſ. Carthuſ. abhorret ab hoc ſenſu: *Creduntur* (inquit) *hæ obſtetrices fuiſſe Ægyptiæ, ſed Deo illuminante acceperunt veri Dei notitiam, & per ſuam pietatem adeptæ gratiam tantam creduntur quod ad cultum vnius Dei cõuerſæ ſunt, ac promotæ in populo Hebræorum, ſicut de Rahab legitur, & de Achior. Sic Rahab conſecuta eſt à Domino tantam remunerationem in bonis vitæ præſentis, ac in ſpiritualibus bonis, quoniam duos Hebræorum exploratores piè tractauit, & à mortis diſcrimine liberauit, quanto magis obſtetrices, quæ circa tam multos infantulos, innocentes, & eorũ parentes fuerunt tam piæ & gratioſæ.* Præterea multi Ægyptiorum cum Hebræis deſeruerũt Ægyptum in terram promiſſam peragrantes, quod indicatur cap. 12. Exodi, vbi dicitur: *Vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.* In Chaldaica interpretatione Cardinalis Toletani clarius dicitur: *Extranei quoque multi aſcenderunt cum eis.* Qui enim Religionem Hebræorum ſuſceperant, nonnulli etiam cognationem, aut affinitatem contraxerant, viſis tot mirandis à Deo pro Iſraele factis vnà cum Hebræis euaſerunt in deſertũ. Ægyptius quippe erat, licet ex matre Iſraelitide ille qui ob peccatum blaſphemiæ iuſſus eſt à Deo lapidari capite 24. Leuitici: *Egreſſus, inquit, filius mulieris Iſraelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſrael, iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraelita, cúmque blaſphemaſſet nomẽ & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſem, &c.* Idem clarè oſtenditur capite 11. Numer. vbi dicitur: *Vulgus quippe promiſcuum quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio ſedens & flens, iunctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* Hic manifeſtè diſtinguitur vulgus promiſcuum ab Iſraelitis. In Chaldæo ſimiliter, qui ait: *Et promiſcui qui erãt inter eos petierunt petitionẽ & reuerſi ſunt filij Iſrael, & plorauerunt, atque dixerunt, &c.* Idipsũ fulcit, quod iuſſit Dominus in celebratione Phaſe ante Ægypti exitum: *Omnis cœtus filiorũ Iſrael faciet illud: quod ſi quis peregrinorũ in veſtrã voluerit tranſire coloniã, & facere Phaſe Domini, circũcidetur prius omne maſculinũ eius, & tũc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ. Si quis autẽ circũciſus nõ fuerit, nõ veſcetur ex eo. Eadẽ lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos.* Igitur queadmodũ hi Ægyptij fidẽ Iſraelitarũ amplexati, quoniã

vnum corpus & Ecclesiam constituebant cum Hebræis, iisdem Dei beneficiis admirandis fruebantur in deserto, ac ipsi Israëlitæ, & illuminatione, ducatúque columnæ & vestium perpetuitate,& esu manna,quod constat ex querela illa communi Israëlitis,& vulgo Ægyptiorum promiscuo: *Anima nostra arida est,nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Sic etiam existimandum videtur communibus infidelium Ægyptiorum plagis non fuisse vexatos eos fideles,qui quamuis non essent ex semine Iacob,vnũ tamen corpus & Ecclesiam constituebant cum Hebræis, eorum fidem amplexi, circumcisionisque ritu ad Israël aggregati,& quidem extrema Ægyptiorum calamitas Ægyptios fideles non oppressit, qui sicco pede vnà cum Israëlitis mare rubrum traiecêre; isti enim non computabantur inter Ægyptios,sed inter Israëlitas,& sub hoc nomine non semel comprehenduntur.

Exod.11.

CAPVT XXX.

An lingua Hebraica amissa in Ægypto, fuerit diuinitùs per Moysen restituta, & data Hebræis, vt sacra Scriptura Hebraicè scriberetur?

IGITVR inter tot prodigia & miracula,rũ ante egressum Hebræorum in Ægypto, tum post egressum in deserto, vbi liberalissimè Deus suam ostentauit potentiam, ipse in omnibus sic admirandus,vt quotidie,vt passim,vt iugiter mira faceret,brachiôque omnipotentiæ,vbivis vteretur,non mirum erit istud etiam mirandum accenseri, reparatam scilicet Hebræam linguam in Ægypti exitu; eius iam oblitis Israëlitis. Vnde enim Hebraicæ dialecti puritatem repetere poterat Israel, nisi diuina prouidentia & doctrina? Satis credo fulciuimus probabilitatem amissæ à semine Iacob, vt plurimum linguæ Hebrçç,ex quo pari est probabilitate cõsequens diuinitus recuperatam esse;aliter vix fieri in deserto posset,ipsa enim diuturna habitatio Ægypti, ipsum promiscuum Israëlitarum, Ægyptiorumque commercium,ipsa communio Religionis, rituumque,cũ Hebræi superstitionem Ægypriacam, statim post duodecim Patriarcharum mortem, & fortasse antea admiserint,ipsaque degenerario linguç patriç iam in ipso Ægypti aditu sexaginta sex virorum dumtaxat,ipsa collatio Ægyptiacç seruitutis cum Babylonica captiuitate,ipsa rerũ labentium natura idonea dialectis transmutandis, quæ suadent insignem corruptionem, aut amissionem dialecti Hebrçç in pluribus,dum Israelitç Ægyptum inhabitarent,suadent similiter diuina ope reparatam esse in Ægypti exitu,cùm ibi iam constet Hebraicam idioma doctos esse,cum Hebraicè scripsisset Moyses legem & libros sacros ab ipsis legendos. Accedit his authoritas Theodoreti,qui prorsus censuit Hebrçam linguam per Moysem à Deo datam,vt sacra Scriptura traderetur. Tum Iacobus de Valencia clarissimè affirmat oblitos Hebrços linguç Hebrçç,& solum Ægyptiaca vsos, in exitu Ægypti Hebrçam rursus recepisse. Opportunè quidem ea restitutio puritatis Hebraicç dialecti facta tunc;quoniam sacram Scripturam mandaturus erat Moyses literis,& decuit scribi lingua omnium prima; tum propter dignitatem eius,tum vt ratio nominum primorum hominum, & nomen clausularum à Deo constitutarum dilucidius constaret nobis,quod nõ ita alia lingua videtur faciendum,tum ob conditionem Hebraicç dialecti aptissimç mysteriis. Deinde linguam quam per cõmercium infidelis populi,falsçque Religionis amiserant Hebræi,oportebat resumi,cùm veram Religionem resumpserunt,segregatique sunt à populo infideli,& barbaro,& accepti à Deo in gentem sanctam. In exitu quippe Ægypti assumpsit Deus Israelitas in peculiarem populum quemadmodum Dauid cecinit: *In exitu Israel de Ægypto,domus Iacob de populo Barbaro,facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.* De Ægyptiis dicitur in libro Sapiẽtiç post tot mirãda Israelis causa exituri de Ægypto, facta, *de omnibus non credentes propter veneficia,tunc vero primum cùm fuit exterminium primogenitorum spoponderunt populum Dei esse.* Similiter in Cantico Moysis dicit Dominus: *Inuenit eum in terra deserta,in loco horroris,& vastæ solitudinis.* Quippe post exitũ Ægypti in deserto iuxta montem Sinai, vbi pactum iniit Deus cum Hebrçis, ibi tandem elegit eos in populum specialem in sanctificationem eius, hoc est, gentem sibi sanctam & sacratam, atque in potestatem, hoc est, in regnum peculiare, nimirum in sacerdotium & regnum, vbi politicam potestatem exerceret Dominus,quasi immediatus Rex Israelitici populi sibi peculiaris;antea enim non fuit eiusmodi populus specialis Dei,sed ante ingressum Ægypti fuit

in Psalm. 80.

Sap. 8.
Deut. 32.

fuit familia. In Ægypto autem fuit populus Pharaonis, quippe Pharao superior, & Rex fuit Israëlitarum. Deinceps tamen eorum Rex fuit Dominus, ac proinde cõstitutus Israel populus Dei diuersus ab Ægyptiis. Ad constitutionem autem peculiaris populi, non est exigua conditio diuersitas linguę, eúmque Deus non solùm peculiarem, segregatúmq; sibi populum Israelitas elegerit, sed deiunctũ prorsus & alienum ab Ægyptiaco, vt hoc diuortium confirmaret diuersitate locutionis, Hebręam Hebręis linguã restituit. Rectè siquidẽ dixit August. *Linguarum diuersitas hominẽ alienat ab homine. Num si duo sibimet inuicẽ fiant obuiam, neque præterire, sed simul esse aliquã necessitate cogantur, quorum neuter norit linguam alterius: facilius sibi animalia muta, etiam diuersi generis, quàm illi cùm sint homines, ambo sociantur. Quando enim quæ sentiunt inter se communicare non possunt, propter solam linguarum diuersitatem nihil prodest ad consociandos homines similitudo naturæ, ita vt libentius homo sic cum cane suo, quàm cum homine alieno.* Neque dissimiliter Plinius dixit: *Tanta est loquendi varietas, vt externus alieno non sit hominis vice.* Hinc Romani, vt ex multis populis vnum componerent, vnitate linguæ prouiserunt; ideo Romana olim potentia, vt inquit idem Augustinus: *Satagebat vt non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret.* Neque mirum est cùm sibi respondeant veteris & noui instrumenti gesta, si in promulgatione legis veteris, vna lingua communicetur, quoniam vnum specialem Deus populum eligebat, cùm in legis nouę, & Euangelicæ infusione, quæ accidit in celebritate Pentecostes, omnis lingua communicata fuerit discipulis, quoniam ex omnibus populis, & nationibus Deus susceperat in gentem sanctam, & regale sacerdotium. Eam enim linguarum gratiam, donatam Apostolis in Sion præsignari oportuit alicuius linguæ dono in Sinai. Idem stabiliemus exemplo Moysis, quem diuinitùs edoctum linguam Hebraicam censemus, quod de cætero populo existimare pronum erit, fulcietúrque locutione miraculosa mutorum & infantium in exitu de Ægypto. Idipsum confirmat Psalmorum oraculum, cùm de populo Israëlitico dixit: *Cùm exiret de Ægypto, linguam, quam non nouerat, audiuit.* Horum verborum sensum conabimur exhibere; cui tamen præmittendum est multa in Psalmis, & aliis Scripturæ locis declarari, & addi iis mirabilibus, quæ sanctus Moyses in exitu Israëlis de Ægypto accidisse enarrauit.

Lib. 19. de Ciuit. cap. 7.

Psalm. 80.

CAPVT XXXI.

Notantur multa miracula quæ omisit narrare Moyses in exitu Israël de Ægypto.

NE igitur miremur celebrari à Dauide linguam ignotam, Hebræam scilicet donatam Israëli diuinitus cùm ab Ægypto discederet. Siquidem apud Moysem nulla huius miraculi facta sit mentio. Multa exhibebimus miracula, quæ à Moyse similiter prætermissa sunt, ab aliis tamen scriptoribus sacris, ipsoque Dauide commemorata, & breui hic racemabimus aliqua. Nihil Moyses meminit horrendorum spectrorum, quibus perterrefacti fuerunt Ægyptij: hanc calamitatem memorans Sapiens capite decimo septimo, qui de Ægyptiis ait: *Pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.* Sap. 17.
Græcè καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι. Hoc est, *spectris & simulachris perturbati.* Non igitur solum tenebræ eos perturbabant, & metu afficiebant, sed horribiles etiam visiones, de quibus eodem Sapientiæ capite dicitur: *Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pauorem illis præstabant.* Gręcè, καὶ φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο, id est, *visiones tristibus mœstu vultibus apparebãt*, vel *tristibus mœstu personis.* Et infrà: *Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus, & timore perculsi illius, quæ nõ videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur.* De Magis additur, *Pleni timore languebant. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant.* Ibidem de Ægyptiis: *Aliquando* (inquit) *monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione.* Græcè agitabantur τεράτων φαντασμάτων, id est, *monstris phantasmatum.* Nil etiam Moyses explicauit de iis, quæ acciderunt primogenitis Ægyptiorum eâ nocte, quâ occisi sunt: at decimo octauo Sapientiæ cap. explanatur primogenitos in ipsa morte somniis horribilibus fuisse perturbatos, & semiuiuos causã mortis demonstrasse: *Tunc* (inquit Sapiens) *continuò visus somniorum*

malorum turbauerunt illos, id est, primogenitos. *& timores superuenerunt insperati, & alius alibi* proiectus semiuiuus, propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis. Visiones enim quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant, ne *inscij, quare mala patiebantur, perirent*, &c. Quæres, quam causam mortis demonstrarent? Neque notauit Moyses tenebrarum plagam nullo ignis artificio posse vinci, quod in eodem Sapientiæ libro, capite decimo septimo obseruatur: *Ignis*, inquit, *nulla vis poterat illis lumen præbere.* Sic Philo ait, crassissimas illas tenebras omnem vim ignis superasse: *Ignis* (inquit) *vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur crassissimis tenebris*, &c. Sic ille. Tam crassæ enim erant tenebræ, vt à luce penetrari non possent. Burgensis: *Aër* (inquit) *diuinâ virtute sic fuit* Sap. 16. *densatus, quod perdidit diaphanitatem, sic vt non esset caput lucis.* Cælestem ignem in aquis plus valuisse præteriit Moyses, non Sapiens, qui dixit: *Quod enim mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.*

Porrò mirandas prorsus nonnullas mannæ proprietates, quas Moyses subticuit idem Sapiens enarrauit. Notat manna, quamuis ad radium Solis dissolueretur esse incombustibile; quod sane miraculum erat obseruatu dignum. *Ab igne*, inquit, *non poterat exterminari, & liquefieri.* Imò id ipsum, quod in manna magis admirabile fuit, non Moyses, sed Sapiens declarauit, nimirum præter communem saporem panis oleati, aut similæ, omnes alios sapores supernaturaliter continuisse, quod licet dignissimum notatu præteriit Moyses, idque ignoraremus, nisi Sapientiæ decimo sexto capite manifestum fieret. *Panem de cælo* (inquit Sapiens) *præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Ex quo In Psalm. 147. etiam sancti Patres hoc miraculum mirati, sæpiùs inculcant. S. Hieronymus: *Quidquid* (inquit) *volueris ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi, quoniam manna, quando comedebant, secundùm voluntatem vniuscuiusque sic sapiebat in ore. Ac si dixissent: Qui manna comedebat si desiderabat mala, si pyrum, si vuam, si panem, si carnes, secundùm qualitatem & voluntatem comedentis, ita & sapor in manna erat*, &c. Diuus Augustinus Epistola centesima decima octaua: *In populo* (inquit) *vnicuique manna secundùm propriam voluntatem, in ore sapiebat.* Et D. Chrysostomus homiliâ, quod nemo læditur, nisi à semetipso. *Hæc* (inquit) *fuit natura mannæ, cibus quotidie nouus, & saporem sui pro desiderio vescentium subministrans*, &c. Diuus Gregorius Nyssenus in vita Mosis, manna cibum vocat simplicem & varium; simplicem quidem visu, varium sapore. *Cibus* (inquit) *varius simul & simplex; simplex visu, & vnicus; varius ad singulorum cupiditates se vertens.* Quin ex eodem Sapientis testimonio pronuntiant Patres aliud mirandum de Manna, non omnibus sed iustis dumtaxat pro voluntate sapuisse. Sanctus Augustinus in secundo Retractatio- Cap. 20. num libro: *Quod* (inquit) *dixi de manna, quia vnicuique secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, &c. fidelibus potuit prouenire, non illis aduersus Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna, quod vellent*, &c. Diuus Gregorius sexto libro Moralium, capite septimo: *Manna omne delectamentum, atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quod videlicet in ore spiritualium ad voluntatem edentium saporem dedit*, &c. Ait Diuus Gregorius, in ore tantum spiritualium, id est, proborum manna saporum dedisse varietatem. Idem sentit Lyranus, Abulensis, Carthusianus, & alij. Probatur verò ab Augustino hæc opinio, quia si Israëlitis saperet manna, quod vellent, alias Num. 11. escas non desiderarent. Præterea manna non despicerent dicentes, *Anima nostra arida* Num. 21. *est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man.* Et alibi: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Quod si tot miranda, & memoratu dignissima tacuit Moyses, quid mirum si linguæ Hebrææ restitutionem non celebraret?

CAPVT XXXII.

Nonnulla miranda in plagis Ægyptiacis & peregrinatione Israëlitarum, quæ notauit Dauid prætermissa à Moyse.



NEQVE solùm in his miraculis à Sapiente merito notatis siluit Moyses: Plurima quidem alia subticuit, à Dauide nihilominus concelebrata, vt minus mirandum sit inter plura alia miranda, hoc de recuperata Israëlitis linguâ Hebrææ notatum

à Psal

à Psalmographo, quamuis non obseruatum à Moyse. Igitur exhibeamus aliqua. De pluuiis sanguineis nihil meminit Moyses inter Ægyptiacas plagas. Dauid autem, siue Asaph eas memorauit, & sanguineas significauit. Psalmo septuagesimo septimo dicitur: *Conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.* Quamuis enim Ægyptus ignoret imbres, effectum tunc diuinitùs vt cruentis fluuiis vndique repræsentaretur Ægyptiis sanguis Hebræorum infantium occisorum. Idcirco humanum sanguinem illum vocauit Sapiens, dum ait: *Pro fonte sempiterni fluminis humanum sanguinem dedisti iniustis.* Non Sap. 11.
enim placet eorum interpretamentum, qui per imbres fontanas aquas intelligunt, quoniam Ægyptus careat pluuiis. Nam hoc miraculum fuit, & scimus alioqui inter plagas fuisse pluuias, ipse Dauid ait: *Posuit pluuias eorum grandinem.* Et Sapiens: *Negantes* (inquit) *te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt nouis aquis, & grandinibus, & pluuiis persecutionem passi, & per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Duo enumerat tanquam diuersa, nouas aquas & pluuias, Ægypto nouas, & grandines. Idem eodem capite: *Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, vt nescirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluuiâ coruscans.* Pruinis autem fuisse afflictos, quod prætermisit Moyses, Asaph siue Dauid enarrat dicens: *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Addit quoque inter animalcula quæ afflictarunt Ægyptios, Bruchum, de quo alioqui siletur. Dauid autem ait: *Venit locusta & Bruchus, cuius non erat numerus.* Alibi ærugo memoratur: *Et dedit æruginí fructus eorum, & labores eorum locustæ.* Notat quoque Dauid aliud prorsus admirandum, neminem ex tot millibus Hebræorum languisse, cùm ex Ægypto prodirent. Dicit enim: *Eduxit eos cum argento, & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Admiranda res fuit, in tanto virorum, feminarum, puerorúmque & infantium numero nullum fuisse infirmum, nullum Deus in Ægypto voluit relinqui, ideoque nullum ægrotare voluit. Neque vllus nisi Psalmographus scribit: *Dedisti eos escam populis Æthiopum.* Quo loco Genebrardus vult mare non solùm in littus Arabicum, vbi erant Israëlitæ euomuisse Ægyptios, sed etiam in littus Æthiopicum, datosque ait in escam populis Æthiopum, quia non solum ab Hebræis, sed etiam ab Æthiopibus sunt spoliati. Quod si non placet hic sensus, saltem aliquid dixit Dauid à Moyse prætermissum. Fortasse populi Æthiopum sunt corui a quibus dilacerata fuerant cadauera Ægyptiorum, postquam eos Israëlitæ spoliarunt, de qua spoliatione Sapiens ait: *Transtulit illos per mare rubrum, & transtulit illos per aquam nimiam; inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum.* Porrò Scholiastes Samaritanus inter plagas Ægyptiacas coruos numerat. Obseruant etiam multi Dauid notasse diuisum mare rubrum non simplici calle, sed multifariam, ita vt singulis tribubus singulæ semitæ panderentur nam canit: *Diuisit mare rubrum in diuisiones.* Si enim mare in diuisiones diuisum est, plures fuère viæ, singulis tribubus apertæ. Id quoque hanc confirmat opinionem, quod celeritate magnâ Israëlitæ pertransierunt paucis horis; celerius autem per multas vias, quàm per vnam solam à magno exercitu fit iter. Hanc opinionem sequuntur Hebræi. Lege Epiphanium hæresi sexagesimaquartâ. Origenes verò in Exodum: *Audiui* (inquit) *à maioribus traditum, quod in ista diuisione maris singulis tribubus Hebræorum, singulæ aquarum diuisiones factæ sunt & propria vnicuique tribui in mari aperta est via, idque ostendi aiunt ex Psalmo centesimo trigesimoquinto.* Sic ille. Eandem sententiam sequuntur Abulensis in Exodum, & Genebrardus Psalmo citato. Hoc autem modò non disputo.

Sap. 16. Psalm. 77. Psal. 104. Psalm. 77. Psalm. 77. Sap. 10. Psal. 135.

In descensu autem Dei ad montem Sinai notat Dauid accidisse terræ motum illis verbis: *Terra mota est.* Idem arbitratur Genebrardus eodem Psalmo, Lippomanus quoque vertit: *Tremuit, seu commotus est vniuersus mons vehementer.* Manna fabricatum ab Angelis explicauit etiam Psalmista, dum illum vocat panem Angelorum: gestum quoque vituli expressit alioquin ignoratum, cùm ait: *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Notat quoque Psalmographus non vtcumque, sed ingentem aquarum vim petra percussa effluxisse, canens: *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos, velut in abysso multa, & eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.* Item, *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Prodit etiam repentinum fuisse supplicium plurium qui coturnices expetierunt, & gustarunt, dum ait: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* Obseruat pariter non solum Iordanem, sed alios fluuios siccatos, vt illac penetrarent Israëlitæ. Hoc explicant illa verba: *Tu dirupisti fontes & torrentes, tu siccasti* Psalm. 73.

Psalm. 77. Psal. 105. Psalm. 77.

fluuios Ethan, &c. Chaldæus sic vertit: *Tu siccasti vada torrentium Arnon, & Iorbecha, & Iordanis, quæ erant valida.*

CAPVT XXXIII.

Cur Moyses tot omisit miracula narrare, & vnde ea nouerunt Dauid, & alij sacri Scriptores?

QVIN ex ipso Moyse suffulciam non omnia miracula, quæ acciderunt Israelitis in exitu Ægypti, in peregrinatione deserti, & in ingressu Chananææ enarrata. Mirum est stupendum illud prodigium quod accidit in Arnon suo loco non describi. Nec id sciremus nisi obiter allegasset Moyses librum bellorum Domini, vbi illud prædictum fuerat:
Num. 21. *Vnde* (inquit) *dicitur in libro bellorum Domini; sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.* In mari rubro Deus aquis oppressit Ægyptios; in torrentibus Arnon, iuxta Hebræorum opinionem, oppressit Amorrhæos. Ægyptios oppressit aquis maris rubri, Amorrhæos oppressit scopulis torrentium Arnon, vt enim aiunt Hebræi apud Lyranum, abdiderant se Amorrhæi in cauernis scopulorum, vt telis transeuntes Hebræos inde percuterent: Deus verò scopulos, qui in extremitate terræ Amorrhæorum erant, inclinauit in contrariam partem, id est, in ciuitatem Ar, quæ erat in finibus Moabitarum, eaque inclinatione scopulorum latentes Amorrhæos, atque insidiantes obruit & peremit. Et quamuis Scriptura nihil explicet de oppressione latentium Amorrhæorum satis miraculi est & stupendi prorsus elatos scopulos diuinam depressisse vim, vsque in terram Moabita-
Psalm. 73. rum, exsiccatumque torrentem, quemadmodum Dauid concinuit. Puto enim Deum non solum scopulos in fluuium deiecisse, sed fluuium etiam exsiccasse, quemadmodum exsiccauit mare rubrum vt viam faceret Israelitis; scopulos autem in torrentem deiecit, vt viam redderet æqualem & absque obstaculis. Deuastatio quoque omnium Deorum Ægyptiorum simul cum primogenitorum occisione prætermissa fuit à Moyse in ea plaga primogenitorum occisorum; solum eam obiter indicauit in Numerorum trigesimo tertio capite, & in duodecimo Exodi: vbi solum promisisse Deum narrat *in cunctis Diis Ægypti faciam iudicia.* Nihil amplius dixit, nec postea in plagæ noctis illius narratione meminit talis iudicij, cùm memorandum prorsus esset, nam secundùm Caietanum communita fuêre omnia Ægypti simulacra, secundùm Hebræorum traditionem, quam refert Hieronymus ad Fabiolam in catena citatus, omnia Ægyptiorum templa terræ motu concidêre, aut fulgure conflagrarunt. Vel vt Rabbini malunt, lapidea idola in puluerem, lignea in cinerem redacta sunt; metallica autem colliquefacta. Hæc quidem digna erant memoriâ & historiâ. Cùm igitur tanti miraculi historia nulla restet, quid mirum non explicuerit alia Moyses non æqualia? Causa potuit esse partim quoniam in aliis commentariis iam amissis ea appinxerit, quemadmodum hæc; quæ de Arnon torrente dicit scripta in libro bellorum Domini, partim quoniam sæpè mysterium potius attendit Moyses, quam meram dumtaxat historiam, & propter aliqua mystica significata enarrauit aliqua, præteriit alia, seruatâ semper historiæ veritate.

Dices, quo pacto Dauid, siue Asaph & Salomon enarrarunt, quæ scripta non erant? Huic quæsito fit satis in Psalmo septuagesimo septimo, ibi antequam narrentur quæ acciderunt Israelitis, ista præmittitur præfatio: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Quanta audiuimus & cognouimus ea, & Patres nostri narrauerunt nobis. Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera: filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis.* Ex traditione enim id nouerant, nonnulla quoque ex reuelatione peculiari: ideo ait, *Quanta audiuimus & cognouimus*, nimirum audiuimus per traditionem, cognouimus per reuelationem. Ex alterutro horum fontium nouit Ecclesiasticus non fuisse miraculum conuersionem aquæ amaræ in dulcem, sed ex virtute naturali illius ligni, quamuis fortasse non nisi miraculosè ostensum fuit Moysi; ideo laudans virtutes rerum natu-
Cap. 38. rales ait: *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Inde etiam accepit S. Stephanus habuisse Moysem reuelationem ante fugam ab Ægypto in Madian electum à Deo esse, & deterum ducem, vt Israelitas eriperet à seruitute illa: *Existimabat intelligere fratres, quoniam Deus per manum*

num ipsius daret salutem illis; at illi non intellexerunt. Ex quo excusatur Moyses à peccato, cùm occidit Ægyptium. Similiter sanctus Paulus explicuit nomina Magorum, quæ subticuit Moyses: *Quemadmodum*, inquit, *Iannes & Mambres restiterunt Moysi, & hi resistunt veritati.* Et dum meminit pacti initi à Deo cum Israëlitis diuinitùs edoctus: *Lecto* (inquit) *omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Supplet Paulus diuino Spiritu afflatus aliqua, quæ Moses omisit, nimirum sanguinem fuisse non solum vitulorum, sed etiam hircorum; non enim solum vituli sunt immolati, sed etiam hirci. Præterea docet, quomodo populum sanguine Moses asperserit, nempe hyssopo & lanâ coccineâ, imbutâ sanguine; erat autem sanguis permixtus aquæ, vt liquidior esset, possetque hyssopus, & lana facilè imbui, & populus aspergi. Sunt quoque multi authores qui memoriæ prodiderint impressa mansisse ad maris rubri littus vestigia curruum Pharaonicorum, nulla deleta vndis, aut ventis, multosque eius rei testes oculatos fuisse, penès quos sit fides. At quamuis res digna narratu erat, prætermissam à Moyse videmus. In Ezechielis etiam exagoge, de qua postea agemus, dicitur totas Pharaonicorum curruum insequentium Israëlitas, non se volutasse, sed velut ligatas hæsisse, & alia, quæ in libris Mosaycis explicata non sunt. 2. Tim. 3. ad Heb. 9.

CAPVT XXXIV.

Ex Psalmo octogesimo colligi potest Hebraicæ linguæ reparatio.



CVM igitur plura miracula, quæ acciderunt Israëlitis in Ægypti egressu & peragratione quadraginta annorum prætermiserit historia Mosayca, ea tamen notentur in aliis libris sacris, atque in Psalmis multa, Satis credo, apparauimus commentationem octogesimi Psalmi, vt in eo reputetur memorata, admirabilis restitutio Hebraicæ dialecti, cùm de Israelitico populo dixit: *Cùm exiret de terra Ægypti, linguam, quam non nouerat, audiuit.* Et quoniam nihil refert, nulla huius rei fuerit in Exodo facta mentio, genuinum huius loci interpretamentum videtur, Id ipsum quod sonat litera: ipsa namque huius loci claritas dubios multos fortasse habuit, & offudit tenebras, ne quod ante oculos habebant, viderent, & sic diuersa, violentaque interpretamenta quæsitarunt: referam illa, & postea nostrum sensum elucidabimus, aut stabiliemus. Sunt qui hoc referunt ad Ioseph, qui in Ægyptum à Chananæa conuectus, audiuit loqui Ægyptiacè, quam linguam ipse nondum nouerat. Hæc interpretatio rigida est, & vim textui infert: nam Psalmus non inquit, cùm ingrederetur terram Ægypti, sed cùm exiret de terra Ægypti. Quid clarius? Præterea loquitur Psalmus de toto Israëlitico populo, non de sola persona Ioseph, quod constat ex superioribus, & subsequentibus: Totus enim stylus Psalmi populum in communi respectat. Paulò anteà dixerat, *Quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob, testimonium in Ioseph posuit illud.* Præceptum autem illud, & Dei mandatum celebrandi Neomeniam, non fuit iniunctum personæ Ioseph & Iacob, sed multos post obitum Iosephi annos Israelitico populo intimatur; nomine autem Iacob & Ioseph, totus Israeliticus populus solet in Scriptura notari. Nihil de Iacob dicam, quia euidentius est. De Ioseph perspicuus est locus in secundo Regum libro, capite decimo nono, vbi Semei occurrens Dauid dixit: *Agnosco enim seruus tuus peccatum meum, & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum Domini mei Regis.* Hic Ioseph accipitur pro Israel, nam Semei erat non de tribu Ioseph, sed Benjamin, vt liquet ex eiusdem libri capite sexto decimo. Eadem significatione accipitur multis in Psalmis Ioseph pro toto Israel. Alicubi dicitur: *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* Et alibi: *Redemisti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioseph.* Psalm. 79.
Vocantur haud malè Israelitæ filij Iacob & Ioseph, tum quoniam Ioseph velut pater fuit in Ægypto omnium fratrum suorum & Israelitarum. Tum quoniam reuerà fuit pater duarum tribuum, imò multorum Israelitarum, qui non descenderant ex Ephraim, & Manasse, sed ex horum fratribus: hæc fuit causa, cur his locis vocatur Israel Ioseph, ântequam eius posteri, Ephraimitæ nimirum, sceptrum Israel possiderent. Nam post diuisionem Israelis à Iuda frequentius à Prophetis vocatur regnum Israelis Ioseph, quoniam

Iſraelitici Reges fuerunt ex tribu Ephraim filio Ioſeph. Hoc ſatis perſpe ctum fuit Campenſi, qui vertit *poſteris Ioſeph*, & aliis, qui non de ingreſſu vnius Ioſeph venditi in Ægyptum verba Pſalmi interpretantur, ſed de toto Iſraele ignotam ſibi Ægyptiorum linguam audiente, quando cum Iacob deſcendit in Ægyptium regnum, & ſic volunt legi: *Cùm egrederetur Iſrael de terra Chanaan in terram Ægypti, tunc audiuit linguam, quam nec intellexit*, vt ſit ſenſus iuxta Campenſem. Ritum illum ſeruari voluit à poſteris Ioſeph in memoriam eius, quod feliciter verſatus fuerit ipſe in terra Ægypti, quò cùm veniſſemus, linguam, quam non didiceramus, audiebamus: nam in Hebræo mutatio eſt perſonæ. Verùm hæc commentatio eaſdem calumnias pati poteſt, ac præcedens, & violenta eſt, minimèque textui noſtro quadrans.

Parum infelicius Hieronymus Oſorius de toto Iſrael egrediente ex Ægypto hoc intelligit, cùm in Chananæos incurrerunt Iſraelitæ, quorum linguam ignorabant. Frigere hæc mihi interpretatio videtur. Quid inde mirandum? & quorſum huius rei commemoratio, præſertim cùm Iſrael non opus habebat ſcire Chananæorum linguam, quos depopulari potius, & funditus delere iuſſus fuit. Neque cum eis communicare debuit. Præterea ad ſcopum & inſtitutum eius Pſalmi, quæ connexio erit ignorantiæ Chananææ linguæ cum verſu ſequenti: *Diuertit ab oneribus dorſum eius*. In quo apparet quod Theodoretus & alij obſeruant mentionem hîc fieri alicuius inſignis beneficij à Deo in Iſrael collati. Ecquod autem beneficium eſſet ignorantia Chananææ linguæ? Hinc etiam non multò plus ſolida Eſtij expoſitio videbitur, qui ait: *Pracedit: Buccinate in Neomenia tuba; quia præceptum in Iſrael eſt. Quaſi diceret: Deus hoc præceptum celebrandæ ſolemnitatis Neomeniæ primi menſis dedit populo, cùm exiret de terra Ægypti, in qua vt peregrini linguam ſibi ignotam audierunt.*

Potior interpretum cohors hîc agnoſcit aliquod eximium Dei beneficium in Iſraeliticum populum ſub Ægypti exitu collatum, concelebratúmque à Pſalmographo, atque, vt plurimum pronuntiant id fuiſſe diuinam vocem audiuiſſe, cùm ad eos loqueretur Deus. Sed hæc interpretatio non excludit noſtram. Atque Theodoretus, qui de auditione diuini oraculi commentatus eſt hunc locum, inde etiam pariter colligit donatam tunc Iſraeli linguam Hebræam. Clariſſimè noſtram expoſitionem reperi ſecutum Iacobum Chriſtopolitanum, qui ſic in commentariis ſuis ad hæc verba Pſalmi ait: *Tunc audiuit ille populus* (Quæſt. 60. in Geneſ.) *linguam, quam nunquam nouerat: nam neſciebat loqui, niſi Ægyptiacè, in qua lingua nutriti fuerunt in Ægypto. Sed cùm fuerunt in deſerto, & in terra promiſsionis, communicando cum cæteris gentibus, didicerunt idiomata, & linguas ignotas. Et etiam dicit, quod Moyſes cogebat eos loqui linguâ Hebraicâ, quæ fuerat ab eis obliuioni tradita. Et etiam ille populus audiuit linguam ignotam, cùm legem per os Moyſi à Deo datam accepit.* Et quidem ſi vim verborum expendamus, non ſolum de auditu materiali vocis accipienda videntur, ſed de intellectu alicuius linguæ ignotæ, quod ita cenſuerunt periti linguæ Hebrææ, & teſte Lyrano. Dicit, Rabbi Salomon, hic accipit linguam pro idiomate, *ſicut frequenter accipitur in Scriptura, & etiam in modo communi loquendi.* Dicit ergo, *quod Gabriel docuit Ioſeph ſeptuaginta idiomata, quæ ante non nouerat, ſed tantum Hebraicum.* Idem refert Incognitus, qui addit, *Nec hoc incredibile videtur, quod Deus, qui Apoſtolos ſubitò docuit omnium genera linguarum, iſtum Ioſeph doceret linguam Aegypti. Vel aliter iſte verſus exponitur de toto populo Iſrael qui per Ioſeph intelligitur.* Vim verbi Hebraici exprimens ſanctus Hieronymus, vertit: *Labium quod neſciebam, audiui.* Labium autem in Scriptura pro idiomate ſolet ſumi, vt cùm dicitur: *Erat autem terra labij vnius.* Appoſitè Chaldæus Paraphraſtes dicit: *Labium quod non noui, didici, & audiui.* Notandum eſt verbum *didici*, quod non ſolum ad auditum vocis refertur, ſed ad intellectum rei ignotæ. Idcirco quædam Gloſſa apud Caſſiodorum refert ad tempus Apoſtolicum: *Illud tempus ſignificat cum Apoſtoli Spiritu ſancto repleti, linguis ignotis, & variis locuti ſunt.*

Itaque vis verborum cogit multos, vt de infuſione, donoque linguarum interpretentur verba Pſalmi, pronius tamen & lenius erit interpretamentum de Iſraelitico populo id accipere quàm de Ioſepho, aut Apoſtolis, de quibus iuxta literalem ſenſum non loquitur, neque de omnibus linguis, ſed de vna lingua Hebræa reſtituta Iſraelitis, qui eius fuerant vt plurimum immemores, aut ignari, cùm etiam lingua in ſingulari dicatur, non linguæ. Speciatim conſideranda eſt vis Hebraicæ voculæ אשמע *eſchmahh*, hoc eſt, *audiuit*, vel *audiebam*. In primis quod in Hebræo ſit in prima perſona: locutus fuit Pſalmi auctor, quaſi pars Iſraelitici populi, qui audierit, ſiue intellexerit linguam illam ad ſua vſque tempora perſeuerantem in Iſrael, ac proinde eius beneficij particeps fuerit. Vnde excludun-

tur

tur expositiones illæ de persona Ioseph, & de lingua Chananæorum. Præterea verbum illud שמע, maximè cùm adiungitur voci linguę non accipitur pro audire vtcumque, sed pro percipere & intelligere, vt liquet ex capite vndecimo Genesis, vbi dicitur: *Confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui*, ibi est prædictum verbum, & ipse tenor sententiæ non accipit nisi pro intelligere idioma: nam ij qui ædificabant turrim Babelicam in confusione linguarum; rectè quidem audiebant voces aliorum, non tamen intelligebant idioma, & sic audire ibi, non est audire externo auditu, sed interno sensu cognoscere, hoc est, intelligere, quod clarè monstratur ex cap. 28. Deuteronomij ibi: *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis, cuius linguam intelligere non possis.* Ibi est idem verbum שמע, & sumitur pro intelligere, sicut & in illis verbis Isaiæ cap. 36. *Loquere ad seruos tuos Syrâ linguâ. Intelligimus enim.* Imò & absoluta intelligentia per idem verbum significatur, vt cùm Salomon dixit: *Dabis ergo seruo tuo cor docile*, scilicet intelligens, *vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum.* Vnde non temerè Chaldæus dixit: *Didici, & audiui*, vt ostenderet non meram auditionem linguæ ignotæ notari, sed perceptionem & intellectum. Hæc adiunctis iis, quæ diximus, & adhuc dicemus, non videtur improbabilis sensus hic de linguæ Hebraicæ notitia in iis qui in exitu Ægypti illam ignorabant.

CAPVT XXXV.

An Canticum Moysis inspiratum omnibus Israelitis adhuc infantibus eorum, & iis qui muti erant?

Explicatur locus Sapient. 10. & Psalmi octaui.

Roborabitur hæc commentatio ex iis quæ acciderunt ipsissimo in Ægypti exitu, cùm canticum Mosaicum omnes qui rubrum mare indemnes siccique sunt transgressi incinuêre, ibi fortasse reperiemus ingens miraculum; quod plausibile reddat ea quæ diximus, dum sequamur quod perspicuè Sapiens dixit capite decimo, non detorquentes eius verba ad figuratos sensus, & innitamur nobilium authorum interpretamento. Verba Sapientis de Israelitis postquam immunes traiecere mare rubrum, hæc sunt: *Et decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter; quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* Duo hîc admiranda notari videntur. Vnum tot hominum millia diuino afflata spiritu fuisse vt vnum, idémque canticum pariter pronuntiarent: Alterum solutos linguâ mutos, & edoctos loqui infantes eundem cōcinuisse hymnum. In vtroque apparet multis dono datam Hebræam linguā. Priùs illud sic Augustinus miratur in libro primo de mirabilibus S. Scripturæ: *Accidit dignum miraculum, vt cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates eodem inspirante flamine, vno quasi ex ore, nullâ præmunitione edocti, easdem continentes literas decantarent in vnum, &c.* Cap. 21.
Item; *Quod per verbum & studium ipsi facere potuerunt, consonum omnes carmen decantare in vno momento Dominus illis donauit, & in tali cantico eorum linguas & ingenia gubernabat.* Sic ille. Et quidem si diuinâ virtute id factum non fuerit valde dubitari potest, quo pacto carmen didicerint, & decantauerint simul tot virorum, feminarúmque millia. Nonne statim post victoriam carmen decantarunt? Quomodo ergo tam subitò illud memoriæ commendarunt? Præterea tot millium cantorum multitudo non videtur apta choro & concentui. Adde aut plusquàm sexcenta hominum millia simul canentia innumeræque feminę. Et quidem aduerbium *pariter*, Græcè Ὁμοθυμαδὸν omnes exponunt vno ore, vnóque corde. His addo exemplum aliorum, qui simili vniformitate diuinæ inspirationis, eodémque spiritus afflatu hymnos Deo cecinere, vt tres pueri in fornace Babylonica, & Saül cum inuenit cuneum Prophetarum canentium laudes Dei, *& insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorū*, id est, cātauit diuino spiritu actus, sicut illi. Quę res magnā in omnibus admirationē meritò creauit. Similiter & lictores missi ad capiendū Dauid: *Factus est etiam spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipsi*, hoc est, synodias Deo dicere eadē, ac alij Dei cantores. Idē accidit aliis nūtiis, & rursus Saüli prout testatur caput 19. libri 1. Regum. Non igitur mirum, si eadem fateamur accidisse primis Israelitis cum diuina omnipotentia profusior videbatur thesauri suorum mirabilium; Mosaycúmque hymnum eodē afflatu concinuisse omnes, qui traiecere pelagus Erythręum incolumes. Eidem

Moysi simile quid accidit, vt vnà cum Iosue pari spiritu afflati incinuerit carmen, *Audite cæli*, quod postea comprobabitur. Cùm igitur Hebraicum carmen esset, Hebraicè tunc locutos linguæ Hebraicæ ignaros oportebit dicere. Quamuis enim potior & plurima pars Israelitici populi Hebraici idiomatis conscia fuisset (hoc enim damus) at inter illam multitudinem, quę mare rubrum indemnis penetrauit multi videntur Hebręam linguam ignorãtes, saltem *vulgus promiscuum innumerabile*, Ægyptios scilicet, vt suprà probauimus, qui
Exod. 12. Hebræis adhęserunt. Hi planè ignari dialecti Hebraicę erant. Pręterea ex ipsis Hebręis nõ pauci, qui in remotis Ægypti vrbibus procul à prouincia Gessen nati, nutriti, & seruilibus operibus addicti semper fuerunt, ignorarent Hebræam linguam, licet alij in terra Gessen eam conseruassent. Cum igitur his inspirata fuerit lingua Hebręa, non mirum si pluribus, si cæteris, si omnibus, si quibuscumque illam ignorantibus.

Alterum miraculum de restituto mutis linguę vsu, & infantibus prærepto Dionys. Charthus. sic obseruat: *Sapientia*, inquit, *excitauit Israelitas ad Dei praeconium, quia antè laudibus Dei quasi muti fuerint, neq; contra Ægyptios loqui audebant; & forsitan aliqui muti tunc loqui exorsi sunt, forsitan etiam anticipatus est quibusdam infantibus linguæ vsus in laude hac*
Lib 3.c.13. *Dei*. Sic ille Absolutius Christophorus Castrus, & Sebastianus Barradas in itinerario censent Scripturam docere ad canendum aperta fuisse ora mutorum, & linguas infantium factas esse disertas, quod magnum fuit miraculum; verborum verò proprietas hunc sensum indicat. Quid mirum si tot miris addiderit Deus etiam hoc mirum? ait Barradas, qui opti-
Ps.104. mè respondet ad illud Psalmi: *Non erat in tribubus eorum infirmus*. Ergo nulli erant muti inter Hebręos eo tempore, quo cecinerunt Deo laudem. Responderi potest, in Psalmo dici infirmos eos qui aliquo morbo laborabant, iter impediente; mutos autem facilè posse iter facere. Neque deest exemplum scripturæ alicuius, qui diuino afflatu mutus esse desiit, quippe Zachariæ Baptistæ patri muto diuinus Spiritus vocem restituit, & in admirabile suum Canticum insonuit, cùmque mutus cœpisset scribere nomen filij, loquax finiuit, vt egregiè Iuuencus cecinit alicubi:

Sed proh mira fides! tabulis cùm scribere tentat,
Implicitam soluit per verba sonantia linguam.

De infantibus commodè explicantur verba illa Dauidica, alioqui nõ facilia: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicum & vltorem*. Nãque si mari rubro traiecto infantes cum cætero Israele concinuerunt laudes Dei, suis liberati inimicis, pręsertim Pharaone, qui antonomasticè dici inimicus potest, ad hanc historiam videtur respexisse Dauid, planissimusq; sensus Psalmi redditur, alioqui non ita lenẽ, & genuinum reperiet, ex quo etiam confirmatur, multa quæ subiecit Moyses, indicata esse à Dauide, & Sapientiæ authore. Et quidẽ cùm eiusdẽ Psalmi verba triũphali suę acclamationi adaptauit Christus Dominus 21. Matthæi cap. censent Chrysost. Theophylact. Euthym. & Maldonatus, veros infantes, & lactentes miraculosè acclamasse *Hosanna filio Dauid*. tum quia verba Psalmi id significant, tum quia eo sensu dixisse videtur Christus, sicut apud Lucam decimo nono capite dixit, *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*.

CAPVT XXXVI.

Nequit negari miraculum in concentu Cantici Moysis.

SCio multos Sapientię verba non propriè accepisse, sed figuratè, dum mutos & infantes intelligunt ipsos Hebræos, qui præ Ægyptiorum metu nõ ausi sunt in Ægypto laudes Deo concinere, ac si nescirent loqui velut muti & infantes, donec Pharaonicũ exercitum extinctum vidissent. Tunc excusso pauore ausi sunt loqui, ac si mutis restitueretur eloquendi facultas. Parũ fortasse sedebit istæc interpretatio his qui censent concentũ in Ægypto ab Hebræis alium hymnum, qui indicatur ab Isaia cap. 30. vbi ait: *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis*. Quo loco Commentarius *Mechilta* in Exodi caput decimum quintũ, Gabriel Aluarez, & nobiles alij interpretes respexisse Isaiam dicunt ad hymnum, quem Hebræi in Ægypto cecinêre eâ ipsâ nocte, quâ primogeniti Ægyptiaci fuêre occisi. Non igitur post transitum Erythræi maris soluta est metu ligata Israelis lingua, sed ante euasionem Ægyptiacę tyrannidis. Satius esset, si non propriè Sapientis sententia fuisset recipienda; interpretari illam de ignorantia Hebraicę dialecti, erga quam fuerant Israelitæ velut muti & infantes nescij Hebraicè loqui, post transitum

verò

verò rubri æquoris, eo ipso loco, quo primum exiêre de terra Ægypti diuinitus edocti Hebraicum idioma, aperto ipsis velut mutis ad illud ore cœperunt Deum Hebraico carmine laudare.

Vtcumque nequit negari mirandum aliquid accidisse, & præter naturalem rerum ordinem in concentu omnium Israelitarum diuinas celebrantium laudes Mosayco illo cantico: hoc indicant illa verba: *Quoniam sapientia aperuit os mutorum*, per sapientiam intelligitur afflatus quidam diuinus, aut specialis Dei virtus, non mera facultas humana, quæ os mutorũ aperuit, sicut paulò antea de Moyse dixerat: *Intrauit*, nimirum Sapiẽtia, *in animam serui Dei, & stetit contra Reges horrendos in portentis & signis.* Præterea inter alia miracula, quæ acciderunt Israelitis numerat Sapiens concentum huius carminis, inter prodigia Ægyptiaca, illuminationem, ducatúmque columnæ nubeæ, transitum maris rubri siccati, submersionem, & emersionem Pharaonicorum militum, & cadauerum. Igitur admirandum quid, & extra captum naturæ, fuit melos vniuocum, & vniuersale eius cantici. Quare non videntur audiendi ij, qui impropriè accipientes libri Sapientiæ verba, nullúmque agnoscentes miraculum in vniuoco concentu Israelitarum, dicunt primum Moysem composuisse illud canticum, & deinde dedisse canendum Israelitis, postquam illud didicissent. Quo pacto, si huiusmodi factum esset, dici posset sapientiam aperuisse os mutorũ, & infantiũ linguas fecisse disertas? quo pacto quid miratu dignũ? Præterea innumerabilis illa multitudo millium & millium Israelitarum, virorum & feminarum canticum illud discere tam breui nequiit, maximè tunc temporis, cùm literæ introductæ non essent: postea enim designauit Moyses γραμματοεισαγωγεῖς, vt loquuntur LXX. decanos scilicet, qui literas introducerent; quapropter non erat copia transcribendi tot exemplaria, quæ sufficeret vniuerso Israeli. Imò licet iam fuisset crebra, & vulgaris scriptio, tamen in tanta multitudine feminarum, & rudium hominum, qui totum vitæ tempus seruilibus & rusticis operibus intenti fuerunt, & oppressi ab Ægyptiis plurimi essent, qui nec legere, nec scribere potuissent, tum viri, tum feminæ. Decuisse quidem his mirandis venerandum fieri hoc canticum suadet quod Beatus Ioannes in capite decimo quinto Apocalypsis vidit: Beatos nimirum in cælo cantantes hoc canticum Moysis. Sap. 10.

CAPVT XXXVII.

Exponitur Psalmus octogenus.

NVnc elucebit magis Psalmus octogenus, exponendus quidem de celebrandis festis ad imitationem vtiq; Israelitarum, cùm laudes diuinas celebrarunt cõcinentes Eucharisticum Moysis hymnum, postquam Ægyptiacâ seruitute, & Pharaonicâ insecutione fuerunt asserti. Breui propterea totum explanabo. In primis titulus Psalmi est: *In finem pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.* Vox *in finem*, communissima est inscribendis Psalmis, variasque interpretationes patitur, quæ nostro instituto peculiari non seruiunt, nisi parũ illa Scrieckij ex Iaphetica sua lingua deducta, quod sit, *in lunationem*, siue *in fine Lunæ*, quoniam cantica ista in fine Lunæ composita seu præparata dicit Neomeniis, à Dauide prolata, & in festis illis celebrata. Lunæ quippe nouæ celebres fuerunt Iudæis, maximè illa, quæ septimo accidebat mense. Quadrat quoque (licet eam non probem) expositio vocis *Asaph* Hebraicè לאסף quasi *Alasaph*, hoc est, *pro aquarum descensu*, quoniam referatur ad exitũ filiorũ Israel de Ægypto, & aquis maris rubri. Cassiodorus, Bruno, Herbipolensis, Haymo, & alij adiiciunt in inscriptione tituli: *In quinta Sabbati*, quod ad aquas etiam refert Cassiodorus: *Nam quintâ die ex aquis Deus animãtia fecit, & in Baptismo nouus homo generatur.* Et versic. 5. interpretatus de Israelitico populo: *Sicut ille*, inquit, *per maris rubri vndas eiectus est; sic nos à terra Ægypti, id est, à vitiis carnalibus absoluti regenerante sanctâ vndâ renascimur, Et sicut illud mare fecit rubrum: ita aqua Baptismi, quæ cum sanguine de latere Christi profluxit, rubra potest nuncupari.* Sed veniamus ad historiam. Opportunè significat titulus quo tempore cõcinendus Psalmus erat cùm *pro torcularibus* dicit, hoc est, pro iis festis diebus decantandus, quæ accidunt tempore vindemiæ & torcularium, nẽpe Septembris mẽse. Festa enim Iudæorum eo mense potissimè accidebant, quippe ex sex illorũ festis diuino iure celebrandis, præter hebdomadaria Sabbatha, & menstruas Neomenias, quatuor celebrabantur festa mense Septembri, festum scil. Tubarum, festũ Expiationis, festũ Tabernaculorum, & festum Collectæ, ita vt solum Pascha, & Pentecostes extra Septembrem inci-

derent. Ex festis autem Septembribus celeberrimum & valde festiuum Tabernaculorum erat, quod clarè in Deuteronomio celebrandum præcipitur sub tempus torculariurn. Ita in capite decimo sexto præcepit Dominus: *Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabitis per septem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuas.* Hinc factum est Psalmos in iis decantandis festis compositos pro torculatibus inscribi, quod etiam Theophylactus testatur in Commentariis in Euangelium Beati Ioannis capite septimo. Eius verba sunt: *Tertium festum erat Scenopegia, quod celebrabant, vt gratias agerent pro comportatione fructuum mense iuxta Romanos, Septembri. Tunc namque gratias de more Deo agebant omnibus fructibus comportatis. Itaque tabernaculis, atque casulis constructis tanquam in agris degerent lætabantur. Vnde & Psalmos quosdam Dauidicos, quorum titulus est, Pro torcularibus, quidam dicunt à Dauid in hanc festiuitatem esse compositos, quod eo tempore torcularia vindemiantes implerent, ac propterea gratias agerent. Itaque etiam in octauo Psalmo meminit bonorum, quæ à Deo nobis concessa sunt, qui item pro torcularibus inscribitur.* Hæc Theophylactus. Hæc mihi certiora videntur, quàm quæ Rabbini censent de instrumento musico ex Geth delato, aut carmine eiusmodi vocato. Porrò hoc Tabernaculum festum magnâ lætitiâ celebrandum erat, atque in memoriam eius temporis, quo Israelitæ ab exitu Ægypti vsque ad terræ promissæ ingressum habitarunt in tabernaculis. Vtrumque declaratur in capite vigesimo tertio Leuitici, vbi de hoc Tabernaculorum festo dicitur: *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro, celebrabitisque solemnitatem eius septem diebus per annum: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in vmbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est Israel manebit in tabernaculis, vt discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cùm educerem eos de terra Ægypti.* Ideirco Dauid siue Asaph Princeps Cantorum, qui in titulo adducitur, hæc duo in Psalmo isto complectitur, nimirũ exhortatur ad lætandum & canendum coram Domino, & pariter commemorat exitum Ægypti, & quæ in deserto acciderunt. Auspicatur igitur à læta celebratione horum festorum, dicens: *Exultate Deo adiutori nostro,* qui nimirum nos adiuuit, vt eriperemur seruitute tyrannicâ Ægypriorum. *Iubilate Deo Iacob.* Repetit pro more ferè eadem, quæ in priori hemistichio dixerat: *Sumite Psalmum & date tympanum*, in choros vos diuidite canendo, & recinendo, hoc est, *sumite & date*, sumendo in vno choro canticum musicum, & dando in altero. Sic enim primum canticum quo gratias Deo adiutori nostro egit Israel & exultauit, concentum fuit à viris & feminis, ad cuius imitationem oportebit exultare Deo. Philo enim libro primo de vita Moysis scribit vniuersam multitudinem virorum in chorum vnum, feminarum in chorum alterum, diuisam esse: *Duos, ait, choros statuerunt in littore, alterum virorum, alterum mulierum, cecinerúntque hymnos gratulatorios, præeunte viris Mose, sorore verò eius mulieribus: nam hi choreas ducebant.* Id ipsum indicat verbum Hebræum, vbi loco eius, quod Latinè dicitur de Maria prophetissa sorore Moysis præcinuisse, in Hebræo est *respondisse*: præcinit quidem feminis respondens viris, siue recinens. Oporter quoque addere varia instrumenta musica; *tympanum, psalterium iucundum cum cithara.* Nec enim Israelitæ surdis vocibus cecinerunt, Exod. 15. sed cum instrumentis musicis: nam dicitur: *Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat.* Chorus fortasse intelligitur instrumentum etiam musicum, quod etiam coniunxit quidam Psalmus cum tympano, de eo dicit Hieronymus Epist. ad Dardanum: *Synagogæ antiquis temporibus chorus fuit simplex pellis cum duabus cicutis æreis, & per primam inspiratur, per secundam vocem emittit.* Instat adhuc Psalmographus: *Buccinate in Neomenia tuba.* Huiusmodi debetis celebrare festum tubarum, quod incidit in Neomenia Septembris addendo hæc musica instrumenta; in illo enim festo corneis tubis clangebant Iudæi: idcirco dies clangoris, & festum tubarum seu cornu appellabatur. Additur, *in insigni die solemnitatis vestræ*, Tabernaculorum scilicet quæ celebritas, vt insignior omni instrumento musico, ac proinde tubis quoque debet festiua, & læta reddi. Illa verba *in insigni* Hebraicè est בַּכֶּסֶה *bakkeseh*, quod propriè significat *in operimento* siue *tegmine*, propter tegmina, & tabernacula, quibus in festo Tabernaculorum protegebantur Iudæi. Reddit rationem, cur tam festiuè hoc festum celebrandum, *quia præceptum in Israel est*, quia sic præcepit Dominus, præsertim capite vigesimo tertio Leuitici, vbi iubet lætari in tabernaculorum solemnitate: *Lætabimini coram Domino Deo vestro.* Subdit Vates: idem enim est iudicium ac præceptum in multis Psalmis: *Testimonium in Ioseph posuit illud,* quamuis

quamuis etiam testimonium soleat accipi pro præcepto; hîc tamen posset interpretari Psalm. 18.
pro exemplo, & documento, quasi diceret, non solum præcepit Deus lætè celebrari fe- & 118.
stum Tabernaculorum in memoriam peregrinationis ab Ægypti egressu, sed testatus est re ipsâ, monstrauitque quantâ lætitiâ debeamus exultare Deo adiutori nostro; exemplo scilicet populi Israelitici (quem Ioseph vocat, quemadmodum supra diximus) qui in exitu Ægypti, cùm diem festum ageret, & gratias Deo referret, postquam se vidit liberatum Ægyptiacâ seruitute, submersôque Pharaone, intonuit cum tympanis & choris canticum Moysis inspiratione diuinâ afflatus, & sic edoctus, vt Hebraicam linguam ij ipsi, qui illam ignorabant, intelligerent, & Hebraicum concinerent carmen. Sic enim, *Cùm exiret de terra Aegypti linguam, quam non nouerat, audiuit*, hoc est, intellexit.

Cœpit hîc Psalmographus commemorare aliqua beneficia diuina, quæ accepit populus in Ægypti exitu, & in deserto, cuius causa & memoria debuit celebrare cum omni lætitia festum Tabernaculorum. Pergit ad aliud beneficium: *Diuertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino seruierunt.* Exitus & liberatio Israelitici populi ab Ægyptiaca oppressione. Hoc obtinuit, vt non amplius Hebræi dorsuarij & baiuli instar iumentorum essent, nec manus semper occuparent in gestandis cophinis luto & lateribus plenis. Procedit deinceps ad alia beneficia Dei, & ingratitudinem populi, dum esset in deserto habitans in tabernaculis, quorum memoria hîc celebratur, *In tribulatione inuocasti me, & liberaui te, exaudiui te in abscondito tempestatis*, scilicet in transitu maris rubri, cùm insectaretur Pharao Israelitas, audiuit Deus eorum preces, & latens Deus in columna nubis, & ignis excitauit tempestatem contra Pharaonitas, cum horrendis tonitribus, & fulminibus infringens rotas curruum Ægyptiacorum, de quo alius Psalmus dixit: *Vox tonitrui tui in rota:* Et hîc aliqui pro voce *tempestatis* legunt *tonitrui.* Hanc tempestatem significant verba decimi quarti capitis Exodi, *Ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum & subuertit rotas curruum*, nimirum fulminibus; cùmque voluissent Ægyptij fugere, tunc excitauit Dominus aliam tempestatem marinam restituens stantes muros aquarum suis sedibus, & inuoluit vndis Pharaonicas copias, inundans quotquot ex Ægyptiis persecutoribus tranare illac ausi sunt. At nihilominus post ingens hoc beneficium oblitus eius populus murmurauit contra Dominum propter aquæ penuriam. Idcirco ait: *Probaui te apud aquam contradictionis.* Huiusmodi enim deinceps vocatus est locus ille, cuius historia in Exodo, & Numeris videri potest. Deinde alludens ad adorationem vituli sic monet Israëlem: *Audi populus meus, & contestabor te, Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum,* Exod. 17. Num. 20.
Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Et tam memorando miraculo, ac accidit in transitu maris rubri; quapropter *dilata os tuum & implebo illud.* Hoc quidem oporteret, vt dilatares os tuum ad me laudandum, & ego implerem illud meo spiritu, & afflatu, vt factum fuit cum Israëlitis, dum canerent canticum Moysis, & cum tribus pueris in fornace Babylonica, & cum Saule inter Prophetas. Alludit etiam Psalmus ad breuem & frigidam illam cantilenam cùm fabricato vitulo dixerunt Israelitæ: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti,* non ita dicit Deus: non vitulus, sed ego: Exod. 32.
Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Et verus quidem Deus, quod noscere inde posses, qui impleui os tuum mirabiliter. Et repentè ad Canticum illud Moysis elegantissimum, facundum, & disertum, quòd Dij falsi facere non possunt, in quorum laude citò mutesces. Confer igitur cantilenam illam vituli, quæ vix constaret decem verbis, cum Cantico Moysis, quod concentum fuit dilatato, & impleto ore omnium Israelitarum vniformiter & facundissimè incinentium. Deinde meritò queritur Deus: *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi*, quod sæpè accidit in deserto, vbi sæpissimè fuerunt Deo, inobedientes Israelitæ. Quid inde? *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Multas calamitates Hebræorum respiciunt hæc verba, speciatim videntur alludere ad concupiscentiam carnium & coturnicum, cui Deus locupletissimè satisfecit, sed magno malo illius gentis. Immisit quippe Dominus tantam coturnicum vim, vt intra ipsa tabernacula populi conuolarent, vt facilius capi possent, sed ex carum esu multis accidit mors.

Deinde imputat Dominus Israelitarum culpæ & inobedientiæ, quod non feliciùs iis acciderit ingressus & possessio totius terræ promissæ debellatis omnibus Chananæis: *Si populus meus audisset me: Israel, si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Cùm enim Deus promisisset Hebræis terram Chanaan, vsque ad Dauidis tempora non fuerunt adepti dominatum totius

terræ promissæ, imo sæpè Chananæi subiugarunt Hebræos. Hoc quidem non euenit, quia Deus suæ pollicitationi defecit, sed quia Hebræi non steterunt pacto, cùm non seruarent legem Dei, nec mandato paruerunt de non parcendo illis gentibus, atque multis aliis modis inobedientes Deo extiterunt. Alioqui tanquam nihil agens proderet Deus omnes Chananæos, & inimicos populi sui Israelitici, per quem volebat punire Chananæorū peccata, vt constat ex Scriptura. At in hoc nihil amisit Deus: *nam inimici Domini mentiti sunt ei*, hoc est, subiecti sunt ei iuxta phrasim Psalmorum, in quibus mentiri sumitur pro subiici. Psalmo decimoseptimo: *Filij alieni mentiti sunt mihi*, hoc est, alienigenæ, & Philistæi subiecti facti sunt mihi; & Psalmo sexagesimo quinto: *mentientur tibi inimici tui*, hoc est, seruient, & subditi tibi erunt: hæc phrasis sumpta à conditione seruorum, qui Dominis suis, aut mentiri, aut adulari solent. Hinc factum est, vt pro seruire, & subesse dicatur mentiri. Igitur Chananæi inimici Dei sunt Deo subiecti, & non elabuntur de manu, & iurisdictione diuina, quamuis per Hebræos non sint in hac vita temporaliter puniti, quoniam, *& erit tempus eorum in sæcula*, punientur in æternum in altera vita, ibi incident in manus Dei viuentis. Tempus apud Syros significare solet supplicium, & calamitatem, vt notant Theodoretus, & Euthymius. Quapropter meritò interpretatur S. Augustinus: erit tempus supplicij eorum in sæcula, quia ignis gehennæ non extinguetur. Tandem concludit Psalmographus, *& cibauit eos ex adipe frumenti*, Hoc refertur ad Hebræos, quos post tot, & tantas ingratitudines, & inobedientias introduxit nihilominus Deus in terram promissam ità abundantem, vt eos ibi satiaret eximiis fructibus & veluti ex adipe frumenti, & quoniam montosa, atque petrosa terra sit, & abundans lacte & melle. Addit, *Et de petrà melle saturauit eos*, hoc est, de terra saxosa, qualis est terra promissa, quæ nihilominus ob rerū abundantiam mel potest vocari, quia manans lacte & melle, eodem penè modo significauit Moyses terram promissam: *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum; vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durißimo.* Itaque ab exitu Israel de Ægypto exorsus Psalmus desinit in ingressu, & possessione terræ promissæ comprehendens omne tempus, quo Israel habitabit in tabernaculis, vt meritò in Tabernaculorum festo decantaretur; præmittens in prioribus versiculis quantā lætitiā & instrumentorum apparatu tabernaculorum dies celebrandi essent ad imitationem eorum, qui post transitum maris rubri incipientes habitare in tabernaculis concinerunt ex diuina inspiratione Canticum Eucharisticum Moysis.

Deut. 32.

CAPVT XXXVIII.

An Moyses dono Dei infusam linguam Hebraicam habuerit?



NVNC regrediamur ad institutam quæstionem de Hebraicæ reparatione dialecti, ne illud prætermittamus, peritiam scilicet locutionis Hebraicæ in sancto Moyse, qui princeps fuit & author cantici illius gratulatorij non naturalem esse, sed diuinitus aut acquisitam, aut seruatam; quoniam cùm puer erat, illam fortasse non didicit, tametsi alij Hebræi illā fuissent vsi: namque educatus fuit in Pharaonica aula tanquam filius Principissæ Ægyptiacæ, vbi nemo loquebatur Hebraicè. Porrò in infantia, seu prima pueritia, dum à matre lactabatur, vix locum habuisset eam discendi peritè transmissus breui in Regiam. Maximè si verum sit, quod Philo scripsit in eius vita Thermutim filiam Pharaonis grauidam, puerperamque se finxisse, & fecisse sibi Moysem supposititium filium vt Regem Patrem suum falleret; tuncenim minus loci daretur, vt nepos tanti Regis diu maneret apud Hebræos, quibus infensus erat Pharao. Ego quamuis hanc sententiam Philonicam non probem, non puto diu mansisse Moysem cum matre sua, quoniam in Actis Apostolorum dicitur, *Sustulit eum filia Pharaonis, & enutriuit eum sibi in filium, & eruditus est Moyses omni sapientiā Ægyptiorum.* Imò existimo filiam Pharaonis non ita tradidisse Moysem, quem cogitabat adoptare in filium Hebrææ feminæ nutriendum in domo sua, sed in domo alicuius aulici Ægyptiorum, cui committeret curam pueri, & nutricis eius. Sic rectè dici potest Moysem nutritum in filium à Pharaonis filia. Vt primum autem potuit fieri, traductus fuit in Palatium, & traditus præceptoribus. At demus edoctum Moysem linguam Hebræam in domo matris, postquam tamen in domum Regiam translatus est vsque ad quadragesimum annum, non egit cum Hebræis: nam S. Stephanus ait:

Lib. 1.

Act 7.

ait: *Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israel.* Itaque à pueritia vsque ad quadragesimum annum non fuit locutus Hebraicè. Et deinde factus exul in terra Madian alios quadraginta annos, peregit sine linguæ Hebraicæ vsu, cuius multoties obliuisci posset, cùm homo octogenarius eam linguam semel dumtaxat occasionem loquendi nactus esset. Nec dici potest Moysen fuisse tenacissimæ memoriæ: nam linguæ Ægyptiæ, quam locutus semper fuit in Ægypto, tandem oblitus fuit in Madian. Quomodo naturaliter sic recordari Hebraicæ potuit vt eius linguæ puro stylo tot conscripserit libros? Porrò Ægyptiæ linguæ fuisse oblitum, quo tẽpore inter Madianitas egit, colligunt multi ex responso illo: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris sum linguæ.* Dicunt aliqui apud Hugonem Victorinum hoc vitium linguæ tantum fuisse Moysi, quod per quadraginta annos quibus vixit in Madian, oblitus esset linguæ Ægyptiacæ, quod noster Sebastianus Barradas sequitur, & tuetur Mosem quadraginta annorum spatio traduxisse vitam in terra Madian: hoc longo tempore, inquit, aliquâ ex parte linguam Ægyptiacam oblitus est: timebat præterea ne illam ineleganter proferret. Hoc igitur vitium est, quod ille Deo opponit his verbis: *Non sum eloquens*, videlicet linguâ Ægyptiacâ, quæ necessaria est ad hanc legationem ad Pharaonem Ægypti Regem; quia ipsam aliquâ ex parte obliuioni mandaui, *ab heri, & nudiustertius*, id est, à tempore antecedente multorum annorum, quibus vixi in terra Madian: *& ex quo locutus es ad seruum tuum*, id est, vsque ad hanc horam vel tempus, quo mecum loquetis, non sum eloquens; *impeditioris & tardioris linguæ sum*, ad loquendum lingua Ægyptiaca, quam sum oblitus, quámque lingua Madianitica inquinaui. Ad hanc verò legationem is legatus est necessarius, qui Ægyptiacâ linguâ sit eloquens. Fortè Chaldæus hanc sententiam est secutus, cùm sic vertit: *Grauis loquelæ, profundæque linguæ ego sum*, linguæ sum barbaræ, Madianiticæ. Nam barbara lingua profunda dicitur. Ezechielis tertio: *Non ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris.* Nec obstat quod capite sexto Exodi se vocet Moyses incircumcisum labiis, quoniam sic se appellare poterat, quia Ægyptiacâ linguâ malè & corruptè, & vix intelligibiliter loqueretur, & inquinata Madianiticis vocibus. At sit alioqui Moyses impedimento linguæ naturali tardiloquus & balbutiens, nequit negari quadraginta annis, quibus absens Ægypto fuit, magnam linguæ Ægyptiacæ iacturam passum esse, & multo maiorem Hebraicæ, tametsi illam in pueritia didicisset. Ergo non facultati naturali videtur tribuendum statim post exitum Ægypti illud elegantissimum canticum Hebraicè composuisse; & postea tot libros Hebraicos purissimo vulgasse stylo cum multorum nominum etymologiis quæ magnam linguæ peritiam requirunt. Opinor igitur quo tempore fuit in Madian contemplationi deditus, imò fortasse ex quo in Ægypto reuelatum ipsi fuit se fore liberatorem Hebræorum, vt illos in terram Chanaan restitueret, & colligeret populum Dei peculiarem linguam pariter eius populi accepisse. Verisimile est tunc etiam recepisse reuelationem maiorum suorum, & totius libri Genesis, ad quam oportebat illustrari perfecta Hebraicæ linguæ notitia, & in ea conseruari, tum vt scriberet illam historiam, tum quia dux Hebraici populi futurus erat. Act. 7.

IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

An fuerit solutâ vel ligatâ oratione; quod primum à Deo inspiratum, vt Literis sacris traderetur?



EGIMVS de literis & sermone, quibus sacra Pagina cœpta primùm
scribi, nunc nonnulla consideremus sermonis accidentia, & fortasse
scriptionis, tametsi huius aliqua iam despexerimus,& pleraque reie-
cerimus. Illud primum occurrit de libertate sermonis, an solutâ &
simplici, an ligatâ seu artificiosâ oratione cœptâ literis mandari ver-
ba à Deo inspirata. Sunt quidem multa in Scripturis sanctis carmine
conscripta:tametsi Iulianus Apostata id negauerit, criminatus Euse-
bium Cæsariensem,quod multas carminum species in veteri Testamento posuisset,prove
testatur sanctus Cyrillus Alexandrinus in septimo aduersus eundem Iulianum libro. Lu-
therani pariter inficiantur poëticam in sacris scriptionem,quos noster Bellarminus refellit
Cap. 5. libro de Verbo Dei primo,Iosephus Scaliger etiam metrum denegauit sacræ paginæ,sicut
& Elias Leuita in Masoreth. Verùm Dauidicos Psalmos carmine conscriptos secundus
Cap. 7. Paralipomenon liber contestatur: *Sacerdotes stabant in officiis suis,& Leuitæ in organis car-
minum Domini,quæ fecit Dauid Rex,hymnosque Dauid canentes per manus suas*,Et Ecclesia-
sticus dixit: *narrantes carmina Scripturarum.* Id etiam indicant poëticæ figuræ, quibus
Psalterium vber,& maximè epistrophæ,qualis illa elegantissima Psalmi centesimi decimi
Ps.135. quinti: *Confitemini Domino,quoniam bonus,quoniam in æternum misericordia eius.Confitemi-
ni Domino dominorum,quoniam in æternum misericordia eius.*Et sic deinceps post interposi-
tam quamlibet sententiam reperitur,*quoniam in æternum misericordia eius.*Sic etiam Mar-
tialis libro secundo assumit idem hemistichium in hoc Epigrammate:

Capto tuam, pudet heu! sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas alias: iam sumus ergo pares.
Mane salutatum venio, tu diceris isse
Antè salutatum: iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis:
Tu comes alterius: iam sumus ergo pares.

In hac repetitione quid leporis inesse potest,nisi adsit metricus concentus? Meritò san-
ctus Hieronymus,in Prologo, qui præfixus est sacræ Scripturæ, ad Paulinum, de Dauide
sic scribit: *Dauid, Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus atque Sere-
nus,*

nus, Christum lyra personat, & in decachordo psalterio, ab inferis excitat resurgentem. De primo Moysis cantico Iosephus in fine secundi antiquitatum libri: *Hebræi* (inquit) *tum suâ salute, tum inimicorum supplicio læti, magis quàm vlli antea homines in hymnis, & hilaritate totam noctem exegerunt. Moses verò carmen laudis Dei, & ob præsentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro versu composuit.* Hæc ille. Hæret Hieronymo Eugubinus, quãuis partim constringat. Iob, inquit, à principio vsq; ad illum locum: Pereat dies, in qua natus sum, simplex est historia, deinceps est veluti carmen, similitérque Psalmorum, & Prophetarum, librorúmque Salomonis oratio. Hieronymo autem, ab illo loco totum, exceptâ extremâ historiâ, librum pedibus spondæo, & dactylo decurrere scribente, intelligendum est, non prorsus his pedibus, & eo syllabarũ numero, sed quasi simili, cùm apud Hebræos, non vt apud Græcos & Latinos tempora syllabarum numerentur, neque similia carmina habeantur sicut non sunt apud Latinos Rhythmici Hetrusci. Hæc Eusebius: quamuis nõ opus habuit laxo interpretari sensu S. Hieronymum. Verba quippe Iosue cùm Solem cohibuit, metrica fuisse constat, & quoniam R. Kimhi ambigit, vtrùm carmen editum sit à Iosue Soli moram imperante: Id argumento est, vt præclarè Masius annotauit, in quanta versentur suæ linguæ ignoratione; nostri sæculi Iudæi: & quàm peregrini sint; ac penè hospites, in ferendo de metricis numeris iudicio, quibus passim hymni & alia carmina astringuntur: siquidem nulla dubitatio esse potest iis, qui Poëticâ eruditione imbuti sunt, si verba Hebræa expendant in oratione Iosue numeros illis similes contineri, quibus ligati sunt Iambici, tetrametri, acatalectici. Quod Masius apertè confirmat, Hebræa verba ad metricam Latinorum amussim adaptans. Illud non prætermittam, à plerisque viris doctis, qui diligẽter hâc nostrâ ætate in studium Hebraicarum rerũ incubuêre, scitè animaduersum esse, carmina & hymnos pulcherrimos, atque elegantèr compositos in sacris literis conseruari: nihilominus quoad singularum syllabarum numeros, mẽsuras, atque tempora attinet, vix hodie vsquam esse aliquem qui ista in eo idiomate habeat omnia satis cognita. Quamuis ego potius censeam metricâ quoque poesi vsos sæpè Hebræos, de quo postea sermonem repetemus.

In Præfat. Comm. in Iob.

Igitur cùm sacra Pagina non solùm constet liberâ & simplici oratione, sed artificiosa & metrica, censeo poëma posse dici; quod primum S. Spiritus afflatu Moyses confecit. Non loquor de Iob libro, qui inter poëticè scripta volumina sacra numeratur. Incertũ mihi est ante librum Geneseos, aut Exodi fuisse perscriptũ. Ob initiũ tamen Genesis, de quo postea dicam, sin minus ob canticũ Moysis inspiratũ diuinitus, & mari rubro siccis superato pedibus decantatũ videtur poësi, aut orationi ligatæ deferẽdus hic honos. Accidit eius hymni concentus ante Exodi scriptionẽ, imo etiam iuxta eorum opinionẽ, qui Genesim scriptã post egressum ex Ægypto putant, ante omnes Pentateuchi libros, & licet Genesis liber cõscriptus fuerit ante Exodum, vbi est illud canticum; non obstat hoc, quin illud phyluræ alicui velut schedulæ committeretur, suo postea loco rescribendum in Exodo. Hoc pacto dici posset inspiratum, confectúmque à Moyse ante sacram aliam Scripturã, & quamuis post alia scriptum, fuisset ante alia absolutum, & vulgatum. Itaque non propterea nego iam aliqua reuelata fuisse Moysi, sed non ita publicata & absoluta eorum narratio, non, inquam, ipsissimo modo; quo scripta prius dicta à Moyse, sicut istud canticum, quod licet postea scriptum, prius dictatum fuit. Idem videtur posse dici de Psalmo octogesimo nono, cuius author iuxta Origenem, sanctum Hieronymum, Hebræos, Agellium, Bonfrerium, & alios, Moyses fuit, de quo postea rursus sermonem instituemus.

CAPVT II.

An Poesis cum sacra Scriptura nata sit?



OBVIAM istam quæstionem non despiciamus, vbi etiam originem poëticæ explorabimus, vtrùm cum sacra pagina Poësis nata, ân vetustior sit; coæuam vtramq; ij fateri debent, qui poëseos inuentorem Moysen faciunt. Planè Origenes homiliâ quãdam super Moysis canticum, illud vocat primum omnium, quæ vnquam fuerunt poëmatum. Sanctus Isidorus libro Etymologiarum primo, capite trigesimonono, de Heroico carmine locutus, ait: omnibus metris prius est: *Hoc primum Moyses in cantico Deuteronomij longè ante Pherecidem, & Homerum cecinisse probatur. Vnde & apparet antiquius fuisse apud Hebræos studium carminum quàm apud Gentiles.* Polydorus Virgilius libro primo de rerum

Cap. 8. inuentoribus, artificium pariter poëticum Hebræis in primis Moysi adscribit. Hadrianus Skrieckus inuenisse poësim Moysen affirmat in suis aduersariis. Idem censuit noster Magallanes, & confirmat Ludouicus Franciscanus in globo canonum, & arcanorum, qui nomen *Poëta* Hebraicum siue Chaldaicum asseruit, & à verbo פיית *pijjet* deduci nomen *Paitan*, quod Poëtam significat, cui etiam assentitur Franciscus Boderianus, sed hoc certum haudquaquam mihi est, cùm constet Græcã esse etymologiã nominis *Poëta* à verbo ποιω.

Multi nihilominus seniorem Moyse putant poësim. Venetus Puteolanus ad tempora Nembrot refert. Sunt qui Tubalcain malint eius auctorem, quoniam Augustinus libro Cap. 14. secundo de ordine, affirmat à musicâ progenitam fuisse poësim. Musicæ verò authorem fuisse Tubalchain censent. At potius ad Iubal inuentum musicæ & poëseos debuissent referri, qui Genesis quarto capite dicitur: *Pater canentium citharâ & organo.* Ad hunc Cap. 36. vsque refert Gaspar Sanctius, quod in Iob dicitur: *Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri.* Extollunt alij originem Musicæ ab Abel illam deducentes, quem cum Lib. 1. c. 3. in Magn. hymnodico carmine sacrificium obtulisse dicunt, quod latius edisseruit Episcopus Recanatensis. Nonnulli Adamo omnium primo mortalium artificium locutionis metricæ imputant, Psalmorúmque authorem nuncupant, quod in superioribus iam reiecimus. Vtcumque autem ante Moysem metricas locutiones increbruisse non coniiciet nemo, ex il-Cap. 3. lis Iob verbis: *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Quem locum commodè exponit noster Sanctius de iis, qui conducebantur ad imprecatoria, & maledica carmina effundenda, quíque verba habebant ad hoc turpe ministerium Num. 22. venalia, sicut Balaam, quem ad hoc conduxit Balac Moabitarum Rex. Hi etiam serpentes & pisces suis carminibus euocabant, sicut Leuiathan, vel fortasse nomen Leuiathan inculcantes suis intermiscebant magicis versibus: fulciri quoque potest eadẽ existimatio Iob 35. ex illis Eliu verbis: *Vbi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* Cùm igitur Iob & Eliu ante Moysem vixerint, carminum notitiam ante Moysem videntur habuisse.

Hæc quidem non euincunt antiquitatem Poëseos, sed Musicæ, quæ diuersæ res, & artes sunt. Neque obinde, quod illi prisci cecinissent aliquid in Dei honorem, dicendum statim est metricum, & numerosum id fuisse: nam hodie pleraque decantat Ecclesia, quæ nec metro, nec rithmo constent, neque vllum vestigium poëtici artificij habeant. Non igitur nego multa ante Moysem fuisse decantata; at non proinde vrgeor fateri metrica ea, fortasse nec rithmica structura cõstitisse. Neque magica verba necesse est carmine ligari. Hodie siquidem multa superstitiosi proferunt soluto sermone, & aliquando vnicum dumtaxat verbulum effundunt. Verba illa: *qui dedit carmina in nocte*, quamuis tribuantur Eliu, ea scripsit Moyses, quem poëticem professum fatemur. Is illâ phrasi notauit memoranda Dei beneficia quasi digna quæ scriberentur carmine, vt nobiles interpretes exponunt, nec phrasim illam necesse est dixisse Eliu, sed sensum. Puto igitur artificiosam poësim, cui discretio syllabarum necessaria sit, non nisi à Moyse post literarum inuentum introductam: haud bene siquidem nisi animaduersis literis, animaduertentur syllabæ. Cùm igitur Moyses literas introduxerit, nõ ante illum hæc videtur poësis increbruisse. Nam neque arte adiuuaretur natura, nec literæ exempla eius artificij conseruassent. Non tamen proinde inficiandum puto aliquando cantilenas artificiosas ante Moysem potuisse accidere, aut casu, aut instinctu egregiæ alicuius indolis. Id tamen non liquet, & certius est à Moyse, & aliis sacris scriptoribus, promanasse in gentes artificiosam, & metricam dictionem. An ante canticum Eucharisticum Moysis aliud poëticè ipse composuerit posteà dicemus.

CAPVT III.

Vtrùm Angeli priùs fuerint poëtice vsi quàm homines?

OBITER istud tentandum, an Angeli carminibus prius fuerint vsi. Video enim aliquot authores huius existimationis patronos. Quippe ex Francisci Ximenij quin-Cap. 5. to libro de natura Angelica, Archangelum S. Michaëlem docuisse Adamum poësim scribit Panegyristes pro poësi. Idem author pronuntiat Luciferum, cæterosque Angelos pri-Cap. 38. mos poëtas, & confirmat ex libro Iob: *Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Beatus Amadæus in Apocalypsi notat exoptasse sanctos Angelos, postulasséque creationem hominis oratione hymnidicâ tribus constantem versibus, plura memorans

morans Angelorum cantica ante humanæ naturæ conditionem, & quidem Angelicum canticum, quod in die resurrectionis cecinisse Angelos ex antiqua traditione refert Sigonius libro secundo Italici Regni, & Canisius capite vigesimo secundo libri extremi de Beata Virgine, tum rithmo, tum metro constat. Sic est: *Regina cæli lætare alleluia, Quia quē meruisti portare, alleluia, Resurrexit sicut dixit, alleluia.* At præter istos versiculos non constat olim Angelos ligatâ oratione vsos, atque ea cantica Angelica, quæ in Scriptura inueniuntur, non apparent metrica esse. Apud Isaiam inuenimus cecinisse Seraphim: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloriâ eius.* Ioannes Apostolus paulò aliter eos narrat audiuisse: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est*; penè ipsam cantionem audiuit Puer Constantinopolitanus, dum ingenti terræmotu concutiente Constantinopolim in sublime, non sine magno miraculo elatus audiuit Angelos concinentes, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, miserere nobis.* Reuersus deinde per eamdem quâ raptus fuerat viam, docuit Proclum Episcopum, & Theodosium Imperatorem, cæterùmque populum eundem decantare hymnum. Sic terræmotus cessauit, vt Nicephorus tradidit, atque ex eo Baronius. Pastores quoque Bethlehemitici natalitium Christi ab Angelis decantatum, audierunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Potest numerari inter Angelorum cantica salutatio Angelica: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Etenim sanctus Athanasius sermone de Assumptione Virginis, dicit in illis verbis: *Per vnum Gabrielem Archangelum Deus edidit splendidissimum & capacissimum hymnum.* Addit omnes cælestes spiritus eundem hymnum incessanter in cælo canere. Tandem in Apocalypsi Ioannis voces & hymni Angelici proferuntur, maximè canticum Agni, quod incipit: *Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens, iusta & vera sunt viæ tuæ, Rex.* In his omnibus non agnosco metrum. Quapropter non bene Panegyristes ex cantu Angelorum Angelicam poësim collegit, atque ea doctum Adamum à S. Michaele, non dixit Ximenius, sed alias plures res didicisse, & simul cum Angelis decantasse. Porrò Angelorum hymni ante creationem Adami non fuêre vocales, & sonori, sed Angelicâ, & spirituali locutione prolati, quæ poësim nostram respuit: nec si vocales fuissent, assumptis scilicet corporibus metrici dici debent. Referam canticum fidelium Angelorum, quod præcinente S. Michaële post victoriam è Lucifero & suis sequacibus reportatam cecinisse Angelos tradit B. Amadæus in reuelationibus suis.

Cap. 6. Apoc. 4. Luc. 2. Apoc. 15.

Canticum Sancti Michaelis, & bonorum Angelorum.

Magnificemus Deum nostrum, & exaltemus nomen sanctum eius. Ipse est Deus noster, glorificemus eum. Dominus noster est, exaltemus eum. Dextera eius magnificata est in fortitudine, deiecit aduersarios nostros. Stulti sunt omnes, qui repugnant ei. Maledicti qui declinant à mandatis suis. In ipso non cadit ignorantia, nec error; in voluntate eius nulla est iniquitas, quæcumque voluerit bona sunt, & iusta, quæcumque mandauerit recta sunt & sancta. Maius bonum iustè tribuit minori, & minus rectè maiori: non semper dantur maiora maioribus, & minora minoribus. Primus intellectus errare nequit: Optimus malè velle non potest; primo nihil est prius, optimo nihil est melius. Tribuit vnicuique vt sibi placet, vni magis quàm alteri nil debet: ille solus apud eum est dignus, quem ipse fecerit dignum. Super omnia est diligendus, & tanquam Rex sæculorum immortalis adorandus. Deum, qui vos condidit dereliquistis, & obliti estis Domini Creatoris vestri. Dereliquistis Deum Saluatorem vestrum, & recessistis à Deo salutari vestro. Vos magis quàm Deum amastis, ipso inuito Dy esse voluistis. Commutationem iniquam fecistis; relicto Deo, creaturæ adhæsistis. Prouocastis Deum in diis falsis, pium ad iracundiam incitastis. Ideo tanquam lapis descendistis, & de sedibus altis cecidistis. Date magnitudinem Deo nostro, perfecta sunt eius opera, & iusta iudicia. Deus optimus est, & sine vlla iniquitate sanctus, & rectus Dominus. Omnia coniunguntur in vno, posuit omnia in homine Deo. Amor summus ita voluit, dispersa ipse congregauit; plenus est Deus omnibus, & plena sunt omnia Deo. Non est mirum si assumpserit hominem, & assumere noluit Angelum. Homine assumpto assumpsit omnia, Angelo assumpto non assumpsisset omnia. Quàm magnificata opera tua Deus! omnia sapientissimè fecisti. Adorate promissum Deum hominem, & veneramini eius Genitricem. Adorate eum omnes Angeli eius. Benedicite Potestates, & Virtutes. Benedicite Angeli Dominum Deum hominem, Ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Benedicite Genitrici eius. Suscipite homines vt fratres vestros. Sit gloria Deo Trino in sæculum sæculi, lætemur in operibus eius.

Sed hic hymnus solutâ & liberâ oratione constat, in eo videntur idololatriæ accusari mali Angeli, non quoniam multos Deos crederent, sed propter eorum superbiam, quoniam velut Dij fieri & haberi voluerunt, maximè Lucifer, qui & adorari ab aliis Angelis voluit, sicut Christus adorandus erat.

CAPVT IV.

An ante Canticum Eucharisticum post transitum maris rubri aliud in Ægypto Moyses confecerit?

Exponitur locus Isaiæ cap. 30.



VT regrediamur ad homines, quærendum insuper est, an Eucharisticum Moysis canticum post elapsos Israelitas persecutione Pharaonicâ, & Erythræi freti vndis primùm omnium fuerit. Quoniam Mechilta, hoc est, vetus commentarius, qui in Exodum scriptus est in explicatione capitis decimi quinti, hymnos siue cantiones ex sacra historia decem enumerat, & inter eas secundo loco hoc Mosis carmen, quod tamen primum esse literis commendatum non inficiatur. Adscribam ipsa ferè verba prout à Masio in caput decimum Iosue recitantur: *Primam* (inquit Mechilta) *canebant Israelitæ in Ægypto cantilenam, quod Isaias absconditè significauit, cum diceret: Et canticum erit vobis, sicut in nocte quâ consecratur festum, & gaudium animi, &c. Secundam canebant iidem, transmisso mari rubro. Tertiam ad puteum, cuius est in Numeris mentio. Quartam condidit Moses paulò ante suum excessum. Quintam cecinit Iosue, quando stare fecit Solem. Sextam cantabant Debora & Barac. Septimam Dauid, cùm eum ab omnibus hostibus, atque etiam à Saule liberasset Dominus. Octauam Salomon dedicatâ ade sacrâ. Nonam vniuersus cantorum ordo, cùm eum Iosaphat recens instituisset. Decimam cantabunt Beati eritque ea, qualis illa Isaiæ, Cantate Domino canticum nouum, laus ipsius inde ab vltimis finibus terræ; vel illa altera, Dicite, redemit Dominus seruum suum Iacob, &c. Et superiores quidem omnes illas, nona exque grauissima insecutæ sunt calamitates: at postrema ista, nullo per omnem æternitatem malo interpellabitur.* Hactenus Mechilta. Prætermisit tamen canticum Annæ matris Samuelis. Item Iudith capite sexto decimo suæ historiæ, aliqua Isaiæ capite suæ Prophetiæ quinto, tum duodecimo, tum vigesimo sexto. Item Abacuc aliud, aliud trium puerorum, aliud Ezechiæ apud Isaiam capite trigesimo octauo; præter illud quod per excellentiam inscribitur Canticum Canticorum. Et quæ in nouo Testamento proferuntur B. Mariæ Virginis, Zachariæ, Simeonis, & Angelorum Beatorúmque nonnulla in Ioannis Apocalypsi significata, & alia minus nota, aliquando à nobis forsitan obseruanda.

Masius. Isaiæ 30. Exod. 15. Num. 21. Deut. 31. Iosue 10. Iudic. 5. 2. Reg. 22. 3. Reg. 8. 2 Par. 20. Isai. 42. & 48. Abac. 3. Dan. 3.

Veniamus ad institutum: quodnam Isaias canticum significauit, cùm dixit: *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis.* Cornelius à Lapide non vult referri ad solemnitatem Paschæ, sed ad transitum maris rubri, quasi diceret Propheta. Canent beati tale canticum quale cecinere Hebræi cum noctu transito mari rubro, & submerso Pharaone concinuere: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus, &c.* Hoc enim Mosaycum canticum cantaturos electos dixit S. Ioannes in Apocalypsi. Verùm hoc canticum non noctu intonuit Israel; Propheta autem indicat nocturnum illud canticum fuisse. Hector Pintus ait, cùm manè esset immolanda victima, superiorem noctem ab Hebræis cum festiuo cantico & magna exultatione transigi, & cum ea nocte conferri canticum Iudæorum post victoriam. At Pintus nullo modo eam Iudæorum consuetudinem probat. Sanctus Thomas & Hugo hæc accipiunt de tribus solemnitatibus, quibus populus cum lætitia ad Hierusalem ascenderat; specialius tamen aliquod gaudium Propheta notare videtur, præsertim solemnitatem nocturnam, quæ non est communis tribus illis festis. Diuus Hieronymus interpretans hunc locum, ait: *Tunc vobis inquit Sanctis, qui meis iussionibus obeditis, erit canticum sicut nox sanctificatæ solemnitatis, quando egressi estis de Ægypto, & in solemnitate Pascha iugum seruitutis Ægyptiæ proiecistis.* Hæc ille, qui quamuis postea misceat, quæ in transitu maris rubri acciderunt, Placet cum Aria Montano, Forerio, & Gabriel Aluarez de nocte eâ hoc accipere, quâ egressi sunt Ægypto Israëlitæ per sanctificatam tunc, hoc est, dedicatam solemnitatem agni Paschalis. Sensus itaque Prophetæ est gratulatorium, & lætum canticum erit vobis instar illius quod cecinistis solemni

Isai. 30.

lemni eâ nocte occisorum Ægypti primogenitorum, & Phase celebrâstis. Agnus quippe Paschalis, sub vesperam mactabatur,& eius potissima celebratio noctu erat,in memoriam eius noctis, quâ primum celebratum Pascha fuit, & primogeniti Ægyptiorum occisi, & Israel eductus de seruitute illâ ferreâ, in cuius memoriam præcipitur: *Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, hanc obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis. Dixitque Dominus ad Moysem,& Aarō,Hæc est religio Phase.* Paulò antè etiam dictum erat: *Edent carnes nocte illas assas igni.* Et mox, *Nec remanebit quidpiam ex eo vsque ad manè.* Erat quippe illa nox percelebris ob memoriam eius miraculi cum media nocte Dij Ægyptiorum excisi fuere,& primogenita occisa. Ad hanc igitur noctem respexit Isaias,in quâ nocte sanctificata fuit,hoc est, sacra facta & dicata Deo solemnitas Phase,hoc est,transitus non Israelitarum per mare rubrum,sicut aliquibus placuit, sed transitus Domini cum noctu pertransiuit præteriens domos Hebræorum,& occidens Ægyptios primogenitos.Propter hunc nocturnum Domini transitum,Phase, siue Pascha dicitur, vt sanctus Hieronymus obseruat: *Pascha*,inquit, *à transitu nominatur, eo quòd exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum pertransierit, nec percusserit,vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo,desuper ambulauerit.* Sic ille, & Iosephus libro secundo antiquitatum: *Pascha* (inquit) *significat transitum, quòd Deus illâ die præteritis & illæsis Hebræis Ægyptios morbo percussit, peste eorum primogenita consumente*, &c. Probatur ex Scriptura, quia dicitur *transitus Domini*, non Israelitarum. Non ergo Israelitæ transibunt, sed Dominus,videlicet cùm percussit primogenita.Præterea ait Dominus: *Est Phase*,id est, *transitus Domini, & transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogenitum.* explicat,cur dicatur transitus,siue Pascha vel Phase. *Quia* (inquit) *transibo & percutiam primogenita.* Exodi duodecimo: *Cùm dixerint vobis filij vestri. Quæ est ista Religio? dicetis eis, victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios,& domos nostras liberans.* Quo loco verbum est *pasach*, & nomen *pesach.* Victima transitus Domini est, Hebraicè זבח פסח *Zevach pesach*, id est, *sacrificium transitus.* Quando transiuit,Hebraicè אשר פסח. Præterea dicitur specialiter sanctificata hæc solennitas,quatenus in ea videntur etiam laici sanctificati,vt sacra facerent. Etenim cùm sacerdotium restrictum fuisset ad Leuiticæ tribus familiam Aaronicam, vt nemini alij liceret sacrificare; eâ tamen nocte licitum erat aliis cuiuscumque alterius tribus agnum sacrificare,fungentibus sacerdotali munere secundùm ius antiquum naturalis legis, quod pro ea nocte abrogatum non fuit, nec restrictum sacerdotium ad Aaronitas, quod mihi certum est. Singulis quippe patribusfamilias, apud quos ius sacerdotale ante legem Mosaicam residebat; licebat etiam postillam iure suo antiquo & sacerdotio eâ nocte fungi ad sacrificium agni in memoriam,& sanctificationem eius noctis,quâ in Ægypto celebratum Phase,cuius solemnitas peculiariter sanctificata fuit, quatenus in ea sanctificatum erat,quod aliter non liceret.

Exod. 12.

in Matth. 26.

Illam igitur noctem vigiles transegerunt Israelitæ,laudantes & benedicentes Deo post agni sacrificium, expectantes transitum Domini. Tum maximè cùm post mediam noctem occisis Ægypti primogenitis, *ortus est clamor magnus in Ægypto.* Tunc puto & canticum magnum gratulatorium consonuisse Israelitas edoctos fortasse diuinitus, sicut accidit post submersionem Pharaonitarū in mari rubro, & præcinente Moyse iis quos apud se habebat. At istud canticum non ita constat numerosum fuisse,nec fortasse vniforme omnibus Israelitis fuit, vel pro cuiusque affectu in varias Dei laudes multipliciter effusum. Quapropter primum omnium poëma habetur canticum post maris rubri transitū; quamuis,vt alio loco exibebimus Psalmum octogesimum nonum, qui Moysi adscribitur commodo possimus interpretamento illi nocti adaptare, vt eum tunc Moyses cecinerit, quippe & à Moyse scriptum doctissimi viri censent,& argumentum opportunum est, vt postea ostendemus. Quod si ita est,alludere potuit Isaias ad ea eius Psalmi verba: *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ, & exultauimus, & delectati sumus in omnibus diebus nostris: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Idonea hæc Beatorum cantio, qui de priscis laboribus, & malis quæ in vita passi sunt lætati gratulabuntur sibi, ac Deo gratias agent æternas.

CAPVT V.

Qui sacri Poetæ ? Ex Scripturæ maximè Moysis carminibus elapsa in Græcos & Latinos Poësis.

VTCVMQVE Archipoëta Moyses diuino afflatus Spiritu poëtices exemplum præbuit suis Hebræis, quod deinde in nationes profluxit. Ipse duo cantica eximio metro composuit, de quibus S. Ambrosius in præfatione Psalmorum ait: *Duo igitur cantica in libris Moysi tanquam duo mundi oculi, eisque lumina totum corpus operis eius illustrauit.* Deinde Deuteronomium struxit carmineâ oratione sicut & maiorem partem libri Iob, imò nonnulli quos sequitur Boccatius, affirmant maximam Pentateuchi partem heroico conscripsisse carmine: in Numerorum libro, saltem canticum Israelis videtur ordinasse Moyses, vbi dicitur: *Tunc cecinit Israel carmen istud: ascendat puteus, concinebant, Puteus quem foderunt Principes, &c.* Verbum illud *concinebant*, in Hebræo est, *concinite*, quasi iussetit, & dictauerit ille canere. Verbum Hebraicum quod ibi est ענה non significat simpliciter canere, sed alternis concinere vocibus, & respondere. Itaque illud: *ascendat puteus*, vel *ascende putee*, versiculus sit, qui exordium cantiunculæ præbebat, post singulos versus ab aliquibus repetendus; ab aliis autem id quod subditur, subiungebatur alternis concinendo. Deinde poësim videtur à Moyse didicisse Iosue, vel potius ab eodem spiritu: nam canticum, *Audite cæli quæ loquor.* vnà cum Moyse pari spiritu afflatus cecinit, vt dicitur capite trigesimo secundo Deuteronomij: *Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse & Iosue filius Nun.* Præterea Mechilta commentatus, & Massius obseruarunt carminea esse verba, quibus Iosue stare Solem iussit:

Lib. 4. de Gener.

Deut. c. 7.

Ios. 10. v. 14.

שֶׁמֶשׁ בְּגִבְעוֹן דּוֹם וְיָרֵחַ בְּעֵמֶק אַיָּלוֹן׃

Sol in Ghibbon sile, & Luna in valle Ajalon.

Duo quoque versiculi sequentes metro constant:

Et siluit Sol, & Luna stetit
Donec vindicaret gens inimicos suos.

1. Reg. 1. Tempore Iudicum, non obliti numericæ dictionis Barach & Debora concinuêre; post Anna Samuelis genitrix; deinde Prophetarum, id est, hymnidicorum magna vis tempore Samuelis effloruerunt, inter quos aliquando & non semel Saul afflatus pariter. Mox Dauid eximiâ excelluit poëtice Isidorus scribit Psalterium *Nunc iambo currere, nunc elegiaco personare nunc sapphico nitere, trimetro, vel tetrametro pede.* Dauidisque æuo Asaph, Ethan, Eman, Idithum, & filij Core eadem poëseos peritiâ excelluêre. Sequutus Salomon, non solùm Psalmos & metropediam prouerbiorum carmineâ oratione scripsit, sed & Cantica canticorum poëticè incinuit, de quo videri potest Origenes homiliâ priori in Cantica. Gregorius Nazianzenus & S. Isidorus Ecclesiastem, Cantica & Prouerbia metro scripta à Salomone fatentur. Ille sic canit:

Quinque metris constant Iob, Dauid, tres Salomonis,
Concio, & insignes Cantus, Prouerbia sacra.

Isaias quoque sæpè in suis vaticiniis carmina fudit, quale fuit canticum illud duodecimi capitis: *Confitebor tibi Domine.* Item illud, *Puer natus est nobis*; carmen esse obseruauit S. Iustinus Apologiâ secundâ, sicut etiam illud *Expandi manus meas ad populum incredulum.* Ezechias Rex suum quoque intonuit canticum, sicut & Abacuc, & Ionas, & vt ferunt aliqui apud DanielemA, zarias & illud quod tres pueri vniformi diuini Spiritus afflatu eructarunt. Hieremias etiam, vt in epistola ad Paulam Vrbicam notauit Hieronymus poë-

Epist. 155. tico clamore lamentationes cum lachrymis profudit. Alij Prophetæ etsi non vinctâ oratione egregiam crebrò exercuêre poësim. In nouo Testamento carmine etiam B. Virginem Dei Matrem cecinisse canticum *Magnificat* probat Canisius, Biront. & Benzonius, atque indicat Augustinus, dum decimo sexto de Sanctis sermone, ait: *Dulcia carmina misceantur, audite ergo quomodo tympanistria nostra cantauerit, ait enim: Magnificat, &c.* Idem alij opinantur de canticis Zachariæ, & Simeonis. Taceo quod Panegyristes poëticus Christum Dominum auctorem fecerit carminici hymni illius, quem post cœnam scribitur, dixisse.

Hinc

Hinc sanctus Isidorus Hebræos facit poëseos authores; postquam enim heroici carminis Moysi tribuisset inuentum, subdit: *Hymnos primùm Dauid Propheta in laudem Dei composuisse, ac cecinisse manifestum est. Deinde apud Gentiles prima Memmia Timotoe fecit in Apollinem & Musas, quæ fuit temporibus Enny longè post Dauid. Hymni autem ex Græco in Latinum laudes interpretantur. Epithalamia sunt carmina nubentium, quæ decantantur à Scholasticis in honorem Sponsi & Sponsæ. Hæc primùm Salomon edidit in laudem Ecclesiæ & Christi. Ex quo Gentiles sibi Epithalamium vindicarunt, & istius generis carmen assumptum hæsit. Quod genus primum à Gentilibus in scenis celebrabatur, postea tantum in nuptiis hæsit. Vocatur autem Epithalamium, eo quòd super thalamum decantetur. Threnos, quod Latinè lamentum vocamus, primus Ieremias versus composuit super vrbem Hierusalem & populum, quando captiuus ductus est. Post hunc apud Græcos Simonides poëta Lyricus. Adhibebantur autem funeribus, atque lamentis: similiter & nunc epitaphium Græcè, Latinè supra tumulum. Est enim titulus mortuorum, qui in dormitione eorum fit, qui iam defuncti sunt. Scribuntur enim ibi vita, & mores, & ætas eorum.* Epitaphicarum quoque inscriptionum siue Epigrammaton suprà dedimus apud Hebræos vsum, & Dauidem epigrammatistam sepulchralem, Christo Domino sepulchrum honorarium cum epigrammate erigentem. Imò puto nullum fortasse poëmatis genus esse, cuius Psalmographus exemplum non præbuerit Græcis & Latinis Poëtis. Ipse lyricus, tragicus, comicus, satyricus, heroicus, dramaticus, epithalamicus, atque elegiacus: iam exultat Lyrâ festiuus iam tragœdiam delapsi Adami, & generis humani miseriam lamentatur. Iam diuersas personas comœdiæ instar loquentes inducit. Iam in prauos & corruptos mores satyricè inuehitur, iam regnum Christi & gesta antiquorum Patrum heroïcè narrat; Iam sponsalitia Christi, atque Ecclesiæ personat, iam Christi mortem defler. Lib.1.c.38

CAPVT. VI.

An Hexametris, Iambis, & Lyricis versibus, rithmisque sacræ Scripturæ poëmata constent?

POrrò non solùm compositæ vtcumque orationis, sed metricæ Magistram fuisse sacram Scripturam, Testimonia Eusebij, Hieronymi, & Isidori suadent, qui variis metris vsos scriptores sacros cõfirmant. Tum Didymus in Psalmum centesimũ & vigesimum octauum dixit: Ἔλεγέ τις τοὺς στίχους ἐμμέτρους εἶναι τοὺς παρ' ἑβραίοις, ἑξαμέτρους μὲν τοὺς ἐν τῇ Δευτερονομίου ᾠδῇ, τοὺς δὲ ψαλμοὺς τριμέτρους εἶναι καὶ τετραμέτρους. id est, *Dicebat quidam, versus apud Hebræos esse ad metrum astrictos, & hexametros, qui in cantico Deuteronomy sunt, Psalmos verò trimetros, & tetrametros.* Iosephus verò de Dauid locutus libro Antiquitatum septimo, capite decimo ait: ᾨδὰς εἰς θεὸν καὶ ὕμνους συνέταξε μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. *Carmina in Deum, & hymnos composuit vario metro; alios namque trimetros, alios pentametros fecit.*

Nec obest quidquam, nunc haudquaquam dignosci, quodnam metri genus illud sit; nam etiam ignoramus multorum tragicorum, comicorúmque numeros, qui Latinè, aut Græcè poëmata sua digessêre. Sat est eos qui perbene Hebraicam linguam olim callebant agnouisse in sacris metrum, quod pariter modò obseruaremus, si sonus & pronuntiatio esset eadem ac olim. Causa enim ignoti nunc metri Hebraici fortasse est, quam Agellius tradit, quod Beati Hieronymi æuo aliter distingueretur Hebraica oratio, quàm modò est apud Hebræos, aliter ratio syllabarum nota esset, nunc obscurior est. Scrieckius quoque non exiguam obscuritatis & erroris causam præbuisse puncta censet, inde monstrosa illa legentium varietas, inde impropria illa contra Diuum Hieronymum interpretatio. Exempli gratiâ, in vno nomine è millibus. Prima mater à Mose scribitur חוה, Septuaginta Interpretes legunt, vt res est, *εὔα*, Hieronymus similiter secundùm desinentiam Latinam H E V A, sunt qui nunc scribunt & legunt C H A V V A H: Natura literæ ה est H E, ו hic est consonans; alibi quoque est vocalis *u*, vltima huius nominis litera iterum est ה H E, & aspiratur, vel vt E profertur, quis inde colliget *Chauuah?* Aliud exemplum in ipso ו, litera hæc est vulgatis copula, *&, etiam, quoque*, & pro tali significatione vulgò legitur quasi consonans V E, sed vocalem esse per metrum conuincitur. Hinc per consonantiam linguæ suæ Iaphericæ inuenit metrum Hebraicum idem Scrieckius, qui capite decimo

Procem. in Psalm.

decimo octauo libri Aduersariorũ primi, demonstrat carmine hexametro cantasse primum Moysis poëma: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Idem capite sequenti ostendit de altero Moysis cantico in Deuteronomio: *Audite cæli quæ loquor.* Caput etiam tertium libri Iob, vbi ait: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est conceptus est homo*; numeris similiter currit hexametris. Canticum autem Deboræ: *Qui spontè obtulistis de Israel*, constat Iambis trimetris sicut illud Horatij:

Ind. 5.

Iam iam efficaci do manus scientiæ.

Psalmus primus, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Iambicus est, sicut & Psalmus *De profundis clamaui ad te Domine.* Similiter Ieremiæ Threni iambis constant. Hieronymus, quasi Sapphicos dicit, quoniam trenis distinguantur versibus. Psalmus, *Laudate pueri Dominum*, numeris currit lyricis, quales Anacreon est imitatus, cum cecinit hoc modo:

Θέλω λέγειν Ατρείδας,
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν
Α'βαρβιτος δὲ χορδαῖς
Ερωτα μοῦνον ἠχεῖ.
Cantem libens Atridas,
Cantémque libens Cadmum;
Sed barbiti mihi vnum
Nerui sonant Amorem.

Lyricus pariter est Psalmus, *Cæli enarrant gloriam Dei.* Psalmus: *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.* Hexametro exultat carmine, quod spondæis sæpè quintis pedibus graue redditur. Psalmus, *In exitu Israel de Ægypto*, dimetris excurrit versibus. Psalmus, *Beati immaculati in via*, heroïco metro, id est, hexametro iuxta Eusebium constat. Varia in aliis Psalmis metra simili diligentia possunt explorari; quamuis enim non prorsus sequar commentationes & metra Scrieckij, puto, si pronuntiationem priscam & puritatem linguæ retineremus Hebrææ, dignosci metrum sacrum, haud difficulter posse. Et id in proprietate Hebraica reperiendum, quod in consonantia Iaphetica. Versus Iosue quibus Solem stare fecit, Iambici sunt tetrametri acatalectici, Rithmis quoque sacra Scriptura vtitur, & vocalium respondentium sibi proportione. In capite vigesimo quinto Isaias sic concinit in laudem Eucharistiæ, vocans illam:

Psalm. 18.
Psalm. 33.

מִשְׁתֵּה שְׁמָנִים מִשְׁתֵּה שְׁמָרִים
שְׁמָנִים מְמֻחָיִם שְׁמָרִים מְזֻקָּקִים׃

Hi Hebraici versiculi ita sonant & respondent sibi:

Mischte Schemanim, Mischte Schemarim
Schemanim memuchajim, Schemarim mezukkakim.

Hoc est quod dixit Vulgatus:

Conuiuium pingue, conuiuium vindemiæ,
Pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

Sunt in sacra Scriptura, vt obseruauit Agellius, quandoque versus qui duo quædam habeant; nam similiter desinunt, quod genus Græci vocant *ὁμοιοτέλευτον*, & æqualibus constant syllabis, quæ apud eosdem *πάρισα* vocantur. Exemplum est in Cantico Deuteronomij præclarum:

יַעֲרֹף כַּמָּטָר לִקְחִי, *Iaharof cammatar likhi,*
Concrescat in pluuia doctrina mea:
תִּזַּל כַּטַּל אִמְרָתִי, *Tizzal cattal imrathi,*
Fluat vt ros eloquium meum.
כִּשְׂעִירִם עֲלֵי־דֶשֶׁא, *Kisbirim hale-desche,*
Quasi imber super herbam.
וְכִרְבִיבִים עֲלֵי־עֵשֶׂב׃, *Vekirvivim hale-hesev.*
Quasi stilla super gramen.

Huiusmodi versus sæpè & in Psalmis, & in Iob, & in Prouerbiis reperiri certum est: sed ij rhythmo illi persimiles videntur, quem dulcem ac tinnulum quandoque ferri Beatus Hieronymus dixit: sed tamen Didymus hexametrum esse censuit, fortasse quia binos versus seu rhythmos, qui trimetri speciem haberent, in vnum compingeret. Sic multos versus inuenire licet in Psalmo centesimo primo:

כל־היום

כל־היום חרפוני איבי, *Col-hajjom harephûni ojevai.*
Tota die exprobrabant mihi inimici mei:
מהוללי בי נשבעו, *Meholalai bi nischbâhu.*
Et qui laudabant me aduersum me iurabant.
כי אפר כלחם אכלתי, *Chi epher callêchem achalthi.*
Quia cinerem tanquam panem manducabam.
ושקוי בבכי מסכתי, *Veschikkavvaj bivki masa:Ti.*
Et poculum meum cum fleta miscebam.

Sine similiter desinentibus, sed æquali syllabarum numero multos reperias, præcipuè in Psalmis, qui à singulis per ordinem elementis incipiunt, de quorum numero sunt Psalmus trigesimus sextus, centesimus decimus, centesimus vndecimus, centesimus decimus octauus, centesimus quadragesimus quartus, hos namque commemorat B. Hieronymus in Prologo suo Galeato: Quanquam, inquit, diuerso scribantur metro, eiusdem tamen numeri texuntur alphabeto. Denique Cassiodorus in Psalmum centesimum trigesimum quintum, qui poëtico lepore versus habet vnisines, notat ex Dauide hoc imitatos Poëtas, *Assona carminum floscula condidisse supernarum virtutum sonos ad mundana studia transferentes.*

CAPVT VII.

Paralleli sacræ & profanæ eruditionis.

Theocritus Poëta conatus est imitari Cantica Canticorum Salomonis.


Ec metrum dumtaxat, sed poëtici & elegantissimi tropi è sacris in alios proserpere scriptores. Libet paucis digredi, & sacræ profanæque eruditionis parallelos comparare. Ex Canticis Canticorum multa multi didicerunt. Theocritus Idyllio maximè decimo octauo imitatus est Canticorum Salomonis librum, Epithalamium inde didicit, in quo Sponsum & Sponsam laudauit. Idem sæpè ruralibus & pastoritiis comparationibus vsus est, quales illæ Idyllij vndecimi:

Λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός,
Μόσχω γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς.
Candidior caseo cùm aspiceris, tenerior agno,
Vitulo lasciuior, acerbior vuâ immaturâ.

Aliquando penè ipsas Salomonis comparationes vsurpauit: non omnes, saltem aliquot subindicabo. Apud Salomonem dicit Sponsa: *Nigra sum, sed formosa.* Et mox: *quia decolorauit me Sol*; apud Theocritum Idyllio decimo Battus puellam alloquens:

Βομβύκα χαρίεσσα, Σύραν καλέοντί τυ πάντες
Ἰσχνάν, ἁλιόκαυστον. ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον.
O Bombyce venusta, omnes te Syram vocant
Tenuem, Sole adustam. Ego verò solus flauam sicut mel.

Nigram scilicet, nam quod Græcis est *μελίχλωρος* siue mellicolor, Latinis est niger. Sic apud Lucretium libro 4. *Nigra μελίχροος est*, quod satis explicuit idem Theocritus, dum subdit:

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐντί, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος·
Ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρῶτα λέγονται.
Et viola nigra est, & notis inscriptus hyacinthus,
Sed nihilominus in coronis prima nominantur.

Et quamuis multis ignaris mysterij absurda visa fuerit comparatio illa, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Eâdem prorsus comparatione vsus est Theocritus in Epithalamio, Idyllio octauo, vbi eâdem similitudine commendatur Sponsa tanquam

—— ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος.
In curru Thessalus equus.

Apud Salomonem dicitur *Dulcis gutturi meo*. Apud Theocritum Idyllio tertio:

—— Γλυκὺ τῷ τε χῷ βρόχθοιο γλύκιο.

Dulce gutturi fit.

Apud Salomonem, *Oleum effusum nomen tuum* quod dicitur ab Sponsa, quoniam solo audito Sponsi nomine delectaretur. Apud Theocritum similiter:

Idyll. 18. —— Οὔνομα πολλάκι τέρπεὶ.

Nomen sæpè delectat.

Cant. 2. De amantis nomine sermo est. Tum apud Salomonem dicit Sponsa, *Quia amore langueo.* Apud Theocritum similiter:

—— μέ τις κάπυρα νόσος ἐξαλάπαξε

Κείμαν δ' ἐν κλιντῆρι δέκ' ἄματα καὶ δέκα νύκτας.

Me ardens quidam morbus conficiebat,

Decubui verò in lecto dies decem, & noctes decem.

Eadem ait:

—— Επὶ τήνῳ πᾶσα κατέθμαι.

Amore illius tota comburor.

Cant. 2. Apud Salomonem: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Iuxta Theocritum possent hæc intelligi, ita vt aduentu & exitu Sponsæ verna omnia redderentur. Theocritus Idyllio octauo hæc habet:

Παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομοί, παντᾷ δὲ γάλακτος

Οὔθατα πλήθουσιν καὶ τὰ νέα τρέφεται.

Ενθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσεται· αἰ δ' ἂν ἀφέρπῃ,

Χ' ὠ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι, χ' αἱ βοτάναι.

Vbique ver est, vbique pascua, & vbique lac.

Vbera turgent, & tenera pecudes saginantur,

Quò pulchra puella aduenerit: si verò discesserit,

Tunc & pastor aret, illic & herbæ.

Cant. 4. Apud Salomonem: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Apud Theocritum non dissimiliter Idyllio vndecimo:

Καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦ καὶ τὰν ψυχὰν ἀνεχοίμαν,

Καὶ τὸν ἕν' ὀφθαλμόν, τῷ μοι γλυκερώτερον οὐδέν.

Et perferre possum, vt etiam anima mea à te comburatur,

Et vnicus ille oculus, quo mihi nihil dulcius est.

Rursus Idyllio decimonono:

—— Μ' ἔβαλλε κραδίαν κείνης πόθος.

Sagittis vulnerauit mihi cor illius amor.

Item in Epithalamio, vbi sermo de Sponsa fit:

—— Τᾶς πάντες ἐπ' ὄμμασιν ἵμεροι ἐντί.

Cuius in oculis omnes amores sunt.

Apud Salomonem: *Fauus distillans labia tua, Sponsa, mel & lac sub lingua tua.* Apud Theocritum:

Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα.

Os pulchrum melle tibi plenum.

Et repetit: πλῆρες δὲ χαδίνων. *plenúmque fauis.*

Idem Theocritus ait:

Τὸ στόμα καὶ πλακτᾶς γλυκερώτερον ἐκ στομάτων δὲ

Ἔρρεέ μοι φωνὰ γλυκερώτερα ἢ μελικήρω.

Os

Os caseo, seu coagulo dulcius, atque ex labiis
Fluebat mihi vox dulcior fauo mellis.

Apud Salomonem *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas.* Vulpium quoque vitiuotarum meminit Theocritus Idyllio primo:

—— δύ᾽ ἀλώπεκες ἀμφ᾽ ἀν᾽ ὄρχως
Φοιτᾷ σινομένα τὰν τρώξιμον.
—— *Duæ vulpes erant: altera per ordinem vitium*
Incedit demoliens maturas vuas.

Salomon vocat greges tonsarum, *omnes gemellis fœtibus.* Theocritus etiam dixit eodem Idyllio primo *διδυματόκως dupliparientes.* Rursus apud Salomonem dicitur *eloquium tuum dulce.* Idem prorsus in Theocrito:

Ἁδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος.
Dulce, pastor, tuum eloquium.

Apud Salomonem ad præsentiam Sponsi dicit Sponsa, *Venter meus intremuit ad tactum eius.* Timuit quoque sponsa Theocriti, præsente sponso, quæ ait:

Πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον.
Tota quidem obrigui plus niue.

Et mox subdit:

Ἐπάγην δ᾽ ἀγροῦ καλὸν χρόα παντόθεν ἴσα.
Obrigui toto corpore sicut monile.

Addit quoque:

Ἱδρὼς μὲν κοχύεσκεν ἴσον νοτίαισιν ἐέρσαις.
Mihi sudor abundè diffluebat similis Australibus pruinis.

Fortè non dissimiliter ac illud Sponsæ Salomonicæ, *Anima mea liquefacta est.*

In Canticis quoque dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.* In Idylliis etiam Theocriti decantatur Sponsa:

Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
Πότνια νὺξ ἅτε λευκὸν, ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.
Quasi aurora consurgens decorum ostendit aspectum
Sacra cùm nox abit, hyeme candidum ver laxante.

Apud Salomonem dicit Sponsus *me auolare fecerunt*, ac si pulcherrimi oculi Sponsæ ipsum alienarent mente. Eamdem similiter alienationem præ amore & admirationem pulchritudinis significauit Theocritus Idyllio vndecimo: Cant. 6.

Πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι;
Quò mihi mens auolauit?

Apud Salomonem dicitur, *Statura tua assimilata est palmæ.* Simili modo apud Theocritum statura Sponsæ arboribus comparatur: Cant. 7.

Πίειρα, μεγάλα, ἅτ᾽ ἀνέδραμεν ὄγμος ἀρούρᾳ
Ἢ κάπῳ κυπάρισσος.
Valida, procera quemadmodum procurrit sulcus in campo
Aut in hortò cupressus.

Plura expiscari possem quæ in Idylliis videtur Theocritus ex Salomone vsurpare, & Cantica Canticorum legisse, atque inde artem Epithalamia conficiendi didicisse. Dauidici quoque Psalterij notitiam videtur habuisse Theocritus iuxta Cassiodorum, qui Idyllio primo imitatur multos Psalmos Dauidis, maximè centesimum trigesimum quintum eiusdem versiculi repetitione illustrem. Nam simili artificio Theocritus quindecies iterat illum versum:

Ἄρχετε βωκολικᾶς, μῶσαι φίλαι, ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς.
Incipite bucolicum, ô dulces Musæ, incipite carmen.

Deinceps repetit aliquoties istum:

Λήγετε βωκολικᾶς μῶσαι, ἴτε λήγετ' ἀοιδᾶς.
Desinite Bucolicum, Musæ, agite, desinite carmen.

Theocritum postea sunt imitati Catullus, Nemessianus, Virgilius, Ouidius, Ausonius, & alij.

CAPVT VIII.

Tryphiodorus, Homerus, Nicander, & alij Poëtæ sacras literas imitati in multis sunt.

Porrò neque Tryphiodorus Ægyptius rudis sacrarum nostrarum literarum scripsit: ex Salomone didicit laudare pulchritudinem femineam ex comparatione Lunæ; *pulchra vt Luna* dicitur in Canticis Sponsa: apud Thryphiodorum autem libro de excidio Ilij, latiùs hæc comparatio explanatur:

Εὐειδὴς ἑλένη χρυσέην ἀπεδείκνυτο πάλιν,
Ὡς δ' ὁπότε πλήθουσα πυρὸς γλαυκοῖο σελήνη,
Οὐρανὸν αἰγλήεντα καλεχεύσωσε προσώπῳ·
Οὐχ ὅθ' ὑπὸ γλωχῖνας ἀποξύουσα κεραίης
Πρωτοφανὴς ὑπὸ μηνὸς ἀνίσταται ἄσκιον, ἀχλὺν
Ἀλλ' ὅτε κυκλώσασα ἐπίτροχον ὄμματος αἴγλην
Ἀντιτύπους ἀκτῖνας ἀφέλκεται ἠελίοιο.
Formosa Helena auream ostendebat faciem,
Vt quando Luna plena lumine splendido,
Glauco cælum splendidum illustrauit facie suâ;
Non verò quando exacuens cuspides cornuum
Recens orta sub mēsis initium resuscitat vmbrosam caliginem,
Verùm quando circulo complens orbicularē splendorem oculi sui.
Oppositos Solis radios detrahit.

Similitudine quoque Phalerati equi currulis, sicut Salomon Sponsæ pulchritudinem, sic Neoptolemi explicuit Thryphiodorus.

Πρῶτος ἐφωρμάρτησε νεοπτόλεμος θεοειδὴς,
Πῶλος ἅτε δροσόεντος ἐπειγόμενος πεδίοιο,
Ὅςτε νεοζυγέεσσιν ἀγαλλόμενος φαλάροισιν
Ἔφθασε καὶ μάστιγα καὶ ἡνιοχῆος ἀπειλήν.
Primus insecutus est Neoptolemus deiformis,
Quemadmodum equus, pullus festinans per roscidum campum;
Qui quidem nouis iugi superbiens phaleris
Præuenit, & flagellum, & aurigæ increpationem.

Mirè quoque imitatus est comparationem diuinæ vocis cum aquis repetitam in sacris literis. Psalmographus ait, *Vox Domini super aquas multas.* Item, *Vox tonitrui tui in rota:* Atque Ioannes in Apocalypsi dixit, *Vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Rursus, *Audiui vnum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui.* Iterum: *Audiui vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni.* Simili modo Thryphiodorus de Vlysse loquente canit:

Ἄφνω δ' ἀενάων ἐπέων ὠδῖνας ἀνοίξας
Δεινὸν ἀνεβρόντησε, καὶ ἱερῆς ἅτε πηγῆς
Ἐξέχεεν μέγα κῦμα μελισταγέος νιφετοῖο.
Subitò aperiens fontes perfluentium verborum

Horribiliter

Horribiliter, & cum tonitru fulminare visus est, & sicut è sacro fonte
Effudit magnum flumen niuium mellifluarum.

Eustachius libro decimo de amoribus Ismeniæ faustum responsum Apollinis narrans ait, *Et subitò cum aquarum strepitu trepidus sonuit.* Theocritus prior Thryphiodoro dicens:

Αἴδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος ἢ τὸ καταχὲς
Τὴν ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.
Dulcius ô Pastor tuum eloquium, quam
Quæ de rupe ex alto defluunt aquæ.

In Homero quoque & aliis Poëtis eadem similitudo phrasis, ac in Prophetis & aliis libris sacris reperiri potest, in quibus frequens dicendi modus per genuum dissolutionem explicare infirmitatem, & virium defectum, capite secundo dixit Nahum. *Cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus.* Isaias quoque: *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate*, quibus accinit Homerus:

Ὣς φατο, τῆς δ' αὐτοῦ λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ.
Sic locutus est, huius autẽ ibi dissoluta sunt genua, & carũ cor.

In Iliade decimaquinta de Hectore ait:

Ὃς δὴ πολλῶν Δαναῶν ὑπὸ γούνατ' ἔλυσεν.
Qui multorum Græcorum genua dissoluit.

Imitatus Virgilius dixit, *Genua ægra trahentem.* Idem Nahum dixit de militibus Chaldæis, *Clypeus fortiorum eius ignitus.* Sic & Homerus de Hectore:

Αὐτὰρ ὁ λαμπόμενος πυρὶ πάντοθεν ἔνθορ' ὁμίλῳ.
Sed hic splendens igne, vndique insiliebat in turbam.

Clarius Virgilius decimo Æneidos:

—— *Vastos vmbo vomit aureus ignes.*

Et alibi:

—— *Clypeum deinde sinistrâ*
Extulit ardentem.

Ait postea Nahum: *Aspectus eorum quasi lampades.* Similiter Homerus de Hectore inuadente Græcos Iliade decimaquintâ:

—— Τὼ δέ οἱ ὄσσε
Λαμπέσθην βλοσυρῇσιν ὑπ' ὀφρύσι.
Ei autem oculi
Splendebant terribilibus sub superciliis.

Idem de Agamemnone Iliade prima:

—— Ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.
Oculi autem ei igni lucenti similes erant.

Virgilius similiter duodecimâ Æneide:

Oculis micat acribus ignis.

Subdit Nahum: *Quasi fulgura discurrentia:* Sic denotans Chaldæos milites, eorúmque arma. Neque dissimiliter Honerus dixit de Hectore, Iliade vndecima:

—— Πᾶς δ' ἄρα χαλκῷ,
Λάμφ', ὥστε στεροπὴ πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.
Totus autem ære
Fulgebat tanquam fulgur Patris Iouis Ægidem gestantis.

Virgilius pariter cecinit nono Æneidum:

Clypeoque micantia fulgura mittit.

Non hæc protuli, quod putem Homerum ea didicisse ex Nahum, sed ex Hebræis ex quibus Nahum fuit, posterior quidem Homero. At eruditio Hebræa anterior Homerica, & Græcanica fuit. Hebræi autem parum soliciti fuere externæ eruditionis: Græci verò studiosissimi Barbaricæ, & potissimum Hebraicæ Sapientiæ. Quapropter potius dicerem

Homerum ex Hebræis aliqua vsurpasse, quàm Nahum ex Homero. Constat quidem apud eruditissimos viros nou pauca è sacris didicisse Homerum. Bessarion Cardinalis in fabula præcipitis è cælo Ates, denotasse lapsum Luciferi scribit. Planè aliorum Poëtarum fabulas ex sacris Historiis sumpsisse originem negari nequit. Sanctus Iustinus obseruat
Dial. cum Typh. Danaes fabulam persuasam Græcis instinctu Dæmonis, postquã audiuit vaticinium Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Ex raptu Eliæ igneo curru putat Beda emanasse Poë-
q. 37. tarum fabulas de quadriga Solis. Ex historia Samsonis dicunt alij ortum commentum Herculeæ fortitudinis, & Nisi incolumitatis. Ex cataclysmo, Deucalionici diluuij fabellam: ex Isaac sacrificando, Iphigeniæ. Ex Iosepho Patriarchâ, Serapis. Ex Paradiso Eden, Adonis hortorum, sic & ætas aurea, & gigantum bellum, & alia sexcenta ex Hebræis historiis desumpta dicuntur.

Iacturam etiam immortalitatis nostræ astu serpentis ex Genesi nouerunt Ethnici. Ideò Pherecides Syrus ait, Dæmones è cælo à Ioue fuisse deturbatos, quorum princeps dictus fuit *Ophioneus*, hoc est, serpentinus; congruit eorum sententiæ apud Magistrum sententiarum in secundo, distinctione sexta, qui Luciferum putant serpentis opera intercepisse Euam. Ad hanc immortalitatis iacturam, retulerunt renouationem, & agérasiam serpentum ridicula fabella composita, quam ita narrat Nicander:

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται,
Ὡς ὁπότ' οὐρανὸν ἔσχε κρόνου πρεσβύτατος υἱός,
Νειμάμενος κασίεσσιν ἑκὰς περικυδέας ἀρχάς,
Ἰδμοσύνῃ νεότητα γέρας πόρεν ἡμερίοισι
Κυδαίνων. δὴ γὰρ ῥα πυρὸς ληίστορ' ἔνιπτον
Ἄφρονες, οὐ μὲν τῆς γε κακοφραδίης ἀπόναντο.
Νωθεῖ γὰρ κάμνοντες ἀμορφεύοντο λεπάργῳ
Δῶρα· πολύσκαρθμος γε κεκαυμένος αὐχένα δίψῃ
Ῥώετο, γωλειοῖσι δ' ἰδὼν ὁλκήεα θῆρα
Οὐλοὸν, ἐλλιτάνευε κακῇ ἐπαλαλκέμεν ἄτῃ
Σαίνων. αὐτὰρ ὁ βεῖθος, ὃ δή ῥ' ἀνεδέξατο νώτοις,
Ἤτεεν ἄφρονα δῶρον· ὁ δ' οὐκ ἀπανήνατο χρειῇ.

Vitalis vertit:

Fabula per iuuenes celeberrima oberrat, vt olim
Fratribus imperium diuisit maximus auo,
Vnus natorum Saturni, præmia honorisque
Indicium cœpere domestica turba iuuentam.
Mortales pretiosa Deum, sed munera post hæc
Dementes carpsère: nihil iuuère querelæ.
Nam tardi dorso imposuerunt pondus aselli
Dona Dei: cui sicca siti præcordia vbi essent,
Ad fontem properat, prægrãdem hic repperit anguem,
Quem supplex orauit opem sibi ferre: sed ille
Quid gestet, pretium lymphæ, pondúsque petiuit
Ille siti pressus facile annuit ista petenti.

Prometheum ita confingebant suffuratum ignem cælestem detulisse ad homines quosdam, qui Ioui furtum detexerunt, atque in præmium delationis donauit perpetuam iuuentam, quam læti redeuntes imposuerunt clitellario asino: hic siti exhaustus ad fontem perrexit, cuius custos serpens prohibuit, ne ad aquam accederet nisi pacto pretio. Asellus quidquid habebat, dare promisit: accepisséque inde anguem agerasiam fabulantur; atque ideo quotannis iuuenescere. De hoc lusimus, & nos quondam in Gnomoglyphicis.

Cæterùm quia dedimus vestigia ruinæ nostræ, lubet & dare reparationis humani generis per filium Dei, diuinúmque Verbum sub Mercurij persona, quod figmentum post veritatem ipsam, & Christi notitiam, siue ob inuidiam, siue ob approbationem mysteriorum

nostræ

nostræ redemptionis celebrius fuit ipsis Ethnicis. Narrat illud Ælius Aristides, qui post Christum floruit. Is in oratione Platonica primâ pro Rhetorica loquitur huiusmodi: *Cùm igitur recens creati essent homines, & animantes alia, magnus erat per terram tumultus. Nam nec ipsi sese poterant uti, cùm nihil eos contingeret, verùm minores à maioribus regerentur: nec aliis resistere animantibus, quibus in omnibus rebus inferiores erant ac aliis in aliis, vt celeritate volucribus (quod enim inquit Homerus, Pygmæos à gruibus pati, id omnibus tum ab omnibus contingebat fortibus auibus) robore leonibus, apris, atque aliis multis. Itaque fiebat, vt nullo defendente morerentur. Quinimo corporis compositione non ab auibus modo, sed à cochleis quoque superabantur; sic vt nemo sibi posset ipse sufficere. Hac ratione cum vastaretur hominum genus, ac paulatim difflueret, Prometheus id animaduertens, cùm semper humanus esset ad legationem pro hominibus obeundam ascendit non ab omnibus missus, qui ignorabant etiam, tum quid esset legatos mittere, sed suâ sponte profectus. Tum Iupiter & Promethei iustum sermonem admiratus, & simul apud se rem considerans, Mercurium filium suum, iubet cum Rhetorica ad homines ire. Et quoniam Prometheus sigillatim omnibus antea sensus & alia corporis membra formarat, Mercurio præcepit, ne ita quasi theatralem pecuniam distribueret, vt omnes ex ordine Rhetoricam quasi oculos, munus, aut pedes consequerentur: Sed optimos quosque & nobilissimos ac naturâ validissimâ præditos seligeret, quibus hoc donum impertiret, quo sese pariter, & alios seruare possent. Ita cùm à Diis esset ad homines deluta Rhetorica, tum & belluarum terrorem potuerunt effugere, & inimicitias mutuas vndique deposuerunt, ac societatis inierunt initium.*

CAPVT IX.

Vtrùm sacræ Scripturæ principium sit scriptum poeticè?

AD substantiam poëseos accedamus, quæ non phrasis, non metrum, non versificatio est, sed imitatio; est enim Poëtice ars imitandi & perficiendi secundùm possibile, & verisimile. Multa eiusmodi scripta in sacris paginis video, vt Canticum canticorum, Parabolas, & alia pleraque, imò exordium sacræ Scripturæ Philoni, Clementi Alexandrino, Hilario, Augustino, Procopio, Alberto Magno, Rabbi Moysi, Caietano, Cano, & Homero visum est poëticè scriptum, quatenus mundi creationem, cuius vniuersi res censent vno die, aut momento simul conditas per sex dies digestas describat; quos dies non historicè, sed mysticè admittere Augustinus videtur, varias Angelorum cognitiones per dies illos interpretatus; sicut Philo numerorum perfectiones. Procopius autem id censuit factum ordinis, & doctrinæ gratiâ: *Moyses, inquit, in describendo mundi opificium sex dierum distinctione vsus est, docendi gratiâ, videlicet ruditatem Iudæorum, quibus hæc scribebat, quique ea quæ Deus simul fecerat, ob tantam eorum multitudinem, & varietatem simul, & coniunctim capere, & comprehendere, vt erant angustissimi ingenij, nequaquam potuissent.* Et post docet numerum dierum assumptum esse ordinis gratiâ, & ob nostram imbecillitatem intellectus. Nam alioqui non quiuissemus ordinem rerum creatarum ob multitudinem assequi. Quemadmodum rerum naturalium corpora, vbi primum in essentiam progressa fuerunt, simul colorem & magnitudinem continent; quorum alterum prius intellectui, alterum secundum est; sic & Mundus ordine conditus, non tempore, sed decenti, & debitâ harmoniâ vndique absolutus est. Haud enim pars mundi vna formata est, deinde altera defuit. Et Commentariis in secundum caput Genesis ait: *Si rem rectè reputare velis, non in die cælum, & terra condita sunt, sed in principio, nec omnia in vno die. Cæterùm manifestum arbitror, cùm omnia iam essent facta & consummata, ordinis gratiâ, & debita consonantiæ assumptum esse illum numerum.* Origenes quoque, Georgius Venetus, & potissimum Philo, non tam historiam putant quàm symbolum, & allegoriam, quæ de paradiso, & aliarum rerum creatione Moyses narrat. Vnde necesse erit poëticè scriptum fuisse initium Genesis, cum ea quæ non erant, ac si essent, verisimiliter descripsisset.

Philo lib. 1. Allegor. Aug. l. 11. de Ciuit. cap. 7. & de Genes. ad lit. lib. 4. c. 22.

Huic existimationi opponuntur meritò reliqui Patres, tres Gregorij, Nazianzenus, Nyssenus, & Magnus Athanasius, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilus Antiochenus, Iulianus, Alcuinus, Hugo Victorinus, Rupertus, Guilielmus Parisiensis, Alexander Alensis, sanctus Bonauentura, cuius in hac controuersia hoc iudicium est: *Quidam Sancti in hac quæstione magis secuti sunt viam Theologicam, trahentes rationem ad ea quæ sunt fidei. Quidam verò (inter quos præcipuus fuit* Augustinus)

Augustinus) magis secuti sunt viam Philosophicam, quæ illa ponit, quæ videntur magis rationi consona: vnde & intellectum Scripturæ trahit ad rationis confirmationem, & attestationem. Vnde cùm videatur rationabilius, à summa potentia omnia produci simul, & mora temporis intercedentis nullius videatur esse vtilitatis, vel necessitatis; posuit omnia simul esse producta: suam positionem confirmans per auctoritates sacræ Scripturæ; & exponens illud, quod videtur sibi contradicere, videlicet, de dierum distinctione; ostendens quod illi dies non fuerunt dies materiales, sed potius spirituales; qui omnes simul potuerunt esse: & hæc positio multum fuit rationabilis, & valde subtilis. Verumtamen quia ad hanc positionem videtur intellectus scripturæ distrahi, & securius est, & magis meritorium intellectum nostrum, & rationem omninò scripturæ supponere, quàm ipsam aliquo modo distrahere: ideò communiter aliqui Doctores, & qui præcesserunt Augustinum & qui sequuti sunt, sic intellexerunt, & posuerunt sicut textus in litera sacræ Scripturæ Genesis sonare videtur. Vnde posuerunt omnia materialia & corporalia simul esse creata in materia, sed per senarium dierum esse distincta in forma. Et post: *Dicendum quod scriptura facit vim inter creare, & facere. Nam creationem vocat productionem ex nihilo; factionem verò ipsam distinctionem; & hoc bene signatur Genesis secundo, vbi dicitur, quod cessauit ab omni opere suo, quod creauit, vt faceret. Omnes igitur Sancti in hoc concordant, quod omnia sunt simul producta in materia: & ideo omnia concedunt simul esse creata, sed tamen non simul facta.*

Mihi quidem videtur historiam narrasse Moysem, sed ingeniosè, & miro cum artificio, vt illud celebriores Poetæ, ipsique Græcorum Poetarum Patriarchæ sint imitati; ita vt sinceritatem historiæ complecteretur, & fructum acuminis poetici; veritatem, & repræsentationem, de qua postea disseremus. Nunc breui (nec enim agitare lubet hanc controuersiam ab aliis vbertim disceptatam) fulciemus re verâ euenisse quod Moyses narrauit, pérque dies digessit, non vno simul momento omnia creâta. Quis enim crederet vno, eodémque instanti tenebras extitisse, & lucem procreatam fuisse; terram aquis opertam, & eodem momento nudatam; eandem terram inanem, vacuámque, & simul plantis, animalibusque plenam; coniunctam aquarum abyssum, & simul diuisas aquas; stagnantes latices inferiores, & simul confluentes in mare, vt iam erroneum multis habeatur contrarium tueri. Neque sanctus Augustinus hæsit illi placito, vt constat ex quarto libro de Genesi
Cap.22. ad literam. Quinimò censeo potentiam Dei magis elucescere digestâ per plures dies rerum productione, quàm si vnico momento efficeret omnia; immensa siquidem (vt prius obseruauit Ascanius Brixianus) Dei enicat potentia, quod ex nihilo cuncta crearit; sed in hac per sex dies effusâ rerum emanatione splendescunt eiusdem potentiæ potiora monumenta, vtpote quod efficere potuerit, vt accidentia sine aliquo substrato subsistant, & quod absque vllo secundarum causarum auxilio, effectus quos vult, ipse producat; quæ præcipuè apparent, cùm lucem primo die absque Solis globo effulsisse, & cælum secundo die sine Sole, Luna, ac syderibus conditum, plantas quoque tertio die ante sydera ipsa creatas fuisse, historia tradit; quibus luce clarius demonstratur, Deum accidentia, ac ornamenta à subiectis rebus seiungere & absque secundis causis, res efficere, conseruaréque posse: quæ profectò si vnico momento cuncta produxisset, haudquaquam apparuissent. Nec ob id imperfectum manauit opus à Deo, cùm ipsum non vt absolutum, sed vt absoluendum proferret.

Commentum autem, præsertim Philonis allegorizantis destruit eximiam naturæ eruditionem, & miram Philosophiam, quam primo Moyses capite edocuit, de qua nos in historia naturæ nonnihil egimus. Oportuit principia naturæ, & veram Philosophiam, quæ multis Theologiæ quæstionibus substernit fundamenta tradi à Moyse; plano idcirco & perspicuo stylo narrauit totius naturæ exordium, sed cum ea alioqui arte & mysterio, quod postmodum significabimus, & quod nullo modo sinceritati veritatis, & doctrinæ naturali obstaret.

CAPVT X.

An Philosophia naturæ vnà cum sacra Scriptura auspicium sumpserit?

NEc enim placet eorum ingenium, qui pro Philosophicis minorem rationem habent eorum, quæ in Scriptura traduntur, & potius malunt accommodare, imò torquere verba

verba sacra anticipatæ suæ opinationi rerum physicarum, quàm Philosophiam tempera-
re, moderarique verbis sacris. Sicut enim Moysen ostendimus primum omnium, qui poë-
ticen tradiderit, sic censeo primum, qui philosophica, & veram rerum naturalium, tum
libro Genesis, tum Iob notitiam communicauerit, quod alibi latius ostendimus; vt ex sa-
cra Scriptura putem multos Philosophos multa didicisse, atque veram naturæ Philoso-
phiam post confusionem linguarum, & dispersionem gentium cum sacris Libris auspi-
cia sumpsisse. Sancti Patres etiam in rebus naturalibus sacræ Scripturæ doctrinam ma-
ximi fecêre. Sanctus Gregorius Nazianzenus cùm quæsiuisset Πῶς ψάμμος δεσμὸν αὐτῇ,
πλημμύροντι στοιχείῳ; *Quomodo tantum* (aquæ) *elementum arenam pro termino haberet?* Sub-
dit: *Poßúntne hoc expedire Physici, atque manis eruditionis laude celebres, ac verè cyatho ma-
re, id est, res magnas ingeniolo suo metientes?* Ἢ συντόμως ἐγὼ τοῦτο ἐκ τῆς Γραφῆς τοῦτο φιλοσοφήσω,
καὶ τῶν μακρῶν λόγων πιθανώτερόν τε καὶ ἀληθέστερον; *An ego,* inquit, *breuissimè id è Scri-
ptura sacra probabilius & verius quàm ipsi longis suis disputationibus, philosophabor.* Et illicò
nodum istum dissoluit ex sancto Iobo. S. Basilius ex sacra Scriptura collegit naturam cæli
subtilissimam. Similiter S. Ambrosius: *De qualitate & substantiâ cæli,* inquit, *satis est ea pro-* Lib. 2. c. 6.
mere, quæ in Isaiæ scriptis reperimus, qui mediocribus & vsitatis sermonibus qualitatem natu- Hexam.
*ræ cælestis expreßit, dicens, quod firmauerit cælum sicut fumum: subtilem eius naturam nec soli-
dam cupiens declarare.* Hos Patres imitatus noster Molina tractatu de opere sex dierum,
suam sententiam de Materia cæli diuersæ rationis ingenuè fatetur correxisse, quam
olim cùm doceret Philosophiam, tutatus fuerat; quoniam ea quæ capite primo Ge-
neseos dicuntur, pristinæ suæ in Philosophia opinioni nequaquam congruerent. Di-
uus Hieronymus ait: A plerisque, iuxta Ecclesiasten, cælum affirmari rotundum; In c. 3. ad
& in sphæræ modum volui. Hi omnes non ab Aristotele, sed è Scriptura sacra, cæ- Ephes.
li naturam, & figuram didicerunt. Idem sanctus Doctor in Apologia aduersus Ruf- In c. 3.
finum: *Vrges,* inquit, *vt respondeam de natura rerum. Si esset locus, possem tibi, vel Lu-
cretij opiniones iuxta Epicurum, vel Aristotelis iuxta Peripateticos, vel Platonis, atque
Zenonis secundum Academicos, & Stoicos dicere. Et vt ad Ecclesiam transeam, vbi est
norma veritatis, multa & Genesis, & Prophetarum libri, ac Ecclesiastes nobis de huius-
modi quæstionibus suggerunt.* Idem ait Epistola ad Paulinum: *Si fortè ad Scripturas san-
ctas post seculares literas venerint, ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi
grande sit, & non vitiosißimum docendi genus deprauare sententias, & ad voluntatem
suam, scripturam trahere repugnantem.* Sanctus Chrysostomus homiliâ in Genesim quin-
tâ ait: *Futuram hominum ingratitudinem taxans Scriptura diuina, vt diligenter omnia, ita
etiam nobis ordinem factorum narrat, vt compescat nugacitates & deliramenta eorum, qui
vanitates suorum figmentorum commentantur, & dicere audent, quod Solis cooperatione
ad fructuum prouentum opus sit. Sunt & alij qui hæc astris aliquibus adscribere nituntur:
propterea docet nos Spiritus sanctus, quod ante formationem horum elementorum, sermoni &
præcepto Dei obtemperans tellus, omnia semina ediderit, nullo alio ad cooperationem opus ha-
bens. Satis enim sufficiebat ei pro omnibus Verbum illud Dei, quod dicebat: Germinet terra
herbam fœni.* Quocirca diuinæ Scripturæ vestigia sequamur, neque feramus eos, qui
aduersa illis temerè blatterant. S. Augustinus cùm de natura animæ disputaret: *Tutius est,* de Gen. ad
inquit, *de huiusmodi rebus, non humanis agere coniecturis, sed diuina testimonia perscrutari.* lit. lib. 10.
Vbique quidem Augustinus Philosophorum placitis, etiam de rebus naturalibus sic an- cap. 4.
teponit scripturam, vt dixerit obiiciens sibi: *Quomodo non est contrarium iis, qui figuram* Cap. 9.
*sphæræ cælo tribuunt, quod scriptum est in literis nostris: Qui extendit cælum sicut pellem?
Respondeat: Sit sanè contrarium, si falsum est, quod illi dicunt; hoc enim verum est, quod diui-
na dicit auctoritas, potiùs quàm illud quod humana infirmitas conijcit.* Alibi: *Quidquid* (ait) Lib. 1. de
de quibuslibet suis voluminibus his nostris literis, id est, Catholicæ fidei contrarium protule- Gen. c. vlt.
rint (Philosophi) *aut aliquâ etiam facultate ostendamus, aut nullâ dubitatione credamus es-
se falsissimum.*

Huc spectat quod egregius Philosophus Franciscus Vallesius initio Sacræ Phi-
losophiæ scripsit: *Cùm quædam,* inquit, *in ipso sermonum* (Scripturæ sacræ) *ductu
texantur naturalia, ea omnia verissima esse existimo: vtpote quæ à summè vero Dei
Spiritu dictata sint, & ab ipso authore naturæ fluxerint, quem latêre nihil potuit. Ve-
rùm profectò contexta sint in his libris, quàm plurima pertinentia ad historias, quæ &
ipsa aliorsum spectant quam vt antiquorum facta & gesta prælia homines nouerint. Ne-
mo tamen pius & Catholicæ Ecclesiæ filius putauerit, vel latum vnguem à veritate deuiare,
aut rem aliter ac narretur, gestam esse. Cur non ergo eodem modo censeas de historia naturali?*

Noluit enim nos Deus naturales rerum causas, & ortus docere, vtpote quas nos certò, non adeò referat ad æternam salutem, atque ob id de illis ne edisserat; sed cùm obiter aliquid attingit, cur nos decipiat? certè decipi non potest, neque decipere: siquidem summè sapiens & bonus est. Atqui naturales rerum causas scire, vt non est ad salutem æternam necessarium, ita neque quidquam lædit. Et post pauca: *Veterrimi Philosophi horum lectione sunt plurimum adiuti. Proinde ego, perfectis iam in omnes Auditorios Aristotelis de natura, & quàm plurimos Hypocratis, & Galeni de re Medica libros commentariis, quod Deus concesserit vitæ reliquum, statui in his philosophari: tum quoniam nullâ aliâ ratione censeo certi quippiam de naturalibus haberi posse; tum quia nescio quomodo eorum lectio etiam historica, aut physica animum pietate imbuit latenter. Quare huic lectioni consecrare senectutem æquum est putare, scripta esse mihi hactenus Philosophica ad opinionem, hæc autem scribi ad veritatem.*

Comm. de motu terræ Contr. 1. Verùm eo vsque processit aliquorum audacia, vt Lansbergius, quamuis fateatur Scripturam vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, verum neget nihilominus vtilem esse ad institutionem, quæ est in Geometria, & Astronomia: *Neutiquam enim* (inquit) *harum artium fundamenta tradere voluit Spiritus sanctus scripturarum auctor, sed ex suis principiis nixæ non ex libris sacræ Scripturæ, sed eorum qui in illis fuêre versati, rectè discuntur. Hinc Moyses non ex sacra Scriptura, sed ab Ægyptiis eas didicisse legitur, & Daniel cum sociis easdem accepisse ex institutione Chaldæorum. Aberrant igitur à scopo sacræ Scripturæ, quicumque Geometricas, & Astronomicas quæstiones ad eius normam expangunt, vt planius percipies sequentibus exemplis.* Exempla verò ista sunt. Primum: proportio diametri, & circumferentiæ balnei, siue maris ænei, quam ἀγεωμετρήτως inquit, & imperitè describit Auctor librorum Paralipomenon. *Mare fusile* (inquit) *decem cubitis à labio vsque ad labium, rotundum per circuitum, quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius.* Si enim circumferentia & gyrus fuit triginta cubitorum, impossibile est, diametrum à labio vsque ad labium fuisse decem cubitorum: sic enim circumferentia circuli contineret præcisè diametrum ter; cùm tamen addat insuper septimam ferè diametri partem. Certum enim hoc, & Archimedeum est: Παντὸς κύκλου ἡ περίμετρος τῆς διαμέτρου τριπλασίων ἐστί, καὶ ἔτι ὑπερέχει ἐλάσσονι μὲν ἢ ἑβδόμῳ μέρει τῆς διαμέτρου, μείζονι δὲ ἢ δέκα ἑβδομηκοστομόνοις. *Cuiuslibet circuli circumferentia tripla est diametri, & adhuc excedit minori quidem, quàm septima parte diametri, maiori verò quàm decem septuagesimis primis.* Vnde diameter ad circulum habet se vt septem ad viginti duo proximè, id est, paulò minor est quàm tertia pars eius. Si ergo peripheria maris ænei in templo Salomonis habuit triginta cubita, diameter eius breuior fuit decem cubitis, aut si hæc decem cubita habebat, illa maiori quam triginta cubitorum gyro ambiri debuit.

Lib. 16. c. 9. Ciuit. Alterum exemplum Lansbergij est in errore Diui Augustini, qui ex Scriptura sacra, nullos esse Antipodas, qui aduersa pedibus nostris calcarent vestigia, perperam collegit; quia enim Scriptura ex vno homine totum genus humanum satum esse affirmat, non videbat quâ via aliqui ex hac in illam Antipodum partem, Oceani immensitate traiecta, nauigare, ac peruenire potuissent; vt etiam illic ex vno illo primo homine genus institueretur humanum.

Obiecta autem Lansbergij probe retrudit Libertus Fromondus. Quoniam cùm Scriptura dixisset, diametrum à labio vsque ad labium vasis fuisse decem cubitorum, cœpit ... mensurum rotundum funiculi, siue circuli cuiusdam, qui peripheriam labij circuibat, aitque triginta cubita habuisse, quòd verum est, etsi paulo longior, id est, triginta vnius cubitorum circiter esse debuerit Si verò peripheria triginta præcisè cubita amplectebatur, non magnâ particulâ diameter à decem cubitorum longitudine abfuit. Verum igitur est, ex eo Scripturæ loco colligi non posse præcisam, & Archimedæam proportionem, quæ est inter diametrum, & circulum eius; sed potest tamen mechanica quædam & rudis, vt proinde telum hoc in Lansbergium regeri possit, qui omnem vtilitatem, Geometricum quid ex ea eliciendi, à Scriptura sacra spernit. Potest enim ex hoc etiam loco quo Scripturę inutilitatem ostendere nititur, si non præcisissimum aliquid, præcisioni tamen proximum fabricari. Præterea sacra Scriptura minutias excedentis numerum rotundum non solet considerare.

Ad exemplum de Augustini errore: errauerit sanè in re naturali, occasione Scripturæ sacræ Diuus Augustinus: an idcirco nihil quod ad quæstiones naturæ dissoluendas faciat ex omnibus sacris libris sumi potest? Nam ecce hæretici peruersissima sua dogmata è

Scriptura

Scriptura facra per tortas quafdam confequentias deducunt; an ideo inutilis eft, vt inde quidquam Catholicæ veritatis eliciatur? Quanquam non propriè in theoremate aliquo naturali, fed in facto ipfo verfatur allucinatio D. Auguftini. Satis enim error eius à Lactantio diftat. Hic metuit nè Antipodes in cælum capite prono decidant, negátque poffe, nifi vnguibus inftar felium, aut vncis globo terræ affigi. Auguftinus verò non abnuit poffe ibi fine labendi periculo confiftere (nec enim metuit, ne mare, quo obrutam illam terram fufpicatur, in cælum fuâ grauitate defluat) fed plagam tamen illam fine incola effe exiftimat, quia non capit, quâ viâ progenies Adami, aut Noachi à diluuio ex Armenia eò penetrauerit.

CAPVT XI.

Quomodo initium Genefis, & alia Scripturarum hiftoriæ poëticen cum veritate narrationis copulent?

AD facram Moyfis dictionem pedem referamus, qui initia mundi fic hiftoricè narrauit, vt excellentiorum Poëtarum acumen, & artificium vicerit; fic enim veritatem fcripfit, vt repræfentationem pariter defcripferit. Et veridicum, fincerúmque hiftoricum agens, & excellentiffimum, fublimiorique arte Poëtam. Sic res veras dixit, vt & in ipfis rebus imitatio effet, & in dictionis modo ftudium imitationis, quæ eft fubftantia, effentiáque poëfeos. Itaque quafdam res verè narrauit, & alias pariter, & fimul repræfentauit, atque imitatus eft quoad illas verus hiftoricus, quoad has diuinus poëta, non quidem ad Homerici, Hefiodique exemplum, fed cuius normam Homerus & Hefiodus fint imitati: Hic quidem vfus Moyfis & facræ Scripturæ per imitationem quamdam repræfentandi alia, quæ fenfum noftrum fugiunt, ad Poëticem fpectare videtur, iuxta fanctum Dionyfium Areopagitam, qui fecundo de cælefti Hierarchia capite ait: Καὶ γὰρ ἀτεχνῶς ἡ θεολογία ταῖς ποιητικαῖς ἱεροπλαστίαις ἐπὶ τῶν ἀσχηματίστων νοῶν ἐχρήσατο, τὸν καθ' ἡμᾶς ὡς εἴρηται νοῦν ἀνασκεψαμένη, καὶ τῆς οἰκείας αὐτῷ καὶ συμφυοῦς ἀναγωγῆς προνοήσασα, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀναπλάσασα τὰς ἀναγωγικὰς ἱερογραφίας. *Etenim diuina Scriptura poeticis facrarum rerum fimulacris vfa eft in iis mentibus, quæ omni figurâ carent, cùm & noftræ mentis, vt dictum eft, imbecillitati confuluiffet, & accommodatam ipfi, atque cognatam ad fuperiora traductionem prouidiffet, & facrofanctas defcriptiones, in quibus vis eft quædam furfum excitandi animi ad eandem mentem noftram effingendo accommodaffet.* Quæ verba interpretatus S. Maximus dicit: Ὅτι καὶ ποιητικαῖς πλάσεσιν ἐχρήσατο ἡ γραφὴ πρὸς χειραγωγίαν τῆς ἀνθρωπίνης διανοίας, ἀλλ' ὡς οὐ δυναμένης τὴν τῶν μειζόνων παραλαβεῖν διδασκαλίαν· ἐοικέναι γὰρ τὰ οὐράνια σύμβολα τοῖς παρὰ ποιηταῖς φανταζομένοις, ὡς ὁ ἱερὸς ἀνὴρ οὗτος φησί (ποιητὰς δὲ νόει, ἢ τοῖς παρ' Ἕλλησι θαυμαζομένοις, οἷον Ὅμηρον, Ἡσίοδον, καὶ τοὺς ἑξῆς) ἢ ποιητικαῖς αὐτοῖς πλαστικαῖς ὑποτυπώσεσιν εἴδη. γὰρ ἡ τοῦ θεοῦ σοφὴ συγκατάβασις τὸν ἡμέτερον νοῦν ἀσθενῆ καὶ πρὸς ὑψηλοτέραν θεωρίαν ἀνεπιτηδείως ἔχοντα, ἀναγωγὴν αὐτῷ συμφυῆ πλασαμένη, οὕτως τὰς ἀρχαγγελικὰς εἰς φανερὸν ἤγαγε διακοσμήσεις, οὐχ ὅπως ἔχει τῇ ἀληθείᾳ διατυπώσασα, ἀλλ' ὅπως ἡμεῖς δυνάμεθα καταλαβεῖν· μηδὲν οὖν ἀνοίκειον φαντάζου τῶν οὐρανίων. Hoc eft, *Scripturam quoque poeticis vfam fictionibus, ad manuductionem intellectus humani, non valētis rerum maiorum doctrinam accipere; fimilia enim funt cæleftia figna iis, quæ à poetis mente finguntur, ficut facer hic vir dicit (Poetas autem intellige, aut illos qui apud Gentiles in admiratione fuerunt, ficut Homerum, Hefiodum, & reliquos) aut poeticis quafi fictitiis informationibus; Cum enim noffet fapiens Dei condefcenfio noftram mētem infirmam, & ad fublimiorem contemplationem ineptam, eleuatione ipfi connaturali efficta, fic Archangelicas in propatulo fecit defcriptiones, non quomodo re verâ funt, fed prout nos comprehendere quimus: nihil igitur cæleftibus improprium imaginare.* Hęc eft Theologia fymbolica, quâ vtitur fcriptura, & de qua Ioannes Cypariffiota cognomento Sapiens, egit in expofitionis materiariæ decade primâ. Hinc etiam intellectu facile eft, cur mundū Auguftinus carmen Dei appellauerit, & S. Paulus creaturā dixerit ποίημα, *poema Dei*; quod. Vulgatus *facturam* vertit. In quē locum non malè Hieronymus obferuat, Apoftolū haud dixiffe figurationē, aut plafmationem, fed facturā, fiue poēma; *quia plafmatio originē de terra limo trahit, factura verò iuxta fimilitudinem, atque imaginem Dei fumpfit exordium.* Sic enim Deus mundanas & materiales res fabricauit, vt per artificiofam quandam & vifibilem repræfentationem imitarentur intellectualia, atque inuifibilia. Potiffimum Ephef. 2.

Ioann. Eufeb. de Orig. S. Script.

in prima mundi fabrica tot mysteria descripsit, quot naturas egit, vt Patres notant, & alibi nos indicauimus. Idcirco cùm mundus, qui est velut quædam Dei scriptura, sic fuerit constructus, vt in ipsis naturis corporeis repræsentet incorporea & perfectiora imitetur, appellatur etiã ab Ethnicis, qui hoc animaduerterũt Dei carmen & poema. Plotinus quidẽ dixit *vniuersum mũdi poema*. Deúmq; vocat *mundanũ Poetam*, vt taceã Pythagoricũ illud, *Mundum cõstare harmonicã ratione*. Cùm igitur Moyses in mũdi historia ea tradiderit stylo, quæ Deus potenti virtutis suæ manu descripsit in natura, atque hæc instar admirandi carminis & poëmatis sint, tum propter ordinẽ & metrũ, tum propter imitationem; historiáq; Mosaica quædam sit transcriptio & exemplar scripti mundani, diuinique huius carminis: Sic est duo hæc complexa, & esse veram historiam naturæ, & esse diuinum carmen & repræsentationem gratiæ, atque inuisibilium & occultarum rerum. Accedit his Moysen non ignarum mysteriorum historiam suam conscripsisse: neque enim fuit imperitus transcriptor, qui ea exarauerit, quæ nequaquam intellexit. Conscius enim magnorum arcanorum, sic rerum quas scripsit narrationem digessit, vt non solum in naturis, quas enarrauit, repræsentaret sacratiora, sed in ipsa narratione etiam; non solum in rebus quæ dixit, sed in modo quo dixit. Duplicem enim symbolicam Theologiam Ioannes Cyparissiota pronuntiat, vnam rerum, alteram verborum, illam enim diuisit *in sacram*, scilicet, *formationem sub sensum cadentis, & in sacram formationem translationis cadentis sub intelligentiam; aut enim describitur per figurationem secundùm sensum, vt illa scala à cælo vsque ad terram pertingens, &c. aut describitur per translationem verbi secundùm intellectum*. Hæc in præmeditatione expositionis materiarũ: clarius loquitur capite secundo primæ Decadis, vbi ait: *Symbolica Theologia est sacra formatio, quæ diuinis signis & notis ex iis, quæ corporeè delineata sunt, adumbrat, & pingit ea, quæ in Deo latent corporis & formæ expertia. Est autem animaduertendum, quod hæc symbolica Theologia rursus partitur. Aut enim formatur in verbis, cuiusmodi sunt dormire, vigilare, ebrium esse, aut formatur in formis corporalibus.* Vtramque in scriptis Moysis reperiemus.

CAPVT XII.

Quid sit duplex spiritus expetitus ab Elisæo? In eo excelluit Moyses.

ETENIM sic artificiosè Moyses elocutus est, vt in ipso eloquio, aut eloquij modo adumbraret mysteria, quorum luce si careret, aliter scripsisset. Vix est verbum initio Geneseos non grauidum arcanis. Illud *in principio*, præter significationem mundi aliquando inchoantis, deseruit sanctissimæ Trinitatis fidei. Deinde vox *Deus* Hebraicè *Elohim* plurali numero, mox, dici *cælum*, quod instar circuli est prius quàm terram, quæ instar puncti. Præferri quoque vesperam manè, tum spiritum Domini ferri super aquas, notarique diuisionem lucis à tenebris, diffidium etiam aquarum. Tum inducere Deum loquentem in aliarum rerum creatione, in humana verò facientem. Tum silere in secundo die diuinam approbationem, *Et vidit Deus quod esset bonum*. Geminari in tertio die. Hæc quidem aliter, aut huiusmodi diei ad historiam parum attinebat; at plurimum ad mysteria, quorum gratia salua historiæ veritate, plura aut dissimulauit, aut explanauit, aut alio idoneo sacramentis modo dixit. Conscius enim præteritorum, & futurorum pariter, verorumque rationem habuit in suis scriptis; conscius scilicet historiæ & mysterij. Hic est duplex spiritus quem deposcebat Eliseus, & quo vsi sunt Esaias, & alij insigniores Prophetæ, cuius causâ multa dixerunt, & addiderunt suis vaticiniis, quæ ad historiæ futuræ simplicem narrationem non attinebant. Cuius duplicis spiritus declarationem non ingratum erit excipere ex obseruatis à Iacobo Christopolitano ad commentationes Psalmorum, tractatu secundo.

Lumen supernaturale desuper infusum, qui dicitur spiritus propheticus, non eodem modo consecuti sunt omnes Prophetæ. Nam quidam consecuti sunt simplex lumen, siue simplicem spiritum propheticum. Spiritus enim simplex propheticus dicebatur ille per quem Prophetæ præuidebant materialia, & temporalia gesta, futura & facienda in illo populo ante aduentum Christi, in tabernaculo, & in primo & secundo templo, non peruenientes vsque ad Christum. Spiritus autem duplex propheticus dicebatur ille, per quem

Prophetæ primò præuidebant gesta materialia & temporalia futura in illo populo & templo: sed per illa materialia & temporalia transcendentes, præuidebant futura mysteria de Christo, & Ecclesia, in illis rebus materialibus & temporalibus figurata. Exempli gratiâ, Isaias in spiritu prophetico simplici præuidit captiuitatem & destructionem Hierusalem, faciendam per Chaldæos, & remissionem captiuitatis faciendam per Cyrum, & reædificationem templi, & ciuitatis, faciendam per Cyrum, & Zorobabel, & IESVM Sacerdotem magnum. Sed in duplici spiritu præuidit qualiter remissio illius temporis captiuitatis erat figura remissionis & æternæ, & spiritualis liberationis, faciendæ per Christum, scilicet qualiter Christus debebat redimere totum genus humanum à captiuitate, & miserabili seruitute peccati, & debebat ædificare nouam Hierusalem toto orbe diffusam. Et sic vaticinando, & prædicendo futuram remissionem illius captiuitatis temporalis faciendam per Cyrum, & reædificationem templi & ciuitatis materialis, prædicit, & intermiscet remissionem totius generis humani faciendam per Christum, vt patet Esaiæ quadragesimo quinto capite. Et sic omnes sacri Prophetæ per istum duplicem spiritum propheticum, non solùm dixerunt gesta materialia, & temporalia illius populi, sed etiam mysteria spiritualia de Christo, & Ecclesia, per illa materialia figurata. Et iste est ille spiritus duplex propheticus, quem postulabat Eliseus ab Helia quarti Regum secundo, vbi legitur, quòd cùm venisset Helias cum Eliseo in Hierico, exierunt filij, id est, discipuli Prophetarum ad Eliseum; *Numquid nosti, quia Dominus tollit hodie Dominum tuum à te? Quibus respondit, Noui, silete.* Ex quo patet, quòd tam filij Prophetarum, quàm Eliseus præuiderunt in spiritu futurum raptum Heliæ, sed nesciebant figuram illius raptus, nec quod amplius futurum esset de Helia; quia nesciebant quòd ille ascensus Heliæ figurabat ascensum Christi in cælum, & quòd Helias erat venturus in tempore Antichristi ad prædicandum secundum aduentum Christi. Ex quo patet quòd tam filij Prophetarum quàm Eliseus tantum habebant simplicem spiritum propheticum de futuro raptu Heliæ; & ideo Eliseus cupiens scire quid esset futurum de Helia dixit ad eum, quando ferebatur in Paradisum: Obsecro Domine, vt spiritus qui est in te duplex, fiat in me, quasi diceret, vt sciam in duplici spiritu quid figuret, & significet iste raptus tuus, & sciam & præuideam futura mysteria de Christo Messiâ in lege promisso, quæ non possunt præuideri nisi per duplicem spiritum & lumen propheticum. Cui respondit Helias: Rem difficilem postulasti: quasi diceret, difficile est, & paucis est concessum talem duplicem spiritum propheticum attingere. Hoc autem dicebat Helias, quoniam ipse in duplici spiritu præuiderat per suum raptum, qualiter Christus post passionem, & resurrectionem erat ascensurus in cælum, & acceptutus vniuersale dominium, & iudiciariam potestatem super omnes creaturas, & qualiter erat venturus in finem mundi ad iudicandum omnes gentes, & qualiter ipse Helias debebat præuenire ante ipsum Christum ad prædicandum secundum aduentum eius, & qualiter erat ab Antichristo occidendus. Hunc igitur duplicem spiritum propheticum impertiuit Helias à Domino pro ipso Eliseo, vt patet ibidem. Iudæi autem & multi Catholici dicunt, quod per duplicem spiritum Elisei intelligitur duplex virtus faciendi miracula, quia in duplo fecit plura & maiora miracula quàm Helias. Sed licet hoc sit verum, tamen primus intellectus est magis conformis, & continet maius sacramentum. Ex suprà dictis patet, qualiter spiritus simplex propheticus non attingebat nisi materialia, & temporalia gesta illius populi, & ciuitatis & templi. Spiritus autem duplex erat ille, qui non solùm præuidebat & attingebat futura gesta materialia veteris Testamenti, sed per illa transcendebat vsque ad mysteria Christi & Ecclesiæ in illis figurata, imò Prophetæ in spiritu duplici Prophetico, per gesta veteris Testamenti præterita & præsentia, & futura præuidebant mysteria de Christo & Ecclesiâ in illis figurata. Vnde sicut homo habens bonum visum, per montes propinquiores videt montes vlteriores: ita pariter Prophetæ duplici lumine, & spiritu prophetico illustrati, non solùm præuidebant gesta materialia & temporalia propinquiora, sed etiam præuidebant qualiter illa gesta materialia erant figura futurorum mysteriorum spiritualium de Christo & Ecclesia. Et sic transcendentes illa materialia, perueniebant vsque ad propheticam notitiam Christi, & nostræ redemptionis. Hæc Christopolitanus.

in prima mundi fabrica tot mysteria descripsit,quot naturas egit,vt Patres notant,& alibi nos indicauimus.Idcircocùm mundus, qui est velut quædam Dei scriptura, sic fuerit constructus, vt in ipsis naturis corporeis repræsentet incorporea & perfectiora imitetur, appellatur etiã ab Ethnicis,qui hoc animaduerterũt Dei carmen & poema. Plotinus quidẽ dixit *vniuersum mũdi poema*.Deũmq; vocat *mundanũ Poetam*, vt taceã Pythagoricũ illud, *Mundum cõstare harmonicã ratione*.Cùm igitur Moyses in mũdi historia ea tradiderit stylo,quæ Deus potenti virtutis suæ manu descripsit in natura, atque hæc instar admirandi carminis & poematis sint, tum propter ordinẽ & metrũ,tum propter imitationem;historiáq; Mosaica quædam sit transcriptio & exemplar scripti mundani,diuinique huius carminis:Sic est duo hæc complexa,& esse veram historiam naturæ, & esse diuinum carmen & repræsentationem gratiæ, atque inuisibilium & occultarum rerum. Accedit his Moysen non ignarum mysteriorum historiam suam conscripsisse: neque enim fuit imperitus transcriptor,qui ea exarauerit,quæ nequaquam intellexit. Conscius enim magnorum arcanorum,sic rerum quas scripsit narrationem digessit,vt non solum in naturis,quas enarrauit, repræsentaret sacratiora,sed in ipsa narratione etiam; non solum in rebus quæ dixit,sed in modo quo dixit. Duplicem enim symbolicam Theologiam Ioannes Cyparissiota pronuntiat, vnam rerum,alteram verborum,illam enim diuisit *in sacram*, scilicet, *formationem sub sensum cadentis,& in sacram formationem translationis cadentis sub intelligentiam; aut enim describitur per figurationem secundùm sensum, vt illa scala à cælo vsque ad terram pertingens, &c. aut describitur per translationem verbi secundùm intellectum.* Hæc in præmeditatione expositionis materiarũ; clarius loquitur capite secundo primæ Decadis,vbi ait: *Symbolica Theologia est sacra formatio, quæ diuinis signis & notis ex iis, quæ corporeè delineata sunt,adumbrat,& pingit ea,quæ in Deo latent corporis & formæ expertia. Est autem animaduertendum, quod hæc symbolica Theologia rursus partitur. Aut enim formatur in verbis, cuiusmodi sunt dormire, vigilare, ebrium esse, aut formatur in formis corporalibus.* Vtramque in scriptis Moysis reperiemus.

CAPVT XII.

Quid sit duplex spiritus expetitus ab Elisæo?

In eo excelluit Moyses.



TENIM sic artificiosè Moyses elocutus est, vt in ipso eloquio, aut eloquij modo adumbraret mysteria,quorum luce si careret,aliter scripsisset. Vix est verbum initio Geneseos non grauidum arcanis. Illud *in principio*, præter significationem mundi aliquando inchoantis, deseruit sanctissimæ Trinitatis fidei.Deinde vox *Deus* Hebraicè *Elohim* plurali numero,mox dici *cælum*, quod instar circuli est prius quàm terram,quæ instar puncti. Præferri quoque vesperam manetum spiritum Domini ferri super aquas, notarique diuisionem lucis à tenebris, dissidium etiam aquarum. Tum inducere Deum loquentem in aliarum rerum creationem in humana verò facientem Tum sileri in secundo die diuinam approbationem, *Et vidit Deus quod esset bonum.* Geminari in tertio die. Hæc quidem aliter, aut huiusmodi dici ad historiam parum attinebat; at plurimum ad mysteria,quorum gratia salua historiæ veritate,plura aut dissimulauit,aut explanauit,aut alio idoneo sacramentis modo dixit. Conscius enim præteritorum, & futurorum pariter, vtrorumque rationem habuit in suis scriptis;conscius scilicet historiæ & mysterij. Hic est duplex spiritus quem deposcebat Eliseus, & quo vsi sunt Esaias,& alij insigniores Prophetæ,cuius causã multa dixerunt,& addiderunt suis vaticiniis, quæ ad historiæ futuræ simplicem narrationem non attinebant. Cuius duplicis spiritus declarationem non ingratum erit excipere ex obseruatis à Iacobo Christopolitano ad commentationes Psalmorum,tractatu secundo.

Lumen supernaturale desuper infusum, qui dicitur spiritus propheticus, non eodem modo consecuti sunt omnes Prophetæ. Nam quidam consecuti sunt simplex lumen,siue simplicem spiritum propheticum. Spiritus enim simplex propheticus dicebatur ille per quem Prophetæ præuidebant materialia, & temporalia gesta, futura & facienda in illo populo ante aduentum Christi,in tabernaculo,& in primo & secundo templo, non peruenientes vsque ad Christum.Spiritus autem duplex propheticus dicebatur ille,per quem

Prophetæ primò præuidebant gesta materialia & temporalia futura in illo populo & templo: sed per illa materialia & temporalia transcendentes, præuidebant futura mysteria de Christo, & Ecclesia, in illis rebus materialibus & temporalibus figurata. Exempli gratiâ, Isaias in spiritu prophetico simplici præuidit captiuitatem & destructionem Hierusalem, faciendam per Chaldæos, & remissionem captiuitatis faciendam per Cyrum, & reædificationem templi, & ciuitatis, faciendam per Cyrum, & Zorobabel, & IESVM Sacerdotem magnum. Sed in duplici spiritu præuidit qualiter remissio illius temporis captiuitatis erat figura remissionis & æternæ, & spiritualis liberationis, faciendæ per Christum, scilicet qualiter Christus debebat redimere totum genus humanum à captiuitate, & miserabili seruitute peccati, & debebat ædificare nouam Hierusalem toto orbe diffusam. Et sic vaticinando, & prædicendo futuram remissionem illius captiuitatis temporalis faciendam per Cyrum, & reædificationem templi & ciuitatis materialis, prædicit, & intermiscet remissionem totius generis humani faciendam per Christum, vt patet Esaiæ quadragesimo quinto capite. Et sic omnes sacri Prophetæ per istum duplicem spiritum propheticum, non solùm dixerunt gesta materialia, & temporalia illius populi, sed etiam mysteria spiritualia de Christo, & Ecclesia, per illa materialia figurata. Et iste est ille spiritus duplex propheticus, quem postulabat Eliseus ab Helia quarti Regum secundo, vbi legitur, quòd cùm venisset Helias cum Eliseo in Hietico, exierunt filij, id est, discipuli Prophetarum ad Eliseum; *Numquid nosti, quia Dominus tollet hodie Dominum tuum à te? Quibus respondit, Noui, silete.* Ex quo patet, quòd tam filij Prophetarum, quàm Eliseus præuiderunt in spiritu futurum raptum Heliæ, sed nesciebant figuram illius raptus, nec quod amplius futurum esset de Helia; quia nesciebant quòd ille ascensus Heliæ figurabat ascensum Christi in cælum, & quòd Helias erat venturus in tempore Antichristi ad prædicandum secundum aduentum Christi. Ex quo patet quòd tam filij Prophetarum quàm Eliseus tantum habebant simplicem spiritum propheticum de futuro raptu Heliæ; & ideo Eliseus cupiens scire quid esset futurum de Helia dixit ad eum, quando ferebatur in Paradisum: Obsecro Domine, vt spiritus qui est in te duplex, fiat in me, quasi diceret, vt sciam in duplici spiritu quid figuret, & significet iste raptus tuus, & sciam & præuideam futura mysteria de Christo Messiâ in lege promisso, quæ non possunt præuideri nisi per duplicem spiritum & lumen propheticum. Cui respondit Helias: Rem difficilem postulasti: quasi diceret, difficile est, & paucis est concessum talem duplicem spiritum propheticum attingere. Hoc autem dicebat Helias, quoniam ipse in duplici spiritu præuidebat per suum raptum, qualiter Christus post passionem, & resurrectionem erat ascensurus in cælum, & accepturus vniuersale dominium, & iudiciariam potestatem super omnes creaturas, & qualiter erat venturus in finem mundi ad iudicandum omnes gentes, & qualiter ipse Helias debebat præuenire ante ipsum Christum ad prædicandum secundum aduentum eius, & qualiter erat ab Antichristo occidendus. Hunc igitur duplicem spiritum propheticum impetrauit Helias à Domino pro ipso Eliseo, vt patet ibidem. Iudæi autem & multi Catholici dicunt, quod per duplicem spiritum Elisei intelligitur duplex virtus faciendi miracula, quia in duplo fecit plura & maiora miracula quàm Helias. Sed licet hoc sit verum, tamen primus intellectus est magis conformis, & continet maius sacramentum. Ex suprà dictis patet, qualiter spiritus simplex propheticus non attingebat nisi materialia, & temporalia gesta illius populi, & ciuitatis & templi. Spiritus autem duplex erat ille, qui non solùm præuidebat & attingebat futura gesta materialia veteris Testamenti, sed per illa transcendebat vsque ad mysteria Christi & Ecclesiæ in illis figurata; imò Prophetæ in spiritu duplici Prophetico, per gesta veteris Testamenti præterita & præsentia, & futura præuidebant mysteria de Christo & Ecclesiâ in illis figurata. Vnde sicut homo habens bonum visum, per montes propinquiores videt montes vlteriores: ita pariter Prophetæ duplici lumine, & spiritu prophetico illustrati, non solùm præuidebant gesta materialia & temporalia propinquiora, sed etiam præuidebant qualiter illa gesta materialia erant figura futurorum mysteriorum spiritualium de Christo & Ecclesia. Et sic transcendentes illa materialia, perueniebant vsque ad propheticam notitiam Christi, & nostræ redemptionis. Hæc Christopolitanus.

CAPVT XIII.

Quo pacto Moyses, Dauid, & alij Prophetæ habuerunt duplicem spiritum duplicia vaticinantes?

IN hoc igitur ſpiritu duplici excelluit Moyſes in iis ipſis, quæ hiſtoricè conſcripſit, ſacratiora præuidens, & ſignificans; nec mirum hoc cùm aliqui veteres Prophetæ ex hiſtoriæ Moſaicæ lectione pluſquam hiſtoriam nouerint, myſteria ſcilicet, pariter præuidentes. De vno Dauid hæc Chriſtopolitanus ſcribit: *Legendo litera-* Suprà. *lia myſteria ſacræ Scripturæ reponebat tales ſpecies in phantaſia, puta de creatione mundi, aut myſterium diluuij, aut ſacrificium Abrahæ, aut agni Paſchalis, & imaginando, & contemplando talia myſteria in ſua cella & camera ſecreta, largè dabatur ipſi lumen propheticum, & tunc illa obiecta imaginata illuſtrata lumine ſupernaturali repræſentabant ipſi futura myſteria, & ſic intellectus Dauid confortatus, & eleuatus, per tale lumen præuidebat futura myſteria de Chriſto & Eccleſia in illis obiectis repræſentata. Et ſic per creationem mundi materialis præuidebat recreationem mundi ſpiritualis, quæ eſt Eccleſia Chriſti. Et per arcam diluuij præuidebat qualiter Eccleſia Chriſti debebat ſaluare omnes ad eam confugientes. Et per ſacrificium Abrahæ præuidit totum myſterium paſsionis Chriſti. Et per immolationem agni Paſchalis, & per ſacrificium agni matutini, & veſpertini præuidit totum myſterium paſsionis Chriſti, & totum myſterium ſacramenti Altaris. Sed rurſus in tali contemplatione augebatur ipſi lumen propheticum, & rapiebat ipſum ſupra primam contemplationem ad ſecundum gradum ecſtaſis. Et tunc relictis obiectis ænigmaticis veteris Teſtamenti contemplabatur ſolas ſupernaturales veritates, & ſolam illam incarnationem, & mortem, & paſsionem, & reſurrectionem Chriſti, & myſteria noſtræ Redemptionis, & ſupernæ Beatitudinis. Et tunc abſque aliquo ænig-* Pſal. 118. *mate omnia illa videbat clariùs & diſtinctius quàm alij Prophetæ.* Itaque Dauid tametſi nullis enituit miraculis duplici ſpiritu eſt functus. Propterea videtur commendaſſe non ſemel mirabilia legis. *Reuela*, inquit, *oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Nam vt Caſſiodorus explanauit: *Mirabilia legis ſunt ſpirituali ſenſu contenta myſteria.* Addit S. Hieronymus: *Quæ, niſi litera velamen abducatur, intelligere non poſſumus.*

Hic ſpiritus Prophetarum duplex ſatis enitet in ſtylo ſuorum vaticiniorum, dum à figura ad figuratum multoties ſubitò conſcendunt, & ab hiſtoria humana ad diuina tranſcurrunt myſteria. Iſaias à liberatione Achaz & Iudæorum de manu Raſis Regis Syriæ, & Phacee Regis Samariæ ex templo tranſcendit ad ortum Chriſti Domini, partum Virginis, & liberationem hominum à tyrannide & poteſtate Diaboli per Chriſtum, cuius illa typus præcedebat. Sic explicatur arduus Hebræis locus capite Iſaiæ ſeptimo, vbi egregium extat vaticinium naſcituri Chriſti ex Virgine. Sed quoniam nihil videbatur facere ad hiſtoriam illam Chriſti Domini natiuitas, controuerſus valde locus eſt. Sed ex hoc more Prophetarum duplici ſpiritu præditorum facile expeditur difficultas; nam à ſigno ad rem ſignificatam Prophetæ ſpiritus tranſmigrauit. Idem Iſaias initio capitis vndecimi à floris metaphora in ipſum Chriſtum excollitur. Sic etiam à vaſtatione Babylonica, Hieroſolymitana, Sa- Iſai. 14. maritana tranſuolant ſæpè vaticinia ad excidium orbis, & diem iudicij. Quippe illorum Ezech. 29. Regnorum excidia typi erant interituri orbis, ſic etiam à præcipitio Luciferi ad caſum Balthaſſaris Regis Babylonici perrexit Iſaias, ſicut & Ezechiel à Cherubino ad Regem Tyri.

CAPVT XIV.

Explicatur locus Epiſtolæ ad Hebræos capite ſeptimo. Et quanta ratio habita ſit Moyſi ſignificandi ſacratiora myſteria, etiam cum diminutione hiſtoriæ.

NOLO hîc motas, quarum potius compendio ſtudeo, trahere in detrita de ſenſu Scripturæ arcano diſceptatione. Illud ſolum animaduertendum duxi, quod multis locis lucem aliquam perfundet, eam rationem, eam curam habuiſſe Moyſen præſignificandi

gnificandi mysteria duplici suo spiritu instructum, vt non tantum per res, quas narrauit, sed per ipsam vt iam insinuaui narrationem, id præstare voluerit, cuius gratia siluit aliqua, quando eorum suppressione, tametsi non ita clareret historia, saluâ tamen veritate, magis explicaret mysterium, magis, inquam, imitaretur. Cuius perspicua aliqua exempla promam: etenim in secundo die silet, quod cæterorum adiunxit operibus: *Et vidit Deus quod esset bonum*, approbatio scilicet diuinorum operum, postquam opera diuina perfecta visa sunt. Anne in secunda die defuit ista complacentia? Nequaquam; nam etiam opera creationis tunc facta, bene quidem facta & disposita erant, ac proinde Deo placuerunt, qui nihil odit eorum, quæ fecit. Consulto igitur ibi siluit, non propter historiam, sed propter imitationem siue repræsentationem alicuius sacramenti, quod multi Patrum illustrant. Clarius hoc constabit ex vndecimo Geneseos capite, vbi alto præterit silentio generationem Cainan inter progenitores Abrahæ. Solum quippe dixit: *Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.* Cùm tamen constet ex S. Luca, capite tertio, Arphaxad genuisse Cainan, & Cainan Sale. Etenim pium non videtur dicere sequutum fuisse sanctum Lucam Septuaginta interpretes, eos tamen errasse. Iam enim & S. Lucę errasset narratio sequendo errantes, quod de scriptore Hagiographo, atque adeo de Spiritu sancto per eum loquente, manusque mouente, ita loqui non est consentaneum reuerentiæ, & fidei scriptis sacris debitæ. Præterea simile quid accidit S. Matthæo; vbi ait: *Ioram autem genuit Oziam.* [Cap. 1.] Hic de tribus aliis Regibus siluit: nam Ozias non filius, sed abnepos fuit Ioram. Etenim Iorami filius Ochozias fuit, Ochoziæ filius Ioas, Ioasi filius Amasias, Amasiæ filius Ozias dictus alio nomine Azarias. Causa huius silentij, tum in Moyse, tum in sancto Matthæo non fuit historia, sed mysterium, quod indicare maluerunt, etiam cum detrimento claritatis historicæ, non veritatis. Satis enim verè dicitur atauus gignere nepotes; quoniam quamuis remotiores non generet immediatè, & per se; generat per proximiores liberos, posterique omnes filij dicuntur. Itaque consulto tum Moyses, tum Matthæus id silentio suppresserunt. Matthæus enim suam genealogiam distribuit inter quaterdenas generationes omissis ad mysterium aliquot. Similiter Moyses genealogiam ab exordio orbis in duas decades digessit: Vnam ad Adam vsque ad Noe, alteram à Noë vsque ad Abraham, omissa vnà *Cainan* generatione. Cur autem Moyses omiserit Cainan & non alium, potuit subesse causa similis ei, quam habuit Matthæus, vt tres posteros Iorami præteriret, potius quàm alios. Geniti enim illi erant ex Athalia filia Achabi, & Iezabelis, quorum stirpem Deus prædixerat prorsus delendam. Quapropter saltem memoriam illorum quasi nunquam vixissent, studuit abolitam haberi vsque ad quartam generationē: aliqua etiam culpa meruit Cainan fortasse non commemorari. Neque arcanam aliquam significationem non respexit Moyses, cum alia quæ acciderunt supplicia Ægyptiis cùm obstinatè afflictum Israelis populum detinerent, suppressit, ne scilicet numerum denarium enarratæ à se ante exitum Israel plagæ excederent. Tum etiam cùm Abraham expulit Agar, & Ismael domo suà, sic succinctè eam historiam narrat, vt multa suppressisse videatur, sed solum ait: *Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Tota hæc narratio mysteria profundit, quorum causa videtur Moyses tacuisse multa & quidem maiora dona; quæ ancillæ Agar ti. . didisset liberalissimus Abraham. Tum etiam explicasse minutias, quæ necessariæ non videbantur, scilicet imposuisse vtrem scapulæ eius. Planè si historiam attendamus, consentaneum non videtur misericordi, profusæque liberalitati Abraham ita seuerè & parcè filium suum, & multorum annorum ancillam, concubinámque expellere domo, vt nihil amplius donauerit, quàm panem vnum.

Hoc ipsum consulcit, quod de Melchisedech dixit celeberrimi Regis, sanctissimi Sacerdotis; magni prorsus viri apud Deum, maximi apud homines, cuius nihilominus genealogiam n[u]llam explicat; non mortem; cùm alioqui tantus vir notitiam sui maiorem mereretur tradi, & secundùm historiæ leges, latius & explicatius de eximio illo Rege loqui opportunum erat. At nihil de eo dixit Moyses, nisi quod ad sacramenti rationem spectabat, cuius causa, vt magis præpararet significatum mysterij plurium silentio rerum detraxit historiæ, vt ex modo etiam qui illius narrationem tradebat magis illucesceret summi & æterni Sacerdotis Christi imitatio, aut si mauis, repræsentatio, vt partim scriptio sua fuisset præteritorum historia, partim futurorum prophetia, quemadmodum Philippus Abbas capite sexto de dignitate Clericorum dixit: *Illius temporis realis historia, nostra [ter]ras est historia.* Diuinam istam Moysis artem nouerunt Dauid & sanctus Paulus, miratique in Melchisedech sunt, Sacerdotium magni & æterni Sacerdotis Christi IESV delineatum,

delineatum. Idcirco Dauid dixit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Quomodo Melchisedech æternus Sacerdos? Scilicet quia sine principio & fine inducitur à Moyse, nihil de natiuitate eius, nihil de morte locuto; quamuis enim mortalis fuerit, nihilominus significauit sacerdotium Christi æternum ex modo quo proponitur nobis. Quod consultò factum à Moyse fuit, vt quoniam Melchisedech ex persona sua non haberet repræsentare æternitatem sacerdotij filij Dei, haberet ex historia, ex modo scilicet quo illum sacra pagina introducit; quod satis clarè Apostolus explicat, dum ait: *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Sanctus Chrysostomus explicans Paulum, ait: *Sicut ille,* nimirum Melchisedech, *inquit, eo quod non sit memoria eorum, qui genuerunt dicitur sine patre, & sine matre, & quia non recensetur eius genealogia, dicitur sine genealogia. Ita & Christus, qui non habet vel in cælo matrem, vel in terra patrem, absque genealogia dicitur.* Ex dictis enim perspicua fient verba Pauli, & quo pacto Melchisedech mortalis congrua proponatur figura æterni. Quoniam enim Paulus, & ante Paulum Dauid, qui, vt diximus, assiduus lectioni librorum Moysis eos meditabatur, & supernaturali lumine instructus, eorum penetrabat mysteria, duplici etiam sicut Moyses spiritu prædiri erant, ea quæ Moyses geminato scripserat spiritu, vtroque ipsi spiritu legebant, intelligebantque; repræsentatumque summum, & æternum Sacerdotem præuiderunt in eo, quo Moyses modo inseruit suæ historiæ sacerdotium Melchisedech instar æterni.

CAPVT XV.

Consideratur notabilis Athanasij relatio de Melchisedech.

ITAQVE ex hac styli sacri obseruatione multa in scriptura explanari queunt, quemadmodum sacerdotium Melchisedech, quod multos impingere fecit, vt æternum aliquid in ipso Melchisedech inuenirent quo summum, æternùmque sacerdotium Christi repræsentaret. S. Augustinus fertur propterea aliquando opinatus Melchisedech non purum hominem, sed Spiritum sanctum incarnatum fuisse, vt sic persona æterna personam Christi æternam exprimeret. Eadem de causa Origenes virtutem aliquam Dei, & Angelum credidit. Alij ipsum Dei filium humana esse effigie indutum maluerunt. Et nuper Petrus Cunæus in Republica Hebræorum, quasi aliquid noui diceret, latè fulcit Melchisedech non hominem fuisse verum, sed filium Dei eâ specie sacerdotali apparentem, quod tamen iam olim quidam excogitarunt hæretici. Nihil autem mirum in nuperis hæreticis idem esse delirium quod in vetustis. Eodem spiritu tenebrarum decipiuntur. Hæc commenta necessaria iam non sunt, vt typum æternitatis inueniamus in Melchisedech: quoniam quamuis mortalis esset, eâ arte proponitur à Moyse, vt commoda figura æterni filij Dei fuerit. Neque etiam opus est dicere, aut credere, quod Athanasius in oratione, siue historia de Melchisedech enarrauit.

Quandoquidem autem sacerdotium Melchisedech attigimus, quale id fuerit, & quis ipse Melchisedech, breui quid nobis videatur exactius præstabimus. Tametsi enim quæ diximus satis erant explicandis Dauidi & S. Paulo, tamen quam possimus maiorem claritatem operæpretium erit exhibere. Quoad ipsum Melchisedech, pono hominem fuisse. Nunc quærimus quis fuerit? & quidem in superiori libro iam reiecimus Hebræos, qui Sem filium Noë fuisse Melchisedech censent, nec opus est eadem rescribere. Hic dumtaxat addam Diui Aldhemi iudicium, qui sic ait, libro de Virginitate: *Quamuis vulgata Hebræorum traditio hunc fuisse arbitratur Sem primogenitum Noë, tritauum Abrahæ, & Nachor, & Aram. Sed plurimum differt inter ambiguas Pharisæorum traditiones, & celebratam sacræ Scripturæ definitionem. Apocryphorum enim nænias, & incertas friuolorum fabulas nequaquam Catholica accipiat Ecclesia.* Fuit itaque Melchisedech extraneus Abrahæ Græcus genere à non nemine dicitur. Sed turpiter falsus est à Ioanne Lampadio, qui sic vertit frustum Athanasij: *Erat Regina quadam Salem eiusdem cum vrbe nominis. Peperit autem Salaad, Salaad autem genuit Melchi, Melchi habuit vxorem cognomine ipsi Salem. Peperit autem duos filios, vnum dictum Melchi, & alterum Melchisedek: Et erat pater eorum Græcus, impurus, sacrificia immolans idolis.* Nomen *Græcus* hic non originem & patriam Græcam notat, sed Religionem Gentilicam. Græce est ἕλλην, quo nomine Patres soliti

sunt

sunt vocare gentiles. Præterea si Rex Salem erat pater Melchisedech, quo pacto Græcus natione? Quapropter clariùs verteretur, *erat pater eorum gentilis.* De his satis. Repetamus Athanasium, qui postquam narrasset Melchisedech diuinitus illustratum fuisse vnici Dei cognitione, noluisse patri & populo idololatræ acquiescere, atq; impetrasse propter enormia, & inhumana falsorum Deorum sacrificia, vt eos terra funditùs voraret. Addit ipsum Melchisedech se recepisse in montem Thabor, atque accidisse quæ huiusmodi refert: *In densa sylua, ad quam accesserat, mansit annos septem nudus à ventre vsque ad lumbos suos, & dorsum eius occalluit vt testa limacis. Cibus ei erat syluestria, & potus eius ros quẽ lingebat. Et à septem annis vox quædam ad Abraham delata est, dicens: Abraham, Abraham. Et respondit Abraham: Domine mi. Et ait ei: Sterne asinũ tuum, & impone vestes pretiosas, & vbi sacrificaueris, conscende montem Thabor, & tribus vicibus clama: Homo Dei. Et egredietur homo ferus. Ne metuas igitur ab eo, sed tonsum vnguibus resectis indue eum, & benedicat tibi. Et expediuit Abraham iussa Domini, & conscenso monte Thabor, substitit in sylua, quàm densissima, & sonuit tres voces: Homo Dei. Tum egressum Melchisedech, vt vidit Abraham metuit sibi. Cui Melchisedech, ne contremisce. Sed dic mihi: Ecquis es? Et quem quæris? Respondit Abraham: Præcepit mihi Dominus te tondere, & vestibus induere, & benedictionem à te accipere. At Melchisedech ait illi: Exequere iussum Domini. Et expediuit Abraham, quod habebat in mandatis à Domino. Et descendens Melchisedech de monte Thabor à diebus tribus accepta lecytho ratã faciens vocem Dei, benedixit Abraham dicens: Benedictus sit Deo altissimo, & in posterum vocetur nomẽ tuum perfectum. Et perlata est iterum vox ad Abrahã, qui dixit: Ecquid Domine mi? Tum Dominus ad eum: quoniam nemo ex genere Melchisedech reliquus est in terra, ideo vocabitur sine patre, sine matre, sine familia, neque initium habens dierum, neque finem vitæ. Comparatus autẽ filio Dei, manet sacerdos in sæculum: & dilexi eum, vt dilexi filium meum dilectum illum, quod edictam mea seruauerit, & seruaturus sit in æternum. Ne igitur videatur initium dierum non habere, quod nemo sciuit familiam eius, nec patrem, nec matrem. Propterea dicitur sine patre, sine matre, sine familia, & quia placuit Deo, manet Sacerdos in perpetuum. Cùm igitur occurrisset Melchisedech Abrahamo reuertenti à strage Regum dedit ei vinum meracum addito panis frusto, & populo eius ter centũ & octodecim virorũ. Et etiamnum hodie similis reputatur filio Dei, sed non ad gratiam: verùm hic primus typus fuit offerendi sacrificium incruentum, sanctam oblationem. Quapropter ait: Tu es Sacerdos in æternum secũdùm ordinem Melchisedech: quoniam typus esset sacræ oblationis, quam tradidit Abraham 318. sociis. Tot etiam sancti Patres inuenti suo tempore in Nicenorum ciuitate, qui nobis rectam confirmarunt fidem, quorum numerus adæquatus Patriarchæ Abraham fuit trecentorum octodecim sanctorum Episcoporum in Synodo.* Hæc tribuuntur Athanasio, sed supposititi a mihi videntur, & imposita grauissimo Patri, cuius grauitate & pondere haud digna reor quæ ibi dicuntur, tum maximè, quoniã Scriptura appellet Melchisedech Rex Salem, quem relatio illa Athanasij non Regẽ facit, imò neque vult fuisse Salem, cùm dicat de hiscescente terra integram ciuitatẽ cũ habitatoribus funditus haustam. Scribit ibidem matris diligentiã liberatũ Melchisedech à patre mactandum. Quę autem gratitudo erga matrẽ, quæ charitas, si filij votis à terra deuorata fuerit. Præterea preces Melchisedech pro euertenda ciuitate Salem causam habuerũt, quoniam fratrem suum Rex & populus sacrificabant idolis. At cur ipse frater erat puniendus æquè ac impius parẽs, & superstitiosus populus. Mirot quoq; si hæc relatio fuisset ab Athanasio scripta, cur eius non meminerint alij Patres, maximè Hieronymus qui & diligentissimus fuit, & eruditissimè scripsit de Melchisedech, de quo non pauca legisse fatetur. Rabbinica potius commentatio mihi videtur, quam aut magnus Athanasius solùm retulit, non autem probauit, aut alius eiusdem nominis minus circumspectè ab aliquo Rabbino accepit. Denique placet quod Theodoretus dicit: *Melchisedech vnde genus duxit? Cùm diuinus Paulus dicat, sine patre, sine matre, sine genealogia, quis veritatem huius rei noscere potest? Vero tamen simile est illum è gentibus Palæstinam incolentibus fuisse.*

CAPVT XVI.

An Melchisedech primus fuerit Pontifex & Sacerdos publicus? Examinatur Philippi Abbatis sententia de sacerdotio Melchisedech.

EGO QVIDEM credo Melchisedech fuisse Chananæum, & Regem Salem, atque Sacerdotem pariter: cuius autem Salem fuerit Rex non est opus hic inquirere, ego inclino fuisse Hierusalem. Sic similior typus Christi summi Sacerdotis, qui Hierosolymis

Ioann. Euseb. de Origine S. Script.

se in sacrificium obtulit Deo Patri. De sacerdotio Melchisedech potest dubitari an publicum & Hierarchicum esset? Atq; vt relinquam hæreticorum commentū obiectantium nō Sacerdotem, sed principē fuisse, quoniam ab alijs retusum satis est: Philippus Abbas censet fuisse Regem Palæstinorum, non ipsorum Sacerdotem, cuius ista verba sunt: *Melchisedech quando, vel quomodo, vel quare Sacerdos factus fuerit, Scriptura diuina non memorat: sed sic eū ducit ad med ū, vt de his omnino reticeat. Inter alienigenas quippe illius cōuersatio fuit, quibus etsi iure regio cognoscitur imperasse nō tamen Sacerdotis officio eisdē creditur ministrasse. Quod quantū existimo distinguere signanter Scriptura videtur, vt non ciuitatis Salem Melchisedech Rex & Sacerdos pariter asseratur, sed tantū Rex Salē: Sacerdos autē Dei altissimi separatim dicatur, vt ex hoc scriptura velle intelligi videatur, quia ille in ciuitate regale quidē imperiū obtinebat, soli autem Deo non etiam & populo Sacerdotis ministerio seruiebat. Sic enim in Genesi scriptum est. At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altissimi) Et Apostolus: hic, inquit Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso de cæde Regum. Nec est incredibile, quod incredulis Rex imperat fidelis, & iustus cùm hoc ipsum, & huic contrarium accidisse frequenter legamus.* Et postea: *Nō igitur mirum, si & Melchisedech, qui vero Deo seruiebat, gentibus incredulis imperabat; vt eius sacerdotium non tum necessarium quàm voluntarium ostendatur, cùm per hoc non populo ministrare, sed Deo placere videatur. Habebat fortasse idem populus Sacerdotes suos, per quos apud eum cultus idololatriæ seruabatur, ad quorum forsitan distinctionem Melchisedech Dei altissimi Sacerdos appellatur.*

Cap. 1. de dignit. Cleric.

At non fuisset consentanea sacerdotij æterni filij Dei imago, priuata illa Melchisedech deuotio, nec ordo congruus esset in ciusmodi sacerdotio, secundùm quē fuisset summum Sacerdotium Christi. Sanctus Theodoretus dixit Palæstinorū fuisse Regem, & Sacerdotē, ab Apostolo quippe vocatur Christus non solū Sacerdos, sed Pōtifex secundùm ordinē Melchisedech: Græcè est ἀρχιερεὺς *Archisacerdos*. Quare ipsum Melchisedech Pontificē fuisse supponit; atq; ideo S. Dionysius & S. Maximus ἱεράρχην *Hierarcham*, seu Sacerdotē Principem ipsum Melchisedech vocant, de cuius publico sacerdotio, & animarum zelo, sic loquitur Areopag. *Non simpliciter Melchisedech Theologi Deo charū, sed Sacerdotem quoq; vocauerunt, vt sapientibus planè significarent, non solū eum ad eum qui re verâ Deus est, conuersū esse, verum etiam alijs præterea, vt Pontificem, ducē ad verū solúmque Deum perueniendi fuisse.* Clarissimè dicitur à S. Aldhelmo, lib. de Virginitate: *Melchisedech inchoantis tertiā seculi ætate florens, & primus summi Sacerdotij dignitate subnixus, ac præclaro Pontificatus apice præditus.* Publicum itaque fuit, & Hierarchicū sacerdotiū Melchisedech, multisque distinctum à priscorū Patriarcharum sacerdotio primogenituræ comite, & à Leuitico per familiam Aaronicam propagato: quapropter eius ordo ab aliis valde diuersus, iuxta quem fuit Christus Sacerdos in æternum: nam vt mihi videtur, Melchisedech quoniam pientissimus Rex fuisset, publicamq; possedisset potestatem, primus instituit sacerdotalē Hierarchiam (quod etiam S. Aldhelmo perplacuit) in cultum veri Dei cū peculiaribus ritibus, & legibus sacerdotalibus, quibus non omnibus vt antea, fungi sacerdotio permisit. Constat enim ante Leuiticū sacerdotium fuisse aliquod sacerdotiū publicū apud Ethnicos, hoc est, non tantū priuatos Sacerdotes, non tantū œconomicos, hoc est, familiarum, vt erant primogeniti, sed ciuiles & politicos, nimirū populorum, & rerum publicarum, quod ipse Philippus Abbas fatetur, & ex scriptura probat: cùm enim Pharao Rex Ægypti Ioseph eductum de carcere constituisset præpositū vniuersæ terræ Ægypti, & mutato eius nomine, linguā Ægyptiacā vocasset eum Saluatorē mundi: *Dedit*, inquit scriptura, *illi vxorem Aseneth filiam Putifaris Sacerdotis Heliopoleos.* Et infrà in eodē libro: *Emit*, inquit, *Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis præter terrā Sacerdotum:* quę à Rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur; & ideo nō sunt compulsi vendere possessiones suas. Et in Exodo Moyses inquit, *Pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian.* Hic sacer apud Ægyptios apparatus & ordo publicus superstitiosi cultus idolorū, vt pleraq; alia è sacris veri Dei ritibus æmula Diaboli, qui simia diuinorū dicitur, imitatione est vsurpatus à sacerdotio nimirū Melchisedech, qui diuino illustratus radio, sacrificiū Eucharisticū prænoscens & æternū Pontificem filium Dei, sacrificiū ipse & sacerdotium Hierarchicum instituit simile illi quem diuinitus præuiderat, diuinū cultum electione amplians Sacerdotū. Nec tanti muneris operationē proprio cuiusvis arbitrio permisit, sed publicâ auctoritate voluit idoneos ad illā eligi, qui totius populi nomine Deo facerent sacra, quem postea aliæ gentes sunt imitatæ. Pleræque in superstitioso cultu & fortasse aliquę, quales Madianitę in veri Dei adoratione. Itaq; sacerdotium Melchisedech

Cap. 28.

distinctum

distinctum fuit à primogenitali Patriarcharum,& à Leuitico Hebræorum: quoniam enim publicum erat sacerdotium Melchisedech & hierarchicè dispositum distinguebatur à sacerdotio primogenitorum legis naturalis, quod priuatum erat familiarum duntaxat; ab Aaronico autem diuersum erat, quoniam non successione propagatum, non animalium, non vnius dumtaxat tribus, aut gentis, nõ vni solũ loco adstrictum, multisque aliis ritibus. Porrò institutum à Melchisedech sacerdotium, non iure primogenituræ, vt in lege naturę, nec successionis vice, vt in Mosaica consequens videtur virginitati eius, quippe secundùm S. Ignatiũ,& Suidam, imo iuxta S. Aldhelmum virgo Melchisedech fuit. Sic illustrior imago sacerdotij Christi æterni, dum non per successionem carnalis generationis, sed per castimoniæ,& sanctitatis delectum sacerdotale munus contingebat, quod supponit S. Leo Papa, cùm loquens de sacerdotio Christi sic ait: *Dauidicum Psalmum dilectissimi non ad nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam consonâ voce cantauimus. Ipse est enim, de quo prophetice scriptum est: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est, nõ secundùm ordinem Aaron, cuius sacerdotium per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerij fuit, & cum veteris Testamenti lege cessauit; sed secundùm ordinẽ Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Et dum quibus parentibus sit editus, non refertur, in eo ille intelligitur ostendi, cuius generatio non potest enarrari. Denique cum huius diuini Sacerdotij sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creauit, eligitur; sed cessante priuilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus S. præparauit; vt in populo adoptionis Dei, cuius vniuersitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogatiua terrenæ originis obtineat vnctionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat antistitem.* Inde meritò posset vocari sacerdotium Melchisedechianum æternum, quatenus sine generationis vicissitudine persistebat. Ob simile causam & cultum castitatis dixit Plinius de Essenis: *Incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur.* Solinus de iisdem ait: *Nulla ibi femina, Venere se penitus abdicant, pecuniam nesciunt, palmis victitant, nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo.*

Serm. 1.

Lib. 5. c. 17

CAPVT XVII.

An impij in sacris Literis tulerint aliquando figuram Christi.

Obiter quoque hic nonnihil monẽdum, quæ ratio harum figurarum in sacris habeatur literis, an mala per bona, an bona per mala sint præsignificata? an Christi Domini omnium optimi figuram impij, & scelesti repræsentarent. Quoniam impiũ hoc pronuntiauit S. Hieronymus,& indignũ bonitate Christi per malos significari; idcirco in commentariis super 45. Isaiæ caput, super 12. Ezechielis, super 10. Oseæ, speciem quandam stultitiæ, atque impietatis notat esse ea quæ de Cyro, Sedecia, & Sennacherib secundùm literam narrantur posse ad Christum Tropologicè transferri. Ad posteriorem Oseæ locũ ait: *Impium enim est, quod iuxta historiam intelligitur de Rege Assyrio, iuxta tropologiam ad Christum referri.* Sic refellit illos, qui per Regem vltorem Christum intelligunt, huiusmodi vocatur Rex Assyrius apud Oseam, semel cap. 5. *Et misit ad Regem vltorem.* Rursus cap. 10. *Ipse in Assur delatus est munus Regi vltori.* Historicè hæc intelliguntur de Assyrio tyranno iniuriarum acerrimo vindice, ad quem Israelitici Reges pro auxiliis impetrandis munera mittebant, per quem mysticè interpretabantur Christum Dominum, quem peccatores precibus, sacrificiis, pœnitentia propitium reddere studerent, ne seuerum experiantur iudicem. Idem S. Hieronymus super Isaiam aduersus eos, qui quæ de Cyro dicuntur, Christo figuratè adaptant sic pronuntiat: *Satis mirari nescio, qua stultitia sit legentium, vt hæc ad Christum referant, per quem mundus reconciliatus est Deo.* Super Ezechielem quoque, vbi Propheta ait: *Tu ergo fili hominis fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis.* Quorumdam enarrat placitum existimantium Sedeciam fuisse Christi imaginem. *Quidam, inquit, volunt captiuitatem Sedeciæ, qui interpretatur iustus Dominus, in typum præcedere Saluatoris, qui de cælestibus ad terrena descendens, humanum corpus assumpserit, & hæc esse vasa captiuitatis.* Quem sensum refellens subdit: *Ideo præmonendum puto prudentem, cautúmque lectorem, ne præterire videamur, sed non probare; neque enim Rex impius in figuram potest præcedere illius qui totius pietatis exemplum est.*

Ezech.

Video nihilominus plures Patres,& Doctores etiam in peccatoribus Christi imaginem differuisse,& per mala significari bona: exẽplo Cyri id cõfirmat Tertullianus cap. aduersus

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script. Ee 2 Iudæos

Iudæos feptimo: *Cui enim*, inquit, *dexteram tenet Pater Deus,nisi Christo filio suo? In quem alium uniuersæ gentes crediderunt, nisi in Christum,qui iam venit? Quis omnibus repugnare potuisset,nisi Christus Dei filius, qui omnibus regnaturus nuntiabatur.* Similiter S. Cyrillus Alexandrinus in quadragefimum quintum Ifaiæ, vbi ait: *Perspicere licet optime in Cyro, eiusque factis,tanquam in imagine diuina,ac præclara beneficia uniuersæ terræ habitatoribus diuinitus donata*, nimirum per Christum.S.Gregorius & Eucherius in Saule nostrum Saluatorem defignatum agnofcunt: *Per Saul*,inquit Gregorius,*unctum & mortuum,mors nostri Seruatoris exprimitur; per montes Gelboe, superba Iudæorum corda signantur, quæ dum se in Christi morte miscuerunt, ab omni gratia virore siccantur. Agri primitiarum esse non possunt,quia in Redemptoris aduentu primordia fidei noluerunt.* Sanctus Thomas in Commentariis fuper Genefim capite trigefimo quarto,per Sichem intemperantiffimum Principem admonet fignificatum Chriftum,dicens: *Per Sichem significatur Christus, per Dinam autem,decor Synagoga, pro qua Christus humeros suos omni labori subiecit.* Et paulò pòft: *Quia verò Christus Synagoga,cum placito Iudæorum, non poterat copulari, nisi circumcisionem,& sacramenta legalia à principio obseruasset;ideo pro ipsius amore se circumcidit; sed quia Scribæ & Pharisæi Synagogam æstimarunt à Christo correptam, ideo ipsum, & eius discipulos impiè occiderunt,& Synagogam sibi funditus abstulerunt.* Per Affuerum quoque multi fufpiciunt prænotatum Chriftum,cui nominis fignificatio congruit: *Assuerus*,inquit Lyra: *interpretatur Beatus. Christus autem non solum Beatus est, sed etiam Sanctorum beatitudo.* Aliâ vero nominis interpretatione Interlinearis dixit: *Assuerus Christum Dominum ostendit nomine & dignitate,interpretatur enim ostium. Christus autem dicit,Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur.* Sanctus Thomas lariffimè & egregiè hanc Chrifti in Affuero imaginem confiderauit,cuius etiam refpectione aliquot eius libri loca Stephanus Cantuarienfis exponit, vt illud initij: In diebus Affueri Regis, qui regnauit ab India vfque Æthiopiam: *Æthiopia tenebræ vel caligo dicitur:super illos autem quos obscurant peccata,non regnat Christus.Vnde Regnum meum non est de hoc mundo.* Item illud: Cùm vidiffet Rex Hefter Reginam,placuit oculis eius. Et extendit virgam auream contra eam, quam tenebat manu, quæ accedens ofculata eft fummum virgæ eius. *Hæc virga crucem significat,quam extendit Dominus,cum dicit: Si quis vult post me venire,&c. Propter hoc crux ponitur in propatulo, vt cùm Ecclesiam intras,statim crucem videas,vt sequaris Christum.* Tandem illud: *Scribite Iudæis sicut vobis placet ex Regis nomine,signantes literas annulo meo. Signantes literas, id est, sacram Scripturam; annulo, id est,cruce,quam quasi annulum habuit Dominus in manu,cùm cruci fuit affixus. Annulum sibi fecit Dominus de cornibus crucis. Hæc erat consuetudo, vt epistolis quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant,nemo auderet contradicere.Sed Euangelium ex Christi nomine,& eius annulo signatum est: incipit enim sic: Initium Euangelij Christi, & etiam eius annulo signatum est. Vnde etiam Diaconus lecturus Euangelium signat librum faciens ibi crucem; & tamen ferè omnes contradicunt Euangelio.* Quid opus eft addere? In Propheta falfo celebrat Ecclefia Chrifti Saluatoris typum apud Zachariam, vbi dicitur: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Hæc effe verba Prophetæ falfi vinculis, eum fcilicet parre & matre conftringentibus, & remeritatem plectentibus, fanctus Cyrillus affirmat fecutus fanctum Hieronymum, idque ipfum confitentur Theodoretus, Hugo Carenfis, Carthufianus, Lyra, & alij. Nihilo fecius Ecclefia in Miffa de Paffione præfignificatum nobis Chriftum proponit,& Rupertus egregiè explicuit.

Li.4 Mor. c.3. Eucher. in 1.Reg. Zach.13.

Egregiè in hanc fententiam fcripfit Richardus Victorinus libro fecundo de eruditione interioris hominis,capite nono: *Multa scripturarum loca ineptum aliquid vel peruersum sonant iuxta historiam, quæ tamen mysticè discussa rectum aliquid loquuntur iuxta spiritalem intelligentiam. Nam quod Daniel à Rege, secundum nomen Dei sui Baltassar dicitur, quid aliud quàm idololatriam,iuxta literam sonare videtur? Sed sicut Beatus Gregorius dicit,sæpè res qualibet per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta in facto causa damnationis est,in scripto autem prophetia virtutis. Nam cùm de Regis Dauid culpa, dum de Vriæ innocentia tractaret,dum per adulterantem Dauid Christum,per Vriam innocentem populum Iudaicum interpretari voluisti, quid (inquit) per effectum istum Dauid scelestius, quid Vriâ mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid Dauid sacratius,quid Vriâ infidelius inuenitur? quando & ille per vita culpam signet innocentiam,& iste per vita innocentiam in prophetia exprimit culpam? Virtus namque sacri eloquij sic transacta narrat,vt ventura exprimat.Sic in facto rem approbat,vt eî in mysterio contradicat.*

Huius fcripturæ moris rationem egregiè reddidit Auguftinus libro vigefimo fecundo aduerfus

aduersus Faustum: *Ne quemquam,inquit, parua considerationis offendat, quod de quibusdam malis operibus hominum in Scripturis sanctis, quaedam non mala, sed bona futura significantur, vt quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur, & nascitur homo; de hominum opere malo bonum opus Dei,de fœcunditate feminum, non de turpitudine vitiorum: ita in Scripturis Propheticis significetur aliquid de malis operibus hominum, etiam futurorum bonorum, non peccantis opere,sed scribentis.* Mox subdit: *Ad significanda aliqua bona nihil interest,facta illa,quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint. Quid enim mea interest,cum volo aliquid legendo cognoscere, vtrùm ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopas, & ex atramento candidos Gallos? Verumtamen si non scripturam, sed picturam talem viderem; sine dubitatione reprehenderem. Ita in factis hominum,quæ ad imitandum, vitandúmve proponuntur, magni interest,bonáne an mala sint. Quæ autem ad significandum scribuntur, siue dicuntur, nihil refert in moribus facientium, quàm laudem, reprehensionémve mercantur; si modò habeant aliquam rei,de qua agitur, necessariam præfigurandi congruentiam.* Ex Augustino hæc vsurpauit Beda: *Ne mireris,inquit, lector,quod aliquando bona typicè malum; aliquando mala bonum significent. Quod si non liceret, nunquam nigro atramento,sed auro semper lucido scriberetur Deus,quia lux est: sed etsi nomen Diaboli in calculo scribas candido; nihilominus tenebras significat profundas.* Tandem ipse sanctus Hieronymus agnouit in aliquo malo bonam significationem; nam Prædicatorem Euangelicum censuit significari ab Isaia in illo de Cyro vaticinio: *Subiiciam ante faciem eius gentes,& dorsa Regum vertam,*&c. *Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*, &c. Hæc,inquam, de malo Rege dicta fatetur Diuus Hieronymus posse ad bonum Prædicatorem transferri: *Possumus, inquit, iuxta tropologiam hæc de Ecclesiastico viro dicere,cui Deus dedit sermonem, atque sapientiam, vt omnes sectas contrarias veritati suâ disputatione subuertat; & vt Reges, id est, Patriarchas singularum hæresum, suæ subiiciat potestati,& aperiat,atque confringat,quod prius videbatur dialecticâ arte conclusum,& in medium proferat arcana Hæreticorum, superans eos,atque conuincens.* Idem quoque in duabus meretricibus coram Salomone litigantibus, Ecclesiam & Synagogam descriptas nouit. *Quod,inquit,adulteræ,& meretrices,Synagoga & Ecclesia dicantur in Scripturis, nulla dubitatio est: & hoc primâ fronte videtur esse blasphemum.*

Lib. 22. cõt. Faust. cap. 83.

Ad cap. 2. Tob.

CAPVT XVIII.

Quo pacto culpæ virtutes repræsentent in sacris Literis, & contrà: & res absonæ diuinas?

NEque tantum in peccatoribus aliquam Christi imaginem adumbratam Patres aduertunt,sed & per ipsa peccata egregias mirantur actiones descriptas; adeò vber & fertilis est sensus diuinarum Literarum. Quid scelestius amore Salomonis erga alienigenas,& tamen Augustinus disputans aduersus Faustum,ait: *Non mihi* (inquit) *prorsus occurrit,quid saltem in allegoria significet hæc eius* (id est, Salomonis,) *flenda subuersio, nisi fortè quis dicat,mulieres alienigenas,quarum amore exarserat, significare Ecclesias electas de gentibus.* Ibidem in Dauid adamante Bersabee descriptum filium Dei perspexit. *Ille*, inquit, *Dauid grauiter, sceleratéque peccauit; verumtamen ille desiderabilis omnibus gentibus adamauit Ecclesiam super tectum se lauantem,id est,mundantem se à sordibus seculi, & domum luteam spiritali contemplatione transcendentem,atque calcantem.* Id ipsum confirmat Gregorius libro tertio Moralium: *Quis,inquit, non omni modo detestetur, quod Dauid in solario deambulans, Vriæ concupiscit vxorem? Cuius autem Dauid in solario deambulans typum tenet, nisi eius de quo scriptum est: in Sole posuit tabernaculum suum? Et quid est Bethsabee ad se perducere,nisi legem literæ,carnali populo coniunctam, spiritali intellectu sociare?* Et paulò pòst: *Vriæ Dauid vxorem abstulit, sibique coniunxit; quia in carne Redemptor apparens,legem à Iudaico populo extraneam demonstrauit, sibique coniunxit; quia se per illam prædicari declarauit.* Idem Sanctus optimè dixerat, *Sic plerumque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa; sicut aliquando res gesta in facto, causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis.* Et rursus: *Virtus, inquit, sacri eloquij sic transacta narrat,vt ventura exprimat: sic in facto rem approbat, vt ei in mysterio contradicat, sic gesta damnat,vt hæc mysticè gerenda persuadeat.* Egregiè quoque sanctus

Lib. 22. cõt. Faust.

Serm. 2. in Domin. 1. post oct. Epiph.

Bernardus: *In operibus* (ait) *eorum* (hoc est, Patrum veteris Testamenti) *decora, & delectabilis est significatio mystica; ipsa tamen, si per se considerentur, inuenientur aliquando minus digna, vt sunt facta à Iacob, adulterium Dauid, & multa similia. Pretiosa quidem sunt fercula, sed vasa non adeò pretiosa: & fortasse propterea dictum est de Domino, Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt.*

Lib. 22. cõtra Faustum c. 87.

Libro 3. Mor. c. 21.

Sed & mala & mali in bonis significantur aliquando; sic in optimo Vria Diabolum significatum exhibet Augustinus, dum & in Bersabee Ecclesiam, & in Dauid peccatore Christum est conspicatus: *Ille*, inquit, *desiderabilis omnibus gentibus, adamauit Ecclesiam, & pòst ab ea penitus separatum Diabolum occidit, eámque sibi perpetuo connubio copulauit.* In eodem Vria Iudaicum populum sanctus Gregorius intellexit: *Quem Vrias nisi Iudaicum populum designat?* Et statim: *Vrias*, inquit, *qui Arcam Domini esse sub pellibus meminit, respondit, quod domum suam intrare non possit. Ac si populus Iudaicus dicat: Ego mandata Dei in sacrificiis carnalibus video: & redire ad conscientiam, per spiritalem intelligentiam, non requiro. Quasi enim Arcam Dei esse sub pellibus dicit, qui præcepta Dei, non nisi ad exhibendum ministerium sacrificij carnalis, intelligit.* Et rursus: *Legem itaque Iudaicus populus tenet, quæ eius diuinitatem loquitur, cui idem populus credere dedignatur.* Idem Gregorius in prudentissimo optimi Isaac facto, cæcitatem pessimorum Iudæorum depictam prædicat: *Quos profectò*, inquit, *bene Isaac, cùm Iacobum filium suum benediceret, designauit, qui & caligans oculis, & prophetans in præsenti, filium non vidit: cui tamen multa in posterum præuidit; quia nimirum Iudaicus populus, prophetiæ spiritu plenus, & cæcus, eum de quo multa in futurum prædixit, in præsenti positum non agnouit.* Eandem doctrinam inculcat alio in loco: *Iudæorum* (inquit) *& notitia prior, & ignorantia posterior, benè, ac breuiter Isaac caligante signatur, qui dum Iacob benediceret, & quid deueniret in futuro præuidebat, & quis præsens assisteret, nesciebat: sic quippe Israëlitarum populus fuit, qui prophetiæ mysteria accepit, sed tamen cæcos in contemplatione oculos habuit, qui eum præsentem non vidit, de quo tam multa in futuro præuidit.*

Hom. 10. in Euang.

Lib. 35. Mor. c. 9. & 10.

Academ. 1. c. 5.

Hinc non mirum per res vilissimas significari maxima & diuina, cuius optimam rationem affert Ioannes Cyparissiota ex Dionysio Areopagita: *Scriptura sanctæ sapientiæ, quæ sursum ducendi vim habet ad similitudines absonas sanctè se deiicit, non permittens vt sensus nostri corporis in illis indecoris imaginibus hærentes acquiescant, quin potius eam partem animæ quæ ad alta tendit, ipsâ deformitate figurarum excitat, & stimulat.* Accidit interdum vt eadem res diuersarum, contrariarúmque rerum typus sit. Hircus siquidem & damnatos significat, & simul etiam primogenitum prædestinatorum, causamque, Christum IESVM. Serpens quoque & Diabolum aliquando, & Redemptorem nostrum adumbrauit. Quod egregiè Theodoretus in Dialogo Impatibilis, vbi Orthodoxus, & Eranistes colloquuntur, explicuit. Orthodoxus sic incipit: *Duo Hirci offerebantur: alter quidem sacrificabatur, alter verò dimittebatur. Hi enim duarum naturarum, Seruatoris imaginem præfigurant. Is quidem qui dimittebatur, Diuinitatis impatibilis; qui verò mactabatur, patibilis humanitatis.* Eranistes: *Non tibi videtur impium, & blasphemum Dominum hircis assimilare?* Orthodoxus: *Quid magis fugiendum, magisque odio habendum, & abhorrendum existimas serpentem, an hircum?* Eranistes: *Serpentem esse odio habendum, & aduersandum, certum est: iis enim, qui appropinquant, affert exercitium: sæpè autem eos lædit, qui nullam iniuriam fecerunt. Hircus autem est ex numero eorum, quæ sunt esculenta, & munda ex lege.* Orthodoxus: *Audi ergo Dominum, salutiferam passionem æneo serpenti assimilantem: sicut exaltauit, inquit Moyses, serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis. Si autem serpens æneus cruci affixi corporis typum impleuit; quid absurdi fecimus, cum salutifera passione hircorum sacrificium conferentes?* Vndique mysteriis & sensu fertilis est scriptio sacra, vbique sacramenta profundit, adeò vt de Noui Testamenti stylo dixerit sanctus Paschasius initio libri secundi Commentariorum in sanctum Matthæum: *Quamuis Euangelium non sit iam vmbra, sed veritas; propter mysteria tamen doctrinarum eloquia, non apices, non litera, non syllaba, non verbum, non nomina, non persona in eo diuinis vacua sunt figuris.*

Dialog. 3.

CAPVT

CAPVT XIX.

Quo pacto arduum dissidium circa numeros inter Septuaginta & Vulgatam queat componi ratione mysticâ.

POrrò neque hinc descendendum est, quin illud etiam annotemus ex hac mystici sensus ratione pro duplici præsignium Prophetarum spiritu arduum sedari posse dissidium inter septuaginta Interpretes, & Vulgatam editionem Hebraico cohærentem textui circa numerum annorum; quippe Chronologia secundùm septuaginta Interpretum subducta numeros supputare videtur Ecclesiasticæ conformis traditioni. Quoniam Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Theophilus Antiochenus, Iulius Africanus, Hippolytus, Origenes, Eusebius, Lactantius, Epiphanius, Philastrius, Orosius, Augustinus, Cyrillus, Anastasius Nicenus, Anastasius Sinaita, Prosper, Victor, Idacius, Ioannes Abbas, Marcellinus Comes, Isidorus, Cassiodorus, Auctor mirabilium sacræ Scripturæ, Victorinus, Gregorius Turonensis, Seuerus Bituricensis, & alij, imo & ipse S. Hieronymus, qui parum æquus fuit septuaginta Interpretibus, annorum ab origine mundi numeros subducunt iuxta Septuaginta calculum. Quapropter Cardinalis Baronius in apparatu ad Ecclesiasticos Annales notat: *Sanctam* Dei Ecclesiam antiquitus consueuisse supputare annos ab origine mundi, non secundùm Hebraicam editionem, sed secundùm septuaginta duos Interpretes. Est eius rei fides apud sanctum Augustinum de ciuitate Dei libro decimo quinto, capite vndecimo, dum de iisdem Interpretibus hæc ait: *Porrò illos in auctoritatem celebriorem suscepit Ecclesia, & credentes Iudæorum potius quàm istos non habere, quod verum est.* Iulianus Episcopus Toletanus falsò cognominatus Pomerius, hæc in eandem sententiam habet: *Illa nobis & sola pro his annis est obseruanda auctoritas septuaginta Interpretum, quæ meritò omnibus editionibus, & translationibus antefertur, quam etiam huc vsque omnes Doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipuè annorum supputatione secuti sunt.* Hæc ille. Adiice, & Græci hominis insigniter eruditi de eadem re testimonium, videlicet Anastasij Sinaitæ Episcopi Antiocheni, æqualis magno Gregorio, qui sic ait: *Sciendum est, quod aliter computant Hebræi, & aliter Romanæ Ecclesiæ traditio.* Notat præterea doctissimus ille Cardinalis acta Synodica iisdem numeris consignata fuisse: *Cuius rei,* inquit, *exemplum est in sextâ Synodo Oecumenica, vbi à mundi origine vsque ad illud tempus celebrati Concilij anni numerantur sex mille centum nonaginta nouem.* Idem etiam ex Romano Martyrologio, quod in Ecclesia quotidie publicè decantatur, manifestum est, octauo enim Kalendas Ianuarij sic de tabulis Ecclesiasticis Natiuitas Domini populo quotannis annuntiatur: *Anno à creatione mundi, quando in principio creauit Deus cælum & terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: A diluuio verò, anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo,* &c. Quæ non tantum vera sunt iuxta septuaginta Interpretes, sed sunt ipsissimi Eusebij numeri à sancto Hieronymo Latinitate donati, qui expositis & comparatis Iudæorum & Samaritanorum numeris computum iuxta Ecclesiæ versionem institutum vtrisque prætulerunt. Nec aliter decernit Cardinalis Baronius: adnotat in Martyrologio: *Ita antiquæ tabulæ Ecclesiarum secundùm supputationem septuaginta duorum Interpretum ex Eusebij Chronico, quam quidem tam Occidentalem, quàm Orientalem Ecclesiam constat esse secutam.* Et paulò pòst: *Satis tibi sit, candide Lector; nos hic demonstrare eiusmodi annorum supputationem positam esse more Maiorum, simúlque ostendere Catholicam Dei Ecclesiam in supputando annorum numero septuaginta Interpretes sequi consueuisse.* Egregium quoque testimonium est Nicephori Constantinopolitani Patriarchæ, cuius chronologiam Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, Latinam reddidit. Eius sunt verba, prout retulit Scaliger in thesauro temporum: Ὁμοῦ τὰ πάντα ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τοῦ κατακλυσμοῦ κατὰ τοὺς Ο΄, ἔτη βσμβ΄. ὡς καὶ ἡ ἀλήθεια ἐπιμαρτυρεῖ, καὶ αἱ ἀνέκαθεν πᾶσαι τῆς ἐκκλησίας ἐπικρατοῦσαι παραδόσεις. *Anni vniuersi ab Adam vsque ad diluuium, secundùm Septuaginta, sunt bis mille ducenti quadraginta duo. Quem numerum testimonium veritatis, & veterum Ecclesiarum omnium traditiones comprobant.* Igitur si ratio numerorum iuxta Septuaginta tot Patrum testimoniis authentica habeatur, Hebraici numeri videbuntur falsi, quos tamen vulgata Ecclesiæ versio continet. Vicissim si dicamus Hebræos epilogismos, quales nunc sunt, veros esse & authenticos, falsi erunt Græci, quibus tamen Ecclesia

publicè

publicè ſemper vſa eſt,atque etiam nunc vtitur. Stare enim ſimul non poſſunt,vt vnicuique ad hæc aduertenti videtur per ſe manifeſtum. Quomodo enim ab orbe condito anni milleſimi-ſexcenteſimi quinquageſimi ſexti, iuxta Hebræos computari poſſunt, ſi quod affirmant ſeptuaginta Interpretes verum eſt, annos bis mille ducentos quadraginta duo effluxiſſe? Idem eſt de cæteris iudicium.

Lib. 18. de ciuit. c. 14. Huic difficultati diſſoluendæ facem prætulit ſanctus Auguſtinus libro de ciuitate, decimo octauo, vbi eam ſibi obiecit difficultatem, cur Niniuitarum excidij denuntiatio in Hebræo quadraginta dierum ſpatio tendatur: In Septuaginta verò tridui concludatur breuitate. Auguſtini verba hæc ſunt: *Sed ait aliquis: Quomodo ſciam quid Ionas Propheta dixerit Niniuitis, vtrùm triduum & Niniue euertetur, an quadraginta dies? Quis enim non videat non potuiſſe vtrumque tunc dici à Propheta, qui miſſus fuerat terrere comminatione imminentis exitij ciuitatem? Cui ſi tertio die fuerat futurus interitus, non vtique quadrageſimo die: ſi autem quadrageſimo non vtique tertio. Si ergo à me quæritur, quid horum Ionas dixerit, hoc puto potius quod legitur in Hebræo. Quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Septuaginta quippe longè poſterius interpretati aliud dicere potuerunt quod tamen ad rem pertineret, & in vnum eundémque ſenſum, quamuis ſub altera ſignificatione concurreret: admoneretque Lectorem, vtraque auctoritate non ſpreta, ab hiſtoria ſeſe attollere, ad ea requirenda, propter quæ ſignificanda hiſtoria ipſa conſcripta eſt. Geſta ſunt quippe illa in Niniue ciuitate, ſed aliquid etiam ſignificauerunt quod modum illius ciuitatis excedat: Sicut geſtum eſt, quod ipſe Propheta in ventre ceti triduo fuit, & tamen alium ſignificauit in profundum inferni triduo futurum, qui Dominus eſt omnium Prophetarum. Quapropter ſi per illam ciuitatem rectè accipitur Eccleſia gentium prophetice figurata, euerſa ſcilicet per pœnitentiam, vt qualis fuerat, iam non eſſet: hoc quoniam per Chriſtum factum eſt in Eccleſia gentium, cuius illa Niniue figuram gerebat, ſiue per quadraginta dies, ſiue per triduum, idem ipſe ſignificatus eſt Chriſtus: per quadraginta ſcilicet, quia tot dies peregit cum diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſuam, & aſcendit in cælum: per triduum verò, quia die tertio reſurrexit: tanquam Lectorem nihil aliud quàm hiſtoriæ rerum geſtarum inhærere cupientem de ſomno excitauerint ſeptuaginta Interpretes, iidémque Prophetæ ad perſcrutandam altitudinem Prophetiæ, & quodammodo dixerint: In quadraginta diebus ipſum quære, in quo & triduum poteris inuenire: illud in aſcenſione, hoc in eius reſurrectione reperies. Propter quod vtroque numero ſignificari conuenientiſſimè potuit, quorum vnum per Ionam Prophetam, alterum per ſeptuaginta Interpretum Prophetiam, tamen vnus atque idem ſpiritus dixit.* Hanc myſticæ interpretationis concordiam ad annos primorum hominum coaptat Ioannes Morinus, qui eruditè hæc diſputauit, & concluſit. Cùm igitur ambo interpretes ſint veraces, & illi ſeptuaginta viri, & ſanctus Hieronymus, poſteriórque interpretatio priori congruere nullo modo videatur, altitudo ibi prophetica eſſe credenda eſt. Quæ verò myſteria Spiritus ſanctus ſpectauerit ediſſerere, Commentatoris eſt officium non noſtrum. Myſticus eiuſmodi computus exemplis non caret in Scriptura confeſſis. Sanctus Matthæus tres generationes omiſit, myſterij cauſa, vt paſſim ſcribunt Commentatores. Indignum enim cenſebat impios quoſdam Reges cæterorum albo inſcribere. Regum tertio, capite ſexto, ab egreſſu Ægypti ad quartum Salomonis, anni numerantur quadringenti & octoginta, cùm ſexcenti deprehendantur. Sed myſterij causâ tempora, quibus alienigenæ populo Dei dominati ſunt, omittuntur. Sic primo Regum, capite decimo tertio, dicitur Saül filius vnicus anni eum regnare cœpit. Myſtica ſanè epocha. Nam certum eſt ex toto hiſtoriæ contextu, Saülem cùm in Regem electus eſt, adoleſcentem fuiſſe aſinas Patris ſui paſcentem, & adeò procerum, vt reliquis Iudæis toto capite emineret. Omiſſionem ſcribæ in textu Hebræo in myſticum ſenſum conuertere maluit ſanctus Hieronymus, quàm corrigere. Dubitari enim non poteſt, vt etiam teſtantur Canus & Scaliger, ſcriptum primitùs fuiſſe: *Filius viginti & vnius anni cùm regnare cœpiſſet.* Sicut Ieremiæ quinquageſimo ſecundo: *Filius viginti & vnius anni erat Sedecias, cùm regnare cœpiſſet.* Hallucinatione verò ſcribæ priorem numerum effluxiſſe. Deinde hoc fieri potuit alio modo in omnibus hiſtoriis vulgatiſſimo, alia ſcilicet, atque alia calculi epocha conſtituta, vt dicere ſolent ab vrbe condita tot annos, à Nabonaſſaro tot annos; vel imperij tot annos, regni verò tot annos. Sic quoque duplici conſtituta temporis epoche, vna literali, altera myſticâ, vel etiam ſi cogis, vtraque literali, difficultatis ne vel vmbra quidem extabit.

Illud adiicere lubet diuerſitatem numerorum, non ſolùm cum veritate ſui ſenſus componi poſſe, vt myſticus cum myſtica, & literalis cum literali congruat veritate, ſed neutrum alterutrius veritati obſtare, hiſtoriæque ipſi myſticum non contraire numerum

namque

namque in maiori numero minor concluditur. Quapropter si ille verus sit, iste quoque verus erit. Etenim qui centum vixit annos, octoginta vixisse necessum est. Et dici potest sine veritatis iniuria. Porrò supputatio septuaginta interpretum, quominus adaptatur historiæ, non obest, quod iuxta calculum Septuaginta videatur euinci quatuordecim post diluuium annos Mathusalem vixisse, error est quippe illud in Septuaginta versionem intrusum. Nam nec omnes codices id continent, & ij qui continent post Origenem videntur hac parte corrupti.

CAPVT XX.

Vsus Sacræ Scripturæ detrahendi nominibus aliquas syllabas.

REDEAMVS ad sacræ dictionis considerationem. An tantam mysteriorum rationem habeat, vt sicut partem narrationis aliquando supprimit, subtrahat quoque partem orationis, partem etiam verborum, & syllabarum? Hoc quidem sæpe in sacra pagina accidet, non quidem semper mystici significatus gratia: interdum ex Hebraicæ dialecti proprietate, vsuve communi loquendi nonnunquam fortasse breuitatis causa, & quoniam hoc clarius notescet in syllabarum compendio, seu subtractione, de iis proloquemur capite quarto libri Paralipomenon primi, De quibusdam posteris Iudæ, Principibus Moab dicitur: *Qui reuersi sunt in Lahem*, ibi *Lahem* est Bethlehem dempta priori syllaba, eodem modo est capite primo Ruth, vbi ipsa Ruth & Noëmi narrantur reuersæ in *Bethlehem*. Hebraicè est duntaxat *Lehem*. Similiter capite vigesimo libri Paralipomenon primi. Adeodatus nuncupatur *Bethlehemites*. In Hebræo duntaxat est *Lehemites*. in capite vigesimo sexto dicitur: *Cecidit ergo sors orientalis Selemiæ*. Hic autem non *Selemias* tantum sed *Meselemias* dicebatur, atque huiusmodi paulo ante appellatur. Et apud Ieremiam *Iechonias* Rex in Hebræo tantum scribitur *Chonias*. Sunt etiam qui patrem Sanctæ Annæ Ioachimum putant *Heliachim* vocatum, ac per detractionem literarum, solum *Heli* nominetur à sancto Luca tertio sui Euangelij capite. In Psalmis quoque dicitur. *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*. in Hebræo est. *Et factus est in Salem locus eius* pro *Hierusalem*: Nam locus Domini erat Hierusalem, & arca, & tabernaculum, vbi habitare dicebatur, Dominus erat in Sion. Eadem lege apud Isaiam *Duma* legitur pro *Idumea*. In Iob quoque dicitur *Eliu* de cognatione Ram. Haymo in caput secundum Lucæ, per *Ram* intelligit Abraham, qui prius vocabatur *Abram*, & explosa priori litera *Ram*. Idem plures alij cum Chaldæo censuêre, qui Ram fuisse Abraham dicunt. Eadem licentia filius minoris filiæ Loth dicitur *Ammon* detracta scilicet syllaba, seu voce *Ben*. Hebraicè siquidem vocatur *Benammi*, & interpretatio nominis id exegit, quæ est *filius populi mei*. Sicut enim filia natu maior vocauit filium suum *Moab* quia de patre conceptus est. Moab enim idem est, quod *de patre*. Sic etiam secunda filia natum suum vocauit *filium populi mei*, quasi diceret, filius iste non est ex Sodomis, aut Palæstinis, sed totus est ex meo populo, & gente; natus nimirum ex parentis filiæque incestuoso satu. Hinc etiam & *Beniamin* appellari solet *Iemini*, detracta pariter priori syllaba.

[Margin: Lib. 1. Par. — Isai. 21. — Iob. 32.]

CAPVT XXI.

An *Beniamin* idem sit quod *Iemini*.

AT in hoc nonnullæ salebræ sunt; quamuis enim Caietanus, Emanuel Sà, Mariana, & Salianus eundem prorsus censeant Beniamin, & *Iemini*, diuersos tamen fuisse probare videtur caput nonum libri Regum primi, vbi dicitur: *Et erat vir de Beniamin nomine Cis filius Abiel, fily Seror, fily Bechorath, fy Aphia, fily viri Iemini fortis*

fortis robore. Hic videtur mentio fieri Benjamin,& Iemini quaſi diuerſorum. Dicitur enim Iemini filium Aphiam habuiſſe, quo nomine nullum habuiſſe Benjamin filium colligi po-
Gen 46. 1 Par. c.7. & 8. teſt ex Paralipomenon & Geneſeos locis, quibus filij Benjamin narrantur. Tum Iemini quintus auus Cis hic pronuntiatur: at Benjamin remotior fuit, quippe à Benjamin vſque ad Cis,& Saulum plus quàm ſeptingenti anni elapſi fuerunt. Deinde cùm iam pronuntiatur Cis de tribu Iemini, non erat opus idem iterum dici. Denique Saül inquirens aſinos dicitur pertranſiſſe terram Iemini; non autem potuit pertranſire terram Benjamin, quæ valdè latior erat. Videtur itaque Iemini inſignis quidem vir eſſe ex poſteris Benjamin, quod Ioſepho, Lyrano, Hugoni, & Abulenſi placet: nam & terræ cuidam nomen dedit & in eum tanquam in nobilem authorem genealogia aliquarum familiarum quieſcit pro ſacræ Scripturæ more. Sic primogenitores Elcanæ numerantur vſque ad Suph, & in eo ſiſtitur, quia præcipuus vir fuit à quo terra Suph tanquam à ſuo Principe nomen accepit, cuiuſmodi alia exempla ſuppetunt; vnde & Mardochæi genus, qui ex eadem fuit familia vſque ad ipſum Iemini reſoluitur. Sit ita, quod modò otioſè refellere non eſt opus, ſaltem alicubi in ſacra Scriptura Benjamin ipſe filius Iacob Iemini dicitur ex regula & more nuper notato, vt in decimo nono Iudicum capite, vbi dicitur: *Ecce apparuit homo ſenex reuertens de agro, & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa, homines autem regionis illius erant filij Iemini*, hoc eſt, de tribu Benjamin, vt conſtat ex toto capite. Neque quintus auus *Cis* poterat tunc temporis tot poſteros habere, vt vnam Regionem implerent. Quapropter Iemini poſitum eſt pro Benjamin. Simili ſenſu in primi Regum capite vigeſimo ſecundo, *Saül ait ad ſeruos ſuos, qui aſſiſtebant ei: Audite nunc filij Iemini.* Benjaminitas enim alloquebatur quos filios Iemini appellat. Imò & locis ſuprà laudatis, cùm ad Iemini reduci videtur aliquorum genealogia, ſatis commodè ille Benjamin filius Iacob poteſt intelligi, non quod ipſe Benjamin ſit vltimus in quem genealogia reſoluatur continuata à filiis in parentibus narratione, ſed quoniam ex tribu Benjamin fuerit vltimus immediatus arauus, in quem genealogia terminatur. Exempli cauſa ſit genealogia Cis, quæ vſque ad Aphiam, à filiis in parentes procedet, non in Iemini. Notatur autem eſſe filium viri Iemini, non quia ipſe Aphia fuiſſet filius immediatus Benjamin, ſed ex tribu Benjamin. Idcirco non ſolum dicitur filius Iemini, ſed *filius viri Iemini*, hoc eſt, filius cuiuſdam hominis ex tribu Iemini.

CAPVT XXII.

An Elimelech Solem ſtare fecerit, ſicut Ioſue?



HINC etiam explicabitur ille locus capitis quarti in primo Paralipomenon libro: *Et qui ſtare fecit Solem, virique mendacij, & ſecurus, & incendens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reuerſi ſunt in Lahem.* Hunc locum ſuperius tetigimus, nunc libentius explanabimus. Sunt multi, qui præter Ioſue cenſent alium virum Hebræum ſtetiſſe Solem fecerit, & hunc fuiſſe Elimelech, qui capite primo Ruth dicitur egreſſus de Bethlehem in terram Moab ſeceſſiſſe: quo pacto id acciderit ſcribit Hieronymus in traditionibus Hebraicis: *Tradunt Hebræi Elimelech fuiſſe virum Noemi patrem Maalon, & Chelion, in cuius tempore Sol ſteterit, propter præuaricatores legis, vt tanto miraculo viſo conuerterentur ad Dominum Deum ſuum. Quod quia facere contempſerunt, idcirco fames inualuit, & ille qui in tribu Iuda prior videbatur, famis inopia cum vxore & filiis non ſolum patria pelleretur, ſed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur, viri autem mendacij Maalon & Chelion, qui hic ſecurus, & incendens appellantur, & de quibus dicitur, quòd Principes fuerunt in Moab, eo quod vxores Moabitidas duxerint: in Hebræo expreſſius ponitur, & ab eruditis illius linguæ didicimus, vt non Principes, ſed mariti dicantur.* Conſentit prorſus Lyranus: *Expoſitores noſtri dicunt communiter, quod hoc intelligitur de Elimelech, qui orauit Dominum, vt Sol ſtaret, vt per hoc homines illius temporis implicati multis peccatis à malo retraherentur, viſo tali ſigno. Quod cum non feciſſent, Dominus immiſit famem. Ita quod Elimelech, qui erat de potentioribus in Bethlehem coactus fuerit peregrinari in terra Moab cum vxore ſua, & duobus filiis.* Similia produnt Hugo Cardinalis & Abulenſis, quos ſequitur Feuardentius in caput primum Ruth.

Incertum

Incertum tamen hoc est, & exiguâ auctoritate fulcitur: nam multi Hebræi contrarium opinantur,& ij qui ex nostris in eam opinionem abducuntur,potius commemorant sic tradi ab aliquibus Hebræis, quàm certa credant: neque ex capite quarto primi Paralipomenon, quidquam probari potest: nam vt alibi ostendi pro nominibus proprijs eorum significatio traditur,quod confulciunt tria sequentia nomina: *Viri mendacij,& securus,& incendens*,quæ sunt propriorum explicationes nominum. Quæ omnia Septuaginta ita vertunt: *& Ioacim,& viri Choceba, & Ioas,& Seraph.* Itaque qui stare fecit Solem, est nomen proprium *Ioacim*: id enim quod nodosum hic erat, Ioakim non significare, *confirmans Solem*, siue *qui stare fecit Solem*, sed tantum *confirmans*, seu,*statuens*, seu *qui stare fecit*: nullo alio addito ex commemorato Scripturæ more detrahendi aliquando partem syllabarum,seu compositorum nominum enodari potest. Porrò non loqui hic de Elimelech colligi potest ex primo Ruth capite: inde constat Elimelechum in Moabitide defunctum,nunquam in Bethlehem reuertisse.

Igitur ex sacris Literis duo tantùm Solis prodigia constant, vnum à Iosue, alterum Ezechiæ temporibus. Falsum tamen est, quod Hebræi nugantur, quo tempore mortuus fuerit Rex Achaz, ne dies suppeteret,vt impij Regis funeri Regiæ soluerentur exequiæ, solitæ alijs impendi Regibus,detractas fuisse decem diei horas:atque vt ratio temporis eo prodigio turbata ad suum rediret ordinem,paulò pòst sub filio Ezechia totidem diei horas fuisse additas. At Rabbinicum hoc,id est,incertum,aut falsum.

CAPVT XXIII.

An in sacra Scriptura sit aliquis Abbreuiaturarum vsus?

Ceterùm & ad considerationem detractarum quibusdam nominibus syllabarum veniamus. Scio aliquos dubitasse notas esse, seu vt communiori nomine loquar, abbreuiaturas scriptionis,atque earum accensent numero vocem *Amelech*,quæ in secundi Paralipomenon libri decimo octauo capite habetur, vbi dicitur: *Præcepit autem Rex Israel dicens: Tollite Michaam, & ducite eum ad Amon Principem ciuitatis, & ad Ioas filium Amelech.* Hic Ioas filius Regis Achab erat: Idcirco censent *Amelech* idem esse,quod *Achab Regis*, siue *Achab Melech*,quoniam *Melech* idem est quod *Rex*. Itaque volunt per abbreuiaturam detractas esse literas *Chab*:& ideo dici *Amelech*,quod dicendum erat *Achab Melech*. At in hoc turpem errorem video,siue ex ignorantia Hebraicæ linguæ,siue ex incuria non examinandi originalem textum. Nec enim vox *Amelech* eandem initialem habet,ac nomen Achab. Etenim Achab per א *Aleph* inchoatur huiusmodi אַחְאָב. At Amelech non per Aleph,sed per ה *he*,huiusmodi scriptum est הַמֶּלֶךְ, vbi litera ה non spectat ad compositionem nominis, sed articuli est instar seu genitiui nota. Quoad abbreuiationes in vniuersum attinet censeo nullam esse veram puræ scriptionis abbreuiaturam in textu Hebræo prout nunc iacet,neque notaricis scriptiunculis vti sacram paginam, quod suprà confirmauimus. Hoc autem non tollit, quin alicubi per abbreuiaturam aliqua verba sacra sint scripta,nam apud Hebræos eximij scribæ erant & notarij,qui velocissimè dictata conscriberent per signa & compendia maximè tempore Dauidis: nam ipse fatetur: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Citiùs siquidem aliqui per signa quædam scribebant,quàm alij verba pronuntiabant. Hoc velocissimorum scribarum genus Dauidis ætate necessarium fuit,vt Cantica,& Psalmos,tum ipsius Dauidis,tum Asaph, & aliorum Prophetarum, & canentium Dei laudes, posteritati mandarent: nam vt colligitur ex aliquot primi Regum locis,spiritu Dei agebantur,psallentes, concinentésque diuinas laudes, vt non præmeditata canerent, sed quæ diximus spiritus repentè suggereret,nec memoriâ postea retinebant,quæ sancto Spiritu afflati, potius quàm ex ingenio proprio effuderant. Vt igitur ea quæ impetu diuino psallentes pronuntiabant,exciperentur, scriptis introductum fuit illud scribarum genus, & scribendi modus, quo citius scribi posset, quàm dici, atque huiusmodi aliqui Psalmi per signa & abbreuiaturas fuerunt pridem scripti.

Deinceps quoque eiusmodi scribi verba sacra contigisse aliquibus non dubito, Trithemius in sua Polygraphia non semel testatur Ciceronianis notis seu characteribus psalterium Latinum integrum, & pulchrè descriptum, vidisse in Bibliotheca maioris Ecclesiæ Argentinensis, falsò tamen à quodam sic inscriptum: *Psalterium in Armenica lingua.* Errauit cùm sic potius fuerit scribendum: Psalterium Latinum,conscriptum characteribus

Ciceronianus; quilibet character vnam dictionem integram repræsentabat. Etenim Marcus Tullius inuenit modum scribendi Sinensium ritui simillimum, pro singulis dictionibus singulos & particolares characteres excogitãs, quibus si necessitas postularet, orationem quantumuis prolixam cum paucissimis signis, tum occultissimè, tum celertimè scripsit. Tantâ verò in hac ipsa nouitate vsus est copiâ, vt rebus penè cunctis in mundo eius sufficere posset inuentio. Nihilominus S. Cyprianus Carthaginensis Ecclesiæ Præsul, ipsa Ciceronianæ Institutionis documenta magnoperè amplificauit, & vt Christianorum vsibus deseruiret, quæ nostris defuerant moribus, adiunxit. Hoc modo tradunt Orationem Catonis, vt coniurati supplicio afficerentur, seruatam, ac literis demandatam, Cicerone Consule, velocissimos scriptores instituente, quibus huiusmodi notis dicta comprehenderent.

Præterea Rabbini multa sacræ Scripturæ loca per notatum compendium scribunt: illud Psalmi:
Psal. 118. *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum.* his tantùm quinque literis
1. Reg. 15. scribunt קר׳בץ. Totidem literis, his scilicet, תנצבה scribunt ex primo Regum: *Sit anima eius ligata in fasciculo viuentium;* ex Genesi,
Gen. 1. *Dies sextus, & perfecti sunt cæli.* sic compendiosè notant, יהוא. Item,
Gen. 4. *Domine, in salute tua speraui.* Sic ורלק: Ex Isaia:
Isai. 6. *Videbit semen, prolongabit dies, amen.* vel, *videat hæredes, prolonget dies, amen.* huiusmodi יזויא. Item,
Eccles. 10. *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* ita ppp. Ex Ecclesiaste: *Et qui dissipat sepe, mordeat eum serpens.* in hunc modum scribunt: ופנין. Huiusmodi enim inscribebant suas literas, vt fideliter ei, cui mittebantur, traderentur, nec à quoquam resignarētur. Multa huiusmodi compendiosè apud Rabbinos scripta, vna litera vnum comprehendentes verbum: quem vsum Latinis quoque fuisse, testatur Valerius Probus.

Præter hæc autem in ipso textu Biblico non sunt abbreuiationes scribendi (nisi quod careat vocalibus) sed ad summum loquendi, vt in omnibus linguis reperiuntur aliquæ vocum contractiones, & syncopæ. Illas solum abbreuiaturas nego, quibus aliter scribitur quàm pronuntiatur. Nam pronuntiationis abbreuiaturæ non ad scriptionem, sed ad eloquutionem spectant, quales dixi in omnibus linguis reperiri, vt apud Latinos, *Eccum* pro *ecce eum. ecca* pro *ecce ea. Tute* pro *tu ipse. Potesse* pro *potis esse. Quàm* pro *quantùm.* Quoad detractionem etiam initialium syllabarum, vt *Lehem* dicatur pro *Bethlehem. Selemias* pro *Meselemias. Chonias* pro *Iechonias. Salem* pro *Hierusalem. Ram* pro *Abram. Ammon* pro *Benammi. Duma* pro *Idumæa. Iemini* pro *Benjamin.* Extant quoque apud Latinos similis initialium syllabarum detractionis exempla: *Pol* dicitur pro *Ædepol. Castor* pro *Ecastor. Mitte* pro *dimitte. Rogo* pro *interrogo. Dispery* pro *per Deos pery.*

CAPVT XXIV.


Explicatur quale fuerit sterquilinium Iob cap. 2. & arcus 2. Reg. 1.

VT verborum suppressionem potius transcurramus, quàm disceptemus (quod alij doctius) haud nego aliquando reperiri in ea mysterium, sæpè tamen vsus fuit causa, nec amplius addere tunc legentibus opus erat, quamuis modò difficulter multa intelligantur post tot annos, & ignorantiam priscorum rituum, allusionúmque. Fortasse huius generis est quod de Iob dicitur sedisse in sterquilinio, quod Caietano & multis aliis arduum est visum Regem illum in sterquilinio decubuisse, ac propterea eam vocem diuersè interpretatur Polychronius. Albertus Magnus, & Lyra ad lugētis, humiliantisque se habitum id referunt. Et sanè vocem אפר *Epher*, alibi Vulgatus vertit cinerem & puluerem, non sterquilinium. Et videtur arridere quod capite quadragesimo Iob dicitur: *Insipienter locutus sum; idcirco ago pænitentiam in fauilla & cinere.* Vox originalis eadem est. Alij referunt ad vlcerum sordes. At non insulsè subintelligi fortasse posset sterquilinium cadauerum, vt locum sepulchralem, siue cæmeterium appellaretur sterquilinium suppressâ voce cadauerũ, seu cadauerum. Et quidem fuisse sepulchrum sterquilinium Iob annotauit Prosper Stellartius, quoniam Nabatheos, Sabæos, atque Arabes (quos inter vixit Iob in terra Hus) mortuorum suorum cadauera in stercoribus sepelire consueuisse testatum habemus apud Gregorium Giraldum: *Habebant,* inquit, *cadauera loco stercoris; ideoque in stercoribus sepeliebant, superponentes cœnum, lutum, deinde terram.* Et Strabo notat superiniecta stercora cadaueribus defunctorum. Vnde locum sepulchralem sterquilinium meritò vocatum, quis non aduertit? Iam verò non est quod arbitremur magnates olim, angustis, moderno Christianorum ritu, loculamentis sepultos, maximè apud Ægyptios Arabibus vicinos, quorum Reges duo labyrinthum orbis stuporem ambagibus mille constantem erexêre.

erexère ibi duodecim areæ, harum singulæ porticus duodecim habuère, quibus ad alias totidem areas patebat ingressus, viis quibusdam deuiis, aut inuiis. Prætetea quatuor pyramides in quatuor angulis erectæ visebantur, cum suis gradibus & scalis. Millia & quingenta cubicula inferiora, totidémque superiora affabrè facta cernebantur. Caueæ verò Regum sepulturis ibidem exædificatæ, non caueæ, sed palatia marmore, & iaspide, parique lapide constantia: in quibus præter alia decora varij crocodilli (quos sacros appellabant) opere Musæo arati. Moles illa Hadriani Romæ quid nisi sepulchrum eiusdem fuit. Mausolæum porrò ab Artemisia erectum tale fuit, vt cæteris nomen daret. Quin etiam Christianorum sepulchra, domorum, aut cauearum, haud minimarum instar docet Historia S. Athanasij, menses quatuor in paterno sepulchro delitescentis. Christus Dominus eo sepulchro repositus, quod etiam nunc hodie plurium hominum capax à peregrinantibus lustratur. Ast vt Hebræos Hebræis consectamus, Abraham ipse in spelunca sepultus legitur, quam à magnitudine duplicem appellauit sacer textus. Vnde colligere est, magnum illum virum Iob tot abundantem diuitijs eiusmodi sepulchrum negotiis florentibus exædificasse, & in miseriarum angustia tonso capillo ibidem cum amicis Regulis, vt in sacra pagina legimus, philosophasse.

Huic interpretamento de sterquilinio cadauereo fauet Hebraicæ locutionis vsus dum cadauerum locum videtur sterquilinium vocare, & cadauera stercus. Ieremias enim capite decimo sexto, dum Iudæorum prædicit cladem ait: *Mortibus ægrotantium morientur, & non sepelientur in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Nobiles interpretes per sterquilinium intelligunt humanorum cadauerum congeriem. Psalmographus quoque de iis, qui duce Sisarâ ceciderunt de Madian, & insepulti manserunt, canit: *Disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ.* (Psalm. 83.) Hebraicè est: *Facti sunt stercus terræ.* Eodem sensu posset intelligi alius Psalmus: *Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* Et primo Regum: (Psal. 112.) *Suscitat de terra egenum, & de stercore eleuat pauperem*, quasi diceret de morte nimirum (1. Reg. 2.) viuificans pauperem. In secundo capite libri Machabæorum primi cum eadem allusione cadaueris, & stercoris dicitur: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam.* Sic (Lib. 2. c. 2.) portam quam in libro secundo Esdræ Septuaginta vocant *Golila*, à quibusdam exponitur *stercorum*, ab aliis *Caluaria*, ob cadauerum exuuias. Id mihi negandum non videtur patenti loco resedisse Iob: nam amici procul illum viderunt. Constat ex iis verbis: *Cúmque eleuassent procul oculos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissísque vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum, & sederunt cum eo in terra.*

Simili silentio in secundo Regum libro, capite primo dicitur: *Planxit Dauid planctum huiuscemodi super Saül, & super Ionathan filium eius, & præcepit vt docerent filios Iuda arcum.* Non intelligendus est hic arcus simpliciter, sed subaudiendum aliquid, nempe arcus musicus, seu canticum, siue elegia arcus, quod Septuaginta significant, nullam arcus mentionem facientes: *Et lamentatus est Dauid lamentationem hanc, &c. & dixit ad docendos filios Iuda*, nempe lamentationem, siue epicedium, quod quidem vocabatur *arcus*, siue ab initio, siue ab argumento, siue ab instrumento. Hoc modo intelligi possunt aliqua difficilia in Psalmorum titulis, vt *lilia, columba, & cerua.* Sic fortasse vocabantur quædam carmina, quorum instar ij Psalmi concinendi essent. Appellabantur autem eiusmodi cantica illa, siue quia iis vocibus inciperent: nam Iurisperitorum nostrorum more, qui leges ex prima voce appellant, vt legem *Gallus*, legem *Socio.* Hebræi quoque ex prima voce nuncupabant libros, & alias scriptiones: siue quia materia, seu argumentum iis dabat nomen, vt apud Græcos Ode: *Harmodium, & Niobe & Daphnis.* Sed de his satis: nec enim animus, vel institutum est sacræ Scripturæ idiotismos enarrasse.



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

Unde cœperit vetus Testamentum, & quo fœderis ritu firmatum est?



VM sacra Scriptura authenticum instrumentum sit fœderis & Testamenti Dei, homines ad cælestem hæreditatem vocantis; atque idcirco à quibusdam Patribus appelletur instrumentum, & communiter Testamentum, aut vetus, aut nouum nuncupatur. De eo ritu dicendum est: quo fœdus illud Dei cum hominibus sancitum scribendæ Scripturæ auspicia dedit: hoc enim attinet ad sacræ scriptionis originem, quæ testatur pactum, & testamentum Dei; Deus enim agens cum hominibus, humano modo agere dignatus est, vt vicissim obligarentur. Sicut enim humana fœdera maximi momenti celebrata, non tantum tabulis, & scriptis firmabantur, sed quibusdam cum cæremoniis, sacrificiisque & cõmunicatione sanguinis etiam pangebantur. Sic Deus fœdus suum cum hominibus simili voluit icere ritu, & legitimè pacisci, ac sanguine, sacrificiòque vnigeniti sui tandem celebrauit, confirmauitque, quod quàm meritò & verè non solùm fœdus, sed testamentum vocetur, & sit, postea dicemus. Cùm autem duplex dicatur instrumentum, seu Testamentum vetus & nouum vtriusque firmandi cæremoniam, & fœderalem ritum explanabimus. Ad vetus Testamentum spectat pactum illud ab Israclitis initum cum Deo, quod vigesimo quarto Exodi capite describitur, & hic subiiciam, quoniam eius cæremonias nonnihil illustrare operæpretium
Exod. 24. erit. Historia hæc est: *Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia, respondítque omnis populus vnà voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, & manè consurgens, ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitque iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolauerúntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare. Assuménsque volumen fœderis, legit audiente populo; qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Et quidem huius facti causam probè Caietanus reddidit. Humano (inquit) more firmitas pacto adhibetur. Cùm enim arctissimum aliquod fœdus inter se confirmare volunt homines communione sanguinis, vel humani, vel hostiæ sacræ mixti vino, id faciunt, vt ex communione in vno eodémque sanguine, vnus atque idem eorum omnium animus comprobetur,

comprobetur, & firmus, atque stabilis habeatur. Iuxta hunc morem, qui frequentior fortè apud antiquos erat, assumptus est sanguis victimæ diuinæ, quasi sanguis Dei, qui est Princeps in hoc pacto, & æquis portionibus diuisus in duas partes. Altera aspersum est altare vice Dei: altera populus, vt ex communione vnius sanguinis diuini firmaretur solemniter pactum inter Deum, & populum. Addit Oleaster inter homines animalium occisionem significasse pactum randiu duraturum, quamdiu durat animalium mors: est autem mors illorum perpetua. Itaque significabatur fœdus fore perpetuum, id est, maximè ratum, & nunquam violandum.

Porrò quoad fœderis Israelitici ritum attinet, quo vetus testamentum auspicia sumpsit, Sanctus Paulus in epistola ad Hebræos diuinitus edoctus explicuit aliquas cæremonias à Moyse prætermissas, nimirum ad aspersionem illam sanguinis adiunctam fuisse aquam, lanam coccineam, & hyssopum, ipsumque volumen fœderis adspersum fuisse, cum sanguinem non solum fuisse vitulorum, sed hircorum: *Lecto*, inquit, *omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit dicens. Hic sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Docet etiam Paulus eodem loco, quamobrem fuerit vetus illud fœdus, siue testamentum sanguine dedicatum, nimirum quia Testamentum morte testatoris confirmatur, ac dedicatur. Significabat autem sanguis mortem: sanguis super altare fusus ostendebat, Deum testatorem veteris testamenti siue fœderis, ita illud confirmatum habere, quemadmodum post mortem hominum confirmata sunt eorum testamenta. Similiter sanguis in populum aspersus indicabat populum sic ratum habere fœdus, sicut ratum habetur post mortem: *Testamentum* (ait Paulus) *in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est, lecto enim omni mandato*, &c. Præterea adumbrabat sanguis sacer victimarum sacrum sanguinem Christi. Quia verò propter Christum Redemptorem ex Israelitis oriturum, pactum cum eis Deus fecit, ideo sanguine significante sanguinem Christi pactum confirmauit.

Sunt etiam qui velint additam eam cæremoniam, quæ apud Ieremiam postquam mentio facta esset Israelitici fœderis, memoratur, transeundi scilicet per concisam victimam. *Et dabo* (inquit) *viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* Eiusmodi est celebratum pactum, & sacrificium Abrahæ decimo quinto, Geneseos capite: rectè notat Abulensis olim in pactis faciendis hunc seruatum morem. Occidebatur animal, diuidebatur in duas partes, transibant verò inter diuisa membra illi, qui fœdus percutiebant: eo transitu significantes sic occidi, ac diuidi debere eum qui fœdus fregisset: quemadmodum occisum, ac diuisum fuerat animal illud. Verum sanguinis effusionem super altare, & super populum, hoc est, in fœdere, significasse id quod significabat transitus per diuisum animal, nimirum illius sanguinem esse fundendum, illumque vitâ priuandum, qui pactum violaret. Quamuis enim diuinitatem vitâ priuari est impossibile, tamen pacti firmitas hoc modo significabatur, Deo volente. Ieremiæ autem verba citata non respiciunt fœdus Israelis antiquum, sed quod Ieremiæ temporibus celebratum fuit à Rege Sedecia, de quo paulò antè dicitur. *Verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, postquam percussit Rex Sedecias fœdus cum omni populo in Hierusalem.*

His ritibus pactum Dei cum hominibus, quod primum est mandatum scriptis, celebratum, sanctumque fuit. Namque omnipotens Dei Maiestas, quæ nutu imperare, & cogere ad omnia potest, dignata est humanæ voluntatis assensum expectare, & cum hominibus humano pacisci modo: idcirco fœdera quæcum hominibus icere decreuit iis ritibus sanxit, quibus homines inter se fœdus icere sunt soliti. Sic quoniam humana fœdera cæsione victimæ, & sacrificio celebrabantur voluit eadem lege & ritu cum hominibus contrahere. Optimè sanctus Chrysostomus obseruauit: *Vide*, inquit, *quemadmodum Deus more humano init fœdus cum Abraham. Quomodo nos aliquid promittimus, & volumus certum reddere eum, cui promissio fit, ita vt de promissis nihil ambigat signum aliquod damus, & pignus, vt ad illud spectans scire queat promissa omnino euentura, Ita misericors Deus quærenti Abrahæ: Vnde sciam? Respondet: sume tibi vaccam trimam*, &c. *Attēde igitur in quantam crassitudinem descendendum sibi duxerit bonus Dominus, quo Patriarcham argumentis copiosis certiorem redderet: nam quia olim talis erat mos paciscendi, & pacta firmandi: ideo & ipse Deus hac via ingressus est.*

CAPVT II.

CAPVT II.

In fœderali ritu veteris Testamenti vsus est Deus communibus hominum paciscendi cæremoniis?



QVAPROPTER non tantum quibuslibet sacrificiis, sed iis potissimum ritibus quibus apud homines vsus tunc tēporis increbruerat, pacta sua sancire Domino placuit. Firmandi fœderis tempore Abrahæ, (qui Chaldæus fuit) ritus paciscendi apud Chaldæos erat inter diuisa animalia transire, provt testatur præter Chrysostomum, Diodorum, & Theodoretum Sanctus Cyrillus libro aduersus Iulianum decimo dicens: *Mos erat apud Chaldæos iuramenta stabilire, transeundo per medias diuisiones & lex regionis eius rem confirmabat: hoc facere præcepit Deus Abrahæ, dicens: accipe vitulum, & capram, & arietem. Id quod bene intelligens Abraham, quamuis Deus solum imperasset debere accipere; ipse tamen cætera addidit, & iuxta legem iuramenti, occisa in duo diuisit, ordine collocans, eo quod statim per medium transiturus esset Deus. Figurabatur autem quasi in specie ignis diuina & immaculata natura.* Hunc ipsum ritum apud alias gentes seruatum transeundi per diuisa animalia, constat ex iis quæ scribit Dictys Cretensis libro primo de bello Troiano, & perdurauit apud Iudæos vsque ad Sedeciæ Regis tempora, qui per diuisionem vituli fœdus cum Deo sanxit, vt ex vatici-
Ierem. 31. nio Ieremiæ liquet, Viguitque apud nationes alias, maximè Orientales in lustrandis copiis militaribus. Liuius scribit eiusmodi expiari à Macedonibus exercitum. Caput mediæ
Decalog. 4 lib. 10. canis præcisæ, & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad læuam viæ ponebatur: inter hanc diuisam hostiam copiæ armatæ traducebantur.

Sic etiam Mosaico æuo fœdera eiusmodi ferire vsus fuit, ac cum Israelitis peractum
Exod. 24. refertur capite quarto supra vigesimum Exodi, per ictum, & sectionem aliquarum hostiarum, qui vsus apud omnes penè gentes viguit: ab hac autem ipsa in sacrificiis fœderalibus, id est, quæ fœdera ineundi sanciendique causâ fiebant, bestias, seu hostias feriendi, cædendi, atque demum iugulandi, dissecandique consuetudine, natæ sunt tritæ illæ, & visitatæ Hebræorum, Græcorum, & Romanorum dicendi formæ: Hebræorum quidem כרת ברית *Carath berith*, scindere, siue discindere fœdus. Græcorum vero, ὅρκια ταμεῖν, fœdera ferire, quale illud Homeri.

Ορκια πιϛὰ ταμόντες.

Fœdera fida ferientes.

Et Latinorum: Fœdus icere, ferire, pro facere, inire, sancire, ipsumque nomen Hebræum ברית *berith*, quod fœdus significat, deducitur, vt placet Dauidi Kimhi, ex verbo ברת quod est *occidere, mactare, scindere, secare.* Quippe præter diuisionem & ictum cæsæ hostiæ & sectæ, alia quoque peculiaris diuisio & communicatio partium & sanguinis rerum sacrificatarum multis accidebat fœderibus. Xenophon in expeditione Cyri libro secundo scribit, fœdus ictum inter Græcos, & Ariamum, mactatis super scuto tauro, apro, lupo, ariete, in quorum sanguine enses Græci, hastas barbari intinxerunt. Et Homerus tertia Iliade canis pilos, & carnes agni fœderalis inter Græcos, Troianosque partitos. Sic Deus sanguine victimarum iussit populum, & altare respergi: Paciscentes siquidem partes Deus & populus Israeliticus erant, quæ ceremonia genus fuit imprecationis; ipso enim illo facto significabatur, paciscentes se si fœdus fregissent eo modo velle mactari, & sanguinem proprium dispergi, quomodo illorum occisorum animalium sanguis aspergebatur. Imo in hoc fœdere hoc videtur factum peculiariter, vt Deus præ infinita bonitate sua, qui in aspersione altaris aspersus est sanguine, sibi luendam transgressionem populi assumpserit: nam se ipsum pœnæ sanguinis subiecit, si populus fœdus præfregisset, quam & luit in humana carne assumpta. Etenim validissima olim pacta, aut implicitam, aut explicitam imprecationem continebant. Plutarchus in Aristide scribit: *Cum Græci omnes acquiescere Aristidi iurassent in persoluendis vectigalibus, iussit ille massas ferri igne candentes in mare proiici Deos orans vt sic exterminarentur, & sic miserè perirent extincti quicumque peierarent.* Hic apud Athenienses vsus erat, nec dispar apud Romanos: Polybius in commemoratione icti fœderis inter Romanos, & Carthaginenses: *Romani*, inquit, *Iouem lapidem, secundùm*

cundùm vetustissimum ritum, ac per Martem, & Enyalium iurarunt. Ritus verò iurisiurandi per Iouem lapidem fuit huiusmodi. Fecialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes conuenerat, haec verba dixit. Si rectè, ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc iusiurandum facio, Dij mihi cuncta felicia præstent: sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus saluis in proprijs patrijs, in proprijs legibus, in proprijs laribus, in proprijs templis, in proprijs sepulchris, solus ego peream, vt hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus, manu lapidem deiiciebat. Hæc Polybius, vbi vetus interpres Sipontinus bis vertit, per lapidem, per Iouem lapidem, de quo errore egit Iacobus Leopardus libro sexto Emendationum, capite decimoquinto. Sic etiam scribit Festus: *Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iouem, haec verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter saluâ vrbe, arcéque, bonis eiciat, vt ego hunc lapidem.* sic refert Plutarchus in Sylla Lucium Cinnam fecisse. Lapidem is accepit & cùm summum Capitolij verticem ascendisset eum proiecit deorsum, sibi ipsi malum imprecans. Ita scilicet velle se à Ioue deturbari, & à Romanis abiici, quemadmodum ipse lapidem proiiceret. Liuius narrans priscum Romanorum fœdus cum Lib.1. Albanis, eius formulam sic describit: *Audi Iupiter, Audi Pater, patrate populi Albani, audi tu populus Albanus: vt illa palam prima postrema ex illis Tabulis cerâve recitata sunt sine dolo malo, vtique ea hic hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet: si prior defecit publico consilio, dolo malo, tu ille Diespiter populum Romanum sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantôque magis ferito, quanto magis potes, polléśque.* Id vbi dixit, porcum saxo silice percussit. Huc alludens cecinit Maro in octauo Æneidum de Romulo ac Tatio Rege loquutus:

Post iidem inter se posito certamine Reges
Armati Iouis ante aras, paterásque tenentes
Stabant, & cæsâ iungebat fœdera porcâ.

Suetonius quoque in Claudio ait: *Regibus fœdus in foro icit porca cæsa, ac veteri fecialium præfatione adhibitâ.* Tongi quoque hi sunt, Indiæ populi, quando aliquid stabilire iuramento volunt terræ pugillum, vel incensam fauillam manu sumunt, & insufflantes demittunt in terram, tum iureiurando rem affirmant aut negant: addúntque velle se ita flammis in puluerem reduci si peierent. Scythæ quoque, vt testatur Herodotus libro quarto sese in fœderibus deuouebant. Quemadmodum igitur in his fœderibus manifesta deuotio capitis, & vitæ fiebat, sic in reliquis, etsi non pronuntiaretur, in sanguinem proprium, & vitam deuouebatur cæremonijs id significantibus, vt sunt, quas suprà memorauimus. Et clariùs colligetur ex facto Saülis: Cùm *assumens vtrumque bouem, concidit in* 1.Reg.11. *frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saül & Samuel, sic fiet bobus eius.* Et si hoc non expressisset, res ipsa Iudic.19. illud indicabat, quemadmodum indicauit Leuita, cùm *cadauer vxoris cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israël.*

CAPVT III.

An fuerit vsitatus ritus quo nouum Testamentum sancitum est?

QVEMADMODVM autem fœdus veteris Testamenti ritibus gentium sancitum est, sic Deus in nouo fœdere & testamento exactissimè obseruauit mores humanos in firmissimis, inuiolandisque fœderibus vsitatos, vt plena etiam, vt sic loquar, humanitus firmitudine, & fide rata sanctaque haberentur. Nã præter sacrificium, humano sanguine epoto validissima fœdera solebant circa tẽpora Saluatoris nostri firmari. Dicitur Catilina: *Cùm ad iusiurandum populares sceleris sui adiungeret, humani corporis sanguinẽ vino permixtũ in pateris circũtulisse. Inde cùm post execrationem omnes degustauissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consueuit aperuisse consilium suum.* Hæc Salustius in Bello Catilinario. Idẽ testatur Florus: *Additũ est pignus coniurationis san-* Lib.4.c.1. *guis humanus, quem circulatum pateris bibere.* Eadem Apianus habet. Minutius quoque ait: *Ipsum credo,* Saturnum, *docuisse sanguinis fœdere coniurare Catilinam.* Tertullianus capite 9. Apologetici: *Est apud Herodotum, opinor, diffusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum, Nationes quasdam fœderi comparasse. Nescio quid & sub Catilina degustatũ est.* Sidonius Lib. 2. epist. 1. eò alludens dixit: *Redijt ipse Catilina sæculi nostri nuper à turribus, vt sanguinẽ, fortunasque*

miſerorum, quas ille ibi ex parte propinauerat, hic ex aſſo miſceret. Idem apud alias gentes firmiſſimis ſtabiliendis fœderibus vſus fuerat anteà, & poſteà perdurauit. Herodotus à Tertulliano laudatus in Melpomene ſcribit: *Fœdera cum quibuſcumque ineunt Scythæ: hoc modo ineunt: Infuſo in grandem calicem fictilem vino commiſcent eorum ſanguinem, qui feriunt fœdus percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis: deinde in ſanguine tingunt Acinacem, ſagittas, ſecurim, gladium. Hæc vbi fecerunt ſeſe multis verbis deuouent, poſtea vinum epotant, non modò ij qui fœdus fecerunt, ſed etiam comites, hi qui ſunt maximæ*
lib. 1. c. 1. *dignitatis.* Pomponius Mela de Axiacis ſcribit: *Ne fœdera quidem incruenta ſunt: ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemptúmque ſanguinem, vbi permiſcuêre deguſtant: id putant manſuræ fidei pignus certiſſimum.* Idem Medis & Lydis ritus, teſte Solino: *Hauſtu mutui*
Cap. 15. *ſanguinis fœdus ſanciunt non ſuo tantùm more, ſed Medorum quoque vſurpata diſciplina. Bello denique quod geſtum Olympiade nona & quadrageſima, anno poſt Ilium captum ſexcenteſimo quarto inter Alyatthem Lydum, & Aſtyagem Mediæ Regem, hoc pacto firmata ſunt iura pacis.* Tacitus libro duodecimo: *Mos eſt Regibus quoties in ſocietatem coeunt dextras, pollicéſque inter ſe vincire, nodoque perſtringere. Mox vbi ſanguis in artus extremos ſuffuderit leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt.* Valerius Maximus libro nono: *Siriaſter aduerſus patrem ſuum Tigranem Armeniæ Regem ita cum amicis conſenſit, vt omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atque eum inuicem ſorberent.* Similiter Lucianus apud quem Toxaris inquit: *Simul atque inciſis digitis, ſanguinem in calicem diſtillauerimus, ſummiſque aut intinctis gladiis ambo pariter admouentes biberimus, non eſt quicquam, quod deinde nos queat dirimere.* Firmiſſimum quippe validiſſimúmque erat fœderis illud genus, quod ſanguine ſanciebatur. Hinc Cicero pro Feſto ait: *Tu ſcilicet homo religioſus fœdus, quod meo ſanguine in pactione prouinciarum iuras frangere voluiſti.* Idem ait: *Id enim fœdus meo ſanguine ictum, ſarciri poſſe dicebas.* Cùm igitur firmiſſima hominum fœdera vini & ſanguinis propinatione inirentur, ne quid videretur firmitatis deſiderari nouo fœderi, vini calice & ſanguine ſuo ſanciuit cæleſtis Rex, &
Serm. 10. de paſſ. ſuo nos reconciliauit Patri. Rectè ſanctus Leo dixit: *Fudit ſanguinem iuſtum, qui reconciliando mundo & pretium eſſet & poculum.* Quin ipſe Chriſtus Dominus: *accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Neque in fractione panis defuit fœderalis cæremonia: hic ritus firmiter paciſcendi Macedonibus fuit, quod ſic teſtatur Curtius libro octauo: *Rex medio cupiditatis ardore iuſſit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coëuntium pignus) quem diuiſum gladio, vterque libabat.* Sic Rex cælorum medio deſiderij ſui ardore, deſiderio ſcilicet deſiderans accepto more patrio, panem azymum diuiſit & libandum, comedendúmque diſcipulis dedit. Patrius is erat Hebræorum ritus, quem Chriſtus Dominus obſeruauit, tum in porrectione panis, tum in propinatione vini, quod ſuadet Hebraicum Rituale dicens: *Idem paterfamilias tortum Azymam ſub muppa hactenus ſeruatam, in fruſta frangebat, in tot particulas illam diuidens, quot eſſent in cœnu diſcumbentes, ſicque diuiſum ſingulis porrigebat. Quo facto, ipſe poculum deguſtatum tradebat proximo, ille ſecundo, donec poculum per totum conuiuium circumferretur.*

In manducatione quoque ſui ſacratiſſimi corporis inuenit modum, quo piè & mundè celebraretur alia ſtricti fœderis cæremonia, quam inhumaniter alij ad firmanda pacta adhibuerunt humanæ carnis eſu. Plutarchus ſcribit filios Bruti & Collatini immolari hominis eſu fœdus iniiſſe, quod Tzetzes chiliade ſextâ cecinit huiuſmodi:

Ἐν κοπρεῶνι ζοφερῷ ἄνθρωπον καταθῦσαι,
Καὶ τ' ἔγκατα αὐτοῦ φαγόντας, συνομόσαι,
Ὅπως ἂν τυραννήσωσι τῆς παλαιτέρας Ῥώμης.
In latrina obſcura hominem immolaſſe
Et inteſtina eius comedentes, conturaſſe
Vt tyrannidem haberent veteris Romæ.

Aliis hoc fuit pignus amoris aut ſignum, & vnionis artificium: idcirco Artemiſia ſponſi ſui corpus in puluerē redactum hauſit. Tertull. ſcribit: *Apud quoſdam gentiles Scytharum defunctū quēque à ſuis comedi.* Honoris & charitatis ergò hoc fiebat. Herodot. in Melpomene de Eſſedonibus ait: *Quoties pater alicui deceſſit, omnes eius propinqui pecora adducūt, quæ vbi mactauerunt, conciderúntque, concidunt & mortuum patrem illius à quo conuiuio accipiuntur. Commixtiſque omnibus carnibus conuiuium exhibent. Caput tamen defuncti denudatum,*

tam, purgatumque inaurant; eoque pro simulachro vtuntur agentes illi quotannis maiores hostias, ceremoniasque. Hae filius patri facit, quemadmodum natalitia. Eadem pene habet Solinus: *Essedonum mos est parentum funera cantibus prosequi, & proximorum conrogatis cœtibus, cadauera ipsa dentibus laniare, pecudumque carnibus mixta dapes facere.* cap.25. Non diuersa narrat Mela in principio secundi libri & Strabo libro vndecimo. Zenobius quoque quintâ centuriâ ait: *Sidones parentes deuorant excepto capite, quod inaurare solent.* Petronius: *Apud quosdam gentes scimus adhuc legem seruari, vt à propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem, vt obiurgarentur agri frequenter; quod carnem suam faciant peiorem.* Lucianus de amicitia de Scythis ait: *Audimus quod patres suos defunctos deuorant.* Indi Piyai fortissimum quemque comedere honorificum ipsi putant, comedentibus vtile, vt participẽt eius virtutem. Liceat ex prophanis ad diuinissima venire, virtutes Christi communicamus sui corporis sacramento. Petronius quoque in Satyrico inducit Eumolpum in testamento iussisse, omnes qui ex eius testamento aliquid hæreditatis, & legata acciperent hac lege accepturos, vt corpus suum comederent, cuius hanc rationem reddit: *Admoneo amicos meos, ne recusent quæ iubeo, sed quibus animis deuouerunt spiritum meum, iisdem etiam corpus consumant.* Nec dedecuit diuinam sapientiam, & benignitatem nolle vinci ab humana stultitia, & crudelitate, cuius amoris ingenium miro charitatis inuento superauit, & sanctè, piéque suum amorem exhibuit, nostrumque exegit sui corporis mundissima communione.

CAPVT IV.

Nouum Testamentum epulo sacro sancitur.



RÆTEREA compotatione aut epulo sacro firmissima olim pacta firmabantur. Iacob iniuit fœdus cum Laban socero suo, immolatisque victimis ederunt Gen.31. ex eis super aceruum lapidum testimonij ad fœderis firmamentum addito etiam iureiurando. Post cibum quoque & potum iuramento sibi obstrinxerunt inuicem Isaac & Abimelech, quorum ibi amicitia est conciliata. Melchisedech etiam Gen.28. postquam vinum & panem obtulit Deo, eundem panem vinique calicem porrexit Abrahæ in signum & fœdus hospitalis concordiæ. Idem apud gentes ritus seruatus, de Scythis Herodotus, de Medis Solinus, de Axiacis Mela testantur media compotatione fœdera stabiliisse. Homerus quoque Iliade tertia, calice & potione vini inita fœdera prodit. Dido post oblatum Ioui Xenio vinum ac propinatum cum Ænea, & sociis eius, amicitiam contraxit. De quo hæc apud Virgilium:

Iupiter hospitibus (nam te dare iura loquuntur) lib.4.
Hunc lætum Tyriisque diem, Troiæque profectis
Esse velis, nostrosque huius meminisse minores:
Et vos, ô cœtum, Tyrij, celebrate fauentes.
Dixit & in mensa laticum libauit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans; ille impiger hausit.
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.
Post alij Proceres.

Imò penè omnia solemnia sacrificia epulæ sequebantur, quorum quasi consectariæ & appendices erant: ideirco dicit Poeta:

——— *Epulis accambere Diuum.*

Quorũ conuiuiorum sacrificalium sæpe meminit Homerus & Apollonius in Argonautici sacrificij descriptione, tandem subiunxit epulum, quo læti Argonautæ peracta re diuina inter se celebrarunt. Hinc factum vt mensæ pro aris substituerentur, quod colligitur ex illis Maronis versibus:

Hæc vbi dicta, dapes iubet & sublata reponi.
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili.

In quæ verba notat Macrobius lib. Saturnalium tertio: *Non vacat quod dixit sedili: nam propria obseruatio est Herculis sacris epulari sedentes.* 3. Satur. cap.6. Et Cornelius Balbus ἐξηγητικῶν libro decimo octauo ita ait: *Apud aram maximam obseruatum, ne lectisternium fiat*: nam in lectis prisci epulabantur. Idem Macrobius alibi ad illud Poetæ:

——— *In mensa laticum libauit honorem.*

Hæc obseruat: *In Papyriano enim iure euidenter relatum est, ara vicem præstare posse mensam dicatam, vt in templo, inquit, Iunonis Populoniæ augusta mensa est. Namque in fanis alia vasorum sunt & sacræ supellectilis, alia ornamentorum. Quæ vasorum sunt, instrumenti instar habent, quibus semper sacrificia conficiuntur. Quarum rerum Principem locum obtinet mensa in qua epulæ, libationesque, & stipes reponuntur.* Quoniam autem hæc epula sacra ad Religionem sacrificiorum spectarent, cum edebantur carnes victimarum; ideo ex iis comedere ex idolothytis, nimirum à sancto Paulo, & à consilio Apostolico interdictum Christianis fuit. Cùm igitur homines fœdera & sacrificia epulis consúmabant; idcirco, Christus IESVS in fœdere nouo, & sacrificio sui corporis & sanguinis epulum Eucharisticum instituit, ne quid desideraretur. Fuerant quippe etiam inter gentes sacra quæ dicebantur χαριστήρια & εὐχαριστικὰ, sacrificia nimirum *Eucharistica*, & epula fœderalia concordiæ & amicitiæ, quæ *Charistia* appellata sunt: Eiusmodi enim sacra illa dicebantur Eucharistica, seu Charisteria: quoniam pro acceptis beneficiis grati animi ergò peragebantur. De his multa loca notauit Ioannes Guillelmus; sæpe eorum meminit Dionysius Halicarnasæus. De Romanis peste liberatis, ait: Θυσίαν χαριστήριον τοῖς θεοῖς ἐπετέλουν δημοσίᾳ; *Charisteria* hoc est, *ad agendas Diis gratias publicè peracta sacrificia.* Idem alibi θυσίας, inquit, θῦσαι θεοῖς χαριστηρίους ἐπὶ τῆς πρὸς τὸν δῆμον διαλλαγαῖς, *victimas Diis offerre, quibus illis agerentur gratia pro reconciliatione plebis.* Idem: θυσίας τε χαριστηρίους τοῖς θεοῖς ἐποιοῦντο, καὶ σκύλων ἀνεθέσαν τοὺς ναοὺς, καὶ τὰς ἀγορὰς ἐκόσμουν, καὶ ἦσαν ἄγοντες ἐν ἑορταῖς καὶ εὐπαθείαις, *Sacrificia ad Diis agendas gratias faciebant, templa foraque sua suspensis ornabant hostium spoliis, vacantes epulis & hilaritatibus.* Idem Romani post victoriam de Volscis reportatam τοῖς θεοῖς χαριστηρίους ἐψηφίσαντο θυσίας, *ad Diis agendas gratias sacrificia decreuerunt.* De sacro epulo reconciliationis seu Charistio hæc habet Valerius Maximus.

lib. 2. c. 1. *Conuiuium etiam solemne maiores instituerunt, idque Charistia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensa, & inter hilaritatem animorum fautoribus concordia adhibitis tollerentur.* Eiusdem in secundo Fastorum Naso meminit:

> *Proxima cognati dixêre Charistia cari,*
> *Et venit ad socios turba propinqua Deos.*

Et paulò pòst subdit:

> *Dii generis date thura boni, concordia fertur*
> *Illâ præcipuè mitis adesse die.*
> *Et libate dapes, vt grati pignus amoris*
> *Nutriat intinctos missa patella cibos.*

Notat Constantius Fanensis ex eodem vase libasse epulantes, & ex vna eademque patella singulis oblata cibum sumpsisse. Quid simile accidit in institutione Eucharistiæ. Hinc meritò introductus olim in Ecclesia ritus ἀδελφοποιΐας, vt simul discordes accederent ad sacram Dominici corporis mensam, quo fraternam inter se fidem repararent, & solidiùs sancirent concordiæ fœdus hausto Christi poculo. Ita Vitalianus, & Iustinianus fœderati sunt, vt scribit Procopius in historia arcana: *Impunitate promissâ, fide publicâ, vnà susceptis Christianorum mysteriis.* Contrahebatur fic *iurata fraternitas*, & qui huiusmodi fœdera inibant ἀγαπητοὶ, & fratres appellabantur. In iure ciuili meritò cautum est agere neminem posse iniuriarum, qui cum eo qui iniuriam intulit comederit, seu biberit.

CAPVT V.

An Vetus Testamentum epulo aliquo fuerit firmatum?



SEd neque in veteris Testamenti fœdere conuiuium sacrum desiderandum videtur aliquibus; in ipso enim capite vigesimo quarto Exodi, vbi narratur hoc fœdus, post peractum sacrificium dicitur: *Ascenderúntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel & sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est. Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israel misit manum suam. Viderúntque Deum, & comederunt & biberunt.* Anne ex victimis paulò antè mactatis? Pro illis quidem verbis, *quasi opus lapidis Sapphirini.* Alij vertunt, *quasi opus mensa Sapphirina.* Vnde affirmat noster Castro fuisse *ad pedes*

Chrystop. Cast. in c. 31. Ierem.

Dei

Dei Sapphirum latum, & complanatum ad modum mensæ in qua comederunt victimas Moyses, & Aaron, vice Dei partis pacificentis; & Principes alij vice populi partis alterius, qua ratione mansit fœdus illud sanguine confirmatum, & conuiuio solenni roboratum.

Verùm huius afferti non video in sacris literis solidum fundamen: mirum quid esset in cælesti illo Sapphiro epulatos tot homines, quod minimè facer explicat textus, nec iudicat. Sensus igitur eius loci legitimus est, apparuisse Deum humana indutum specie, si quidem membra humana illi tribuantur, nimirum pedes, atque eius scabellum Sapphirinum fuisse. Nam penè semper thronus Dei Sapphirinus in scriptura exhibetur eiusmodi illum describit Ezechiel capitibus primo & decimo. Septuaginta legunt, *quasi opus lateris Sapphirini*, vbi notare videtur illud opus fuisse pauimentum Dei, non mensam: Tum vt notauit Rabbi Salomon per laterem significabat Deus se memorem esse afflictionis Hebræorum in latere, & luto Ægyptio, eamque iam in sapphirum commutasse. Fuit quippe olim sapphirus gemma omnium pretiosissima. Abulensis vocat illum *gemmam gemmarum*. Rueus affirmat: *Supremam olim sapphirum apud homines auctoritatem habuisse, & apud diuos gratiam ipsa perhibet antiquitas.* Cum igitur in tanta maiestate Deus videretur & ipse Deus dixerit, *non videbit me homo & viuet* Atque id persuasum Hebræis fuisset, vt constat ex quinto Deuteronomij capite, & decimo tertio Iudicum. Nihilominus non percussit Deus, nec calamitate affecit viros illos principes, qui ad montem ascenderant, tamensi eum vidissent quia remanserant procul. Sed viderunt Deum, & sani nihilo se eius manserunt: itaque vt è monte reuersi eo modo quo solent perfectè sani comederent & biberent. Censeo re vera comedisse statim post descensum montis ex carnibus sacrificatis videlicet, atque hoc pacto epulum aliquod adiunctum fuisse prisco fœderi.

CAPVT VI.

Quantâ maiestate fœderale epulum initiandi noui Testamenti celebratum est?



Oui tamen Testamenti fœderale conuiuium augustius fuit cum solemnitate & cæremoniis lautiorum epulorum: pretiosissima eius vasa feruntur; patina smaragdina, quę Genuæ seruatur, sicut Valentiæ calix ex Achate lapide, mensam quoque gemmeam Toletum dicitur olim obseruasse vsquequo à Mauris expugnaretur, quin & conuiuali veste indutum quibusdam placuit Eucharisticam cœnam celebrasse Christum. Mos erat veteribus peculiari veste ad cœnas & epula venire. Vnde Capitolinus dixit; *cùm ad cœnam ab Alexandro esset vocatus, in patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria ipsius Alexandri accepit*, & Martialis canit:

Vndecies vnâ surexti, Zoile, cœnâ
Et mutata tibi est synthesis vndecies.

Hinc explicatur cur in Parabola expulsus ille à cœna, quod non haberet vestem nuptialē, nimirum cœnatoriam, & conuiualem: atque vt obiter hoc memorem cœnatoriam Christi vestem eam ipsam fuisse, qua postea S. Ildephonsus Archiepiscopus Toletanus donatus à B. Virgine fuit, & Oueti seruatur, suadet sibi noster Franciscus Portocarrerus in extremo capite vitæ S. Ildephonsi. At quid dicendum de similibus aliis vestibus, quibus ab eadem Dei Genitrice donati sunt S. Bonitus, & Sanctus Thomas Cantuariensis. Quapropter vt piè hoc assertum à Portocarrero, ita mihi haud indubitatum est. Illud tamen certum non sedentem, sed discumbentem in lecto pro solenniorum epulorum eius temporis more Christum cœnasse. Etenim mollitie & luxu excrescente increbruit discumbēdi mos, quippe iudicatus ille corporis habitus aptior compotationibus quam sessio. Quapropter Plutarchus septuagesimi primi sympofij problemate vndecimo dixit: *Sicut lectus commodior est bibentibus quam cathedra, propterea quod ille corpus continet, omnique motione vacuum præstat: ita maximè conuenit animam in quiete conseruare.*

Hunc etiam morem obseruatum ab Hebræis videmus in primo Regum libro & in Canticorum cantico, & epulis Euangelicis, ex quo multa enucleantur loca, quomodo Magdalena stans retro pedes Domini, lachrymis eos abluit: ille habitus & situs seruorum erat. Vnde Seneca libro de Beneficiis tertio ait; *Seruus qui cœnanti ad pedes steterat.* Et Martialis:

Omnia cùm retrò pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Idem dicit.

Misso lagenam replet ad pedes vino.

Tum etiam:

Ipse retro flexus ad pedum turbam.

Suetonius in Caligula: *Quosdam summis honoribus functos &c. modo ad pluteum, ad pedes stare succinctos passus est.* Eruditissimè de hoc eruditissimus D. Laurentius Ramirez de Prado in Martialem & in amœnissimo Pentecontarchi sui opere. Ioannes quoque supra pectus Domini recubuit, quippe qui in sinu eius discumbebat ad mensam, quem corporis habitum & situm conuiuarum ipse discubitus facile præstabit: nam opus erat in singulis lectis anteriorem penè in prioris recumbere sinum, siquidem omnes pectora molliter erecta ad mensam habebant conuersa; reliquum verò corpus & pedes extensos retro. Hic locus recumbendi amantium erat. Vnde Xiphilinus in Auito dicit ex Dione. *In eius pectore recubuit, & in eius sinu velut dilecta cœnauit.* In Marmoribus Mutiniẽsibus, quę affert Philander Castilionius videtur virgo quædam in sinu cœnare. Plinius Iunior in, quadam epistola ait: *Cœnabat Nerua cum paucis Vetento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Sic explicatur illud capitis sexti Sancti Lucæ, vbi diues Epulo dicitur vidisse à longe Lazarum in sinu Abrahæ, hoc est, in cælesti conuiuio ad pectus Abrahæ, qui vt paterfamilias inducitur, discumbens: nam de epulis esse sermo videbitur consideranti illa verba *Mitte Lazarum qui intingat digitum suum in aqua, & refrigeret linguam meam.* Viderat quippe Crystallina pocula in Abrahæ mensa. Et congruè quidem epuloni & bibulo olim, iam sirienti, & famelico, qui denegauerat homini cibum quem dederat canibus, repręsentatur in altera vita opiparis satiari epulis Lazarus ipse, qui quoniam à diuite epulone non fuit pastus, micis mensæ eius satiari desiderarat.

lib. 4 epist. ad Sophr.

Porrò ex prisco discumbendi ritu etiam collegit noster Nicolaus Abraham Christum Dominum pro conuiuatoris more ignobiliori sedisse loco. Petrum tamen nobiliori, quia inter alios discipulos Prælatus & caput Ecclesiæ futurus summusque sacerdos, atque ideo tunc præcipuus conuiua. Itaque in extrema cœna, locus Christi Domini fuisse videtur proprius hospitantis, & conuiuatoris, in tertio nimirum lecto. At in aliis conuiuiis vt Simonis Leprosi epulo, honoratiori accubuisse loco, qui erat medij lecti vltimus, de quo videri potest Plutarchus in conuiualibus quæstionibus. Nam si in vltimæ noctis cœna discubuisset Christus nobiliori loco, non videtur potuisse Ioannes in eius pectore recumbere si autem in Simonis conuiuio in eodem ac in cœna sedisset, nequisset cõmodè peccatrix pedes eius lacrymis lauare. At varius in hoc pro gente & tempore vsus.

Præterea priscis cœnis eximia præcedat ablurio. Athenæus libro quarto sub Aristotelis persona: *Homerus*, inquit, *omnia accuratè persecutus est, etiam hoc parui momenti non prætermisit, oportere prius curato & loto corpore ad conuiuium accedere.* Et rursus: *Erat enim indecorum multo cum sudore & puluere accedere ad conuiuia.* Imo post balnea in lautioribus epulis lauabantur iterum etiam pedes. Petronius in Satyrico postquam retulisset priorem balnei ablutionem statim ad triclinij ingressum subdit: *Tandem ergo discubuimus pueris Alexandrinis aquam in manus niuatam infundentibus, alijsque insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus; ac ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant.* Senex Philocleon apud Aristophanem in vespis: πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με ἀπονίζῃ καὶ τὼ πόδ' ἀλείφῃ καὶ προσκύψασα φιλήσῃ. *Primum quidem filia me abluit, & pedes vngit, & prona osculatur.* Eòdem alludere Anacreon videtur in ode de voluptate bibendi vbi canit:

Δὸς ὕδωρ βάλ' οἶνον ὦ παῖ
Τὴν ψυχήν μου κάρωσον.

Da aquam, proiice vinum, ô Puer
Animam mihi sopito.

Aquam petebat non crapulæ sed pedibus, vt inter bibendum merum pedes abluerentur. Plautus quoque in Persa ait:

Locus hic tuus est, hic accumbe.
Ferte aquam pedibus, præben' tu puere?

Hinc

Hinc factum vt aliquando solâ pedum ablutione significaretur conuiuium aut cœna. Sic in secundo Regum, Vriæ dixit Dauid ad cœnandum eum mittens. *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos*, & statim dicitur: *Et egressus est Vrias de domo Regis, secutaque est eum cibus Regius*. Clarissimè hic vsus solemnibus in conuiuiis abluendi pedes colligitur ex facto mulieris peccatricis, & querela Christi Domini ad Simonem, qui Christum conuiuio exceperat. *Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Luc. 7.

CAPVT VII.

Quo pacto Magdalena lauit Christi pedes in conuiuio: an Christus calceatus incesserit.

ILlud hic obiter notandum plerosque ex hac Christi pedum ablutione per Magdalenam collegisse Christum Dominum nudis incessisse pedibus, alioqui eos abluere nequiret. At ex hoc loco nihil colligi potest, vt de calceatu, aut pedinudio Christi definire possimus. Cum constet nudis pedibus epulari olim sol itos; cum enim in lectis accumberent, ne stragula, atque strata luto ac puluere conspurcarent, deponebant soleas, pedibusque nudis comedebant, vt ablui pro more possent, quò alludens Martialis libro Epigrammatum primo dixit:

Deposui soleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Et Plautus in Truculento iuxta eundem morem ait:

Iam redit animus, deme soleas, cedo vinum.

Extat quoque egregium Plutarchi testimonium libro septimo Symposiô quæstione octaua, vbi ait: *Sunt ergo, dicebam, mimi, quorum alij argumenta, alij ludicra appellantur; neutrum vt ego arbitror genus conuiuio conueniens: argumenta ob longitudinem actionum, & sumptuum difficultatem: Ludicra quod ita scateant scurrilitate, & inanitate verborum, vt ne à pueris quidem qui dominis modestis calceos portant spectari ea deceat.* Vbi satis ostendit pueros seruasse calceos conuiuarum, atque ipsos conuiuas sine calceis epulatos. Eandem calceorum custodiam penes pueros seu seruos esse significat illud Martialis.

Bis Cotta soleas perdidisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Item libro octauo idem Martialis de quodam fure conuiuiorum scribit epigrammate quinquagesimo nono:

Si nihil inuasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, & soleas surripit ipse suas.

Plura, & erudita de hoc D. Laurentius Ramiresius de Prado in duodecimo Pentecontarchi capite. Itaque nec nudis pedibus, nec cum sandaliis incessisse Christum Dominum potest colligi, quod eius discumbentis pedes abluerit Magdalena.

An autem calceatus incederet controuersum est: nam & discipulos sine calceamentis ad prædicandum misisse Sanctus Lucas & Matthæus tradunt, At Iuuencus, Caietanus, Maldonatus in Euangelia, Syluius, & Granadus in tertiam partem quæstione quadragesima id interpretantur de calceis mutatoriis, seu duplicibus, non de simplici calceo: Nam Sanctus Marcus scribit missos fuisse calceatos. Et præterea Angelus iussit Sanctum Petrum: *Calcea te caligas tuas*. Vnde videntur calceis vsi Apostoli, imò Syluius etiam Ioannem Baptistam censet calceatum incessisse, quoniam alioqui id notarent Euangelistæ. De Christo autem hæc Augustini est sententia sermone quadragesimo secundo de Sanctis: *De iis calceamentis, quibus calceati ambulamus, consolatur me idem Dominus meus: si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret: non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum.* Maldonatus quoque, Syluius & Lorinus Christum Dominũ calceatum incessisse volunt. Ego autem id certum puto non discessisse Christum à communi viuendi ratione in habitu pedum, vt quamuis excalceatus, aut cum sandaliis, non id propter austeriorem, & singularem vitam fecisse, sed conformem se exhibens aliorum viuendi modo, quod nobilissimi Theologi confirmant. Suarez in tertiam partem disputatione vigesimâ

octauâ ait: *Ostensum est Christum etiam tempore prædicationis suæ vsum fuisse communi modo viuendi in victu & vestitu, ergo etiam in calceorum vsu reliquis similis fuit.* Et mox: *cum Christus studuerit se se in exterioribus communi modo accommodare, non est credibile in hoc solo fuisse singularem.* Syluius ad quæstionem quadragesimam, postquam communē Christi vitam statuisset, obiicit: *Sed doctrinæ traditæ non parum aduersari videtur, quod ire nudis pedibus nouum, & insolitum esset apud Iudæos & pertinens ad austeritatem vitæ.* Respondet: *quod Christus calceatus incesserit, sicut aly homines.* Tannerus in eandem quæstionem postquam retulisset Suarij sententiam circa calceos Christi, subdit: *Hoc mihi certum videtur Christum sese quoad hoc accommodasse communibus eius gentis moribus ab honestioribus eiusdem cōditionis viris receptis.* Granadus similiter in eundem tertiæ partis locum concludit: *Si ergo in vestitu diximus secutum fuisse morem communem, in calceamento idem dicendum est.* Et quidem si Christus austeram, & rigidam professus fuisset vitam, non communem; quo pacto conuiuia adiret & Pharisæum reprehendisset, quod eum aromaticis liquoribus non perfudisset, nec pedes ablueret, quod pro deliciis habebatur. Credo igitur cum tunc temporis apud multos sandaliorum vsus esset, sandaliis quoque fuisse vsos Christum & Apostolos, quod satis indicauit sanctus Marcus cum calceatis sandaliis Christi Domini Discipulos pronuntiet, de quo in alio tractatu egimus; nec operæpretium est in his moras agere, cum nostrum institutum fuerit ostendere ablutionem pedum fuisse in vsu conuiuantibus, quod credo satis firmatum reliquimus. Cum igitur hic ritus esset solenniorum epulorum ne quid deesset solennitatis Eucharistico, cum in priori cœna non abluisset pedes Apostolorum, accessurus ad conuiuium Eucharistiæ, vt id magis commendatum haberemus, surrexit & depositis vestimentis Apostolorum pedes abluit, vt pedibus etiam lotis solenniùs ad illud splendidissimum epulum admitterentur.

CAPVT VIII.

Quæ lotiones conuiuiis Iudæorum vsitatæ? Explicantur loca Lucæ 13. Matth. 15. & Marci 7.


INC operæpretium erit explanare ardua Saluatoris verba, aliquando à nobis disceptata quibus recusanti prius Petro lauari, deinde prompto vt & manus & caput ablueret,
[Luc.13.] Respondit Dominus: *Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes.* Verba hæc Latini Patres Cyprianus, Pacianus, Augustinus, Ambrosius interpretantur de Baptismo,
[Lib.3. de Sacr. c.1.] quo sensu elegantissimè Ambrosius dixit: *Qui lauit non necesse habet iterum lauare, nisi vt solos pedes lauet: quare hoc? quia in Baptismate omnis culpa diluitur, recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum effusum est supra pedes; ideo lauas pedes, vt in ea parte in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat.* Quidam ex eodem loco à Christo Domino baptizatos Apostolos colligunt; alij rebaptizantes inde damnant. At si de baptismali lotione ageret cur Iudas exclusus, qui etiam baptizatus creditur sicut de reliquis Apostolis tradunt Euodius, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Gregorius Magnus, & Augustinus: fragmentum Euodij affert Nicephorus libro secundo Historiæ, capite tertio: *Diuinus Euodius, qui & ipse Apostolorum successor fuit in commentariis suis, præcipuè autem in epistola, quam Lumen scripsit, hæc quoque posuit: Christus inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizauit, Petrus porrò Andream & filios Zebedæi, ij denique reliquos Apostolos: septuaginta autem illos, Petrus & Ioannes Theologus dictos baptizauit.* Augustini verba epistolâ centesimâ octauâ sunt: *Scriptum est, quando baptizati sint aly Apostoli: veruntamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus.* At saltem siue baptizati, siue non baptizati fuerint Apostoli, non est vnde aliud de Iuda dicendum sit quàm de cæteris. Præterquam quod exclusionis causam reddens Christus non dixit, quia vnus baptizatus non erat, sed quia eum traditurus erat. Et postea exponens, quo pacto
[Luc.15.] Apostoli mundi essent ait: *Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Quæ eadem verba legunt hoc loco Theodorus Heracleotes, & Chrysostomus, reperiunturque in codicibus manuscriptis. Quapropter omnes ferè Græci Patres de lotione spirituali hunc locum interpretantur. At cur Dominus excusaret corporalem manuum & capitis lotionem, quoniam Discipuli mundi erant spiritualiter. Vnde alij malunt intelligi de conuiuali

lotione:

lotione: nam qui manus ante cœnam abluissent, vt moris erat omnibus gentibus in cœna, (Æneidos primo dicitur: *Dant famuli manibus lymphas*,) & maximè Iudæis, ij planè mundi erant toti, neque opus erat, nisi pedes lauarent, quos non lauissent antea. Sed non assequor, quo pacto accipiant id de corporali tantum lotione, cum Iudas excludatur à munditie ob proditionis crimen: aliam idcirco olim differui huius loci explicationem, quæ maximè mihi placuit. Præmitto ad commentatiunculam nostram, quæ in conuiuiis seruari solitum erat, ablutiones illis præcedere, atque in his quæ splendidissima erant, non tantum ablutis manibus accumbebant, sed etiam pedibus in Petronij Satyris. Et vbique in prophanis literis inuenies, satisque exhibuimus suprà: atque inter Hebræos non modò ante, sed etiam inter prandendum lauari sæpe mos erat, idque obseruabatur à Pharisæis, non tam ob munditiem corporalem, quàm ob purificationem spiritualem. Etenim in ea manuum lotione sicut in aliis lauacris non solum corporis munditiem, sed animi sanctitatem consistere putabant, vt & S. Epiphanius hæresi septima tradit de lauacro quotidiano Iudęorum hemerobaptistarum, atque Iosephus in vita sua Banum refert (cuius disciplinæ se tradidit) Ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα πολλάκις λουόμενον πρὸς ἁγνείαν, *aqua frigida, die ac nocte sæpe lotum ad munditiem*; nempe eximiæ sanctimoniæ acquirendam: ideo illotas manus in discipulis Christi reprehenderunt, Matthæi decimo quinto, & Marci septimo. Non ob sordes corporis, sed quia pollutas & prophanas absque lauatione iudicabant, quod optime colligitur ex verbis Marci capite septimo: *Cùm vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus* (prophanis, pollutis id dicebatur sic apud Hebræos) *id est non lotis* (nā illotum prophanum censebant) *manducare panes, vituperabant: Pharisæi enim, & omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus non manducant, tenentes traditiones seniorum.* Hæ traditiones Græcè vocantur δευτερώσεις, quas scribæ, & Pharisæi composuerant, quarum extat inter Iudæos codex. Ex quibus inducta fuit superstitiosa consuetudo lauandi manus sæpe inter prandendum, vt si fortè cibum, remve aliam immundam tetigissent, acquirerent sanctitatem, & munditiem animi, quod satis etiam indicat Ioannes in nuptiali illo conuiuio capite secundo: *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem Iudæorum.* Et Christus defendens discipulos Marci septimo, & Matthæi decimo quinto, Iudæorum superstitionem taxans ait: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem; non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.* Ad hos igitur superstitiosos conuiuales ritus respiciunt verba Christi qui recusauit manus lauare Petri, & tantum voluit pedes, dicens: *Qui lotus, nō indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Nempe nō indiget qui semel lauit manus, iterum illas lauare, vt faciunt Pharisæi, qui discipulos reprehenderunt: sufficit enim semel in conuiuiis lauisse illas, quia cibi non coinquinant animum, vt propterea iterum sit necesse abluere: Nam mundus manet totus homo, tam manibus corporis, quàm animo, qui nulla macula inficitur ex cibis, ideo inter fercula non indiget lauare rursus manus, nisi fortè pedes. Inde statim addit, *& vos mundi estis, sed non omnes*, præcipuè cum vos mundi sitis, & absque peccato omnino impolluti, idcirco non est opus altera lotione manuum, qua Pharisæi putabant tolli pollutionem animi. Attamen non omnes vos estis impolluti hac munditie animi: sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum, propterea dixit: non estis mundi omnes. Nam Iudas non erat totus mundus, licet enim manus lauisset, animus infectus erat, & maculatus. Cæterum facilius est, cur dixerit, nisi vt pedes lauet. Nam cum peracta prima illa cœna, parasset Christus Eucharistiæ ferculum, vt commendaret hoc splendidissimum conuiuium, voluit conuiuas accumbere pedibus lotis: quoniam id fiebat in opiparis & augustis epulis. Admodum enim vsitata erat intermedia hæc lotio Iudæis. Sic inter ferculum cœnæ legale, & Eucharisticum, interiecit hanc lotionem pedum Christus, vt hoc postremum epulum hac cæremonia commendaret: at manus rursus lauare non erat opus, quia ante omnem cibum lauissent, nec à cibis coinquinati fuissent, prætterquàm quod lotio illa exterior, non mundaret animum: tametsi coinquinatus fuisset. Hæc aliquando differui & modò oportunè hic restituo. Liquebitque, etiam in nouo fœdere aquam intercessisse: nam Cyrillus Hierosolymitanus catechesi tertiâ ait: Ὅπου διαθήκη πρὸς τινας ἐκεῖ καὶ ὕδωρ, μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐτέθη διαθήκη πρὸς Νῶε, διαθήκη τῷ Ισραὴλ ἐξ ὄρους Σινᾶ, ἀλλὰ καὶ μετὰ ὕδατος, καὶ ἐρίου, κοκκίνου καὶ ὑσσώπου. Ἠλίας ἀναλαμβάνεται, ἀλλ' οὐχ ἄνευ ὕδατος πρότερον γὰρ διαβαίνει τὸν Ἰορδάνην. *Vbicumque fœdus aliquod inter Deum & homines, ibi & aqua, post diluuium fœdus percussum est cum Noë, fœdus cum Israele ex monte Sinà: Verùm hæc non sine aqua, & lana rubea & hyssopo. Helias assumptus est, sed non sine aqua, prsus enim transiuit Iordanem.*

CAPVT IX.

Aliæ leges magnorum epulorum in Eucharistia.



PECTABAT hoc ad maiestatem Eucharistici conuiuij, cœnam scilicet magnã ad quam nos inuitat cælestis Rex: omnibus quidem modis magnam ostendere voluit; idcirco gemmeis vasibus, pretiosissimaque supellectili eam celebrauit, præmissa etiam pro lautiorum epularum vsu pedum lotione, & ne hoc prætermittamus seruatis aliis duabus maximorũ conuiuiorũ legibus, in quibus pretiosissima impendebantur, & cibi dissimulabantur, vt aliud apparerent quam essent. Pretiosissimarum rerum, vt ita dicam prodigalitatem satis ostendit Valerius Maximus libro nono capite primo scribens de Æsopi Tragici filio. *Quem constat cantu commendabiles auiculas immanibus emptas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ summæ uniones potionibus aspergere solitum, amplissimum patrimonium tanquam amaram aliquam sarcinam quàm celerrimè abiicere cupientem.* Eiusdem meminit Horatius:

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet vt decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam.

Lib.9.c.35 Huius & Cleopatræ sumptus conuiuales egregiè contulit Plinius libro nono historiæ naturalis. *Duo fuere maximi uniones per omne æuum: vtrumque possedit Cleopatra Ægypti Reginarum nouissima, per manus Orientis Regum sibi traditos. Hæc, cum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, vt regina meretrix, lautitiam eius omnem apparatumque obtrectans, quærente eo quid adstrui magnificentiæ possit, respondit, vna se cœna centies HS. absumpturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis, postero die, quo iudicium agebatur, magnificam aliàs cœnam, ne dies periret, sed quotidianam Antonio apposuit, irridenti, computationemque expostulanti. At illa corollarium id esse, consumpturamque se ea cœna taxationem confirmans, solamque sexcenties HS. cœnaturam, inferri mensam secundam iussit. Ex præcepto ministri vnum tantum vas ante eam posuêre, aceti, cuius asperitas visque in tabem margaritas resoluit. Gerebat auribus cum maximè singulare illud, & verè vnicum naturæ opus. Itaque expectante Antonio quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactum absorbuit. Iniecit alteri manum L. Plancus Iudex sponsionis eius eum quoque paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiauit homine irato. Comitetur fama vnionis eius parem, capta illa tantæ quæstionis victrice reginá dissectum, vt esset in vtrisque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia eorum cœna. Non ferent tamen hanc palmam, spoliabunturque etiam luxuriæ gloria. Prior id fecerat Romæ in vnionibus magnæ taxationis Clodius Tragœdi Æsopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres, ne in Triumviratu suo nimis superbiat Antonius, pene histrioni comparatus, & quidem nulla sponsione ad hoc producto, quod id magis regium erat: sed vt experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ: atque vt mirè placuere, ne solus hoc sciret, singulos vniones conuiuis absorbendos dedit.* Vt pretiosiora fercula exhiberet Heliogabalus Phœnicem auem conuiuis pollicitus traditur.

Non debuit vitium humanum superare diuinam virtutem. In epulo suo quidquid pretiosissimum Deus habuit vno haustu absorbendum, vno frusto panis manducandum dedit. Egregiè S. Thom. opusculo de beatitudine locutus de liberalitate Dei in Eucharistica cœna dixit: *In quo totum quod ipse est, & habet cum spiritu sancto in summo dedit. Nihil est extra corporalem, & spiritualem, & diuinam naturam; corporalis verò apprehendit omne quod quinque sensibus percipitur; spiritualis natura continet Angelos, animas & omnia dona spiritualia, & virtutes. Diuina natura totumquod est optimum naturaliter in se habet. Cum ergo corpus & sanguinem filij sui Deus Pater sub sacramento dedit, tunc corporalem substantiam in summo contulit: quando verò animam eiusdem filij dedit, tunc spiritualem substantiam in summo tradidit, cuius anima omnibus Angelis, & sanctis animabus perfectior gratia in omni sanctitate fuit, insuper in eo totam diuinam naturam obtulit, omne bonum in se naturaliter, & æternaliter continentem; nec hoc semel tantum, aut bis in tota hominis vita fecit, immo quocumque tempore, quocumque loco, à quocumque Sacerdote fideli, bono, vel malo salutare illud sacrificium in forma Ecclesiæ oblatum fuerit, toties Deus Pater cum Spiritu sancto singulis animabus se totum ad fruendum exhibet.* Hactenus ille. Idcirco meritò Basilius Seleucensis oratione

tione secunda dixit: *Diuina bonitatis imber delatus posterioribus donis obscurat priora; namque velut parturiens magnificentia sua manera, & habere clausum penes se thesaurum impotens non est contentus prioribus,neque rebus apte dilargitis dona sua circumscribit, neque donatoris desiderium vniuersa terra, & concessum mare satiauit.* Optimè quoque Gerardus Zutphaniensis libro de reformatione animæ,capite vigesimo septimo exclamat *O charitas superexcellens! qui seipsum dedit quid possit negare? quid vltra faceret? Omnia quæ potuit pro nobis fecit,omnia quæ habuit,dedit:dedit Regnum suum, dedit seipsum.* Liberalitas Clodij hæc fuit teste Plinio: *Singulos vniones conuiuis absorbendos dedit.* At in pretiosissimo Eucharistiæ epulo singulis conuiuis datur quidquid pretiosum in cœlo, & terra est. Porro dissimulatio ciborum cuius causa etiam pingebantur,notior est,etiam hodie in vsu,ad quẽ morem referunt aliqui illud Ieremiæ: *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora:* Alij legunt super *coccina*. In opimo igitur Eucharistiæ conuiuio latet accidentium specie ipsa filij Dei caro & sanguis quibus ad cœlestem vitam magnificentissimè nutrimur. Neque in hoc opus est amplius morari.

CAPVT X.

Cur Dei fœdera vocentur testamenta?



Nunc explanandum est, cur duo pacta Dei vocentur testamenta? Breui huic quæsitu reddendum est,quia talia sunt,vt etiam testamenta sint. Sunt scilicet pacta siue fœdera testamentalia, seu testamenta fœderalia, quippe sint pacta irreuocabilis voluntatis, per quæ vocat nos Deus ad hæreditatem suam, & morte Christi confirmata sunt,quod egregiè sanctus Paulus obseruauit, de Christo locutus: *Noui testamenti mediator est,vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum,quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.Vbi enim testamentum est,mors intercedat testatoris necesse est.Testamentum enim in mortuis confirmatum est,alioquin nondum valet,dum viuit,qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est,* Hoc ipsum confirmare partim videtur, quod in Scriptura iusti vocentur hæredes cœlestis Regni; hæreditas autem testamentum sequitur, cùm maximè hæredes sunt,qui non sunt filij naturales. Vlpianus capite vigesimo institutionum, testamentum definit,*mentis nostræ iustam contestationem in id solenniter factam,vt post mortem nostram valeat.* In lege prima Pandect. *qui testam facer.* Testamentum est *iusta voluntatis nostræ sententia de eo,quod post mortem suam fieri quis velit.* Quintilianus testamentum pronunciauit *voluntatem defuncti consignatam iure.* Et quidem hæ definitiones competunt fœderi, & pacto diuino quo continetur iustissima voluntas & sententia dandi hominibus sanctis cœlestem hæreditatem post mortem,& per mortem Iesv Christi testatoris. Idcirco Patriarchæ & sancti antiqui detenti sunt in limbo,& impediti,ne adirent hanc hæreditatem,donec testator ipse Christus Iesvs Deus & homo mortuus fuit,tunc morte testatoris admissi sunt ad partem hæreditatis. Porrò idem posse esse pactum & testamentum simul,tum ex vsu prisco,tum ex natura rei constat. Olim quippe fiebant testamenta per genus quoddam pactionis,seu emptionem, quæ dicebatur æs & libra, cuius meminit Gellius libro decimo quinto;genera testamentorum sic distinguens: *Tria genera testamentorum fuisse accepimus: vnum quod calatis comitiis in concione populi fieret. Alterum in procinctu cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur. Tertium per familiæ emancipationẽ, cui æs & libra adhiberetur.* Eadem & locupletius habet Vlpianus titulo vigesimo institutionum, & Iustinianus libro secundo, titulo decimo: & emptionem seu venditionem vocant vltimum testandi ritum dictum per æs & libram,quoniam veteres primum ære graui non signato vsi sunt,neque in emptione,& venditione pecuniam numerabant,sed pretium appendebant. Itaque emptor hæreditatis hæc verba solemnia dicebat: *Huius ego familiam, quæ mihi empta est hoc ære æneaque libra iure Quiritium meam esse aio.* Deinde ære percutiens libram,id æs dabat ei à quo hæreditatem expectabat, quasi loco pretij. Hic testandi ritus per hanc pactionem vsitatissimus Romanis fuit. Quintilianus quadam declamatione ait: *Non dixerim testamentum,cui libripens & emptor familiæ deest.* Suetonius in Nerone. *Ex hoc Domitius nascitur, quem emptorem familia, pecuniaque in testamento Augusti, mox vulgò notatum est,* cuius ritus non ignarus fuit Clemens Alexandrinus in quinto stromate: familiam enim, hoc est, hæreditatem testator vendebat ei,qui familiæ emptor dicebatur,

[Margin notes: Hebr. 9. — cap. 27. — Declam. 308.]

numo vno, aut etiam altero intercedente. Hinc factum vt ij qui pacisci, & contrahere non poterant, nec testari permissum fuerit. Vlpianus titulo vigesimo ait. Surdo ideò testamenti ius denegatum: *Quoniam verba familiæ emptoris exaudire non poterat.* Quin & prodigo cui lege bonis interdictum erat testamentum, vt idem Vlpianus scribit ea ratione facere non licebat, quod ei commercium interdictum esset. Itaque olim apud Romanos cõmunis ratio & cæremonia testandi pactum erat.

Deinde cum in desuetudinem abiit istud testandi genus per æs & libram non raro etiã testamenta pacta erant cum hærede nonnunquam iureiurando firmata, quorum meminerunt Iulianus in lege *Libertus* de bonis libertorum, & lege *hæc scripta* de condit. & demonstr. Iauolenus in lege *Antistius* de adquirenda hæreditate: Quapropter Vlpianus lege octaua de conditionibus institutorum ita cauet: *Quoties hæres institutus iurare iubetur daturum se aliquid vel facturum, quod non improbum est, actiones hæreditarias non aliàs habebit, quam si dederit vel fecerit id quod erat iussus iurare. Mortuo autem vel manumisso Sticho viuo testatore, qui ita hæres institutus est, si iurasset se Stichum manumissurum, non videbitur defectus conditione hæres. Quamuis verum sit compellendum eum manumittere si viueret. Idem est & si ita hæres institutus esset quis. Titius hæres esto ita vt Stichum manumittat, aut Titio ita centum lego, vt Stichum manumittat: nam mortuo Sticho nemo dicet summouendum eum.* Denique omnia testamenta oneraria & in quibus instituuntur hæredes sub conditione aliquid agendi pacta sunt. Cum igitur voluntas diuina dandi hæreditatem cælestem per mortem Christi non sit absoluta, sed sub conditione & onere vt sic dicam bonorum operum, & adimplendæ legis testamentum dicitur & pactum simul, quia vtrumque est. Cæterum nec priscis testamentis conditionalibus, quæ pacta erant repugnabant interuenire cæremoniæ fœderales nam sicut intercedebat iuramentum verbale, poterat & reale per factum, seu aliam cæremoniam. Quorundam antiquorum fœderum cæremoniis simile est caput cuiusdam testamenti, quod à Petronio refertur in Satyrico: *Omnes qui in testamento legata habent præter liberos meos hac conditione percipient quæ dedi. Si corpus meum in partes conciderint, & adstante populo comederint.* Christus etiam, piè tamen, & mundè & salutariter, & legitimè hanc conditionem adhibuit ad hæreditatem vitæ æternæ consequendæ: *Amen, Amen dico vobis nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.*

Deinde natura pacti & testamenti cohærere possunt, quemadmodum enim, dum quis sanus est voluntatem disponendi, & alienandi res suas, aut liberalem, aut onerosam habere potest, siue gratis dando, siue paciscendo cum aliquo onere, aut vendendo; quouis enim modo alienare fundum, aut equum potest. Sic etiam moribundo licebit tradere alteri suas res, aut gratis prorsus donando, aut cum conditione & onere aliquo, quod si hoc modo fiat testamentum, per quod eiusmodi rem suam disponit, pactum est. Atque ideo eadem hæreditatis traditio pactum simul & testamentum esse potest. Porro vetus fœdus ideo etiam testamentum dicitur, quia eo modo quo erat testamentum in sanguine & morte dedicatum fuit. Neque malè Lactantius dixit: *Moyses & idem ipsi Prophetæ legem quæ Iudæis data erat, testamentum vocant, quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari testamentum potest, nec sciri quid in eo scriptum sit, quia clausum, & obsignatum est. Itaque nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, id est, reuelari & intelligi mysterium Dei non potuisset.*

CAPVT XI.

Conuiuium Eucharisticum confirmat non solum fœdus, sed testamentum à Deo factum.



LIBET addere pro testamento Dei, siue testamentali fœdere Eucharisticum epulum, & sacrificium in commemorationem suam instituisse Christum, quoniam hic mos erat in testamentis iubere solennia conuiuia in memoriam defuncti, subque conditione conuiuij, legata pacisci, vt constat ex hac inscriptione Rauennatensi:

OB

OB MEMORIAM PATRIS SVI : DEC. VII. COLLEGII FABR. M. R. HS. 8. N. LIBERALITATE DONAVIT SVB HAC CONDITIONE VT QVOTANNIS ROSAS AD MONVMENTVM EIVS DEFERANT, ET IBI EPVLENTVR DVNTAXAT IN V. IDVS IVLIAS. QVOD SI NEGLEXERINT, TVNC AD VIII. EIVSDEM COLLEGII PERTINERE DEBEBIT CONDICTIONE SVPRADICTA.

In alia Spoletana dicitur:

TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS ET LEG. V. MACEDONIC. HIC LEGAVIT TESTAMENTO MVNICIP. HS. LXVI C. MONET VT EX REDITV EIVS SVMMÆ QVOTANNIS VIII. IDVS NOVEMB. NATALE SVO MVNICIP. EPVLVM ET CRVS, ET MVLSVM DARETVR.

Similes sunt his plures aliæ inscriptiones. Romæ hæc eruta.

P. CORNELIA ANNIA NE IN DESOLATA ORBITATE SVPERVIVERET. MISERA VIVAM : ME VLTRO IN HANC ARAM CVM VIRO DEF. INCOMPARABILI AMORE DIL. DAMNAT. DEDO. CVM QVO VIXI ANN. XX. SINE VLLA DO. LIB. LIBERTATVSQ. NO. VT QVOTAN. SVPER ARCAM NO. PLOTONI ET OXORI PROSERPINÆ OMNIBVSQ. SACRIFICENT ROSISQ. EXORNENT DERELIQ. IBI EPVLENTVR.

Reatæ quoque hæc:

T. FVNDILIO GEMINO VIVIR. AVG. MAG. IVV. AVGVSTALES PATRONO ET QVINQ. PERPETVO OPTIME MERITO HIC ARCE AVGVSTALIVM SE VIVO HS. XX. DEDIT : VT EX REDITV EIVS SVMMÆ DIE NATALI SVO. IIII. KAL. FEBRV. PRÆSENTES VESCERENTVR ET OB DEDICATIONEM. STATVÆ DECVRIONIB. E SEVIRIS ET IVVENIBVS SPORTVLAS E POPVLO EPVLVM ET OLEVM EADEM DIE DEDIT.

Multa mentio apud Authores est horum conuiuiorum in defunctorum memoriam, quorum meminit Liuius libro 9. decade 4. *Licinij funeris causa visceratio data, & gladiatores centum & viginti pugnauerunt, & ludi funebres per triduum facti; post ludos epulum, in quo cum toto foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis coorta, coëgêre plerosque tabernacula statuere in foro.* Huc alludit & Tacitus libro decimo quarto Historiæ Augustæ, loquens de morte Agrippinæ Neronis matris: *Cremata est nocte eadem conuiuali lecto, & exequiis vilibus.* Clarissimè Suetonius in Iulio, capite vigesimo septimo: *Munus populo, epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam.* Luculenter quoque Cicero oratione pro Planco: *Sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum hominum audacissimorum, & domesticorum hostium conuentu, epulísque celebratum est.* Huc spectat Varro: *Funus exequiati cum lusu ad sepulchrum, antiquo more Silicernium confecimus, id est, περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus aliis aly vale.* Et Apuleius quarto Florid. *Procul igitur faces abigerent, procul ignes amolirentur, cœnam feralem à tumulo ad mensam referrent.* Ad hæc funeralia conuiuia attinent, quæ cecinit Virgilius libro Æneidos tertio:

Hic incredibilis rerum fama occupat aures :
Priamiden Helenum Graias regnare per vrbes,
Coniugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum,
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui, miróque incensum pectus amore
Compellare virum, & casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes & littora linquens :
Solemnes tum fortè dapes, & tristia dona,
Ante vrbem in luco falsi Simoentis ad vndam
Libabat cineri Andromache.

Idem Maro in libro quinto scribit:

Vináque fundebat pateris, animámque vocabat

Anchisæ magni, manésque Acheronte remissos.
Necnon & socij, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, onerántque aras, mactántque iuuencos.
Ordine ahena locant alij, fusisque per herbam
Subiiciunt verubus prunas, & viscera torrent.

Charistitia epula funeralia fuisse constat. Græcis quoque similem ritum probat illud Hegesandri apud Athenæum lib. septimo:

Ὅταν ἐν περιδείπνῳ τυγχάνω διακονῶν
Ἐπὰν τάχισ' ἔλθωσιν ἐκ τῆς ἐκφορᾶς.
Quando fortè ministro te in funebri cœna
Cùm celerrimè ex funere redierint.

Similiter Homerus Iliade ω.

Χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον· αὐτὰρ ἔπειτα
Εὖ συναγειρόμενοι δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
Δώμασιν ἐν Πριάμοιο.
Aggesto à tumulo redibant, atque deinde
Bene collecti conuiuabantur splendidum conuiuium
Ædibus in Priami.

Contraxerunt eiusmodi morem aliqui Christiani, quem sic reprehendit sanctus Cyprianus de duplici Martyrio: *Temulentia adeò communis est Africæ nostræ, vt propemodum non habeatur pro crimine. Annon videmus ad Martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc leuius crimen esse dicimus, quàm Bacho hircum immolare?* Et Augustinus capite trigesimo quarto de moribus Ecclesiæ: *Nolite consectari turbas imperitorum, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Noui multos esse sepulchrorum, & picturarum adoratores, noui multos, qui cùm luxuriosissimè super mortuos bibunt, & epulas cadaueribus exhibentes super sepultos seipsos sepeliunt.* Et sermone quadragesimo tertio de diuersis: *Tu demis, & subtrahis gutturi tuo, ille fortè cùm mortuus fueris, calicem super te non ponet; aut si fortè ponet calicem, ipse inebriabitur, ad te nulla stilla descendet.* Cæterùm beneuolentia Christi & maxima liberalitas iubentis suo testamento epulum Eucharisticum, omnésque cæli diuitias nostram quidem memoriam, gratiam, amorémque meretur. Nam si Iulij Cesaris erga populum Romanum liberalitas testamento nota, prout Appianus libro secundo prodit, amorem sui conciliauit; cur nos ingrati erimus testamento Filij Dei hæredes nos instituentis sub conditione nobis honorificentissima?

CAPVT XII.

De vsu nominum Fœderis & Testamenti *in Scriptura.*



Heb. 8. & Gal. 4. Rom. 9. v. 4. & 11. v. 27. Gal. 4. v. 24. Luc. 1. Act 7. Lib. 2. de locis Theolog. c. 11. In Ier. 31.

HAc de re satis dicta sint. Verè enim testamentum conditionatum est pactum Dei cum hominibus, vnde ardua nominum controuersia sedabitur. Impiè quippe Beza dixit sanctum Paulum ignorata propriæ vocis Hebrææ significatione, quæ *Berith* est, & fœdus propriè significat, allusisse ad vocem Græcam *διαθήκης testamenti*, non tamen conuenire voci Hebrææ, aut veræ interpretationi eius. Audacter quoque Erasmus, cui in hac parte Caietanus cohæsit, negat recipiendam esse Epistolam ad Hebræos, quoniam author eius non satis aptè voce testamenti abutatur pro pacto, ac si alibi non idem fecisset Paulus scribens ad Romanos & Galatas. Et sanctus Lucas in Euangelio, & in Actibus. Neque probè Canus dicit in nomine Hebraico Paulum potuisse Rhetorum more ludere, & vocem à proprio in significatum improprium flectere. Nec opus est dicere, quod noster Sanctius, testamentum posuisse sanctum Paulum pro fœdere, capite octauo ad Hebræos, idémque esse sicut etiam *pactum* Hebraicè בריח *berith*, Græcè *διαθήκη*, ex quo vocabulo *πολυσήμῳ* natum existimat, vt testamentum

testamentum sæpè pro fœdere ponatur. Fateor quidem in Scriptura non infrequens esse, vt cùm vox duas habet significationes, per quandam quasi metalepsim, ab vna progressio quædam fiat ad alteram. Quomodo μόσχος cùm vitulum significet, & germen, vbi germen valet vitulus, siue vitulamen redditur. Sapientiæ quarto: *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*. Vox Hebræa רשפה *rispah*, prunam significat, seu carbonem ignitum, Græcè ἄνθραξ, tam carbonem valet, quam carbunculum lapidem propter similitudinem. Noster autem interpres *calculum* reddidit suo more, Isaiæ capite sexto in quo tamen carbonem intellexit, vt est communis Patrum sententia: *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Sic ἀξίωμα, cum dignitatem, & placitum, aut decretum significet, principia quædam, seu sapientium placita, propter vocis communitatem in Philosophorum scholis dignitates vocantur. Quia ergo, vt Hieronymus putat διαθήκη non solum defunctorum voluntatem significat, sed pactum viuentium, potuit fieri, vt modò *testamentum*, modò *pactum*, & *fœdus* à vulgato interprete reddatur; quæ tamen voces idem omnino valent. Exempla sunt obuia, pauca nunc accipe. Psalmo septuagesimo septimo: *Non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare*. Et postea: *Neque fideles habiti sunt in testamento eius.* Primo Machabæorum, capite primo: *Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt.* Interpretatio quoque sancti Hieronymi in commentariis Epistolæ ad Galatas necessaria non est, Gal. 4. quâ excusat Paulum, quod pro Berith reddiderit testamentum, cùm significet pactum. Vnde ait, & cæteri interpretes ex Hebræo pactum reddiderunt, hoc est, Aquila, Symmachus, Theodotion. Neque enim in hoc est excusandus Apostolus, sed laudandus; quoniam rem ipsam & sensum genuinum attigit vt optimus Scripturæ interpres.

Itaque hæc asserere necesse non est; tum quia testamentum vetum, & strictè sumptum à Deo ordinatum fuit, & non solum fœdus, vt supra fulciuimus ex natura ipsa testamenti & vsu Romanorum. Tum quia sanctus Paulus in Epistola ad Hebræos satis clarè sumpsit testamentum strictè, dum morte testatoris confirmatum disseruit, nec repugnant huic significatui vocabula Hebræum & Græcum; quoniam *Berith* apud Hebræos, quod Latinus solet verti fœdus, etiam puto extendi ad significandum testamentum. Tum quia nemo magis gnarus linguæ Hebrææ quam Septuaginta interpretes, qui frequenter vertunt διαθήκην, hoc est, *testamentum*. Tum quia fortasse non habuerunt Hebræi aptius nomen, sicut nec Chaldæi, nec Syri habebant proprium vocabulum, quod significat testamentum, ac proinde nomine communi pacti rectè notatur quod in multis aliis rebus similiter accidit. Etenim תַּנִּין *Tannin* quod propriè significat quidquid in quoque animalium genere monstrosum est præsertim magnitudine, ponitur primo Genesis capite ad significandum *cetum*. Et alibi *struthiocamelum*. Similiter אֵלָה *Ela* significat omnem glandiferam arborem, & quæ proferat aliquid simile glandi, hoc tamen commune nomen specificè, vt ita dicam, vertunt S. Hieronymus, Septuaginta, & vulgatus nunc *castaneam*, nunc *terebinthũ*, nunc *quercum*, nunc *ilicem*. Eodem modo בְּדֹלַח *Bedolach* vocant Hebræi, quidquid aqueum, seu viscosum pellucet & fulgurat. In secundo tamen capite Geneseos stringitur ad significandum *bdellium*. Ob penuriam autem proprij nominis vt dixi quo significaretur testamentum siue διαθήκη Interpres Syriacus retinuit vocem Græcam qua vtuntur septuaginta vertens *diathiki*.

Quoad nomen Græcum διαθήκην attinet, propriè significat testamentum, quamuis aliquando sumatur pro fœdere non testamentali, vt liquet ex secundo Regum capite vigesimo tertio ibi διαθήκην ἔθετό μοι quod valet *pactum iniit mecum*. Et libro primo capite quinto & vndecimo, vbi dicitur διάθου ἡμῖν διαθήκην, hoc est, *habe nos confœderatos.* Vnde sanctus Hieronymus. *Notandum*, inquit, *quod verbum διαθήκην, Aquila συνθήκην, Symmachus pactum interpretur nec voluntatem tantum defunctorum sonat, sed pactum viuentium.* Idem dicit Augustinus de voce testamenti: *Testamentum in scripturis non solum illud dici, quod non valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactum, & placitum testamentum vocabant. Nam Laban & Iacob testamentum fecerunt, quod vtique etiam inter viuos valeret & innumerabilia talia in diuinis leguntur eloquiis.* Hæc significationum communicatio nasci potuit ex ipsarum rerum affinitate, quoniam congruant in idem sæpe, vt probauimus.

Cum igitur nomen Hebræum posset notare pactum testamentale, seu testamentum, & Græcum διαθήκη, & Latinum testamentum vtrumque significare queat, & pactum viuentium, & vltimam morientium voluntatem & hanc frequentius & propriùs notet, reprehendi non debet epistola ad Hebræos, quod strictè accipiat testamentum, & sic intelligat, cum maximè reuera sit strictè testamentum diuinum fœdus, vocans nos ad hæreditatem

tatem cœlestem per mortem testatoris Christi IESV. Sanctus Hieronymus idcirco non vertit testamentum in multis locis, sed fœdus aut pactum, quoniam voluit vertere, quàm proximè Hebraicæ phrasi, & vox Berith simpliciter & communiter sonat fœdus. At si tale fœdus sit, vt habeat conditionem testamento requisitam poterit testamentum vocari & verti. Quapropter si sensus tantum & rerum rationem voluisset habere, rectè testamentum cum septuaginta vertisset, sicut Psalmo nonagesimo quarto vertit: *Probauerunt me & viderunt opera mea.* quoniam in Hebraico & Græco est nomen significans opera, siue sint miracula siue non: potuit tamen sensum, si sequeretur vertere *miracula mea* siquidem miracula erant, quæ in deserto viderunt. Hanc autem considerationem habuit sanctus Paulus in epistolis suis. Sanctus Ioannes in Apocalypsi, sanctus Lucas in Euangelio. Nec opus est memorare Philonem, qui *διαθήκην testamentum* similiter inculcat.

CAPVT XIII.

Ex quo tempore cœpit vetus testamentum: an in Ægypto, vel in deserto?

TEMPVS nunc explanemus quo testamentum Dei inchoatum fuit: de vetere fœdere Mosaico parua difficultas est, & cœpisse videtur à quinquagesimo post exitum ex Ægypto die. Etenim mense tertio (qui Siuan dictus, Maio nostrati respondet) die tertio (qui ab egressu dies erat quadragesimus septimus, aut quadragesimus nonus) ad montem Sinai, omnium ea in regione celsissimum, & quadam Numinis religione horrendum, peruentum est. Vbi Moses à Domino adscendere iussus, admonetur: vt populus in tertium diem (qui futurus erat quinquagesimus, siue πεντηκοστῇ ab egressu, & sextus dies mensis ineuntis) omni animi corporisque cultu, sanctimoniæ operam darent, Dei voces legesque audituri. Porrò legem fuisse datam non die tertio mensis, vt olim aliqui censuêre, sed sexto mensis vt diximus, tertio verò post sanctificationem Populi testantur Hugo, Abulensis, Caietanus, Baronius, Franciscus Suarez, Cornelius, Sanctius, Barradius, Ribera, Torniellus, Salianus, Perauius, Menochius, Henricus Philippi & Calendarium Hebræorum: nam Pascha in decimam quintam mensis primi incidit, Pentecoste verò in sextam tertij mensis; nec dubium est legem traditam die ipsa Pentecostes. Posteaquam verò Deus monti institisset validis tubarum clangoribus aër perstreperet & densæ nubes, crebris cum tonitribus & fulminibus ingeminari. Et Moses quidem cum Aarone in montis cacumine, propter Deum; populus vero, de loco castrorum egressus, cum reliquis Sacerdotibus circa montis ima consistere. Inter hos terrores lex data siue decalogus ex ore Domini, siue Angeli, postea à Moyse in librum relatus. Leges autem geminas Deus præscripsisse videtur; ex quibus vna quæ ad Religionem decem præceptis comprehensam; altera quæ ad iudicia, siue disciplinam ciuilem, pertineret, quæque potissimum de cæde, furtis, vsura, stupris, & falsi testimonij dictione, &c ageret. Quumque ea Deus, quæ dixi, palàm promulgaret: & tubæ nihilominus circumstreperent, lampadesque inardescerent; & fumo mons vndique omnis obtegeretur; populus præ timore rei insolentis cohorrescens, neque Dei vocem sustinens poposcit à Moyse, vt ipse solus cum Deo colloqueretur, & audita ad se referret. Ille autem propria iudiciorum præcepta à Deo iussus est exponere. Erat autem fecialis Moyses quippe Exodi decimo nono capite vocauit Dominus Moysem, & ait: *Hæc dices domui Israel: vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis: si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale & gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. Venit Moyses & conuocatis maioribus populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus.* Nimirum decem præcepta ad componendos mores erga Deum, & homines quæ continentur capite vigesimo. Deinde quæ ad iuridicam administrationem illius Reipublicæ spectabant, & habentur capite vigesimo primo, & duobus sequentibus, & demum quæ ad Religionem & cultum Dei attinebant à capite vigesimo quinto enarrata. Populus autem obligauit se ad ea seruanda
Exod. 24. vna voce dicens: *Omnia verba Domini quæ locutus es, faciemus, & erimus obedientes.* Ritibus autem fœderalibus hoc pactum sancitum est postero die à lege accepta. Tunc Moyses, altari ex duodecim lapidibus ad montis radices extructo; siue duodecim titulis, aut columnis per duodecim tribus erectis, totidem vitulos immolauit; & populum sanguine adspersit.

sit,

sit. Sanguinem fœderis, quod Deus ex recenti legis lectione, & adprobatione cum illis pepigerat, interpretatus.

At dices apud Hieremiam videri pactum vetus sancitum ipso Ægyptiaci exitus die. Dicit enim: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti.* Huic obiecto respondet sic sanctus Anselmus: *Totum illud tempus vocat vnum diem, ex quo cœpit illis in Ægypto per Moysem prouidere, & saluti eorum consulere, quousque in terram promissionis illos introduxit: Iure enim totum illud temporis spatium nomine vnius diei significat, quia semper illis apparuit, semper cum illis misericorditer egit, & in parte illius diei legem illis inter cætera beneficia contulit, postquam de manu Pharaonis potenter eos liberauerat.* Itaque dies iuxta Anselmum, sumitur pro tempore. Dici etiam potest secundùm vsum Scripturæ, id quod non longè abest ab aliquo tempore & loco insigni, in eo censeri fieri, atque in hoc ipso exitu Israelitici populi de Ægypto satis suppetunt exempla. Multa enim quæ aliquot non modò diebus, sed mensibus contigerunt post egressum Ægypti, dicuntur facta, quando Israël egressus de Ægypto est, vt datum manna, & occursus Moabitarum. Porrò quâ die Hebdomadæ data lex fuerit, inquiri potest? Fuisse die Sabbati tenent Hebræi, & omnes qui inscribunt Exodum sextæ feriæ, quibus assentitur Henricus Philippi. Ij verò qui malunt exitum ab Ægypto quintâ feriâ accidisse, promulgationem legis sextæ feriæ tribuunt. De mense & die Romano datæ legis eędem sunt sententię ac de mense & die Ægyptiaci exitus. Henricus Philippi putat legem datam ante æram Christi anno 1497. Sabbato, die sextâ Iunij. Petauius verò anno 1531. feriâ sextâ, die vigesimâ tertiâ Maij.

Ierem. 31.

In Ep. ad Heb.

CAPVT XIV.

Quo tempore cœpit nouum Testamentum: An in monte Sion, an in deserto Capharnaum?



CIRCA tempus initiati noui Testamenti maior esse dissensio videtur. Mihi autem nulla est. Theodoretus vult in monte cœptum, cùm Beatitudines Apostolis prædicauit Christus. Illa Ieremię verba iuxta Septuaginta: *Quoniam hoc est testamentum, quod disponam domui Israël, & domui Iuda post dies illos dicit Dominus: Dabo leges meas in mentibus eorum, & in pectore cordis eorum scribam eas, & ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Sic commentatur Theodoretus: *Hoc rebus ipsis demonstrauit nos Deus: Cùm enim sacros Apostolos abduxisset in montem, non dedit eis tabulas lapideas, sed in cordibus eorum inscripsit leges diuinas, & dantibus operam virtuti beatitudines obtulit.* Porrò hic mons in tribu Nephtalim, iacebat ab vrbe Capharnaum tribus milliaribus versus Occidentem, & totidem à ciuitate Sephet versus Orientem distans, nec procul à mari Galileę aberat, nunc vocatur mons Christi, quoniam in eo Christus solitus fuit orare & prędicare; ibi elegit duodecim Discipulos in Apostolos, ibi sedens prolixo & miro sermone docuit Beatitudines, & Euangelicam perfectionem, modum quoque vtiliter eleemosynas erogandi, Deum Patrem orandi, & sincerè ieiunandi. Monens etiam non alibi quàm in cęlo thesaurizandum, omnémque de victu, & vestitu solicitudinem in Deum projiciendam. Atqui sedulò pręcipiens, non temerè iudicandum, aut docendum, orationi verò vigilanter instandum. Vrgens porrò arctam virtutis viam sine mora capessendam, & per angustam portam ad vitam intrandum. Denique à pseudoprophetis diligenter cauendum, suęque huic doctrinæ firmiter inhęrendum. Ostenditur etiamnum ibi lapis, in quo IESVS Christus pręducans sedit, & loca in quibus Apostoli consedisse memorantur. Sunt qui Christum hoc quoque in monte quinque panibus & duobus piscibus, quinque hominum millia satiasse censent, ideoque locum hunc Christi & Apostolorum mensam appellant De quo alibi cum Adrichomio diximus, qui describens hunc montem, ait: *Formam habet oblongam: nam in longitudine duos teli iactus, in latitudine autem lapidis iactum continet; Altitudo eius tanta est, vt ex eo non solum totum mare Galilæa, & terra Zabulon & Nephtalim, sed & ciuitas Cedar, ac Trachonitis & Ituræa regiones, denique & Seir, Hermon, atque Libanus montes procul conspici possint. Naturâ totus herbosus, floridus & amœnus est, ac cælesti Philosophia conuenientissimus. Vnde &*

Christus frequenter hoc loco orauit, & docuit, hic diutinâ oratione integras noctes traxit.

Lyra tamen & alij malunt in monte Sion die ipsâ Pentecostes celebratum nouum Testamentum, cùm descendit in Apostolos sanctus Spiritus. Ita affirmat Chrysostomus sic inter alia dicens: *Illa lex data est post Ægyptiorum profectò perniciem in eremo in monte Sina, & fumo & igne ascendente de monte, & tubâ terribiliter insonante, & Mose in ipsam nubis caliginem intrante. In nouo verò non ita, sed lucente prorsus die, in domo sedentibus cunctis multâ cum mansuetudine. Et in veteri Testamento cùm Moses ascendisset in montem, descendit Deus, in nouo cum nostra in cælum, imò in ipsam Regalem thronum esset eleuata natura, Spiritus sanctus descendit de cælo.* Similiter sanctus Hieronymus super Ieremiam ait: *Nunc autem in Euangelio post crucem, resurrectionem, & ascensionem, dare se pactum, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus pollicetur.* Aliis non displicet in institutione diuinissimi Sacramenti Dominici corporis & sanguinis, & ipsâ morte Christi nouum Testamentum fuisse celebratum, quoniam ipse Christus professus est, calicem sui sanguinis esse noui Testamenti, dicens: *Hic est enim sanguis meus noui Testamenti.* Præterea ibi videtur incepisse nouum Testamentum, vbi desiit vetus. Vetus autem in ipsa morte Christi expirauit. Porrò institutum sanctissimum Sacramentum in monte Sion. Verùm, Dionysio, Vatablo, nostris Cornelio & Castro magis placet in vniuerso Euangelio datum fœdus nouum, quia per totum Euangelium pollicitus est Christus vitam æternam iis qui eius doctrinam amplexarentur.

Serm. de Pentecost. & hom. in Matth.

Omnes hæ sententiæ si rectè expendantur, non valde à veritate recedunt, atque idcirco si subtiliùs dispiciamus quæ fœdera contineant, verissimas omnes æstimo. Possunt tria considerari in solennibus consummandis fœderibus. Primum, pactum ipsum, hoc est, consensus seu promissio partium. Secundum, ritus quidam, & cæremonia, confirmatióque pacti. Tertium, res ipsæ in pactum deductæ, atque promissæ. Si primum consideremus per totum Euangelium factum, id est, vt quartæ sententiæ authores volunt, potissimumque in sermone montis, sicut Theodoretus author primi placiti putat, quoniam primus Christi Domini sermo, quem literis prodidit sanctus Matthæus, ille fuit. Si secundum spectemus in institutione sacramenti & Christi morte stabilitum est nouum Testamentum tunc Crucis sacrificium sanguis Christi & Eucharisticum epulum confirmarunt fœdus nouum, cuius illa fuerunt fœderales ritus, quo sensu vera est tertia sententia. Quod si tertium respiciamus, dicta sancti Hieronymi & Chrysostomi probari possunt: Quoniam enim res potissima noui fœderis gratia sit, & spiritus, atque ipse Christus Dominus pollicitus fuerat toti Ecclesiæ Spiritum sanctum qui charitatem diffunderet in omnium corda, quæ legem implet Euangelicam, Idcirco peculiari ratione dici potest in die Pentecostes consummatum nouum Testamentum.

CAPVT XV.

An plura quàm duo fuerint Dei testamenta?



QVOD si nouum Testamentum Euangelica doctrina sit auspicata, & vetus fœdus cum lege veteri sit exorsum; Quid dicendum erit de præcedenti æuo, an plura quàm duo sunt constituenda testamenta Dei. Et quidem Anastasius Nicenus quæstione quintâ & sexagesimâ in Scripturam, id videtur asserere ex quæstionibus aduersus Arrianos, dicens: *Homini data sunt vniuersè & in genere, quatuor testamenta: Vnum quidem diluuij datum est Noë sub arca: Secundum autem Abrahamo sub signo circumcisionis. Tertium verò legis sub Moyse: Quartum Euangelij per Dominum nostrum Iesum Christum.* Similiter Augustinus ait: *Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis vetere & nouo.* Etenim prisci Patriarchæ ad Testamentum vetus non attinebant, quod Eusebius in primo Euangelicæ Demonstrationis libro sic affirmat: *Hoc fuerat ipsum nouum Testamentum, quod non instar prioris illius, & veteris factum est. Vetus autem intelligito non sanctorum hominum, qui ante Mosem fuêre, sed quod legis loco vniuersæ Iudæorum nationi ab ipso Mose positum est. Quocirca oraculum ipsum adiungit ea quibus planum faciat, quodnam vetus illud dixerit esse, cui quidem nouum nihil simile*

Lib. 16. de ciu. c. 77.

Cap. 6.

simile habiturum ostendit, vbi dicit: Quondam testamentum nouum non secundum testamentum, quod condidi Patribus in die, quum ego apprehendi illos manu, vt educerem eos de terra Ægypti. Itaque quum secundum hoc dicit, secundum id quod legis loco à Mose positum est, intelligit. Hoc enim illud est, quod Iudæi quo tempore de Ægypto egressi sunt, traditum est. Cæterùm ipsi Patriarchæ non sine testamento aliquo fuerunt, vt ipse Eusebius his verbis notat: *Erant enim etiam ante Mosis legem mandata Dei alia, & cæremoniæ non similes iis, quæ à Mose tradita sunt: legésque aliæ ac præcepta Domini, per quæ illi iustitiam adepti sunt. Porrò autem, quòd non eadem essent cum iis, quæ per Mosem in legibus posita sunt, Moses ipse perspicuè demonstrat, vbi ait ad populum: Audi Israel iustificationes, & iudicia quæcumque ego loquor in auribus vestris in die hac; & discetis ea, & seruabitis, vt ea faciatis. Dominus Deus vester condidit vobis in Choreb testamentum: neutiquam patribus vestris condidit Dominus testamentum hoc, sed vobis. Et sanè specta, vt planè dicit testamentum hoc; propterea quod non idem illud patribus eorum constituit. Quod si absolutè non datum esse patribus eorum testamentum dixisset, in mendacium sanè illi recidisset oratio. Datum est igitur Abrahæ testamentum, datum est etiam Noë, sicut sacra testantur oracula. Atque idcirco cum adiunctione dixit Moses, non hoc datum esse patribus eorum, sic sanè alterum significans præstantius, atque excellentius: per quod amici, dilectique Deo agniti, dictique sunt.*

Priscos tamen sanctos, & quotquot piè & sanctè in lege naturæ vixerunt, pertinere ad nouum Patres confirmant, docti à sancto Paulo capite vndecimo ad Hebræos vocat: *nouì Testamenti hæredes.* Et Eusebius considerans Ieremiæ vaticinium, de nouo Testamento ait: *Visus igitur esset nouum Testamentum introducere, tanquam eius ritus contrarium, quem sancti illi Abrahæ similes viri, in diuino cultu sequebantur, nisi planè ipsis verbis significasset, vbi dixit: Non secundum testamentum, quod condidi patribus eorum, quo tempore eduxi eos de terra Ægypti. Ergo non secundùm illud quod legis loco à Mose positum est, quum egressi sunt, & quum in deserto morabantur nouum hoc futurum respondit, sed secundùm illud videlicet, quod primis temporibus in vita ciuili sectantes, qui ante Mosem floruerunt, tanquam ii, qui plenè officio suo functi essent, comprobati sunt.* Latissimè ibidem probat antiquos Sanctos ad nouum Testamentum spectare: Fœdus enim nouum duo complectitur, Vnum primariò, alterum secundariò. Primariò continet diffusionem gratiæ Spiritus sancti, qui legem Dei scribit in cordibus nostris. Secundariò externa aliqua præcepta, paucissima tamen. Gratiam igitur quod primarium est in nouo Testamento, habuerunt Patriarchæ ex vi eius, & sanguinis filij Dei. Vnde sanctus Augustinus libro primo de peccatorum meritis, & remissione: *Regnum mortis*, inquit, *sola in quolibet homine destruit gratia Saluatoris, quæ operata est in antiquis Sanctis, quicumque antequam in carne Christus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam, non ad legis literam, quæ iubere tantum, non adiuuare pertinebant.* Cap. 11. Hac itaque ratione meritò dicuntur prisci Sancti ad Testamentum nouum spectare, cum ex vi eius iustificati fuerint per Christum, quâ etiam ratione ante vetus Testamentum extitit. Dicitur autem nouum, quia promulgatum fuit post promulgationem veteris in monte Sina, & quia fœderales ritus eius & confirmatio noua sunt, sacrificio nouo mortis Christi, & epulo nouo Eucharistico celebrata, & quia mundo nouum fuit, & quia nouum hominem reddit. Egregiè sanctus Augustinus libro de spiritu & litera, capite decimo nono: *Propter veteris hominis noxam, quæ per literam iubentem minimè sanabatur, dicitur illud Testamentum vetus. Hoc autem nouum propter nouitatem spiritus, quæ hominem nouum sanat à vitio vetustatis.* Optimè quoque dixit Nicetas: *Nouum Testamentum ita dictum, non solùm à tempore, sed à natura earum rerum, quæ in eo contigerunt, quandoquidem omnia innouata sunt. Et in primis homo propter quem omnia extiterunt; nam & creatura noua facta est, & nouus homo, & vita noua, & noua mandata, & noua gratia, & nouæ pollicitationes, & noua sacramenta, & noua præcepta.* In Oratione 23. Nazianz. Imò quia multa præcepta veteris imperfecta, obscura, inutilia, sine gratia, nouè, hoc est, perfectius, & explicatius, & cum gratia promulgauit. Cùm autem Augustinus plura Dei testamenta pronuntiauit fœdera Dei, non testimonialia intellexit, quæ postea multa esse confirmauimus. Idem Anastasio Niceno respondendum est.

CAPVT XVI.

An Sancti veteris Testamenti ad nouum spectent? Et quo pacto vnum sit, & duo testamenta?


ÆTERVM eâdem ratione, quâ Patriarchæ, dicendum est Prophetas, & Sanctos veteris Testamenti ad nouum spectare, quod optimè disseruit Augustinus libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum, capite quarto, vbi ait: *Hi ad vetus pertinent Testamentum, quod in seruitutem generat, quia facit eos carnalis timor, & cupiditas seruos, non Euangelica fides, spes, & charitas liberos. Sub gratia verò positi, quos viuificat spiritus, & fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum, non carnalium sed spiritualium; non terrenorum, sed cœlestium; non temporalium, sed æternorum; præcipuè credentes in Mediatorem, per quem sibi non dubitant, & spiritum gratiæ subministrari, vt benè ista faciant, & ignosci posse cùm peccant: hi pertinent ad Testamentum nouum filij promissionis, & regenerati à Deo Patre, & liberâ Matre. Huius generis fuerunt antiqui omnes iusti, & ipse Moyses Testamenti minister veteris, hæres noui; quia ex fide quâ nos viuimus, vnâ eadémque vixerunt, Incarnationem, Passionem, Resurrectionem Christi credentes futuram, quam nos credimus factam, vsque ad ipsum Ioannem Baptistam, tanquam præterita dispensationis limitem quemdam.* At dices, cur vetus Testamentum institutum fuit. Audiamus præclara eiusdem Augustini verba in epistola ad Honoratum: *Volens*
Epist. 120. *itaque Deus ostēdere etiam terrenam, temporalémque felicitatem suum donum esse, neq; aliunde nisi ab ipso sperari oportere, prioribus sæculo temporibus dispensandum iudicauit Testamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, à quo ista vita, necesse est, incipiat. Sed illæ felicitates Patrum, Dei beneficio concessa prædicantur, quamuis ad istam vitam transitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur, & tribuebantur. In occulto autem illis omnibus rebus nouum Testamentum figuratè prænuntiabatur, & capiebatur intelligentia paucorum, quos eadem gratia prophetico munere dignos fecerat. Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum vetus, pertinebant verò ad Testamentum nouum. Nam & quando temporalem felicitatem agebant, æternam, veram, & præferendam, intelligebant, & istam ministrabant in mysterio, vt illam consequerentur in præmio. Et si quando patiebantur aduersa, ad hoc patiebantur, vt euidentissimo diuino adiutorio liberati, glorificarent Deum omnium bonorum largitorem, non solùm sempiternorum, quæ piè sperabant, verum etiam temporalium, quæ Propheticè gubernabant.* Hinc constabit maximum discrimen, vt alia prætermittam, inter vetus, & nouum Testamentum: illud imago, hoc veritas est, quanto scilicet homo pictus à vero, tanto vnum alteri excedit, quod egregiè notauit
Cap. 7. in fin. Ambrosius libro de Cain & Abel: *Testamentum dicitur, quoniam sanguine dedicatum est, vetus in typo, nouum in veritate.*

Hinc etiam liquefiet, cur dicatur à nonnullis Patribus, vnum esse testamentum vetus & nouum: nam breui hoc explicabo, sicut idem homo dicitur pictus & viuus; nihilominus cùm idem dicantur, diuersissimæ res sunt, vna simulachrum, altera substantia, & inter eas maximus interest dignitatis excessus. Illud signum est, hoc significatum, illud promis-
Lib. 4. cap. 20. sio, hoc adimpletio. Ideo Lactantius ait: *Iudæi veteri vtuntur, nos nouo, sed tamen diuersa non sunt, quia nouum veteris adimpletio est, & in vtroque idem testator est.* Et quidem pactum ipsum & fœdus in vtroque Testamento quoad partem præcipuam vnum est, atque adeò eadem hæreditas; nam vita æterna per Christum credentibus olim promittebatur, nunc exhibetur. Adiuncta tum erat Palestinæ promissio, vt figura, pignus, & arrhabo supercœlestis hæreditatis. Nouum fœdus illâ illecebrâ, postquàm apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri, non indiget: rectâ tendit in cœlum viâ. Si pro libris vtriusque fœderis accipiamus Testamenti nomen, nemo dubitat illos ita diuersos esse, vt tamen multis modis sint iidem. Natura itaque, & Dei instituto idem manet, quod semper fuit, Testamentum: circunstantiis & explicatione variatum fuit Non enim sunt dicenda duo testamenta, cùm vnum est alterius repetitio. Ita verè docet Augustinus quæstione quadragesimâ nonâ super Deuteronomium: *Hæc verba Testamenti quod mandauit Dominus Moysi statuere filijs Israel in terra Moab, præter Testamentum quod testatus est eis in Oreb, ostendunt vnde appellatus sit liber Deuteronomion, quasi secunda lex, vbi magis illius repetitio,*

quam

quàm aliquid aliud. Pauca enim sunt ibi, quæ non sunt in eo, quod primū datum est; nec tamen appellantur hæc duo Testamenta, quamuis hæc verba ita sonare videantur. Vtrumque enim vnum est Testamentum, quod in Ecclesia dicitur vetus: nam si propter hæc verba duo testamenta dicenda essent, iam non duo, sed plura essent, excepto nouo. Et in multis enim locis Scriptura dicit Testamentum; sicut illud quando factum est ad Abraham de circumcisione, vel illud superiùs ad Noë. Vti igitur partes Testamenti veteris non sunt plura Testamenta, cùm aut aliquid repetitur, aut aliquid redditur, quod rem ipsam & substantiam Testamenti non mutat: ita nec per nouum Testamentum abolita est vel pactio, vel hæreditas significata in veteri, concessa per nouum; quia tamen plurimæ circunstantiæ immutatæ sunt, hinc duo & diuersa Testamenta dicuntur, vetus reprobatum, nouum meliusque successisse. Apostolus exemplo hæredis, qui sub pædagogo, & eius qui iam suus est, exposuit. Porrò de præstantia noui Testamenti & discrimine à Veteri multi multa differunt, & disertè noster Vincentius Regius.

CAPVT XVII.

De aliis Dei fœderibus cum Abraham & Noë.



AT de aliis Dei fœderibus cum hominibus quid dicendum erit? Negari non debet strictum & legitimum fœdus cum Abraham ictum per cæremonialem illam diuisionem, cuius mentio fit capite decimo quinto Genesis, quæ instar iuramenti erat, atque *in illo die pepigit Deus fœdus cum Abraham.* Quod, vt diximus, iuxta legitimos Chaldæorum ritus firmatum est. Adiicit Cyrillus Alexandrinus libro aduersus Iulianum decimo. Apud posteriores talia quædam iuramenta apud Barbaros facta, & apud quosdam antiquiores. Vnde Sophocles in Antigone introducit quendam nuncium, cui etiam præceptum erat Polynicis corpus seruare:

Thebanorum duci dicentem: Creon hic erat:
Eramus autem parati, & ferrum tollere manibus,
Et ignem diuidere, & Deos adiurare.

Nam euntes per medium ignem, & ferrum ferentes manibus, faciebant iuramenta. Itaque vniuersorum Deus seniotis indulget pusillanimitati, iuxta Chaldæorum morem, dispensatiuè iuramentum interponens. Scriptum est enim, quòd Sole existente ad Occidentem, faces ignis per medias transierint diuisiones. Figurabatur autem iterum quasi in specie ignis diuina, & immaculata natura.

Alterum Dei pactum cum Noë initum, hoc est: *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram. Dixitque Deus, hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Hoc etiam fœdus legitimè sancitum exhibito à promittente signo, pro more humanorum pactorum, quem credo etiam ante diluuium viguisse. Tunc iam commercia erant, & suis solennitatibus paciscebantur homines. Nec opus est hic disceptare, an arcus Iris ante diluuium, & Noë visus fuerit, quod licèt neget Alcuinus, satius est differere anteà præcessisse, cùm res naturalissima sit, & signum cùm vespertinum est serenitatis: cùm matutinum pluuiæ, vnde Plautus de anu meribiba:

Bibit arcus, pluet credo hodie.

Et Ouidius:

Concipit Iris aquas, alimentáque nubibus affert.

Quam meritò Aristoteles & Plinius accensent naturæ. Ille libro quinto historiæ animalium scribit: Iridem multum conferre ad generationem mannæ, siue mellis aërij. Ad hæc Cap. 22. aspalathum, aliasque herbas odoratiores fieri per Iridem, tradit Plinius libro duodecimo, capite vigesimo quarto: *Est, inquit, aspalathus spina candida, magnitudine arboris modicæ, flore rosæ, radice vnguentis expetitâ. Tradunt in quocumque frutice curuetur arcus cælestis, eandem quæ sit aspalatho, suauitatem odoris exsistere: sed in aspalatho inenarrabilem quandam.* Idem libro decimoseptimo, capite quinto: *Terra, inquit, cùm à siccitate continuâ immaduit imbre, & in quam arcus cælestis deiecerit capita sua, tunc emittit illum suum habitum diuinum, ex Sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit.* Post diluuium verò, & post

hoc pactum Dei cum Noë, Iris à Deo instituta est in signum supernaturale huius pacti de non futuro deinceps diluuio. Et idoneè quidem: nam sanctus Thomas, & Abulensis obseruant Iridem naturale signum esse, quod proximè non sit fututum aquarum profluuiũ, vt ex eo fiat diluuium, quia ad hoc opus est, multas & crassas esse nubes, quæ in magnam pluuiam resoluantur: Illæ autem repugnant Iridi. Iris enim oritur in nube, non crassa & densa, sed rorida, opaca & concaua ex radiorum Solis oppositi reflexione. Hoc Dei pactum non obstat eorum existimationi (quantumuis certam non habeam,) qui censent post diem iudicij fore vniuersale diluuium, quo rursum tota terra aquis cooperiatur; sicuti iis initio mundi cooperta fuit; nam hæc promissio Dei, de non inducendo amplius diluuio, tantum extenditur vsque ad generationes huius sæculi, puta vsque ad diem iudicij, non vlterius. Ideo ait in generationes sempiternas Nec obinde certum censeo, quod Petrus Comestor scripsit in historia scholastica ad caput trigesimum quintum Geocsis: *Tradunt*, inquit, *Sancti, quod quadraginta annis ante diem iudicij, non videbitur arcus cælestis*; quia scilicet tunc summa erit siccitas, qua mundus præparabitur ad conflagrationem, quæ fiet sub diem iudicij. Sed hæc traditio friuola, & falsa est, falsoque attribuitur sanctis Patribus. Si enim tanta tunc foret siccitas, homines, animalia, & plantæ ex ea interirent, cuius contrarium nos docet Christus in capite vigesimo quarto Matthæi. Sed redeamus ad institutum nostrum.

Hæc Dei fœdera non ita strictè dici Testamenta possunt; tum quia per ea ius ad hæreditatem non conceditur; tum quia sanguine & morte non confirmantur. Pactum enim Noë non fuit sanguine sanctum, nec fuit de hæreditate. Pactum quoque cum Abraham quantumuis in eo animalium mactatio intercederet, fuit iuramenti cæremonia pro Chaldæorum ritu eiusmodi iurantium ad significandum quę posteris Abrahæ euentura essent, potiùs quàm solùm ad significandam mortem Christi; idcirco nulla aspersio sanguinis interuenit, sicut in fœdere intercessit Mosaico; ea autem quæ in fœdere Abrahami interuenerunt, hanc habent significationem. Vacca triennis indomita significat primam generationem Hebræorum, eorumque libertatem in Ægypto tempore Ioseph. Tunc enim liberè & lautè, instar iuuencæ pascebantur opibus Ægypti. Secundò, capra trima significat secundam generationem Hebræorum, quam post Ioseph instar capræ mulgere cœperunt Ægyptij, Hebræorum operis, & seruitute se ditando. Tertiò, aries durus & cornutus significat tertiam generationem Hebræorum generosissimam, & fortissimam, ac proinde durissima seruitute oppressam ab Ægyptiis, nascente Mose. Quartò, duæ aues non diuisæ, vti cætera, sed integræ in sacrificium oblatæ, significant, quod post quadraginta annos Hebræi liberi, & integri essent euolaturi ex Ægypto, vt Deum colerent, tum in deserto, tum in Chanaan. Turtur gemebunda significat quadraginta annos luctus, in peregrinatione per desertum. Vnde turtur Hebraice dicitur תור *tor*, à תור *tur*, id est, cogitare, meditari, eò quòd turtur intus loqui videatur, instar eorum, qui meditabundi secum loquuntur. Columba socialis significat tempus Iosue, quò Hebræi in terra promissa lætè & placidè habitarunt, pro columba, Hebraicè est גּוֹזָל *gozal*, id est, pullus columbæ, siue pipio, vt vertit Chaldæus. Hebræi enim recenter sub Iosue Chananæam ingressi, in ea fuerunt quasi pipiones. Dissectio quadrupedum significat afflictiones varias Hebræorum in Ægypto; harum finem significant aues integrę. Volucrum volatus ad cadauera significat Og, Seon, Amalech, aliosque hostes Israele peregrinãte inuadentes, & vellicantes. Abram volucres abigens significat Dei prouidentiam, Hebræos ob merita Abrahæ tuentem, & protegentem. Ita Theodorus, & Diodorus Tarsensis. Et ex his noster Cornelius, nec malè sanctus Augustinus libro decimo sexto de Ciuitate, capite vigesimo quarto disseruit: *Similitudo data*

Lib.16. de ciuit.c.24. *est de animalibus, iuuenca, capra, & ariete, & duabus uolucribus, turture, & columba: vt secundum hæc futurum sciret, quod futurum esse iam non ambigeret. Siue ergo per iuuencam significata sit plebs posita sub iugo legis, per capram eadem plebs peccatrix futura, per arietem eadem plebs etiam regnatura (quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum sint insignes articuli temporum ab Adam vsque ad Noë, & inde vsque ad Abraham, & inde vsque ad Dauid, qui reprobato Saule primus in regno gentis Israeliticæ est Domini voluntate fundatus: in hoc ordine tertio, qui tenditur ex Abraham vsque ad Dauid, tanquam tertiam ætatem gerens ille populus adoleuit) siue aliquid aliud conuenientius ista significent, nullo tamen modo dubitauerim spiritales in ea præfiguratos additamento turturis & columbæ, & ideo dictum est. Aues autem non diuisit: quoniam carnales inter se diuiduntur; spiritales autem nullo modo; siue à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant, sicut turtur, siue inter illas degant, sicut columba. Vtraque tamen auis est simplex & innoxia: significans & in illo Israelitico populo, cui terra*

illa

illa danda erat futuros indiuiduos filios promissionis, & hæredes regni in æterna felicitate mansuros. Aues autem descendentes super corpora, quæ diuisa erant: non boni aliquid, sed spiritus indicant aeris huius, pastum quemdam suum de carnalium diuisione quærentes. Quod autem illis consedit Abraham, significat etiam inter illas carnalium diuisiones veros vsque in finem sæculi perseueraturos fideles. Et circa solis occasum quod pauor irruit in Abraham, & timor tenebrosus magnus, significat circa huius sæculi finem magnam perturbationem, ac tribulationem futuram esse fidelium; de qua Dominus dixit in Euangelio: erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio. Fateor sanctum Augustinum libro secundo contra Faustum, & in libris de ciuitate Dei ista Dei fœdera appellasse Testamenta: at Testamentum iis locis pro solo fœdere accepit. Alia quoque pacta Dei, & promissiones in Scriptura reperiuntur, vt cum Dauide, & Salomone, & aliis de quibus sigillatim agere opus non est.

CAPVT XVIII.

Vtrum fœdus cum Adamo ictum fuerit Testamentum?

CVM Adamo quoque initum à Deo pactum certissimum est, imò sanctus Augustinus id pactum vocat omnium primum testamentum, dicens: *Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum profectò illud est: qua die ederitis morte moriemini. Vnde scriptum est in libro qui Ecclesiasticus appellatur, omnis caro sicut vestis veterascet, testamentum est à sæculo, morte mori eos, qui transgrediuntur præcepta Dei.* Lib. 16. de ciuit. c. 17. Hic etiam Testamentum pro mero pacto est accipiendum, nam sine sanguine sancitum est, & quoniam ante lapsum primi peccati fuit, non per mortem Christi; nec enim moriturus erat Christus, si Adam abstineret esu vetito. Quapropter illud pactum non fuit firmatum morte, ac proinde dici Testamentum eo modo quo alia non debet. Si qua autem valeat ratione testamentum dici postea videbimus. Quid dicendū post peccatum, an aliquod pactum cum Adamo rursus celebratum? nullum expressi fœderis testimonium habemus, nec apparatum fœderalium cæremoniarum. Haud enim legimus Adam sacrificasse, quamuis non nemo ex tunicis pelliceis id voluit colligere, scilicet Adamum mactasse animalia quædam, atque inde sibi & coniugi pelliceos amictus confecisse. Etenim Athanasius & Ephrē dixerunt teste Moyse Barcepha: *Mactatis eas pecudibus detraxisse primos Parentes, atque concinnasse in vestem Dei nutu.* Incertum hoc est, atque citatus ab eodem Barcepha, Ephrem ait: *fortasse coram illis iugulatas esse pecudes, vt earum carne ipsi vescerentur, coriisque nuditatem suam cooperirent. Denique ex ipsarum morte se quoque mortalia habere corpora intelligerent.*

CAPVT XIX.

An sacrificauerit Adam.

EXISTIMO nihilominus, vt obiter hoc moneam, aliquando Adam præceptum virtutis Religionis impleuisse & sacrificasse. De ipso loquens Moyses Barcephas libro primo de Paradiso capite vigesimo octauo inquit: *Fuisse Sacerdotem ex Dauidis Psalmistæ verbis cognoscitur, dum veluti loquentem Adamum cum Deo inducens, ait finxisti me, & posuisti super me manum tuam.* Sacerdotium enim manuum impositione confertur. Sanctus Gregorius Nazianz. carm. ad Virg. vocat hominem:

—— ἐχέφρονα μύστην
οὐρανίων, χθονίων τὲ μέγα κράτος ἄγγελον ἄλλον.
—— *Mente præditum Sacerdotem*
Cælestium, terrestriumq; magnum imperium Angelum alium.

Similiter Tertullianus libro de resurrectione carnis hominem dixit: *Religionis Sacerdotem.* Et Hugo Victorinus ait: *Credimus Deum docuisse Adam cultum diuinum, quo eius beneuolentiam* in Gen.

tiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare Deo decimas & primitias. Idem habet sanctus Athanasius in ea epistola qua tractat, quomodo Nicena Synodus animaduersâ Eusebij calliditate congruis & piis verbis decreta sua super Arriana hæresi exposuerit, ibi ait: *Quæ enim Moyses docuit, eadem ab Abrahamo obseruata sunt. Quæ porrò Abraham obseruauit, eadem Noe, & Enoch agnouerunt distinguentes munda & immunda, & gratiosi apud Deum fuerunt. Abel quoque huius rei testis habendus est, qui ea quæ ab Adam perceperat Deo obtulit. Adam autem magisterio Dei instructus fuit.* Conijcit Iacobus Bolducus duo oblationum, & sacrificiorum genera exercuisse Adam. Animalium videlicet, quæ ideo postea magis in vsu fuerunt, quia oblata ab Abel placere Deo visa sunt: & frugum fructuumque terræ, quæ non ita frequentata leguntur; ob id fortasse quod à Cain oblata à Deo despecta sunt propter suam malitiam, & impuritatem. Nihilominus tamen, quod dicitur, Deum non respexisse primò ad Cain, deinde nec ad munera eius, satis apertè indicat munera non displicuisse, nisi quatenus persona displicebat offerentis. Inde colligo, quod cum Cain primogenitus, & proinde Sacerdos tale sacrificium de terræ frugibus non nisi exemplo patris, cui in sacerdotio succedebat, obtulisse. A quo sicut arare terram ita & eius frugibus munera Deo offerre didicerat. Adijcit institutum, & obseruatum ab Adamo diem festum natalis vniuscuiusque filiorum suorum; in quo singulis annis ipse pro filiis, & quisque eorum pro se offerebant Deo sacrificia. Idque colligi potest ex iis, quæ in nonnullis codicibus ita cum parēthesi leguntur, verbis: *Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem eius Abel (fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola) factum est autem post multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Quæ si iuxta archetypum sine parēthesi legantur, facile quod dicimus apparebit: *Et Adam ipse cognouit Hauah vxorem suam, & concepit, & peperit Cain, & dixit: Acquisiui virum cum Domino. Et fuit in fine dierum, & adduxit Cain de fructu oblationem Domino: & Hebel adduxit etiam ipse de primogenitis pecudum suarum, & de adipe earum.* Vbi Fagius cum Aben Ezra dies pro anno sumunt, voluntque singulis annis certo & statuto tempore fratres ipsos munus suum ad certum locum, qui cultui diuino publico destinatus esset, attulisse; vt ita annua solemnitas, quâ ad colendum Deum publicè conueniebant, hac locutione denotetur. Confirmatur ex aliis locis, in quibus vox ימים *Iamim*, id est, dierum sumitur pro annis, vt in Deu-
Cap. 14. teronomio: *Anno tertio separabis aliam decimam, &c.* Iuxta Hebræum, *Post finem trium dierum.* Item in Leuitico: *Donec vnus impleatur annus*, &c. Aliquando vbi sermo est de ali-
Cap. 25. qua anniuersaria solennitate, iungitur nomen ימימה *Iamimah*, quam *dieitatem*, non malè quis dixerit, vt cùm agitur de anniuersaria solennitate Azymorum: *Custodies huiusmodi cultum statuto tempore à diebus in dies*, Pagninus vertit: *quotannis*; posset reddi *de die in dieitatem*, quasi vltima vox solennitatem diei, vel diem solennem significaret; Quod autem de non qualibet anniuersariâ die, sed de natali, quam Cain & Abel oblationibus, & sacrificiis annuatim celebrabant, intelligi queat, multa suadent. Primò quidem matris Euæ pia & deuota gratiarum actio in natiuitate Cain, cùm ait: *Possedi hominem per Deum*, hoc tanquam ex sola Dei bonitate sibi concessum beneficium agnoscentis. Idémque quasi de more fecit in natiuitate Seth, dicens: *Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel*, &c.
Gen. 4. Secunda constat ex ordine narrationis, statim enim ac de illorum natiuitate dictum est: *Rursumque peperit fratrem eius Abel*; additur, *Factum est autem post finem annorum*, supple eorum: non solum indicans illos sacrificia offerre cœpisse iam grandæuos; sed etiam præcisè annuatim id facere solitos fuisse. Deinde ex eo quod status & conditio vtriusque præmittitur, fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola; tam vt indicaretur, quod Abel vt pastor ouium, greges, Cain vt colens terram de fructibus laborum suorum offerre soleret: quàm vt breuiter significaretur, quomodo, & quando negotiis temporalibus orationes, oblationes, & sacrificia interfererent, non confusè aut ad libitum; sed iuxta leges à patre eis datas. Præterea, si pro natali totius mundi, sub cuius generalitate creatio Adæ comprehendi videbatur; festum Sabbathi generale omnibus statutum est pro communi omnium rerum creationis beneficio: congruum etiam fuit, vt Adam, qui plusquàm vllus hominum in se expertus erat, quantum esset Dei beneficium fieri ad imaginem Dei, singulis etiam hominibus natiuitatis diem celebrandum instituerit. Ad quod videtur Christus allusisse cùm dixit: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Qui quidem mos laudabiliter à Paganis obseruatus passim legitur cum sacrifi-

ciis,

ciis, & oblationibus, aliisque multis cæremoniis, non ex solo, vt credo, lumine naturali, sed ex consuetudine per traditionem ad eos vsque manata per filios, nepotésque Noë, primos post diluuium orbis terrarum incolas. De quo die natali intelligi videtur illa per ordinem vniuscuiusque diei sacrificiorum, & conuiuiorum filiorum Iob celebritas, cùm dicitur: *Et faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo, &c. Cùmque in orbem* (supple dierum anni) *transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis.*

CAPVT XX.

Vtrùm ad Angelos aliquod Dei Testamentum pertineat, & fœdus cum ipsis sit initum? An sacrificauerint cælestes spiritus?



HÆc de humanis fœderibus; procedamus ad sublimioris essentiæ pactionem. An cum Angelis aliquod inierit Deus fœdus? an illud Testamentum sit. Et quidem sicut cùm Adam factum, sic etiam aliquod sancitum cum spiritibus Angelicis fœdus, explicatâ ipsis conditione, seu præcepto, cuius im pletione admittendi ad cælum erant. Atque ideò nobiles Theologi censent omnes Angelos habuisse aliquod præceptum penès quòd probarentur. Sic censuit Ambrosius Catharinus libro de bonorum Angelorum gloriâ, & malorum lapsu; Pro eodem placito citatur Caietanus in secundum Genesis caput dicens: *Credimus enim Angelis impositam legem fuisse fidei supernaturalium credendorum, & supernaturalis felicitatis sperandæ.* Iisdem accedit Ouandus in distinctionem quintam libri secundi, & confirmat hominis exemplo, cui datum est præceptum penès quod probaretur, atque idem accidisse Angelis confulcit ex loco Apocalypsis, *Mensura hominis, quæ est Angeli*: & illo Matthæi: *Erunt sicut Angeli Dei. Ergo*, inquit, *sicut in gloria erunt æquales, & similes, ita fuisse debuerunt in merito, & in causa merendi, quæ est obedientia ad præceptum, & per consequens præceptum dari, & imponi.* Hoc præceptum & conditionem diuini, & Angelici fœderis adorationem Christi Domini, scilicet hominis Dei, credunt Iacobus de Valenria commentariis in Psalmos, Catharinus libro citato, & Viguerius capite tertio Institutionum, quibus sanctus Bernardus, & alij Patres videntur fauere. B. Amadæus in Apocalypsi sua huiusmodi exhibet Deum paciscentem cum Angelis: *Ero ego homo, & homo erit Deus, & si Deus, ergo & vester Dominus, & vester Rex, vester Princeps, & vos omnes subiiciemini potestati eius, & coletis eum, & adorabitis sicut me; quia ipse & ego vna persona erimus, vnicâ adoratione adorabimur à vobis. Illam quoque mulierem, quam in matrem elegi, præponam omnibus vobis; eritque Regina vestra, honorabitis, & coletis eam, tanquam Genitricem Dei, & Domini vestri. Hoc volo, hoc mando, hoc vobis iubeo: qui hæc fecerint, & facere voluerint, ostendam eis faciem meam, & gaudebunt in aspectu meo, in quo est bonum omnis boni in sempiternum; qui verò noluerint obedire huic decreto, cadent à loco isto ad locum tenebrarum & nebularum, & caliginum, atque donis, quibus vestiui, eis vlterius potientur, sed gratiâ meâ priuabuntur, & in locum detrudentur, in quo manere nollent, imo abhorrebunt, & semper amœnitatem, in qua nunc sunt, cupient, & nunquam habebunt.*

Apoc. 21. Math. 22. in Psal. 81. & 82.

Vtcumque hoc fuerit, aut acciderit fœdus, de quo nunc disceptare opus est, quæ in illo solennitas fuerit, & an fuerit, ignoratur, quamuis Angelis non repugnaret sacrificialis aliqua cæremonia. Videmus siquidem in sexto Iudicum capite, Angelum sacrificium fecisse, vbi dicitur: *Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farina modio azymos panes, carnésque ponens in canistro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde. Cùmque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos; ascenditque ignis de petra, & carnes azymósque panes consumpsit, Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius.* Hic qui Sacerdotale munus peregit Angelus fuit, non Gedeon, quippe Gedeon non erat ex Sacerdotali tribu, sed ex tribu Manasse, & extra locum Tabernaculi id sacrificium peractum: quapropter Theodoretus, Caietanus, Montanus, Serarius, Bonfrerius, & Tirinus malunt Gedeonem hic non sacrificasse, sed solum ministrum egisse, afferendo, & componendo victi-

mam in altari ex imperio & præscripto Angeli, qui seipsione suo ignem è petra educens, vltimam, proximámque operam sacrificio impendit. Ac proinde Sacerdotis partes hic egit Angelus, Deo omnium Domino sic iubente. Vnde Theodoretus quæstione duodecima in Iudicum librum dixit: *Angelus honorem Deo debitum non surripuit, verum Sacerdotis officio fungens, vbi virga percussit petram, igne prodigioso hostiam accendit.* Quapropter, quod paulò antè dixit: Gedeon dicit, se sacrificium allaturum, & oblaturum Angelo: nonnisi materialiter accipi potest: nam formaliter afferebat illud Gedeon pro munere conuiuali, quod ex intentione Gedeonis fecuiret pro prandio, sed voluntate Angeli conuersum fuit in sacrificium. Nec obstat cùm nocte sequenti iussit Deus Gedeoni, vt taurum sibi in eadem petra immolaret, cum ipso etiam Gedeone dispẽsasse, vt sacerdotij munere fungeretur, offeretque holocaustum procul à loco tabernaculi, sicut postea dispensauit eum Samuele, Elia, & aliis quibusdam Nam vt optimè notat sanctus Augustinus, Ita Deus legitima illa sacrificiorum constituit, vt leges non sibi, sed hominibus daret. Vnde poterat, quandocumque placeret, extra legis suæ limites ius sacrificandi dare quibus vellet, seu hominibus, seu Angelis, & quocumque loco, aut tempore, aut modo vellet.

CAPVT XXI.

Vtrùm pactum cum Angelis initum sit Testamentum?

CÆTERVM eam rationem Testamenti, quatenus morte confirmatur, Angelorum pactum non habet, siquidem non habebant opus per Christi mortem admitti ad hæreditatem cælestem. Dubium potest esse, an absolutè dici testamentum queat iuxta proprietatem significati huius nominis, siquidem testamentum putant dici quasi testationem mentis, cui etymo fauit Seruius Sulpitius, & Iustinianus in suis institutionibus. Cùm igitur in Angelico fœdere fuerit etiam testatio mentis, & voluntaris diuinæ, Testamentum pariter dicendum videtur. Verùm illa nominis ratio & interpretamentum non probatur peritis, & Gellius sic refellit opinionem Iurisconsultorum. Seruius Sulpitius Iurisconsultus, vir ætatis suæ doctissimus, in libro de testamentis secundo, quà ratione adductus, Testamentum verbum esse duplex scripserit, non reperio; nam compositum esse dixit, à mentis contestatione. Quid igitur Calceamentum? Quid Paludamentum? Quid vestimentum? Quid alia mille, per huiuscemodi formam producta? Etiamne ista omnia composita dicemus? Obrepsisse autem videtur Seruio, vel si quis alius est, qui id prior dixit, falsa quidem, sed non abhorrens, neque ineoncinna, quasi mentis quædam in hoc vocabulo significatio. Eo tamen modo dici testamentum potest Angelicùm fœdus, quatenus datum Angelis ius ad hæreditatem per irreuocabilem Dei voluntatem. Et idem dicendum est de primo cum Adam pacto in innocentiæ statu. Namque ideirco expectatur mors inter homines, vt ratum sit testamentum, quia viuentium est mutabilis, atque vt iuridicè loquar, deambulatoria voluntas, quæ tunc firma & stabilis habetur, cùm mors abscidit arbitrium, & volubilitatem mutandi: ac decretum diuinæ voluntatis immutabile est, nec opus est mori vt Dei voluntas firmetur, & Angelos ad hæreditatem admitteret cælestem; cuius hæredes Angeli esse possent, & ipsam possidere, vnà cum ipso hæreditatis Domino: diuersas quidem conditiones, & nobiliores habet cælestis hæreditas, quam humanæ habent, & quas obseruauit sanctus Ambrosius, subiicere non iuuat: *Non ad vnum quidem, non ad paucos, sed ad omnes testamentum suum scripsit IESVS; omnes scripti hæredes sumus, non proportione, sed pro vniuersitate. Testamentum commune est, & ius omnium hæreditas vniuersorum, & soliditas singulorum. Nouum tamen Testamentum singuli adeunt, & omnes possident. Nec minuitur hæredi, quicquid à cohæredibus vindicatur, manet emolumentum integrum, & eo magis singulis crescit quo pluribus fuerit acquisitum. Alia conditio est hæreditatis humanæ, si diuisa fuerint emolumenta, minuuntur, & hæredis est damnum, asscriptio cohæredis. Indiuisum regnum Christi est, indiuisa hæreditas, cùm hæreditatis fructus sit indiuisus quod est regnum cælorum. Aurum, argentum, prædium, ab homine pluribus derelictum distribuitur ac secatur, solida ad singulos Christi dona peruenient, omnes habent, & nemo fraudatur. Audiamus igitur commoda hæreditaria: Remissio peccatorum, hæreditas Christi est, Certè solida per singulos, & in commune est lucratiua. Quibuscumque enim collata fuerit, solida est,*

est, nulli decedit, accedit omnibus. Corpori acquiritur, quidquid vnicuique relaxatur. Nam si Angeli super vno peccatore pœnitentiam agente, lætãtur, quia lucrum suum putant hominis redemptionem; quanto magis lucrum est generis, quod est lucrum naturæ? Hæreditas Christi est resurrectio, Hanc quisquam damnum suum dixerit, quæ in vno communis gratiæ nomen inuenit? Christus enim resurgens, omnibus surrexit: quoniam per hominem, resurrectio mortuorum. Quomodo igitur potest singulorum esse dispendium, quæ est totius corporis, & humani generis reformatio?

CAPVT XXII.

Quale fuerit volumen fœderis, an duo? Vtrùm vnum dilacerauerit Moyses.



EDEM nunc referamus ad vetustum fœdus, vt consideremus nonnulla, quæ ad ipsum spectabant. Imprimis ecquod esset *volumen fœderis*, quod in celebratione veteris testamenti aspersum sanguine fuit teste Apostolo: *Lecto, inquit, omni mandato legis à Moyse vniuerso populo accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua & lana coccinea, & hyssopo ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit dicens, hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Non hæc omnia explicata in Exodo habemus, vbi dicitur: *assumensque volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait, hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscũ super cunctis sermonibus his.* In primis quærendum est à quo fuerit scriptum hoc volumen. Dicendum à Moyse, quod sacra pagina explicat capite vigesimo quarto Exodi dicens: *scripsit Moyses vniuersos sermones Domini.* Deinde dubium est, quid isto fœderis volumine contineretur. An tota sacra Scriptura illatenus scripta, & liber Genesis ibi expressus? hoc quidem fatetur Rabbi Salomon, qui vult omnem Genesim, & Exodum vsque ad vigesimum caput, ibi scriptum. Sed quo fundamento hoc asseruit, ignoratur. Tertiò, an Decalogus ibi exaratus fuerit? Negat interlinearis glossa in volumine fœderis, hoc est, scriptura, quæ continet fœdus, scripsisse Moysem decem mandara, quoniam tabulis inscripta illi fuerint tradita. Verosimilius tamen est ipsum Decalogum in volumine fœderis scriptum fuisse, quandoquidem potissima fœderis pars erat, atque idcirco oportuit cum cæteris legibus in volumine eius fœderis transcribi. Existimo igitur in eo volumine scripta fuisse decem præcepta, & leges omnes, quas à Deo acceperat populus. Et prætèrea promissiones Dei, ea scilicet, quæ Deus populo esset donaturus, si leges & pactum suum fideliter obseruarent, nimirum tertam promissionis. Itaque libellus erat, quem nocte diei Pentecostes post datam legem scripsit Moyses dictante Domino, qui continebat Dei præcepta, & vniuersos sermones Domini, quotquot continentur à capite vigesimo Exodi vsque ad caput vigesimum quartum, vt constat ex illis verbis, quæ post narratam legis promulgationem dicuntur: *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, & mane consurgens ædificauit altare ad radices montis.* Legit ergo Moyses hoc volumen populo continens Dei mandata, quæ erant conditiones ineundi cum Deo fœderis: populus deinde promisit se ea seruaturum.

Heb. 9.

Exod. 24.

Quæsitu etiam dignum est, an hoc volumen fœderis dilaceratum à Moyse fuerit? siquidem ob Israëliticam idololatriam tabulas fœderales perfregit. Quoniam redintegrato fœdere capite trigesimo quarto Exodi iubet Deus Moysi: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus.* Quaptopter videtur primum fœderis volumen rescissum, cum rescribi eius verba oportuerit, & quidem Abulensis, Oleaster, Cornelius, & Bonfrerius censent verba, quæ scribi hic iubet Dominus, non Decalogum solum fuisse, sed alia præcepta repetita à Domino. Sub cæremonialibus enim, quæ ibidem reperiuntur, cõprehenduntur iudicialia, & Decalogica, quæ fuerant narrata à capite vigesimo vsque ad vigesimum tertium Exodi: hæc omnia scripta erant in volumine illo fœderis, quod lectũ fuit Israelitis capite vigesimo quarto in ipsa fœderis percussione: quod volumen ait Bonfrerius verisimiliter Dei iussu à Moyse erat disruptum, vti & fractæ tabulæ, postquam Israëlitæ per idololatriam fœdus violauerant. Itaque iubet Deus eadem nunc rescribi

quandoquidem de nouo pristinum fœdus velit restitui. Cornelius autem non aliud volumen fœderis rescriptum vult, sed sufficere ad hoc ipsum librum Exodi in quo scriptum à Moyse hactenus habemus verba Dei, quibus cum populo pepigit fœdus; Contra tamen Augustinus quæstione centesima sexta in Exodum, Glossa interlinearis, Dionysius Carthusianus Decalogum intelligunt (hæc enim propriè verba fœderis dicuntur) eaque in tabulis lapideis scribenda, cùm paulo post sequatur versu sequenti: *Et scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Vtique vt illis videtur Moyses; neque enim aliud suppositum antecessit. Eundem Decalogum intelligit Lyranus, & Caietanus per *verba hæc*: ea tamen volunt, nō in tabulis à Moyse dici. Verum *verba hæc* non esse restringenda ad Decalogum, sed illud demonstratiuum *hæc* demonstrare verba & præcepta, quæ paulo ante Deus repetierat, probari potest satis perspicuè ex Hebræo, Chaldæo, & septuaginta. Etsi enim noster Textus aliquantum sit ambiguus (postquam enim dixit: *Scribe tibi verba hæc*, subdit, *quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus.* Quæ sententia posset ad Decalogum restringi, maximè si *verba hæc* capiantur pro *verba ista*, nec per illa designentur ea, quæ hic antecedunt, sed in genere ea quæ adhibuit Deus in fœdere sanciendo. Nihilominus tamen hunc sensum non admittunt Hebræa, Chaldæa, Septuaginta, in quibus non habetur illud relatiuum *quibus*, sed particula causalis *quoniam*, vel *enim*. Sic enim habent Hebræa, & Chaldæa. *Scribe tibi verba hæc, quoniam per os*, siue *sermonem verborum istorum percussi tecum fœdus, & cum Israel.* Septuaginta verò: *Scribe tibi verba hæc, in his enim sermonibus posui tibi fœdus & Israeli.* Hæc enim sententia, provt ab eis effertur non potest restringi ad Decalogum, neque de aliis verbis intelligi, quàm quæ eo capite antecesserunt. Porrò versu sequenti cum dicitur, *scripsit in tabulis*, censeo cum Abulensi, Lyrano, Oleastro, Vatablo, Caietano, Lipomano, Emanuele Sà, Torniello, mutandum suppositum, & necessariò subintelligendum *Deus*, quod est suppositum remotius, vt in non nullis Scripturæ sententiis vsuuenit. Certum est autem hoc de Moyse intelligi non posse, cum initio capitis dicat Deus se scripturum in tabulis à Moyse dedolatis Decalogum; multoque magis res hæc fit perspicua ex Deuteronomij decimo. Vbi Deus non tantum de se dicit *scribam*, sed etiam paulo post dicitur Deus scripsisse in tabulis, iuxta id quod prius scripserat verba decem. Neque verò ea scriptio Moysi adscribi potest, nisi vel cum Carthusiano velimus superfluum hic fingere miraculum, vel Deum difficili molestaque in lapide sculptura inaniter Moysem onerare voluisse.

CAPVT XXIII.

De Arca fœderis seu Testamenti.



CONSIDERANDA quoque est arca fœderis quanti apud Deum fieret, vt exinde Testamentum suum commendaret, & pacti obseruantiam admoneret, quandoquidem vt fœderis sui tabulæ seruarentur, pretiosissimam illam arcam iussit fabricari ex imputribilibus lignis Sethim auro intectis, qua nihil sacratius Hebræos habere voluit: hæc sola in loco sacratissimo sancto sanctorum reposita: hæc à Psalmographo vocatur scabellum Dei insidentis super alis Cherubin, quas supra Propitiatorium extendebant. Nemini eam detectam præter Sacerdotes videre licebat. Hæc Dux populi Israelitici, hanc portare soli Sacerdotes, vel Leuitæ tectam poterant, hæc in tabernaculo, hæc in templo Salomonis reposita. Hæc siue Deus per arcam miranda patrauit: fi-
Leu. 10. lios Aaron, Nadab, & Abiu coram ea offerentes super igne alieno incensum occidit, sicut & ducentos quinquaginta Leuitas cum Core, qui non erant de semine Aaron offerentes itidem incensum. Aaronis virgam germinare fecit. Iordanis alueum exsiccauit. Mœnia vrbis Iericho conquassauit. Idolum Dagon capite & manibus mulctatum deiecit. Philistæos percussit in secretiore natium parte. Quinquaginta milli a plebis Bethsamiticæ, & septuaginta honoratiores interfecit. Ozam quoque vita mulctauit. Obededom Gethæo attulit benedictionem. Oziam Regem lepra percussit. Denique arca vocata est virtus, pulchritu-
Cap. 4. do, & gloria Israelis capta enim à Philistæis dicitur in libro Regum primo: *Translata est gloria Israel, quia capta est arca Dei.* Et Psalmus ait: *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem in manus inimici.* Qua gloria functus Israel est vsque ad Babylonicam captiuitatem: tunc Hieremias Propheta arcam & tabernaculum extulit in montem Nebo,

ex quo Moyses terram promissionis prospexit, & in spelunca quadam vnà cum altari Thymiamatis abscondit, quemadmodum constat ex secundo libro, & capite Machabæorum, dicens: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi.* Hinc sanctus Epiphanius in vita Moysis & Dorotheus in Synopsi capite de Hieremia, & alij tradunt arcam non fuisse in secundo templo post regressum è Babylone fabricato. Planè Iosephus cum templum suo tempore euersum esset à Romanis, nihil omnino fuisse in sancto sanctorum affirmat libro sexto de bello Iudaico. Melior profectò testis Iosephus, quam Petrus Comestor, & alij, qui contrà existimant. Scribit enim Comestor in historia scholastica libri Iudith capite tertio fuisse arcam inter spolia à Romanis abductam cum candelabro & mensa. Falsum quoque est, quod idem prodit in capite quadragesimo sexto libri Exodi seruari arcam Romæ in Lateranensi templo, atque vtrumque refellit Abulensis. Explodendum quoque est; quod alij asseuerant Titum & Vespasianum Imperatores in triumpho suo duxisse arcam; quoniam in arcu triumphali eiusdem Titi, qui Romæ cum integra inscriptione extat, arca videtur portari in ea pompa. At Iosephus testis oculatus eius triumphi id non prodidit memoriæ, sed tantùm hæc narrat: *Multæ autem naues sequebantur, spolia verò alia, alia quidem passim ferebantur. Eminebant autem duces eorum, quæ apud Hierosolymam in templo reperta sunt, mensa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum quidem similiter auro factum, sed opere commutato abusus nostrâ consuetudine: nam media quidem columna basi hærebat, tenues autem ab eo cannulæ producebantur formatæ ad similitudinem fuscinæ, & summum cuiusque in Lychni speciem fabricata, erant autem numero septem, septimi diei, qui apud Iudæos est, indicantes honorem; post hæc autem portabatur lex Iudæorum nouissima spoliorum, deinde transibant plurimi victoriæ simulachra portantes omnia ex auro, & ex ebore facta.* Nulla hic commemoratio arcæ. Quapropter illa sculptura in arcu Titi, non fuit nisi mensæ illius aureæ, cuius Iosephus meminit, vbi etiam candelabrum apparet. Aliqui scribunt occultatam arcam, & occultandam vsque ad finem sæculi, tunc verò manifestandam ad Iudæorum conuersionem. Sanctus Epiphanius in Hieremiæ vita hæc habet: *Hic est ille Propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, quæque fuêre in ea singula, & curauit ea absorberi in saxum Et locutus est Sacerdotibus plebis, & quicumque aderant maioribus, Profectus Dominus à Sinà in cælos, sed reuertetur in maiestate & virtute diuinâ. Et hoc indicium aduentus ipsius erit, quando gentes vniuersæ ligno supplicabunt. Addidit prætereà: Arcam hanc nec quisquam reserauit vnquam, neque Sacerdotum, neque Prophetarum, excepto Mose electo Dei. Tabulas, quas continet ipsa, nullus explicauit præter Aaron. Cæterùm in resurrectione primùm arca surget, & prodibit è saxo, inque Sina monte locabitur, & omnes Sancti ad eam confluent, vt illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat. Tunc saxum sigillauit digito, inscribens nomen Domini, & factus est typus instar sculpturæ ferri, & nubes petram cooperuit, & eum locum nemo nouit. Quin ne nomen quidem vsque in hunc diem, & vsque in consummationem sæculi datur legere. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, vbi primitùs fabricata est arca in medio montium, in quibus iacent Moses & Aaron sepulti, in noctibus porrò nubecula nitet modo ignis eodem loci. Pro typo qui erat ab initio, quoniam nunquam cessabit maiestas Dei à lege eius.* Vnde hoc acceperit Epiphanius ignoro. Fides penès ipsum sit.

Cap. 6. hist. schol. in lib. Iudith c. 5.

q. 4. in cap. 25. Exod.

Lib. 7. de Bell. c. 24.

CAPVT XXIV.

Vtrùm in arca Testamenti volumen fœderis vel Deuteronomij contineretur?

VÆ autem in arca fuerint, exploremus. An volumen fœderis, cùm ipsa vocetur arca fœderis, an aliud sacrum volumen. Plane codex fœderis non est, vnde colligatur inibi fuisse, cum id sacra Scriptura non indicet: namque post arcæ fabricam descriptam, & iussam ait Dominus: *Ponésque in arca testificationem quam dabo tibi.* Volumen autem fœderis ipse scripsit Moyses, & iam illud habebat, non accepturus erat. Quare testificatio, quæ iussu Dei in arca ponenda edicitur, lex erat, hoc est, lapideæ tabulæ, quas postea Deus dedit, & accepit Moyses. Dicebatur quippe lex testimonium, aut testificatio, quoniam diuinæ attestationem voluntatis cōtineret, atque in ea Deus reliquit testatum quid fieri ab hominibus omnino velit, quod

placet Vatablo, Emanueli Sà, & Torniello. Et cum hoc sit summa diuini fœderis; ideirco arca fœderis est appellata. Siue quoniam tabulæ testarentur, Iudæos legem accepisse à Deo, vt vult Lyranus, & Dionysius Carthusianus. Siue quoniam fœdus in Deum & populum initum contestarentur. Quapropter arca Testamenti, & testimonij, & fœderis aptè dicta videtur, quod malunt Abulensis, Montanus, Oleaster, & Caietanus. Siue quoniam in Tabulis, vt placet Forstero, & aliis diuinæ leges continerentur, quæ in scriptura testimonia, & testificationes appellantur: Quamuis enim diuina promissa seruantibus legem, aut minæ violantibus magis propriæ testimonia, seu testificationes dicantur. Vsurpantur tamen interdum hæ voces pro quauis lege diuina, præterquam quod hæ tabulæ vel expressè, vel tacitè diuina promissa cōtinerent. Quandoquidem cum Decalogus promulgatus fuit, primo, secundo, & quarto præcepto promissa, vel minæ additæ sunt, quæ vel in tabulis expressæ sunt, vel implicitè contentæ.

An autem præter tabulas fuerit in arca liber Deuteronomij dubium est. Plurimi id asseuerant, quoniam in trigesimo primo Deuteronomij capite dicitur: *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri vt sit ibi contra te in testimoniū.* Verùm ex libro Regum tertio, & Paralipomenon secundo liquet in arca fuisse dumtaxat legis tabulas, quas in ea Moyses posuerat. Ergo nec liber Deuteronomij ibidem fuit inclusus. Quapropter noster Ribera scribit: si verum esset, quod authores illi de capsula extra arcam facta commentabantur, ad hunc librum referendum esset; sed quoniam id commentitium esse diximus, omnino videtur respondendum præcepisse quidem ad Moysem, sed non fuisse factum, aut quoniam arcam eo mortuo aperire non sunt ausi, aut alia de causa, & Moysi præcepto non obtēperasse tunc temporis. Verùm melius dicemus, positum fuisse librum Deuteronomij in latere arcæ, id est, ad latus, videlicet, extra, & prope arcam Hebraicè מצד *mitsisad*, id est, *à latere*. Atque hunc librum non seruatum fuisse in arca, sed in tabernaculo, ac deinde ad locum thesaurorum translatum templo ædificato, intelligi videtur ex secundo Paralipomenon trigesimo quarto, vbi scriptum est: *Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat, in templum Domini, reperit Helcias Sacerdos librum legis Domini per manum Moysi: & ait ad Sapham scribam: librum legis inueni in domo Domini.* Verisimile quidem est arcam semel impositis tabulis propitiatorio inclusam nunquam deinceps fuisse apertam: atque adeo non reclusam, vt postmodum Deuteronomij liber includeretur, multo minus vt inde educeretur. Legitur autem in quarto Regum, & secundo Paralipomenon libro exportatus templo Deuteronomius codex. Et primo quidem inuentus in gazophylacio dicitur, vnde efferebant pecuniam: quapropter elatus sanctuario tunc fuerat. Postmodum ad Regem delatus idem liber, atque ex hoc quod posterioribus temporibus fuerit hoc volumen extra sanctuariū eductum constare videtur, nunquam fuisse in arcam illatum, quandoquidem postquam stabilem sedem habuit arca, nunquam fuit conspecta ab inferioribus Sacerdotibus, & à summis non nisi semel in anno, atque per nebulam incensi: adeo summa cum reuerentia arca est habita, etiam ipsis Pontificibus, vt nec accedere ad eam auderent, minus recludere præ metu venerationis pleno, cum maximè cum Deus subito Betsamitarum, & Ozæ interitu comparasset.

An alia arcæ scriptio, quæ nec Deuteronomius codex nec fœderis volumen inesset dubitari posset. Iacobus Bonfrerius ait simul fortè cum legis tabulis recondita in arca esse verba illa, quibus populus testatus est acceptare Dei legem, & fœdus, quæ habentur capite vigesimo quarto Exodi, & sunt: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Hoc tamen non indicat sacra Scriptura, nec necesse erat: nam vt arca fuisset testimonium fœderis inter Deum & homines, satis erat Dei legem continere ex parte Dei, & ex parte populi ipsa continua, & Religiosa tabularum asseruatio, quæ res satis contestabatur eum populum legem diuinam acceptare.

CAPVT XXV.

An in fœderis arca fuerit Aaronis virga, & manna?

PORRO tanta reuerentia fuit fœderalis arcæ, vt nihil intus esset nisi quod è diuina manu traditum Israeli. Tanta diuini fœderis authoritas, vt nihil illi comparandum esset: Quare cum fœderalibus Decalogi tabulis nihil aliud seruatum in arca fuit, vt nec Manna,

Manna, nec Aaronica virga ibi conclusa videantur. Namque libet Regum tertius, & secundus Paralipomenon, vt dixi, affirmant in arca non aliud fuisse nisi duas tabulas lapideas, quas posuit in ea Moyses in Oreb. Scio difficilimum hoc multis visum, quoniam sanctus Paulus in epistola ad Hebræos capite nono dixit: *Et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens Manna & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Atduus profectò nodus, atque vt inter alias eius enodationes probemus aliquam, obseruandum est nostrum interpretem sæpe casus, & genera, quæ sunt in Græco seruare, etiam si Latinitati non conueniant, quia maiorem sensus rationem babet, quam verborum. Casus vt sapientiæ decimo: *Et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* Et Matthæi vigesimo: *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum.* Genera, vt sapientiæ primo: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Et Genesis tertio: *Inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum, & semen illius. Ipse conteret caput tuum.* Respexit ad זרע masculinum nomen. Ita etiam Septuaginta Αὐτὸς. Et Apocalypsis vndecimo: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes,* pro stantia, vt Erasmus vertit, dixit stantes conuenienter nomini Græco, δύο λυχνίαι ἑστῶσαι. Apocalypsis decimo: *Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel.* Est enim in Græco βιβλαρίδιον. Psalmo septuagesimo quarto: *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc,* scilicet, calicem, sed ita posuit, vt erat in Græco, vbi est ποτήριον. Hoc ipsum fit sæpe, Habacuc primo ex illis verbis: *Tunc mutabitur spiritus, &c.* vsque ad finem capitis, vbi multo melius intelligitur loqui de gente Chaldæorum, de qua loqui cœperat, quàm de Nabuchodonosor, de quo nihil omnino dixerat. Et tamen gens femineum nomen est, sed גוי *goi* est masculinum. Hinc constabit idoneam esse explanationem nostri Riberæ, scilicet Paulum nequaquam libris Regum aduersari, nec dicere hæc fuisse in arca, sed in tabernaculo. Atque hoc quidem in Græco non est obscurum; nam Tabernaculum feminei generis apud eos est, id est, σκηνή. Itaque cum dicit: *In quâ vrna aureâ habens Manna, & virga Aaron, &c. In qua,* non refert arcam, sed tabernaculum feminei similiter generis, quod paulo ante præcesserat. Hoc apertè intelligitur, & abundè confirmatur ex Scriptura, quæ nunquam tradidit Manna, aut Virgam Aaron fuisse in arca. Sed in tabernaculo. Exodi decimo sexto: *Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi man, quantum capere potest Gomor, & repone coram Domino ad seruandum in generationes vestras; posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum.* Numerorum decimo septimo: *Dixitque Dominus ad Moysem: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi; fecitque Moyses sicut præceperat Dominus.* Nec ex eo quod esset in tabernaculo consequitur fuisse in arca; nam & hîc Paulus docet aureum thuribulum fuisse in tabernaculo, quod tamen in arca non erat. Sed quid coniecturis opus est, cum Moses ipse, si rectè eius verba intelligantur, plane doceat vrnam & virgam extra arcam fuisse: *Refer,* inquit, *virgam Aaron, in tabernaculum testimonij.* Cum nihil addat in eodem loco reponi vult, in quo erat prius. At prius non erat in arca; legimus enim in eodem capite: *Loquere filiis Israel, & accipe ab eis virgas singulas, ponésque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio.* Id est, coram arca, in qua erat testimonium, siue lex. Et postea: *Quas cum posuisset Moses coram Domino in tabernaculo.* Nusquam tabulas legis inuenimus dici positas coram Domino; nam coram Domino esse dicitur quod est coram arca, & propitiatorio (vbi Deus esse existimabatur, & vnde responsa reddebat) siue esset in sanctis sanctorum, siue prope illa. Vt Exodi vigesimo septimo de candelabro: *Et collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vsque manè luceat coram Domino.* Et capite vigesimo octauo: *Quæ erunt in pectore Aaron, cùm ingredietur coram Domino.* Et capite trigesimo: *Vret thymiama sempiternum coram Domino.* Ex quo etiam fit vrnam Manna, quæ Exodi decimo sexto reponi iubetur coram Domino non fuisse in arca, sed coram arca. Quare rectè Paulus Burgensis in Additione, capite nono epistolæ ad Hebræos, tantùm dicit fuisse in arca duas tabulas lapideas, sed virgam, & vrnam fuisse coram arca, vt habetur Exodi decimo sexto, & Numerorum vigesimo septimo. Vidit hoc Anselmus, qui in hunc locum Pauli, ait vrnam, & Manna dici esse in arca, quia erant prope arcam. Quòd si quis existimat verba Pauli hunc sensum non admittere, quoniam relatiuum id referre debet, quod proximum est, & ibi propior erat arca, quàm tabernaculum: Respondemus Paulum nequaquam ab Scriptura recedere potuisse, cum falsum id esse, Relatiuum semper referre proximum, vt passim in omnibus Scripturis videre licet. Immò in his ipsis verbis hoc videmus: *Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte*

3.Reg. 8.
2.Par. 5.

parte auro,in qua vrna aurea habens Manna;hic enim propius est *Testamenti*, quod Græcis femineum nomen est,διαθήκης,& tamen cum dicit,*in qua vrna aurea*, non refert Testamentum.Et Romanorum primo:*De filio suo , qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem,qui prædestinatus est filius Dei*,&c.*Qui* non refert Dauid,sed Christum si dicas hoc, quod nos dicimus,id est,Relatiuum non referre semper quod proximum est, fieri in casibus obliquis,& minus præcipuis,quoniam id quod præcipuum est,referri solet , etsi sit remotius:hoc ipsum nos dicimus,Arcam hic esse casum obliquum , & principalius esse tabernaculum quàm Arcam, atque ideo referri etiamsi remotius sit.Duo præterea videntur obstare in Paulo:primum quod in omnibus codicibus legitur:*In qua* si autem referret Tabernaculum,legendum esset,in quo alterum quod cum dixisset: *In qua vrna aurea habens Manna,& virgam Aaron,quæ fronduerat, & tabulæ testamenti*:continuò sequitur:*superque eam erant Cherubim gloria obumbrantia Propitiatorium*:manifestè ergo loquebatur de arca. Responderi potest testamentum esse nomen femineum vt dictum est,id est,διαθήκην,quare cum dicit : ὑπεράνω δὲ αὐτῆς, id est,*super ipsam autem*,refert διαθήκην, hoc est testamentum, id est,legem,quoniam hæc tria erant in tabernaculo, sed testamentum,id est, lex erat in arca,& propterea dicit,Cherubim obumbrantia Propitiatorium fuisse super legem, quoniam propitiatio non datur nisi seruantibus legem , nec societas Cherubim, alioqui cum Cherubim constaret fuisse in Propitiatorio,id est,in operculo arcæ,quis poterat dubitare eos fuisse super arcam ? Poni autem legem,siue testamentum , aut testimonium pro arca ipsa continente legem valde vsitatum est in libris eiusdem legis , vt Numerorum decimo septimo:*Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio.* Et quod maximè responsionem nostram confirmat,Exodi trigesimo,ait:*Ponesque altare contra velum , quod ante arcam pendet testimonij,coram Propitiatorio,quo tegitur testimonium.* En Moses dicit Propitiatorium esse super legem,sicut in hoc loco dixit Paulus.Et capite vigesimo septimo: *Vt ardeat Lucerna semper in tabernaculo testimony extra velum,quod oppansum est testimonio.*

Nihil præterea prohibet dicere,cum Apostolus scripsisset : *Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro* , per parenthesim interposuisse quæ sequuntur:*In qua vrna aurea habens Manna,& virgam Aaron quæ fronduerat,& tabulæ testamenti*,& iterum ad arcam redire,cum ait:*Superque eam erant Cherubim gloriæ*.Quæ hactenus dixi,facilè Græco lectori probabuntur,nam & vera sunt,& ad Græcorum locutionem accommodata.Sed si cui graue videbitur nostrum interpretem toties nominum genera permutare,& dicere *in qua*,pro *in quo*,aut *super eam*,pro *super id*, poterit & aliter interpretari. *In*,sæpe in Scriptura poni pro *cum* , iuxta Hebræorum consuetudinem non est dubium, vt Oseæ quarto:*Propter hoc lugebit terra,& infirmabitur omnis , qui habitat in ea, in bestia agri,& in volucre cæli,sed & pisces maris congregabuntur* , id est, simul cum bestia agri & cum volucre cœli,vt verterunt Septuaginta.Et Genesis trigesimo secundo : *In baculo meo transiui Iordanem istum,& nunc cum duabus turmis regredior*,hoc est, cum baculo meo,nullum præterea comitem habui Chaldæus : *Solus transiui Iordanem istum.* Secundę Petri primo:*Vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem,in virtute autem scientiam,in scientia autem abstinentiam*,&c. Id est, cum fide vestra ministrate virtutem,cum virtute scientiam,cum scientia abstinentiam. Ita igitur nunc dicemus : *In qua vrna aurea*,&c. Hoc est,cum qua arca erant etiam in tabernaculo vrna Manna, & virga Aaron,& tabulæ Testamenti. Quasi dicat.Non erat sola arca in oraculo,præter illam erant hæc tria.Sed vbi essent singula,non dixit breuitatis causa,ipse enim ait : *De quibus non est modò dicendum per singula.* Quapropter non est necesse commentari, quæ alij, scilicet non fuisse in arca Salomonico æuo Manna & virgam : cum tamen Paulus scribebat iam fuisse omnia in arca siue id factum sit à Ieremia captiuitatis Babyloniæ tempore arcam abscondente vt legimus secundo Machabæorum secundo, quod ait Theophylactus,siue Sacerdotibus volentibus vrnam & virgam in secretiori, tutiorique loco conseruari, vt Canus exposuit libro secundo de locis capite vndecimo ad septimum. Alij affirmant dici duas tabulas lapideas ibi tantùm fuisse, quoniam etsi cætera essent, quæ commemorat Paulus , tamen ad legem seruandam arca potissimùm facta est, quæ fuit sancti Thomæ sententia.Sunt quibus hoc magis placeat,in arca solas tabulas lapideas fuisse , sed extrà in quodam sinu,qui erat in latere,fuisse virgam & vrnam. In his sunt Lyranus tertio Regum,capite octauo,& ibidem Abulensis quæstione sexta, & Caietanus in Paulum, & alij. Idque ex eo confirmant,quod Deuteronomij trigesimo primo ait Moses:*Tollite librum istum,& ponite eum in latere arcæ fœderis*,&c. Verum hæc præterquam , quod nullo solido fundamento nituntur, facillimè refelli possunt, quoniam Paulus de eo tempore omnino

omnino loquitur, quo tabernaculum per desertum portabatur, vt ex eius verbis fit manifestissimum. Deinde etiamsi arca potissimum ad tabulas legis seruandas facta sit, si tamen in ea erant vrna & Manna, quomodo verè dici potest in arca non fuisse nisi duas tabulas lapideas? Quod autem de latere arcæ dicunt, si illud extra arcam ponitur, commentitium est; nihil enim vnquam Scriptura docuit factum esse extra arcam. Si autem est intra, iam in arca est, quod in ipsa est. Plausibile est, quod Ambrosius Catharinus affirmat in libello de Clauibus Scripturæ, in claue secunda, & libro primo Annotationum in Caietanum hæc omnia fuisse in arca tempore Mosis, sed cùm Salomon templum dedicauit, tantùm fuisse in ea tabulas lapideas. Verum & hæc diuinatio est, & Iosephus tertio Antiquitatum capite sexto, & libro octauo capite secundo, facilè ostendit nunquam aliquid in ea fuisse præter tabulas. Porro Anselmi responsio non est omnino improbabilis, hæc tria dici esse in arca, quia erant iuxta arcam, & quamuis eodem modo de illis loquatur, constetque tabulas testamenti non fuisse iuxta arcam, sed in arca. Nos pro eo respondebimus in loco aliquo dici esse, & quæ sunt in ipso, & quæ iuxta ipsum. Hoc posterius confirmat verbis Ioannis capite decimo: *Et ambulabat IESVS in templo in porticu Salomonis.* Porticus Salomonis extra id erat, quod propriè templum dicebatur, sed templi tamen nomen habet, quia templo adiuncta erat. Ita dictum est Ioannis primo: *Hæc in Bethania* (seu potius in Bethabara) *facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Nec tamen in ipsa vrbe baptizabat, sed prope vrbem, vbi aquæ erant multæ. Et Lucæ decimo tertio de morte sua Dominus loquitur: *Non capit Prophetam perire extra Ierusalem*; cum tamen non in vrbe, sed iuxta vrbem mortuus fuerit; extra portam enim passus est, vt scripsit Apostolus. Penè hæc omnia nostri Riberæ sunt. Illud quoque adiiciendum videtur pro excludenda virga Aaronica; illius capacem arcam non fuisse, nec decuit infringi, vt ibi concluderetur. Nec enim arcæ longitudo scipionis, aut baculi longitudinem adæquabat.

CAPVT XXVI.

Vtrùm ante arcam fœderis fuerit aliquod tabernaculum fœderis dictum in quo arca nunquam fuerit?



NEQVE tantum aurea, imputribilique ac pretiosissima illa arca fœdus suum commendare voluit Deus, sed etiam artificiosissimo quodam tabernaculo ad maiorem ipsius arcæ reuerentiam, & fœderis obseruantiam, quod tabernaculum fœderis & testimonij nuncupatum legimus. Ratio huius nominis dubia multis est. Volunt propter tabulas legis, quæ fœdus Dei dicuntur & arcam fœderis, quæ in eo sacris asseruabatur ritibus huiusmodi dictum. Verùm ante arcam & tabulas iam erat apud Hebræos tabernaculum quoddam, dictum tabernaculi fœderis. Neque enim vnicum fuit apud Hebræos tabernaculum, vbi coleretur Deus. Quapropter saltem insignia habuerunt tria, vbi arca requieuit, Moysis vnum, Dauidis alterum, & tertium Abinadab, sic illud placet appellare, de quibus postea agemus, alterum ante arcam & tabulas lapideas pene ab exitu Ægypti vsque ad ædificium arcæ, & noui Tabernaculi, secundùm normam diuinitus Moysi traditam constructi. Hoc satis colligitur, vt non malè Bonfrerius, & Tirinus obseruant ex decimo sexto Exodi capite, cum ob farinæ defectum murmuraret, populus fame pressus: *Dixit Moyses ad Aaron: dic vniuersæ congregationi filiorum Israel: accedite coram Domino, audiuit enim murmur vestrum.* Etenim in sacra scriptura accedere ad Dominum, vel apparere coram Domino, & similes loquendi formulæ fermè non aliter sumuntur, quàm pro accedere ad locum, vbi Deus publicè colebatur. Quapropter hîc *accedite coram Domino.* est conuenite, & accedite ad Tabernaculum, quò omnes Religionis, & precationis ergò concurrere soliti erant. Porrò tale aliquod Tabernaculum fuisse Hebræis ante arcam, & extructionem maximi Tabernaculi Mosaici, luculenter demonstrant quæ ante extructionem arcæ, & eius Tabernaculi, statim post peccatum Israelis idololatrantis trigesimo tertio capite dicuntur in Exodo: *Moyses quoque tollens Tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocauitque nomen eius Tabernaculum fœderis, & omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis extra castra.* Hinc colligit Bonfrerius præcessisse aliquod Tabernaculum, & habuisse idem nomen, quod postea maius illud habuit; immò illud ab hoc mutuatum fuisse nomen, non quod

fœderis tempore illud extiterit,sed quod vel in locum successerit prioris, quod tempore fœderis erat, tum quòd legis,seu fœderis tabulas in Area asseruaret, quæ tabulæ etiam tantisper, vt verisimile est, in hoc priore Tabernaculo fuerunt asseruatæ. Sed quando & qua de causa Moyses sic vocauit? Censet Lyranus sic dictum, quod in eo decidetentur causæ,& contentiones,partesque inter se conciliarentur:ob idque mox hic subdi: *Et omnis populus qui habebat aliquam quæstionem,egrediebatur ad Tabernaculum fæderis extra castra.* Idem videtur indicare Hugo de sancto Victore,non tamen tunc primum, sed etiam antea fuisse sic vocatum. Serarius libro primo Iosue capite sexto,quæstione secunda, videtur indicare tum primum illud nomen accepisse, cum à Moyse extra castra elatum est: vult enim sic dictum,quod illud sic extra castra elatum,argumentum esset,& testimonium fœderis cum Deo antea initi iam violati, ac dirupti:& videtur hoc ipsum indicari prætetito illo *vocauit*.Nihilominus tamen malim sic dici ab ipso fœdere eum Deo percusso capite vigesimo quarto,& contestatione vtrinque facta,qua Deus eos elegit in populum, si modò in sui cultu constantes permanerent; & populus contestatus est se omnia à Deo imperata facturum. Tunc enim videtur hoc tabernaculum fuisse Deo erectum; nam ante tempus,quo fiebant, quæ capite vigesimo tertio narrantur, erectum fuisse,indicant satis Scripturæ verba,quæ ibi habentur.Non enim potuisset Moyses tollere Tabernaculum, & asportare extra castra(quare Deus indicare volebat,se fœdus cum ipsis initum iam dissuere) nisi prius in castris extitisset. Neque commodè potuit ante illud tempus sanciti fœderis erigi,eum in continua fere essent Israelitæ deambulatione: Tunc autem commodè erectum fuit,cum & legem à Deo accepturi erant,& fœdus cum Deo percussuri, ibidéque Deo hostias immolaturi.Neque obstat illud *vocauit*, quominus possit dici prius nomen accepisse:nam illud Hebræum וְקָרָא *Vekara, & vocauit*,verti potest, vt & aliàs sæpe, & hic vertunt Septuaginta per passiuum,*& vocatum est*,vel *vocatum est autem*, quomodo si vertamus,non significabitur tunc à Moyse impositum nomen, vel *& vocauit*, idem significat,quod *& vocauerat* vel *vocauerat autem*:nam illud *&* non raro pro *autem* ponitur, & præteritum apud Hebræos sæpe explicandum est per plusquam perfectum,quod identidem, & in nostro textu; vbi interpres noster similes Hebraismos consectatur, faciendum est. Itaque Cornelij interpretatio necessaria non est,opinantis per anticipationem loqui hoc caput: nam & ipse fatetur fuisse aliquod tabernaculum ante tabernaculum magnum.Cæterum circa nuncupationem Tabernaculi fœderis, Oleaster vult posse verti,vel Tabernaculum testimonij, vel Tabernaculum ornamenti, vel Tabernaculum exaltationis,seu erectionis, vel Tabernaculum Ecclesiæ,conuentus,congregationis, prout ad radices diuersas vox Hebræa מועד *mohed*, à quibus deduci potest,refertur. Placet ipsi, itemque Pagnino, & Ariæ Montano, postremum,deducuntque à radice יָעַד *iahad conuenire*, quibus fauere videtur Chaldæus Paraphrastes. Et vocauit illud, Tabernaculum domus doctrinæ. Primum tamen præferendum est, quòd Septuaginta cum Hieronymo secuti sunt:verterent enim Septuaginta σκηνὴν μαρτυρίου, voce nimirum deducta à radice עוּד *hauad* Porro noster Interpres,& septuaginta vbique fœdus & testimonium pro eodem accipiant,eum dicunt Arcam dei Tabernaculum fœderis,aut testimonij.

CAPVT XXVII.

An ante Moysem Patriarchæ vsi fuerint Tabernaculis ad colendum Deum?



HOc magis stabiliet vsus vetustus Tabernaculorum,& locorum diuino dicatorum cultui ante Moysem & Abraham, ab ipsis vsque primis parentibus, & eorum liberis, quod satis colligi videtur ex Caini ad Abelem fratrem verbis,quando voluit eum occidere:*Egrediamur foras*. Non solum enim indicant in aliquo peculiari loco fuisse,in quo sacrificauerant, & Deus sæpe signum aliquod dederat, quod respiceret ad Abel, & ad munera eius:ad Cain autem, & ad munera eius non respiceret,sed locum fuisse sacrum,atque diuinis oblationibus dedicatum; præ cuius reuerentia noluit ibi fratrem occidere,sed in agro,id est, in loco profano vnde statim addit: *Cumque essent in agro,consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Vix enim præ furore, & excandescentia potuisse à cæde fratris temperare, cum adhuc simul

simul essent in dicto loco, non obscurè innuunt quæ sequuntur, præsertim iuxta Hebræũ: *Et fuit in esse eos in agro* quasi dicat, statim ac fuerunt in agro: *consurrexit Cain aduersus fratrem suum & interfecit eum*. Quamuis doceat Targum Ierosolymitanum, Cain cœpisse queri de diuina prouidentia, nonnulla etiam protulisse contra iudicium extremum, &c. Igitur loca quædam sacrificij ordinata, sed causa iam extitisse nemini dubium esse debet. Insuper sub dio & aperta, qualis fuit postea in lege, & post legem in templo, vbi erat altare holocaustorum, apertè colligitur ex eo quod legitur: *Deus respexisse ad Abel, & ad munera eius*, &c. Si verum est quod passim super hæc verba dicunt Patres & expositores, hunc respectum ad Abel, & non respectum ad Cain, &c. factum fuisse signo ignis de cœlo missi in sacrificium Abelis, non autem Caini: & ignem hunc combussisse. Vnde versio Theodotionis habet ἐνεπύρισεν, *inflammauit Dominus super Abel, & sacrificium eius, super Cain, non*. Hoc enim eodem ignis, & conflagrationis victimæ signo solitus est Deus probare & acceptare sacrificia, vt Gedeonis, Manue, Aaronis, Eliæ, Dauidis, Salomonis, & Nehemiæ. Similia loca sacra & Tabernacula habuisse Patriarchas Iacobus Bolducus dissenuit, ex quo penè excepta sunt, quæ hoc capite aggero. Is addit Tabernaculum Moysis factum esse ad instar illorum, quæ prius ex Patriarcharum traditione erant in vsu. Vt patet de illo quo vtebatur Moyses antequam Deus ordinaret illud magnificum quod fecit Beseleel: in illo Aaron manna reseruandum posuit coram Domino: In illo Iethro Sacerdos obtulit holocausta, & cognato suo comedit coram Domino: in illo Moyses Dei leges ac præcepta populo ostendebat: ibi referebat ad Deum populi petitiones, & Dei responsa reddebat: ibi denique Dominus cum Moyse facie ad faciem loquebatur, sicut solet loqui homo ad amicum. Illud Iosue minister Moysis, quasi æditus obseruabat: in illud nubes insidebat, sicut postea in maius illud, & augustius Tabernaculum. Talis ergo erat locus, quem adiit olim Rebecca, vt consuleret Dominum dum pugnam duorum infantium in vtero suo sensisset: locum scilicet cultui diuino destinatum, vbi & diuinum responsum accepit, ait Salianus. Et videntur Tabernacula illa, quæ vel Abraham, vel nepos eius Iacob etexerunt ad inuocandum nomen Domini ordinata esse ad sacrificandum, ad dandum leges & præcepta populis, ad referendum populi petitiones ad Deum, ad consulendum eius oraculum, ad loquendum facie ad faciem (vt de Iacob legimus, & de Abraham cogitare possumus) sicut solet loqui homo ad amicum. Quæ (vt postea Iosue Mosaicum) Iacob, quasi æditus adhuc iuuenis seruasse videtur, qui simplex, ac Religiosus habitabat in Tabernaculis, in quæ nubes insidebat diuinæ maiestatis, sicut postea in Beseleelis augustum tabernaculũ. Nam & in turbine seu nube Iobo, sociisque Prophetis Deus loqui solebat antequam nasceretur Moyses. Ista omnia, vt comedere coram Domino, id est, participate sacrificiis, ambulare, id est, ministrate coram Domino, & alia multa sub hac phrasi contenta fiebant in illis tabernaculis: non coram arca, quæ nondum erat, & coram qua aliquid facere dicebatur fieri coram Domino, quem repræsentabat; sed fortasse coram ardenti lampade quę lucerna Dei vocabatur, eo quod symbolum esset diuinitatis. Quoniam Deus sæpe apparuit Patriarchis & Prophetis sub ignea forma: Vnde ortum habuit mos, vt in Tabernaculis, locisque sacris, in quibus Prophetæ dormiebant ad consulendum Dominum magna esset lampas ardens, quod videtur indicare Iobi verba: *Quando splendebat lucerna eius* (Dei) *super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris*. Vnde Debora Prophetes, quæ multis præerat tabernaculis, iuxta Hebræum dicitur Mulier lampadum, id est, quæ curam habet multorum Tabernaculorum, in quorum singulis est lucerna Dei, sed propriè lampas Dei, quæ videlicet diuinitatis symbolum est. Hinc statutum fortasse de igne, quem Deus iugiter in conspectu suo ardere voluit, & de insigni lampade ante sancta sanctorum. Quapropter videtur Rebecca iuisse ad consulendum Dominum non alio, quam ad adytum, & sacrarium ipsius Tabernaculi, quod de more vel pater Abraham, vel ipse Isaac fixerat in loco iuxta puteum viuentis & videntis in terra Australi, vbi tunc ipsa manebat. Hinc factum vt Tabernaculum fœderis vocaretur Mosaicum: neque enim nota illa *fœderis* egeret si vnico illo Tabernaculo Deus cultus fuisset, cum autem multa antea fuissent, eo nomine insigniri debuit.

CAPVT XXVIII.

An diuersis Tabernaculis arca fœderis seruata fuerit?



LLVD etiam dispiciendum, an præter duo Mosaica Tabernacula vnum sine fœderis arca, alterum cum illa, fuerint alia pro ipsius arcæ reuerentia constructa. Aiunt quippe Rabbini Tabernaculum, quod Galgalis collocatum fuit non fuisse verum, & Mosaicum, quod Beseleel, eiusque socius Ooliab confecerunt, sed aliud ad eius imitationem constructum. Sed in hoc credo eos fallitneque enim validum pro sua existimatione argumentum producunt, quos optimè confutat Serarius quæstione quarta in decimum octauum Iosue caput. Atquidem Dauid cum arcam de Cariathiarim in Hierusalem traduxit, nouum illud Tabernaculum construxit, relicto veteri in Gabaon. Tunc cecinit in dedicatione eius Tabernaculi Psalmum vigesimum sextum, cuius titulus est: *Psalmus Dauid in consummatione Tabernaculi*, nimirum Tabernaculi noui à Dauide extructi, quo consummato, & perfecto in illud transtulit arcam, vt consentiunt Hieronymus, Rufinus, Remigius, Haymo, & alij Græci apud Theodoretum. Hinc iam alibi potuit dicere Dauid: *Quàm dilecta tabernacula tua*, Item *adduxerant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Eodem videtur spectare quoties loquitur de atriis Domini, numero plurali; nam tunc saltem duo Tabernacula erant, vnum vetustum & Mosaicum in Gabaon, alterum nouum, & Dauidicum in Hierusalem: id ipsum fulcit, quod septuagesimo septimo Psalmo dicitur: *Et repulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum suum, vbi habitauit cum hominibus*: cui consonat Hieremiæ caput septimum: *Ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.* Hoc tabernaculum Silo Mosaicum erat, quod Iosue de tribu Ephraim, qui filius Ioseph fuit, in sua tribu fixit cum terram promissionis occuparet. Ideo subdit Psalmus idem inculcans: *Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit*: quoniam scilicet *Silo* vbi fixum fuerat tabernaculum ad tribum Ephraim pertinebat, & ad posteros Ioseph ex Ephraim, infert: *Sed elegit tribum Iuda montem Sion, quem dilexit.* Quippe Dauid ex tribu Iuda in monte Sion collocauit nouum, id est, suum Tabernaculum.

Cap. 15. Quod clarè dicitur in primo Paralipomenon: *Fecit quoque sibi domos in ciuitate Dauid, & ædificauit locum arcæ Dei, & tetendit ei Tabernaculum.* Hoc idem firmatur ex tertio Regum libro, in cuius primo capite scribitur: *Adonias autem timens Salomonem surrexit, & abiit in Tabernaculum Domini tenuitque cornu altaris.* Et capite secundo dicitur: *Fugit ergo Ioab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.* Hæc enim omnia celerimè facta sunt eodem scilicet die, vt Abulensis, & Ribera notant: nec enim in iis temporis angustiis aufugere in Gabaon poterant, vbi Mosaycum Tabernaculum erat, nec eò confugerent, cum ibi non esset arca Domini. Quapropter in Hierusalem, vbi arca Domini seruabatur, aliud Tabernaculum fuit, id scilicet, quod Dauid ædificauit. Tabernaculum autem Mosaicum nunquam Hierusalem habuit, nisi extructo iam Salomonico templo; postquam enim Iosue illud introduxit in terram promissionis locauit in Silo ex propria tribu Ephraim. In calamitosis autem Israelis temporibus, cum capta arca mansit vacuum arcâ fœderis, trāstulerunt illud Sacerdotes in Nobe, quæ sacerdotalis erat ciuitas; cum autem Saul iratus Sacerdotibus, eos interfecit, priuauit illorum ciuitatem tabernaculo, quod in suam traduxit tribum nimirum in Gabaon illud figens, inde Salomon in templum transmisit, donec captiuitatis tempore vnà cum arca transtulit, & abscondit Hieremias in spelunca montis Nebo. Cæterùm præter Dauidicum Tabernaculum Gaspar Sanctius, & Tirinus aliud constructum volunt ad aream decorè conseruandam in domo Abinadab, vbi mansit viginti annis: & fortasse in domo Obededon non sine alicuius Tabernaculi apparatu morata est. Fuerunt præterea apud Hebræos alia loca Religiosa, vt Hebron, & Maspha. In Hebron enim prout differuit Abulensis fuit sanctuarium à Dauide constructum. Et colligitur eius sanctitas ex secundo libro Regum, capite decimo quinto, vbi Absalom facultatem petiit à parente, vt sibi liceret, secedere illuc, vt vota sua solueret. De Maspha dicitur in

Cap. 3. primo Machabæorum libro: *Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Hierusalem,*

Cap. 7. *quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel.* Nam in libro primo Regum legitur: *Dixit autem Samuel congregate vniuersum Israel in Masphat, vt orem pro vobis Dominum.*

CAP. XXIX.

CAPVT XXIX.

In Veteri Testamento solum sacrificare licuit in Tabernaculo, & Hierosolymitano templo ratione habita noui Testamenti, ex Eusebio.

AD obseruantiam quoque diuini fœderis spectat non alibi licere sacrificare nisi coram Domino in Tabernaculi fœderalis altari coram arca Domini, vbi fœderis tabulæ seruabantur. Strictior autem obseruantia fuit post Hierosolymitanum templum, ne quis extra id sacra faceret, tunc excelsa prorsus prohibita; cuius præscripti caussam respectasse noui Testamenti spem vult Eusebius Cæsariensis, qui libro Euangelicæ Demonstrationis primo de Moyse locutus ait: *Quasi imperfectis illis simulachrorum cultu interdicto, per quædam arcana seorsum signa, vt Religionem, quam ipse probabat complecterentur, edicens, sacrificiis & quibusdam corporalibus ceremoniis, vnum supra omnia Deum vt colerent, præcepit, quam sanè Religionem quum admirabiliter diuino monitus Spiritu, non in perpetuum seruari oportere intelligeret, vnum duntaxat circumscripsit locum, addito præcepto, ne vsquam alibi eos, qui ab ipso tradebantur ritus, quàm certo illo in loco perficerent: Hic autem erat Hierosolymis, extra hunc verò neutiquam, ex quo adhuc Hebræis nefas est extra ipsorum ciuersam metropolim vsquam, aut ex lege sacrificare, aut fanum aramve erigere, aut Sacerdotes, Regesve inungere, aut celebritates, solenniaque per Mosem instituta perficere, non ab aliqua immunditie purgari, non solui à peccato, non offerre Deo munera, non ad propitiandum aliquid facere ex legibus. Quocirca in Mosi execrationem merito relapsi intelliguntur, quippe quum in parte quidem obseruare nonnulla conentur, in vniuerso autem à legibus suis aberrent, ipso planè Mose pronuntiante, atque affirmante quod execrabilis sit omnis quicumque non stet in omnibus, quæ scripta sunt in lege, vt ea faciat. Lapsi autem iam sunt in hæc omnia, quum & ipse Moses diuino spiritu afflatus, prouiderit nouo per Christum instaurato testamento, vniuersisque gentibus nunciato, supernacuam futuram esse, quæ ab ipso posita est, legum obseruationem, quam vno duntaxat loco merito terminauit, vt si quando ex eo pellerentur, & patriam libertatem amitterent, non amplius illis fas esset, quas ipse posuisset leges, aut ritus seruare, vt iam confitendum sit, alterum Testamentum, quod per Christum sit denuntiatum necessario esse introductum. Quum itaque Moses hoc ipsum futurum esse prædixisset, moxque Christus vitæ huius peregrinationem expleuisset, & pariter ad omnes gentes noui Testamenti doctrina perferretur, tum protinus Romani quum vrbem obsidione cinxissent, Hierosolyma ipsa, & quod ibi erat templum euerterunt, solutaque est confestim omnis Mosi constitutio, & quæcumque de veteri Testamento seruabantur, sublata sunt. Execratio autem ad illos venit, quia quum ea quæ à Mose præcepta sunt, præter legem facere vellent, in eam ipsam execrationem vi quadam coacti sunt recidere. E contrario autem simul & eodem tempore eius, quæ in nouo perfectoque Testamento continetur doctrina & leges, & ritus introducti sunt. Quare merito Saluator & Dominus ad eos, qui putabant in sola Hierusalem, aut in montibus quibusdam, siue certis determinatisque locis Deum adorari oportere, sic ait: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabant patrem, neque in monte hoc, neque in Hierusalem. Spiritus enim Deus, & ipsum adorantes in spiritu, & veritate oportet adorare. Quibus rebus ita ab illo prædictis continuo nec longo post tempore, Hierosolymis obsidione oppressis, & eius loci sanctificatio & ad eundem vsum constructum altare, & adoratio quæ à Mose tradita fuerat, sublata, euersaque sunt. Eodem tempore in omnes homines patefacta est, & emicuit ea, quæ ante Mosem viris sanctis à principio data fuerat pietas & religio, & quæ per illum omnibus gentibus promissa fuerat benedictio, quæ à primo ascensus gradu, & à primis illis adorationis Mosaicæ elementis, eos qui ad se accedunt, ad meliorem perfectioremque vitam adducit.*

CAPVT XXX.

Commentatio legis Leuiticæ, & obligationis sacrificandi in solo fœderis Tabernaculo. Exponuntur plura Scripturæ loca.



ERVM cum legamus multos licitè & quidem sanctissimos viros extra locum Tabernaculi sactificasse, vt Manue Sampsonis parens decimo tertio Iudicum capite, & in libris Regum Samuel, Dauid, Elias: obiter illucidanda isthęc obligatio erit, in vno scilicet Tabernaculo sacrificandi. Exinde siquidem plura Scripturæ explanantur loca. Expendamus primùm legem id præcipientem, quæ decimo septimo Leuitici capite sic continetur: *Homo quilibet de domo Israel si occiderit bouem, aut ouem, siue capram in castris, vel extra castra, & non obtulerit ad ostium Tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit, quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui. Ideo Sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occident in agro, vt sanctificentur Domino ante ostium Tabernaculi testimonij, & immolent eas hostias pacificas Domino; fundetque Sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium Tabernaculi testimonij, & adolebit adipem in odorem suauitatis Domino, & nequaquam vltra immolabunt hostias suas Dæmonibus cum quibus fornicati sunt.* Hinc satis claret potissimas huius interdicti causas esse periculum idololatriæ: tum ne fierent priuata sacrificia, quas sanctus Augustinus quæstione quinquagesima sexta in Leuiticum sic notat: *Prohibuit enim priuata sacrificia, ne sibi quisque quodammodo Sacerdos esse audeat, sed illud afferat, vbi per Sacerdotem offerantur Deo. Ista enim nec vanis sacrificabant. Nam & hoc in ea consuetudine cauendum præmonuit.* Quapropter cum cessabant hæ causæ sæpe extra Tabernaculum sacrificatum licitè legimus. Ex ipsa enim lege colligitur in Tabernaculo alio publico veri Dei cultui dicato, quamuis non esset Mosaicũ, sed alio prudenter, & pro aliqua populi necessitate extructo, licitum fuisse sacrificare. Nam in hoc euentu, nec priuata sacrificia fiebant, sed per legitimos Sacerdotes, nec erat periculum, aut suspicio idololatriæ: nec extra Tabernaculum fiebant sacrificia; quamuis enim extra Tabernaculum vetus Mosaicum fierent, non extra publicum aliquod veri Dei Tabernaculum. Cuius legis sensus sanctissimos viros interpretes habemus: nam Dauidis tempore, Regis quidem sanctissimi, eius permissu, & auspiciis tribus saltem locis sacra fiebant, scilicet, in tabernaculo Mosaico veteri, quod in Gabaon erat. Deinde Hierosolymis in Tabernaculo nouo ab ipso Dauide ædificato: cum enim Mosaicum Tabernaculum longo tempore inueteratum esset, atque in Gabaon esset fixum, ne arca quæ Hierosolymis erat sine decore, & apparatu sacro haberetur, nouum ædificauit Tabernaculum Hierosolymis, in quo arca continebatur, & ibi sacrificare solenne etiã fuit. Et ipse Psalmo composito inuitauit ad sacrificandum in nouo Tabernaculo. Denique Hebron locus sacer erat, & sacrificalis, vt constat ex libro Regum secundo, vbi dicitur: *Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron. Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei Rex Dauid: vade in pace, & surrexit & abiit in Hebron.* Vbi clarè constat ad sacrificandum in Hebron veniam à Dauide concessam Absaloni, quod si licitum non fuisset Religiosus Rex negaret, imo euerteret illum sacrificandi locum. Tam longe ab hoc fuit vt ipsum putem Dauidem in Hebron sacrificasse, imo fortasse authorem esse eius sanctuarij; nam capite eiusdem libri quinti dicitur: *Venerunt quoque & seniores Israel in Hebron, & percussit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino.* Percussionem fœderis aliquod sacrificium comitabatur cum maximè dicatur *coram Domino*, & habuerit Dauid sacerdotem summum Abiathar, qui sacris operari legitimè potuit. Quapropter videtur Abulensi & Sanctio in Hebron fuisse sanctuarium à Dauide constructum, quia cum Gabaon, (in quam Tabernaculum fuerat à Saüle translatum) esset in tribu Beniamin, neque in illa tribuum diuisione, quæ ad præsentem durauerat diem, tutum esset iis, qui Dauidis castra sequebantur, orationis gratia eo vsque contendere, sacrarium aliquod excitauit in Hebron vbi speciali aliquo ritu coleretur Deus, oblatis videlicet sacrificiis, & his adhibitis cæremoniis, quæ in Tabernaculo fieri Religio permittebat. Et quidem sub ea tempora in quibus Tabernaculum Mosaycum vacuum erat fœderis arcâ, aliis in locis immolabantur victimæ, vt sæpè occurrit

in

in primo Regum libro. Inde Theodoretus quæstione decima quinta, & Procopius sentiunt ante Templum ædificatum variis in locis sacrificium offerri potuisse; cautum tamen esse, ne gens ad idololatriam prona, si vbique locorum sacrificari posset, ad idolorum cultum gentium more difflueret, ne extra Templum, aut Tabernaculum excitarentur aræ, & mactarentur hostiæ. His tamen qui eo periculo carerent, omnem locum esse sacrum, & victimis immolandis idoneum. De Samuele legimus in primo Regum, capite septimo: *Reuertebaturque in Ramatha; ibi enim erat domus eius, & ibi iudicabat Israelem, ædificauit etiam ibi altare Domino.* Cum enim publica authoritate fidelis populi hoc fieret, determinato scilicet loco legitimo colendi verum Deum non aderat, nec periculum, nec suspitio idololatrandi. Idcirco non peccauit Samuel eo tempore cum arca in Tabernaculo Mosaico non esset, construens altare in Ramatha, vbi plerumque morabatur, vt haberet sibi illud familiare, & in quo frequentius quàm alibi immolarentur hostiæ.

Colligitur etiam ex ipsa Leuitici lege licitum fuisse extra omne Tabernaculum sacrificare coram arca Domini, cum fœderis arca sine Tabernaculo erat; nam tunc non imminebat periculum, nec suspicio idololatriæ, nec priuata fiebant sacrificia, sed in magnum Dei honorem, & à legitimis, Aaronicisque Sacerdotibus operata; idcirco licuit tempore Dauidis toto illo progressu, & cursu, cum arcam transtulit ex Domo Obededom in ciuitatem suam, sexto quoque passu sacrificium peragi, sicut in secundo Regum dicitur: *Cumque transcendissent, qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bouem, & ouem & arietem.* Et in tertio Regum libro capite octauo dicitur: *Rex autē Salomon & omnis multitudo Israel, quæ conuenerat ad eum gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oues, & boues absque æstimatione, & numero.* Nam cum præcipua Tabernaculi pars, & quasi illius anima, arca esset, tantumdem visum fuit in conspectu arcæ offerre holocausta, ac si in ipso tabernaculo immolarentur victimæ. Bethsamitæ quoque non peccarunt coram arca sacrificantes ob rationem nuper insinuatam. Tum quoniam illud sacrificium per Sacerdotes Aaronicos factum videtur, quoniam Bethsames ciuitas erat sacerdotalis; atque ideo Sacerdotes, sicut alij plures, Bethsamitæ vocantur. Quare cum à Bethsamitis oblatum dicitur sacrificium, sine dubio res dicitur à Sacerdotibus peracta. An verò peccauerint offerendo vaccas contra præscriptum legis controuersum est. Affirmat Abulensis; negat Sanctius, cui non videtur, Scripturam tacituram fuisse peccatum istud, cum causam reddidit, cur tot ex eo populo, ac tractu sub illud idem tempus periissent; vt enim aliam tradidit, hanc non omisisset, in qua si quid esset peccatum, longe videbatur esse grauius. Deinde, quia aliquid apparebat in illis vaccis singulare, propter quod ea immolatione non viderentur indignæ; neque Bethsamitæ credebant, vt est verisimile, vaccas illas ab hominibus eò esse deductas, cum nullus appareret auriga; aut stimulus, qui reluctantes illas, & triste aliquid mugientes impelleret. Quare eò illas existimabant actas, & ad illud opus ex numeroso grege sumptas esse diuinitus. Quare quod à Deo sumptum esse crediderant, id deberi Deo, & ad aram adduci posse arbitrabantur. Quid enim aliud de re sacra, & quam Dominus sibi delegisset fieret honestè? Casus itaque rarus, & qui aliquid in vaccis diuinum ostenderet, prudenter Bethsamitas in illam cogitationem induxit. Adde quod lex illa, quæ masculum exigit ad holocaustum, femiuam repudiat; tunc videtur vim habere, quando id solemni fit modo, in destinato, ac legitimo loco, vt in Tabernaculo, temporibus à lege definitis. Quod si aliquando in aliquo graui rerum articulo, extra ordinem, casu videlicet extraordinario fiat, non puto feminas, si masculorum desit copia, ab holocausti religione depelli. Quale fuit holocaustum illud, quod Regum tertio, capite decimo octauo obtulit Elias, vbi multa sunt, quæ nemo auderet in Tabernaculo, si legitimo faceret, atque solenni ritu. Nam primùm obtulit extra Templum, obtulit non Sacerdos, adhibuit aquam, & victimam, iterum, ac tertiò respersit aqua. Multa præterea Samuel fecit primi Regum capite septimo in offerendo holocausto, quæ lex sacrificalis non admitteret, in quibus nemo Prophetam accusat violatæ legis; quia illius articuli exigebat necessitas, neque maior tunc commoditas occurrebat. Sic ergo cum casus ille rarus esset, neque maior sese commoditas offerret, arripuere Bethsamitæ, quod habuêre primum, quodque ab ipso Deo oblatum sibi ad illud opus existimabant. Hæc meus Magister. 1. Reg. 6.

Tertiò colligitur ex eadem lege Leuitici multis altaribus posse hostias immolari, & denuò construi, dum ea fierent in loco Tabernaculi, cum ob multitudinem hostiarum, aut alia ex causa necessarium esset: Tunc enim nec periculum, nec suspicio idololatriæ fuit, nec priuata fiebant sacrificia; idcirco non peccarunt filij Israel, cum post cladem Beniamitarum extruxerunt altare, de quibus in extremo Iudicum capite dicitur: *Altera autem*

die

die diluculo extruxerunt altare obtuleruntque ibi holocausta, & pacificas victimas. Hoc quidem altare diuersum fuit ab altari Moysis,& Siluntino,quod in Tabernaculo erat:non tamen peccarunt,quoniam in ipso Tabernaculi loco illud erexerunt,prout paulo ante indicatur eodem capite,dum ait:*Veneruntque omnes ad Dominum in Silo.* Tunc enim temporis erat tabernaculum in Silo. Poterant namque ordinariè plura extrui,si copia victimarum id exegisset atque id fecit Salomon,quemadmodum narrat tertius Regum liber cap.8.

CAPVT XXXI.

Quo pacto licuit iis, qui non erant Sacerdotes Aaronici extra Tabernaculum sacrificare? Arca sæpe sine Tabernaculo fuit.



GRAVIOR apparet difficultas, quod multos legamus sacrificasse,nec coram arca nec in vllo Tabernaculo,imò nec Sacerdotes. At video cum domesticè & non in templo,vel Tabernaculo licuit sacrificare,licuisse id fieri à non Sacerdotibus Aaronicis, aut Leuiticis. Sacrificium siquidem agni Paschalis, quoniam extra Tabernaculum fiebat, licuit vt in naturalis legis sæculis, cuique patrisfamilias illud facere,vt Lyra,Dionysius,Emanuel Sà,Cornelius,Bonfrerius, & Tirinus adstruunt, quibus præluxit Philo libro tertio de vita Moysis,vbi id videtur disertè asserere: *Quo tempore* (de Paschate loquitur) *non vt aliàs plebey homines victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus,sed iubente lege tota gens sacrificat,dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus.Tunc vniuerso populo celebrante latas epulas, dum quisque se gerit pro Sacerdote.* Idem libro de Decalogo:*Et quòd patria Hebræorum lingua Pascha dicitur, quando populariter singuli sacrificant, non expectatis Sacerdotibus, ipsi permissu legis fungentes Sacerdotio quotannis per vnum diem destinatum huic negotio.* Adde, non videri quomodo Sacerdotes exiguo temporis spatio ab hora nona vsque ad vndecimam vel solis occasum hoc est,spatio trium horarum,potuerint pares esse tot victimis mactandis, cum vno Paschate legamus apud Iosephum libro septimo Belli capite decimo septimo,Paschales agnos immolatos ducentos quinquaginta sex mille,& quingentos ex Rufini antiqua, & recentiore Gelenij interpretatione, vel potius ducentos quinquaginta quinque mille, & sexcentos vt disertè habetur in Græco. Adde postremò validum argumentum ex secundi Paralipomenon trigesimo capite,vbi non Sacerdotes, sed Leuitæ immolant Phase, & causa additur: *eò quod multa turba sanctificata non esset*: maior enim multò munditia requirebatur in immolante quàm in comedente:ex quo sequitur quod si turba illa non fuisset immunda:potuisset per se Pascha immolare.Et ita sentiunt qui illum locum commentantur, Lyranus, Dionysius Carthusianus,Emanuel Sà,& Bonfrerius, qui respondet argumentis Serarij contrarium opinantis.Ergo similiter non mirum, si extraordinario aliquo euentu licuisset extra Tabernaculum sacrificium aliquod fieri,exigente id defensione Religionis, aut honoris diuini necessitate,licuisse id etiam à non Leuitis peragi:in simili quidem casu Eliam non Leuitam sacrificasse legimus. Manue quoque vbi licitum per Angelum agnouit sacrificium extra Tabernaculum,quamuis ipse prophanus,quippe ex tribu Dan,sacrificium obtulit.Et sanè sunt,qui putent,vbi periculum non esset, nec suspicio idololatriæ licuisse huiusmodi sacrificare. Abulensis id concedit Prophetis, etiam ex alia Tribu quàm Leui, quod non improbat Sanctius, in quibus locum non habebat ratio legis vetantis,si quidē essent viri sanctitate spectatissimi. Verum Dauid expressam Dei reuelationem accepit contentam in vltimo secundi Regum capite:*Venit autem Gad ad Dauid in die illa;& dixit ei:ascende,& constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi, & ascendit Dauid iuxta sermonem Gad,quem præceperat ei Dominus.* Gedeon quoque Dei præceptum habuit, vt constat in sexto Iudicum capite. Idem de Samuele dicendum, qui variis locis sacrificauit in Ramatha,in Galgala,& in Bethel.Nisi fortè fuerit Sacerdos à Deo designatus, quamuis solum Leuita,& non Aaronita esset. Quod si Rechabitæ à tempore Hieremiæ,cum Leuitæ non essent,admissi fuerint ad Sacerdotium,prout opinantur nonnulli, non mirum eximium Prophetam Samuelem,cùm de Leui tribu esset fuisse ad sacerdotalem dignitatem diuinitùs euectum,de quo non est opus modò aliquid definire. Quod si Sacerdos fuit Samuel legitimè, & ordinariè omnino dici potest aliquando sacrificasse; nam in Masphat saltem videtur fuisse aliquod Tabernaculum publicum, & legitimè deputatū ad diuinum cultum,

cultum, vt colligitur ex illis verbis libri primi Regum: *Dixit autem Samuel: congregate vniuersum Israel in Masphath, vt orem pro vobis Dominum, & conuenerunt in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Hic modus loquendi: *in conspectu Domini* denotar frequenter tabernaculum sacrum, aut arcam. Postea proficiscentibus Israelitis ad prælium dicitur: *Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino.* Quis sciet an coram arca Domini eo fine allata, reducenda tandem in Cariathiarim vt in aciem educeretur, cum hic mos fuerit Israelitis. Nec enim arca solum tempore Heli producta fuit aduersus hostes, sed antea, & postea sanctissimorum virorum iussu, vt Moysis & Dauidis, in trigesimo primo Numerorum capite, pugnaturos aduersus Madian: *Misit Moyses cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis vasa quoque sancta.* Per hæc vasa sancta Abulensis, Lyranus, Caietanus, Seranus, Cornelius, Bonfrerius, & Tirinus arcam fœderis intelligunt, quam ad bellum iussit Moyses proferri ad firmum aduersùs Madianitas præsidium: dicuntur numero plurali vasa sancta, propter appendices eius propitiatorium & Cherubim. Idem videtur accidisse in decimo quarto Numerorum, vbi dicitur: *Arca autem Testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris.* Iosue similiter eduxit arcam aduersus Hiericho, & in quarto decimo capite libri primi Regum habuit in castris Saul arcam Dei: *Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel.* Dauidis quoque iussu tulit secum arcam Ioab in castris, prout colligitur ex illa excusatione Vriæ: *Arca Dei & Israel, & Iuda habitant in papilionibus; & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam.* Sic etiam Gentes idola sua ad castra produxisse constat ex secundi Regum quinto capite.

His quæ in isto & superiori capite diximus possunt adiici ex familiari Hebræis oraculo Vrim, & Thumim nouisse à Deo potuisse veram interpretationem legis. Ideo iuxta consultationem oraculi, aut plura Tabernacula dicasse, seu loca adorationis & sacrificij, & eos sacrificasse, qui lege communi arcebantur altari. Et quidem electionem loci sacrificalis, & constituendi Tabernaculi à consultatione Dei per Vrim, & Thumim dependisse notat Seratius quæstione sexta super decimum octauum caput Iosue, idque colligi potest ex duodecimo Deuteronomij, vbi dicitur: *Ad locum quem elegerit Dominus Deus noster de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas.* Quod si Deus aliquando elegisset pro opportunitate duo loca, cur non ibi liceret sacrificare? Eadem quæ de loco sacrificali, de personis existimandum est, potuisse à Deo aliquam extraordinariè assumi ad sacrificandum, per Vrim scilicet, & Thummim: nec etiam omnia referuntur in sacris libris, referuntur quorumdam non Aaronitarum sacrificia, & tacetur eorum legitimatio, seu facultas diuina extraordinariè ipsis indulta.

CAPVT XXXII.

Scriptura Veteris Testamenti, testatur vetus Dei fœdus.

TANDEM pro diuini fœderis veneranda memoria, & obseruantia præter arcæ maiestatem, præter Tabernaculi apparatum, præter Sacerdotij Religionem Scriptura sacra inspiratur, vt authenticum instrumentum esset diuini testamenti, vnde omnibus, omnique tempore pateret pactum Dei, acceptatio hominum, & leges diuinæ sub quarum obseruantiæ conditione ad hæreditatem promissam ius datur. Hinc testamentum vetus dicitur ea pars Scripturæ, quæ ante fœdus, & testamentum nouum scripta est: quoniam fœdus vetus enarret, promulget, exponat, & versetur circa ea, quæ ad illud attinent. Oportuit quidem præmitti librum Genesis, in quo exhibetur qualis Deus sit, qui cum hominibus pacisci dignatus, cuius summum est creationis titulo Ius ferendi leges. Eius maiestas, & omnipotentia ibi exponitur, quia ex nihilo omnia fecit. Orbem refuso diluuio inundauit, hoc ad timorem expectat necessariam maiestatis portionem: deinde eius demonstratur benignitas cum hominibus, cum ita beneuolum se præbuerit Abrahamo, Isaac, Iacob, & Ioseph. Sequitur liber Exodi, vbi fœdus diuinum scribitur, & quali ministro vsus Deus fuerit, velut feciali, seu patre patrato. Leuiticus totus legalis leges continet, quas summus Legislator paciscens cum hominibus populo suo tulit. Numerorum codex describit populum, qui pactum, & leges Dei admisit. In Deuteronomio autem repetuntur quæ alibi scripta erant, & fœderis diuini renouatur

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script. Mm memoria,

memoria,vt id commendatius haberetur. Libri historiales spectant ad hoc vetus fœdus, quatenus ostendunt,quàm fideliter Deus impleuerit, quæ filiis Israel, vel pollicitus, vel comminatus est, quod Aureolus sic differuit: promisit namque respectu terræ promissionis.Primò;quod eos induceret: *Dabo vobis terram fluentem lac & mel.* Secundò quod eos defenderet: *Dominus Deus pugnabit pro vobis,& vos tacebitis.* Tertiò, quod oppressos erigeret,& liniret. Quartò quod eos erigeret in sublime: *Et faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus.* Quintò comminatus est, quòd eos deiiceret, si non obseruarent legem. Sextò comminatus est,quod eos eiiceret de terra, & captiuaret. Septimò promisit quod in captiuitate eos non desereret,imò assisteret.Octauò promisit quod eos reduceret,& ad terram promissionis iterum reuocaret. Patent hæc omnia Deuteronomij vigesimo nono, vigesimo octauo,& vigesimo septimo capite,& in parte illa per totum. Incipit ergo Iosue partem historicam, & enarratiuam; & intendit vnam conclusionem, secundùm Deum fuisse respectu filiorum Israel,quo ad terram promissionis stupendum inductorem. Quod probat ex Iordanis diuisione:ex murorum Hierico stupenda collisione; ex quinque Regũ captione; ex totius terræ depopulatione quæ obtinebatur in vno & triginta Regibus; & demum ex totius terræ per sortes,& funiculos distributione:hæc enim euidenter concludunt Deum fuisse stupendum inductorem filiorum Israel in terram promissam. Tunc accedit liber Iudicum,qui est secundus,& intendit conclusionem aliam,scilicet, Deum extitisse prouidum redemptorem,& saluatorem,& hoc sub quatuordecim Iudicibus. Cùm enim peccarent coram Domino,tradebat eos in manibus nationum, & cum reuertebantur,mittebat eis Saluatorem. Et misit eis Othoniel, Aioth, Sangar, Debbora, Gedeon, Abimelech, Thola, Iayr, Iephte, Abessan, Ahialan, Abdon, Sanson, & Heli Sacerdotem. Tunc accedit liber Ruth, & intendit vnam conclusionem Deum esse placidum linitorem omnibus oppressis. Quod probat ex Helimelech peregrinatione. Ex Noëmi reuersione, & ex Ruth disponsatione. Tunc accedit primus liber Regum,& secundus, & primus Paralipomenon, & pars secundi, & intendunt quartam conclusionem, scilicet, Deum esse maximum erectorem filiorum Israel, sublimauit enim eos in Regnum, quod apparet in Samuele à principio primi Regum, vsque ad caput decimum septimum. Et in Dauid per totum residuum; & per totum librum secundum. Et in Salomone à principio tertij vsque ad caput duodecimum. Post accedit liber Regum tertius à duodecimo capite vsque in finem quarti libri, & intendit quintam conclusionem, videlicet, Deum fuisse validum deiectorem populi Israelitici. Quod declarat ex decursu nouem & decem Regum Iuda,& octodecim Regum Israel:per omnia enim cum reliquiis fuerunt diuisi, & fuerunt continuò decrescendo. Tunc accedit finis quarti Regum, & secundi Paralipomenon, & intendit sextam conclusionem, scilicet, Deum fuisse Regum eiectorem rigidum & captiuatorem populi sub Theglatphalazar,Salmanazar, Nabuchodonosor Regibus Assyriorum,& Chaldæorum. Tunc accedit liber Esdræ, & Nehemiæ, & intendunt conclusionem septimam,videlicet,Deum fuisse propitium reductorem de captiuitate,sub Cyro,Dario,& Regibus Medorum. Tunc accedunt quatuor libri,scilicet Tobiæ, Iudith, Hester,Machabeorum,& intendunt octauam conclusionem,videlicet,Deum fuisse præcipuum adiutorem,& astitorem in tempore captiuitatis. Astitit enim Tobiæ sub prima captiuitate,quæ fuit Assyriorum & astitit Iudith,& vniuerso populo sub captiuitate secunda Nabuchodonosor Regis Assyriorum. Et astitit Hester & toti populo sub captiuitate Medorum, & astitit Machabæis,& vniuerso populo sub captiuitate Græcorum. Et secundum hoc denarius historialium librorum apertè clamat,Deum impleuisse quidquid comminatus est & promisit obseruatoribus, & transgressoribus legis suæ. Nec enim ad alium finem historiæ ordinantur:non enim intendit sacra Scriptura historias propter se, sed in ordine ad Deum.

Eadem Prophetales libri inculcant, & hortantur ad fœderis cum Deo pacti obseruantiam. Idem iuuant Iob, & libri Sapientiales,inter quæ Cantica Canticorum fœderalis vinculi arctitudinem,sub sponsaliorum nomine concelebrat, & de partibus paciscentibus Deo & populo tractat,prout idem Aureolus annotauit: nam licet apud Iudæos quidam autument librum illum à Salomone compositum de desponsanda sibi filia Pharaonis:nihilominus Iudæi melius sentientes dicunt,quod composuit eum de Synagoga, siue de populo Israelitico, & vnico vero Deo:omnibus enim aliis nationibus conuersis ad idola soli filij Israel desponsauerunt sibi verum Deum,& propter hoc Salomon amorem Dei ad filios Israel,& è conuerso sub metaphora sponsi, & sponsæ nititur explicare. Diuiditur autem in decem partes principales. Primò agitur de Patrum peregrinatione, Thare, Abraham,

Abraham, Isaac, & Iacob, qui egressi sunt de Vt Chaldæorum in primo dramate: *Osculetur me osculo oris sui*,&c. Secundò de plebis multiplicatione, de qua in Exodo in principio: in secundo dramate: *Dum esset Rex*,&c. Tertiò de plebis oppressione ab Ægyptiis; in tertio dramate: *Ecce tu pulchra*. Quartò de Dei descensione,& apparitione in rubo Moysi; in quarto dramate: *Sicut malus inter ligna*. Quintò de plebis egressione de Ægypto, in quinto dramate: *Vox dilecti mei*. Ecce &c. vbi agitur de egressione, ibi: *Surge propera amica mea*,& de columnæ nubis præcessione: *Ecce iste venit saliens*, & de legislatione: *Sonet vox tua in auribus meis*,& de Amalech debellatione: *Capite vobis vulpes*. Sextò agitur de euagatione per desertum quadraginta annis, & ibi primò de circuitione quam fecerunt propter peccatum murmurationis: *Surgam & circuibo ciuitatem*. Deinde nouo populo generato mortuis præcedentibus, tractat de vocatione ad ingressum terræ sanctæ, qualiter ascenderunt per montes Galaad trans Iordanem,& incipit ibi: *Capilli tui sicut greges caprarum*, &c. Deinde tractat de contemplatione terræ Sanctæ, cum ascendit Moyses in vertice montis Sanir, ibi: *Veni de Libano*,&c. Vbi cõtinetur inuitatio à Deo ad terram sanctam facta sub Iosue, in dramate sexto: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Septimo agit do introductione, in septimo dramate: *Veniat dilectus meus*. Et ibi tractat quomodo primò cœperunt comedere de fructibus terræ sanctæ,& cessauit manna, vt dicitur in Iosue, & hoc cum dicitur: *Comedi fauum meum cum melle meo*,&c. Octauò agit de delectatione Synagogæ,& radiatione ipsius, & exaltatione in terra promissionis, & de gloria quam obtinuit sub temporibus illis vsque ad tempora Salomonis, & hoc in octauo dramate: *Ecce ego dormio, & cor meum vigilat*, vbi primo de persecutione, & liberatione eorum sub temporibus Iudicum, vbi legitur: *Inuenerunt me custodes*,&c. Sequitur, *percusserunt me, & vulnerauerunt me*,&c. Et de populi clamore & euersione ad Deum: *Adiuro vos filiæ Ierusalem*, &c. Nono agitur de plebis Israeliticæ eruditione, & sapientia tempore Salomonis, in nono dramate, quod incipit: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, & sequitur: *Vinea fuit pacifico*. Ex quo patet quod loquitur de filiis Israel, quia scriptum est: *Vinea Domini Sabaoth domus Israel est*. Vltima verò vox sponsæ est, de sponsi æterni inhabitatione in populo Israel, relictis nationibus, vnde dicit: *Fuge dilecte mi*, scilicet, ab aliis gentibus: *assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum*, hoc est, commorare in monte, in templo, in monte Sion, vbi fumigabantur Deo aromata, thymiamata,& incensum. Verùm cum Synagoga figura fuerit Ecclesiæ Christi, hanc pariter delineauit suis canticis Salomon.

CAPVT XXXIII.

De Scriptura noui Testamenti.

NOVVM autem Testamentum, quia non in tabulis marmoreis scriptum, sed in humanis cordibus incisum, non egebat exterioris arcæ,& Tabernaculi cultu, sanctitatem cordis requirit, & totius hominis munditiem, pro arca Testamenti conscientia, pro Tabernaculo corpus nostrum est, quod proinde vocauit Apostolus Tabernaculum, & templum Dei: Arcæ quoque appellationem respexisse videtur, cum dixit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, quemadmodum testimonium fœderis antiqui, arca scilicet testimonij dicebatur gloria Israel: ac proinde in omni loco licuit adorare Deum post nouum Testamentum: oportuit tamen authentica instrumenta esse, quæ commendarent omnibus,& omni tempore, & loco vitam testatoris, & alia quæ ad nouum filij Dei Testamentum attinent. Idcirco noui Testamenti scriptura inspirata est. Sunt enim, inquit Aureolus Cardinalis, quatuor Euangelistæ quasi quatuor testes, quod homo ille, qui dictus est IESVS fuit Christus in lege promissus, Rex & Dominus omniũ, Saluator hominum, & filius Dei. Diuiduntur ergo inter se libri quatuor Euangeliorum; quia Matthæus intendit principaliter declarare illum hominem fuisse Christum, & ideo in principio dicit: *Liber generationis IESV Christi*. Non expressit autem filij Dei, sed *filij Dauid, filij Abraham*, & in consequentibus subdit: *Christi generatio sic erat*. Hinc est, quod figura hominis inter quatuor animalia Euangelistas repræsentantia designat Matthæum, quia maximè immoratur circa hominem Christum, ostendendo IESVM fuisse illum, qui promissus fuerat in tota serie scripturarum. Marcus verò intendit principaliter decla-

rare illum hominem fuiſſe Regem,& Dominum omnium, ſicut habetur in Daniele,quod in diebus quatuor Regnorum ſuſcitaret Deus cœli regimen quintum, quod non corrumpetur,cuius poteſtas eſſet poteſtas æterna.Hinc eſt,quod Marcus deſignatur per Leonem, qui eſt Rex,& Dominus animalium.Hinc etiam eſt,quod Marcus circa miracula immoratur, & circa reſurrectionem,& parum ponit de doctrina Chriſti, quia principaliter intendit poteſtatem eius, virtutem & dominium explicare, quæ in reſurrectione,& in miraculis maximè eluceſcunt. Lucas verò intendit principaliter declarare illum hominem fuiſſe Saluatorem hominum. Et ideo in principio introducit Gabrielem dicentem:*Vocabis nomen eius IESVM; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et in ſecundo capite ſubdit verbum Angeli ad paſtores: *Natus eſt vobis hodie Saluator in ciuitate Dauid.* Hinc eſt,quod maximè immoratur circa geſta & verba Chriſti, quæ ſonant clementiam, & ſalutem,ac remiſſionem peccatorum. Et propter hoc in referendo paſſionem, maximè explicauit verba dulcia & clementia Chriſti, vt eſt illud: *Pater dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt*,& illud:*Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me*,& illud:*Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*Et ipſe ſolus refert,quod *factus eſt ſudor eius tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Et hoc maximè medico congruebat, vt immoraretur circa curam, & ſalutem animarum. Hinc etiam eſt,quod per figuram vituli, qui aptus eſt ad immolandum, deſignatur. Ioannes verò intendit principaliter declarare illum hominem fuiſſe Dei filium,& verum Deum. Et quod hæc ſit concluſio,quam intendit: ipſemet explicat circa finem ſui Euangelij,vbi ait:*Hæc autem dicta ſunt,vt credatis, quoniam IESVS eſt Chriſtus filius Dei,& vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*Hinc eſt quod incipit à Chriſti diuinitate,dicendo: *In principio erat Verbum.*Et quaſi in fine cuiuſlibet capitis ſemper infert,iſtum hominem fuiſſe filium Dei. Hinc etiam eſt quod per aquilam figuratur. Sic igitur quatuor libri Euangeliorum habent in ſubiecto idem,ſcilicet hominem IESVM, & de illo ſubiecto quatuor declarare intendunt. Matthæus quidem,quod fuit Chriſtus in lege promiſſus,Ioannes verò quod eſt verus Deus, & Dei filius. Lucas autem, quod eſt verus Saluator hominum. Marcus verò, quod eſt Rex, & Imperator omnium. Et hoc probant per facta & dicta,quæ teſtificantur illum hominem feciſſe in conſpectu diſcipulorum ſuorum, & multitudinis Iudæorum,vt ſic quatuor Euangelia diſtinguantur, non penes quatuor ſubiecta, ſed penes quatuor prædicata de eodem ſubiecto. Reliqua pars noui Teſtamenti etiam in librorum quaternario continetur iuxta eundem Aureolum, videlicet, in libro Epiſtolarum Pauli, in libro Actuum Apoſtolorum, & in libro ſeptem Canonicarum, & in libro Apocalypſis, qui taliter diuiduntur. Ordinatur enim epiſtolaris pars ad inſtructionem,& informationem vniuerſalis Eccleſiæ, vt poſt quatuor Euangelia,in quibus agitur de capite Eccleſiæ Domino IESV Chriſto ſequatur pars epiſtolaris, in qua agitur de corpore Eccleſiæ quantum ad illa quæ pertinent ad eius informationem. Et quia oportet Eccleſiam reſpectu quatuor eſſe informatam,videlicet reſpectu credendorum,reſpectu agendorum,& morum,reſpectu initiorum ſuorum,& reſpectu ſui decurſus,& ſibi futurorum in fine.Idcirco deſtinauerunt Paulus,Iacobus,Petrus,Ioannes,& Iudas Thadæus epiſtolas ad Eccleſiam informandam reſpectu credendorum, & agendorum.Lucas verò deſtinauit Theophilo epiſtolam Actuum continentem informātem Eccleſiam reſpectu initiorum ſuorum:deſcribit enim initia primitiuæ Eccleſiæ, quæ fundata eſt in Apoſtolis,& diſcipulis.Ioannes verò ſeptem Eccleſiis deſtinauit epiſtolam, quæ dicitur Apocalypſis informantem Eccleſiam reſpectu futurorum.hæc Aureolus.Deinde ad reuerentiam,& memoriam noui Teſtamenti præter ſcripturam ſacram ſacroſanctum memoriale habemus, excellentiſſimumque pignus cœleſtis hæreditatis corpus ſanguinemque Chriſti Domini in Euchariſtiæ ſacramento contenta, quod vnum ſacramentum excedit omnia diuini amoris argumenta,quæ in veteri Teſtamento præſtitit Deus,& omnia mirabilia,quæ cum populo Hebræo operatus eſt.

CAPVT XXXIV.

An Euchariſtia futura ſit æternum pignus noui Teſtamenti?

PRÆTER Scripturas tamen memoriale noui Teſtamenti fidelibus relictum eſt ſacramentum corporis & ſanguinis Domini,quod in ſui commemorationem ſumere Saluator iuſſit: *Quotieſcumque enim* (Paulus ait) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis.*

biberis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Quærunt nonnulli quousque memoriale hoc perstiturum? Quidam vsque ad Antichristum affirmauere authoritate Danielis capite duodecimo vbi dicitur: *Et tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta.* Et antea capite nono: *In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium.* Quod ad Antichristi tempora teferunt multi. Alij vero nunquam Eucharistiæ memoriale cessandum, sed in cœlo etiam seruandum in æternum. Quod assertum satis non video probari, quamuis his posset coniectiunculis colorem aliquem admittere. Siquidem Crux, quoniam instrumentum fit nostræ Redemptionis seruanda est post consummationem sæculi, quandoquidem iudicaturum Dominum præcedet, prout ipse Dominus dixit: *Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate.* Hoc signum filij hominis non erit ipse Christus, vt alicubi voluit Origenes, non vtcumque Passionis signa, ptovt placuit Auctori imperfecti, flagellorum vibices, & clauorum cicatrices, sed Crux. Loquitur enim Christus de signo filij hominis tanquam de proprio aliquo, & certo vexillo, quod aliud aptius quam crux esse nequit, vt volunt Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Ephrem, Leo, Theophylactus, & alij Patres; atque Ecclesia canit: *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Nec crucis solū similitudo erit ministerio Angelorum efformata ex splendidissimo aëre ante cōspectum aduentantis iudicis vnà cum columna, flagellis spinea corona, clauis, & lancea, vt credunt aliqui Doctores, sed ipsissima Crux, cui affixus fuit Christus, iuxta Chrysostomum, Thomam Vvaldensem, Iacobum Bozium, Franciscum Scriuam. Addunt aliqui apud Bozium capite extremo sui operis de Cruce, & Franciscus Suarez ad quæstionem quinquagesimam nonam tertiæ partis in æternum seruandam in cœlo Crucem Domini, quod etiam significat sanctus Chrysostomus homilia de Cruce, & Passione dicens: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum, & ideo cum ipsa veniet: cum ipsa secundam suam præsentiam faciet,* & Sibylla cecinit: Suar. to. 2. in 3. p. d. 57. s. 2.

O lignum felix in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cum reuocata Dei facies ignita micabit.

Quod si Crux vsque ad diem iudicij consummato sæculo seruanda est in æternam memoriam, & testimonium Dominicæ Passionis, idem videtur æquo iure dicendum de Eucharistia, quæ instituta est in memoriam eiusdem filij Dei Passionis, & ad testimonium noui testamenti, quod per Eucharistiæ institutionem stabilitum, sanctum, & ratum voluit habere Deus. Si Crux quia instrumentum fuit sacrificij cruenti æternum seruabitur, etiam Eucharistia vt aliquid spectans ad sacrificium incruentum seruanda videbitur. Adiici potest auctoritas sancti Odonis, qui in hymno de Eucharistia sic canit:

Conuiuas epuli mundos Deus esse superni,
Vt docet & seruis Dominus vestigia lauit.
Muneribus variis, & pluribus inde reiectis,
Frumentum & vinum cunctis hoc protulit vnum.
Hoc sacrat, hoc nimium, quod sit breue, quod nimis altum,
Tam modicum sumptum, tam facile, atque paratum;
Tam sublime tamen, quod totam habeat deitatem.
Sufficit hoc solum mundi purgare piaclum.
Hinc placet hoc munus, quod sit de pluribus vnum.
Corpus huic capiti, caput inde cohæret, & illi;
Hoc genus, hoc vnum placet, hoc durabit in æuum,
Hoc facile est, nitidum, simplex, deitatéque plenum.

In æuum concinit seruandam Eucharistiam non temporalem, sed æternam subindicans perseuerantiam. Æuum siquidem Theologi plusquam temporalem durationem intelligunt. Cosmas quoque Hierosolymitanus Hymno sexto Theolog. *immortalem mensam*

Mm 3 pronuntiauit

pronuntiauit Eucharistiam. Accedit præsignificatum esse Eucharistiam non tantum viatoribus impertiendam in vitæ huius peregrinatione, sed in patria quoque post peregrinationem istam seruandam. Manna enim aptissima fuit Eucharistiæ figura. Quo non solùm in deserto, & peregrinatione vsi sunt Israelitæ, sed post ingressum terræ promissionis, cùm nullus iam eius vsus futurus erat, iussu Dei seruatum in arca, aut prope arcam fuit. Hoc videtur significare etiam post vsum & sumptionem viuifici sacramenti etiam post hanc peregrinationem in terra nostra promissionis seruandam tanti beneficij memoriam: namque si in corpore suo licet glorioso voluit Christus vulnera sua seruari manibus,pedibus,latere ob memoriam summi illius beneficij,cũ pro nobis suum sanguinẽ fudit:beneficium quoq;traditi sui corporis,& sanguinis manducandi nobis æternã memoriã meretur.Neq;verò incongruum fortasse videbatur causam nostræ immortalitatis immortaliter seruari. Gloriosam autem nostram resurrectionem, & immortalitatem corporis tribuunt Patres Eucharistiæ, colligunrque ex Christi Domini verbis,qui sæpe manducantibus suam carnem, & cœlestem hunc panem æternùm victuros promisit. Hinc sancti Patres Eucharistiam vocant immortalitatis antidotum. Hinc sanctus Irenæus Carnis resurrectionem ex Eucharistia probauit aduersus Marcionistas dicens: *Quomodo asserunt carnem nostram corrumpi, nec vitam consequi, cum tamen cibetur,& nutriatur de sanguine Christi;quare aut sententiam suam subuertent, aut à professa illius rei sacrificio desciscent.Nostra attamen opinio Eucharistiæ congrua, & apposita est,quæ & per Eucharistiam fulcitur:nam quod suum est illi offerimus,& carnis ipsius,& spiritus communicationem, & conciliationem conuenienter prædicamus.* Videtur insinuare deberi Eucharistiæ sumptioni carnis resurrectionem,& immediatè pòst subdit: *Nam quemadmodum panis qui ex terra prouenit, cum Dei inuocationem accipit, deinceps vulgaris panis esse desinit,& Eucharistia est,quæ ex duobus constat:alterum terreum, alterum cæleste est; ita & corpora nostra,quum Eucharistiam accipiunt, non amplius corruptioni obnoxia sunt, si quidem resurrectionis spe fulciantur.* Congruit Nicenum Concilium vocans Eucharistiam:*Certissima nostra resurrectionis signa.* Et propterea Cosmas Hierosolymitanus in Theolog. hymno sexto dixit: *Anima nutricem parat mensam:ambrosia verè sapientia Dei miscet cratera fidelibus.*

Idem videtur adstruere Christum Dominum gloriosum,eum post resurrectionem duobus discipulis Emauntinis fregit panem,consecrasse Eucharistiam, iisque illum communicasse,ipsumque vt par est credere,eam sicut in nocte cœnæ sumpsisse. Fractionem illam panis fuisse institutionem Eucharistiæ validior, & fortasse nobilior pars Doctorum Catholicorum confirmat,videri potest Maldonatus, qui vehementiùs hoc affirmat. Et sane sanctus Augustinus,Chrysostomus,Theophylactus & Beda sentiunt, Christum hìc consecrasse,& discipulis his porrexisse sanctissimam Eucharistiam. Primò, quia eodem modo loquitur Lucas,quo tam ipse quam reliqui Euangelistæ loquuntur cum agunt de Eucharistia.Secundò,quia non vulgaris,sed peculiaris fuit hæc benedictio & fractio panis;neque initio mensæ,sed in medio,vel fine adhibita:nam proculdubio cœnauit cum illis,ne phantasma crederetur. Tertiò,quia ex hoc pane sumpto statim agnouerunt Christum. Addit sanctus Hieronymus Christum hoc facto suo domum istam (quam Cleophæ vocat) in Ecclesiam consecrasse:nempe quia Sacramentum & sacrificium Eucharisticum istic celebrauit,quod in Ecclesiis fieri solet. Quod si Christus gloriosus sumpsit Eucharistiam non videtur species illas sacramentales corrupturus:quod si non corrupit,æternum conseruat. Quod scio aliquibus non ineruditis placere,& quidam propterea publico è suggestu pronuntiauit cum multorum plausu nunc in cœlo adorari, & adorandam Eucharistiam in præcordiis corporis Christi,quia gloriosi transparentis,veluti limpidissimi Crystalli.

Accedit visus posthac à quibusdam sanctis.Christus Dominus gloriosus sacra peragẽs, Eucharistiam consecrans,sumens,impertiens,& ne alia cumulem, dumtaxat transcribam quod sancta Mechtildis libro primo tradidit:*Eo tempore quo Canonici vicem Episcopi gerentes:& congregationem pro quadam pecuniæ summa grauiter affligendo à diuinis suspendissent: in die assumptionis gloriosæ Virginis,cum hæc Dei famula nimio affligeretur dolore,propter carentiam Dominici corporis,visam est sibi, quod Dominus abstergeret lachrymas ab oculis eius, & manum eius tenens, diceret:Hodie videbis mirabilia. Cum ergo Sacerdos ex more inciperet ad processionem responsum. Vidit speciosam:videbatur sibi quod tota congregatio ordinaret se ad processionem:quam Dominus cum Matre sua præcedebat: portans vexillum albi coloris & rubei.In albo erant rosæ aureæ, & in rubeo argenteæ. Hæc processio facta est per ambitum vsque ad chorum; deinde in Ecclesiam. Tunc Dominus præparabat se Missam celebraturus indutus casula*

casula rubea, & Pontificali infula. Sanctus Ioannes Baptista lecturus erat epistolam, & hoc ideo, quia prior erat, qui de gaudio Beatæ Virginis in vtero exultauit: Sanctus vero Ioannes Euangelista erat lecturus Euangelium, eo quod ipse custos erat Virginis gloriosæ. Sanctus Ioannes Baptista, & sanctus Lucas Domino ad altare ministrabant. Et sanctus Ioannes Euangelista Beatæ Virgini, quæ stabat in dextera parte altaris vestita indumentis solaris luminis, habens in capite coronam omnium lapidum pretiosorum gemmis incomparabiliter adornatam; omnibus autem sanctis qui aderant: Missam solemniter inchoantibus, Gaudeamus, &c. Beata Virgo ad altare processit offerens filio fibulam auream tanquam Crystallus purissimam: & summopere gemmis inæstimabiliter ornatam; quæ singulæ puritatem speculi habebant: ibique Beata Virgo contemplabatur omnes virtutes suas in eis. Hæc fibula texit totum pectus Domini velut clipeus. Et Beata Virgo in illa velut in speculo se videbat. Tunc Missam prosequentes vsque ad vltimum Kirieeleyson. Dominus altissima voce intonuit: Gloria in excelsis Deo Dicens de gaudio cordis mei omnibus vobis propino gloriam. Ad offerendam autem hæ quæ Beatæ Mariæ Virgini specialia impenderant obsequia: accedentes ad altare obtulerunt annulos aureos quos Dominus accipiens digitis suis imposuit. Et cùm præfationem ipse summus Sacerdos, & Pontifex decantasset, vsque ad illud Cum quibus & nostras voces, vt admitti iubeas depretamur supplici confessione dicentes: Dixit ad sanctos: Cantate omnes, cantate, & psallite. Qui omnes cantabant: Sanctus, Sanctus. Inter omnes & super omnes Beata Virgo Maria dulcissimum dabat sonum; quo præ omnibus sanctorum vocibus, eius vox specialiter agnoscebatur. Cum autem instaret hora sacratissima quá eleuata erat hostia; visus est eleuare hostiam quasi in aurea paropside clausam & sindone velatam, per quod figurabatur, quod hoc sacramentum omni humano, siue Angelico intellectui est absconditum. Dicto Pax Domini, posita est ibi mensa ad quam Dominus se ponebat. Iuxta quem Mater eius sedebat. Congregatio autem tota ad mensam illam accedens, vnaquæque sub brachio Beatæ Mariæ Virginis quasi genuculando accepit Dominicum corpus de manu Domini. Et Beata Virgo craterem aureum cum fistula aurea ad latus Domini tenebat, per quam sugebant omnes liquorem illum dulcissimum, qui de pectore Domini emanabat. Finita Missa Dominus benedictionem dabat manu sua. In qua per singulos digitos annulos aureos habebant; significantes desponsationem singularum Virginum sibi desponsatarum. Qui lapides rubeos habebant, per quos exprimebatur, quod sanguis eius spiritualiter ad Virginum pertinet ornamentum. Hæc ibi. Ego quid in his quæsiris ausim affirmare, breui exponam. Censeo Eucharistiæ vsum in hoc sæculo nunquam absolutè cessandum, etiam in Antichristi persecutione, qui solum publica sacra impediet, secretas tamen Missarum celebrationes impedire non poterit, sicut nec in Anglia nec in persecutionibus aliis Ecclesiæ effectum est, quo minus in cryptis & locis occultis sacra facerent pij Sacerdotes. Quod etiã Maluenda & multi interpretes confirmant. Quoad conseruationem Eucharistiæ in cælo non video tot esse fundamenta huius pronuntiati, vt illud statuere possim, quod licet falsum non valeam prorsus conuincere, incertum atque sponte meditatum non possum non habere. Reuelatio autem sanctæ Mectildis perparum vrgere potest: neque enim sancti illi, qui carent corpore, quorum dumtaxat animæ cælum nunc possident re vera Eucharistiam sumere possunt. Idcirco visio potius illa fuit quàm realis Eucharistiæ sumptio. In cælo cum iam adita est hæreditas, necessaria non erunt eius adeundæ instrumenta.

CAPVT XXXV.

Quis vtriusque Testamenti finis.



COLOPHONEM huic tractationi, in qua de veteri testamento, & nouo, eorumque initio egimus, addat vtriusque finis. Quoniam & præstitutio finis ad rerum origines spectet; quippe nihil incipiat nisi alicuius finis gratia. Igitur vtriusque Testamenti finis Christus est, & humanæ salutis mysterium. In hoc congruunt ambo, nisi quod vetus nouo compleatur, perficiaturque. Hunc consensum veteris & noui Testamenti sic explicuit sanctus Maximus centuria quarta capite octogesimo nono: *Mysterium nostræ salutis hoc efficit, vt vita sit sermonis demonstratio; sermo verò sit opinio vitæ; & operatio sit contemplatio incumbens operi, contemplatio sit actio sacris initiata; ac vt paucis dicam, virtutem facit cognitionis explicationem, cognitionem autem virtutis vim conseruatricem: Et ex ambabus, virtute inquam & cognitione, vnam sapientiam constare demonstrat:*

quam nouum proferentia testamentum, in vtroque auditoribus salutare conferunt documentum: quia etsi fortè in aliquo imperfectum illud dicitur quod praeuenit, cum tempus nondum gratia & auditores congruos non inuenit: istud contulit supplementum quod accepto tempore superuenit, cum Sol respexit tenebras, & in vmbra sedentibus lux aduenit. Et nimirum labiis quorum alterum alteri necessario superadditur, vt loquamur, duo congruunt testamenta, quorum rectè monitu informamur: quorum vetus per se inualidum videtur, & insufficiens subiacere, nouum superueniens illius insufficientiam adimplere. In quibus testamentis, quando duobus sponsi labiis sunt prolata, & ad nostram omnium doctrinam, & salutem prudenti artificio fabricata: Idem sponsus auditores suos duplicem aequè prouocat ad profectum, qui tamen eius dono spiritalem sortiti fuerint intellectum. Inuitat enim eos, vt & Deum diligant, & curam habeant proximorum, vt temporalia dispensantes, sint non immemores aeternorum; vt iustus quisque sic manus inserat studio, vel negotio temporali, vt congruis temporibus insistat audius otio spirituali. Quia ergo his duobus studiis sponsi nos instruunt documenta, rectè labia eius duo, & duo sunt nihilominus testamenta, vt qua rerum vel actuum quauis dissonantia non remordet, in his forma simili ipse quoque numerus non discordet.

Duarum quoque similitudine oliuarum sanctus Maximus, quae apud Zachariam Prophetam celebres sunt, sic de duobus testamentis eloquitur: *Arbitror oliuam sitam à sinistris significare Testamentum vetus, quod Philosophiam actiuam magis curet; illam verò quae à dextris est, Testamentum nouum, quasi noui mysterij magistrum, & habitus contemplatiui, qui apud quemcumque fidelem est procuratorem. Nam illud, virtutis modos, hoc scientia sermones prabet his qui philosophantur circa diuina. Item illud à rerum visibilium caligine subtrahens animum, reducit ad id quod cognatum est ei, quauis imaginatione materiali repurgatum: hoc ab adhaerente materiali affectione ipsum purificat, fortitudinis acumine excutiens tanquam malleo quodam, clauos animum corpori illigatum tenentes. Vetus quidem Testamentum, corpus rationale factum virtutibus mediis effert ad animum, prohibens ne mens deprimatur ad corpus: nouum autem animum igne dilectionis volantem extollit ad Deum. Atque illud, corpus facit idem cum animo in perugendo motu: hoc per habitum gratiae, eundem cum Deo reddit animum, qui tantam cum Deo habet similitudinem, vt Deus, qui suapte natura à nullo vnquam prorsus cognosci potest, innotescat per eum, velut archetypus ex imagine quadam.*

Egregiè quoque totam Scripturam, tum vetus tum nouum Testamentum, & vtriusque finem Christum IESVM salutem nostram operatum quadriformia Cherubim repraesentant, quod ex Anastasio Niceno, & Ruperto libet producere. Quamuis enim notissimum sit Euangelia significari per illa Cherubim, non ita tritum est de veteri Testamento, ac proinde vtrumque commemorabimus. Ille in quaestione sexagesima quinta in Scripturam, sic ex quaestionibus aduersus Arrianos scribit, siue transcribit: *Manifestum quod Verbum opifex omnium, qui sedet super Cherubim, & continet omnia, hominibus manifestus dedit nobis quadriforme Euangelium, sed quod vno spiritu continetur, sicut dicit Dauid petens eius aduentum. Qui sedes super Cherubim, manifestare. Cherubim enim habent quatuor facies, & eorum facies sunt imagines operationis filij Dei. Nam primum, inquit, animal erat simile leoni, exprimens eius agilitatem, & principatum, & regnum. Secundum autem simile vitulo, ordinem significans sacrificantem, & sacerdotalem, Tertium autem habens faciem hominis, apertissimè describens eius aduentum secundùm hominem. Quartum autem simile aquilae volanti, aptè significans donum sancti Spiritus aduolans ad Ecclesiam. Euangelia ergo his quoque consonant. Nam Euangelium quidem secundùm Ioannem, narrat eius principalem & gloriosam à Patre generationem, dicens, In principio erat Verbum. Euangelium autem secundùm Lucam, vt quod characteris esset sacerdotalis, incepit à Zacharia Sacerdote Deo suffitum offerente. Tum enim saginatus parabatur vitulus sacrificandus pro iunioris filij inuentione. Euangelium autem secundùm Matthaeum, praedicat eius generationem secundum hominem dicens, Liber generationis IESV Christi filij Dauid, filij Abraham. Euangelium verò secundùm Marcum duxit initium à spiritu prophetico, qui ex alto accedit ad homines, dicens, Initium Euangelij, vt scriptum est in Esaia Propheta. Porrò autem ipsum quoque Dei Verbum, cum iis quidem qui erant ante Moysem per suam diuinitatem versabatur, & gloriam. Iis autem, qui erant in lege, ordinem tribuit sacerdotalem. Postea autem homo factus donum sancti Spiritus emisit in omnem terram nos tegens suis alis. Qualis ergo fuit filij Dei operatio, talis etiam fuit forma animalium; & qualis forma animalium, talis est etiam character Euangelij. Nam quadriformia animalia, quadriforme est Euangelium, & Domini operatio.* Eandem multiformium Cherubim repraesentationē sic veteri Testamento adaptat Rupertus libro duodecimo de gloria & honore filij hominis in initio, qui cùm in quatuor animalibus quatuor filij hominis sa-

Ioann. Euseb. de Origine S. Script.

cramenta significata agnouerit,subdit: *Tunc apparet,& elucet tibi,quò tendat sancta veteris instrumenti Scriptura,quatuor faciebus secundum istas quatuor partitates distincta. Quarum partium pro hac ratione prima est liber Geneseos, secunda lex caeremoniarum,siue sacrificiorum, tertia libri Regum, quarta libri Prophetarum. Nam re verâ si in libro Geneseos rite perpendas quò aspiciat intentio Dei,ibi ista facies est:Hominis,exempli gratiâ, vbi tanta cura est Deo de Patrum, siue Patriarcharum coniugiis,&c. Si aspicis quod in homines Deus intenderit (intendebat enim eam quam ante sæcula proposuerat incarnationem Verbi sui) scriptura lucida est,& facies hominis est.Similiter in legalibus cæremoniis,in immolatione vituli,arietis, & hirci,in omni ritu sacrificiorum, quem per manum Moysi Deus ordinauit, &c. Si aspicis quia Deus intendebat figuram in illis haberi passionis eiusdem incarnati filij sui, &c. in ea faciem vituli,quod animal eorum,quæ sacrificabantur,maximum est, cognoscere pium atque honorificum est.Nihilominus in rebus gestis,rebus bellicis Regum, quorum Dauid primus extitit, de quo Sapientia dicit,quia cum leonibus lusit,ab istoque vsque ad Iudam Machabæum, de quo sic scriptum est: Similis factus est leoni in operibus suis,& sicut catulus leonis rugiens in venatione, nonne faciem habet leonis? In Prophetis profectò rectissimè quartam accipis faciem Aquilæ volantis.Illa namque sacræ Scripturæ pars sublimiter volat, totiusque intentionis suæ oculos in verum Solem figit apertos,non solùm factis illum significans, sed (quod maius est) maiestatem diuinitatis eius verbis enuntians.*

CAPVT XXXVI.

Exhibentur Mamertini siue Asterij carmina de collatione veteris & noui Testamenti.



HARMONIAM istam duorum Testamentorum in eorúdem initio agnoscunt sanctus Paschasius & Anselmus. Iste hæc habet: *Bene congruit nouum Testamentum veteri, quia illud incipit à generatione primi hominis, & creatione mundi,istud similiter à generatione secundi hominis,& restauratione müdi. Illud vocatur Genesis,iste Liber generationis,*nimirum IESV Christi. Paschasius similiter ait: *Dignum profectò fuit noui Testamenti initium quantum possibile erat simili modo præsignari, vt eiusdem noui,ac veteris Testamenti vnum Deum authorem taliter promulgando Euangelista monstraret. Præsertim cùm idem Matthæus Hebræo sermone eisdem qui ex Hebræis crediderant,scripserit; vt quod dudum tam ex lege perceperant,manifestius recognoscerent,& probarent quod verè Euangelium Christi testimonium à lege habeat,& Prophetis.*In Genesi quippe capite quinto dicitur:*Hic est liber generationis Adam.*Item capite secundo: *Istæ sunt generationes cæli,& terræ.*Quæ etiam verba confert Paschasius cum initio noui Testamenti,*liber generationis IESV Christi*,dicens: *Hic non immeritò cæli & terræ generatio inferri potest,quia videlicet in Christo cùm sit Deus & homo, vtraque nomina verissimè comprehenduntur. Vnde & IESV Christi sub duobus nominibus aptè titulus inscribitur vt per regiam & sacerdotalem personam Dei,& hominis natura quasi in fronte illicò designetur.* Cum hoc tamen consensu similis quædam & pulchra intercedit inter vtrumque antithesis,quod ita notauit sanctus Anselmus:*Sed & hæc generatio est opposita priori, quia illa duxit nos ad damnationem, ista ad reparationem; illa de paradiso expulit,ista reduxit; dicamus ergo, liber generationis non Adæ nos perdentis, sed IESV, id est, saluantis, non expellentis nos à paradiso, sed Christi, id est, reducentis nos ad paradisum.* Pulcherrimam quidem Mamertinus,siue Asterius,sub Anastasio Imperatore collationem vtriusque Testamenti descripsit, quam non pudebit huc transcribere:

In Matth.

Primus ad ima ruit,magna de luce superbus:
Sic homo cùm tumuit,primus ad ima ruit.
Vnius ob meritum,cuncti periere minores:
Saluantur cuncti,vnius ob meritum.
Sola fuit mulier,patuit quâ ianua letho:
Et quâ vita redit,sola fuit mulier.

Frater

Frater iniquus erat, iustum qui perculit olim:
Damnator Christi, frater iniquus erat.
Transitus ille monet, quid prima amisit origo:
Quid ventura parent, transitus ille monet.
Arca leuatur aquis, homines ne perderet æquor:
Ne pereant homines, arca leuatur aquis.
Sume pater populos pro nati vulnere cunctos:
Cum Christum tradis, sume pater populos.
Hostia summa patris tacitis signata figuris,
Quam referat Christus, hostia summa patris.
Claudicat ecce, videns Dominum, dum præualet heros,
Aspera gens Christum claudicat ecce videns.
Reppulit ille famem distractus crimine fratrum,
Venditus est Christus, reppulit ille famem.
Perfide corde peris, cum vastant omnia plagæ:
Dum cessant plagæ, perfide corde peris.
Agnus ab hoste sacer reuocauit sanguine patres,
Sanguine nosque refert agnus ab hoste sacer.
Obruit vnda nefas populo gradiente per æquor,
Nunc mundi populis obruit vnda nefas.
Murmurat impietas, mannâ veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat:
Abstulit heu Christum plebs sibi dura caput.
Lex dedit indicium veteris de crimine pœnæ,
Quòque salus veniat lex dedit indicium.
En lapis irriguus satiare incredule fonte:
Qui Christum reprobas, en lapis irriguus.
Carpitur igne sacro munus, votúmque piorum,
Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beata patris legis non contigit hæres,
Christus dispensat regna beata Patris.
Destruit arca Dei muros, dum circuit hostis:
Sic hostem mundi destruit arca Dei.
Area vellus habet, madido sed vellere sicca est:
Siccum tota madens area vellus habet.
Vincis honore Dei promisso munere gentes,
Affectum natæ vincis amore Dei.
Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam,
Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Maxima dona Dei cuncti cecinêre Prophetæ,
Impleuit Christus maxima dona Dei.

Pondera dura tulit, mandatum legis & iram,
Gratia mandati pondera dura tulit.
Virgo Maria nitet, nullo temerante pudorem,
Post partum pueri, Virgo Maria nitet.
Filius hic hominis fit maxima quæstio mundi,
Nobiscum Deus est filius hic hominis.
Gaudia magna Dei mundus percepit & ambit,
Respuit heu mundus gaudia magna Dei.
Signa mouent populos, cernunt magnalia cæci,
Nulla tamen duros signa mouent populos.
Aspera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno, aspera mors populis.
Ipse tulit Dominus, pro pœnis munera seruis,
Pro seruis pœnas ipse tulit Dominus.
Vita beata necem miseris auertere venit,
Pertulit à miseris vita beata necem.
Lumen adesse Dei persensit tartarus ingens,
Nec cernunt homines lumen adesse Dei.
Mors fera per hominem miserum, sibi subdidit orbem,
Subdita contremuit mors fera per hominem.
Suscitat ecce genus morti pater ille profanus,
Ad vitam Christus suscitat ecce genus.
Hic populus Dominum durâ ceruice negauit,
Suscepit primus hic populus Dominum.
Sanguine læta redit fuso gens impia Christi,
Gustato Christi sanguine læta redit.
Crimina cuncta suis terrenus contulit auctor,
Dissoluit Christus crimina cuncta suis.
Libera corda sibi facinus deuinxerat olim,
Nunc reficit Christus libera corda sibi.
Fortia vincla dedit peccati sæua potestas,
Dulcis amor Christi fortia vincla dedit.
Iam super astra sedet, cuncti exultate fideles,
Perfide quid sæuis? iam super astra sedet.
Mortuus ille tonat, cælum, terrámque subegit;
Quid facient hostes? mortuus ille tonat.
Pellitur vmbra die, Christo veniente figura:
Christus adit gentes, pellitur vmbra die.

Rectè quidem Testamentum vetus vmbra dicitur, quoniam vmbra similis sit corpori, & etiam est opposita. Tum quoniam vetus illustratum est luce noui Testamenti, quod sanctis Patribus satis inculcatum est. Id etiam indicauit retrocessio Solis per decem gradus tempore Ezechiæ Regis, quam sic interpretatur Rabanus: *Quidam decem gradus linearum ad mysterium Christi transferunt, & vmbras figurarum in descensionem Christi interpretantur,*

In gloss. ad 4. Reg. 2.

tur, per quos iterum Sol iustitiæ Christus post resurrectionem ascendit. Primus gradus descensionis de cælo in Angelo fuit, quia magni consilij nuncius erat. Secundus gradus descensionis in Patriarchis fuit, quia in omnibus, vt ait Apostolus, ipse operatus est. Tertius in legis datione, quia in lege ipse est locutus. Quartus in Iesu Naue, vt populum in terram promissionis induceret. Quintus in Iudicibus, quia eundem populum ipse regebat. Sextus in Regibus Iudæorum, quia in eis ipse regnabat. Septimus in Prophetis, quia per eos annuntiatur. Octauus in Pontificibus, quia ipse summus Sacerdos est Patris. Nonus in homine. Decimus in Passione. Per hos decem gradus quasi vmbram legis priscæ Christus descendit, ac rursus per resurrectionem suam Sol iustitiæ Christus per eosdem gradus (hoc est, præteritos legis gressus illuminando, eorum adumbratam veritatem manifestando) sursum in cælum ascendit, & omnem illam vmbram legis veritatis radiis illustrauit.

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER NONVS.

CAPVT PRIMVM.

De Authoribus singularum partium Scripturæ.

An Iosue fuerit Author Cantici, Audite cæli, quæ loquor.

PROCEDAMVS ad originem singulorum librorum vtriusque Testamenti: à quibusnam libri sacri, & particulæ eorum scriptæ sunt? Et præter Spiritum sanctum, qui totius Scripturæ primarius author est: Hi vt plurimum authores, & velut Amanuenses, vt ita dicam, Spiritus sancti, à multis feruntur, Moyses, Iosue, Iob, Samuel, Dauid, Salomon, Asaph, Eman, Ethan, Idithun, filij Core, Gad, Nathan, Tobias, Eliacim, Mardochæus, Ezechias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Oseas, & cæteri Prophetæ, Esdras, Iesus Sirach, Philo, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, Paulus, Iacobus minor, Petrus, & Iudas Thaddæus. Qui ex his authores Hagiographi non fuerunt, an alij præter istos cum accidentibus quibusdam disceptatiunculis explorabimus; & licet circa Moysis scripta nonnulla diximus, alia addenda videntur: Totius Pentateuchi authorem credimus: in Canticis quæ ipsi inscribuntur, potest dubium esse, an solus Moyses, num alij vnà cum Moyse ea condiderint? De primo Moysis cantico Eucharistico post transitum maris rubri iam egimus, cuius authorem Moysem esse certissimum, & de fide est. Nihilominus censemus cæterum populum inspiratum à Deo, idem canticum concinuisse, aut recinuisse: quo fundamento hoc comprobetur, in sexto libro exhibuimus. De cantico comminatorio dicamus quod incipit: *Audite cæli, quæ loquor*, an hoc non solum Moyses, sed Iosue pariter composuerit? Et quidem ita mihi videtur; nam trigesimo secundo Deuteronomij capite dicitur: *Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba Cantici huius*

in auribus populi ipse , & Iosue filius Nun. Vbi clarè ostenditur habuisse Moysem socium in canendo Iosue, collegam, & successorem suum in Imperio, vt disceret sui officij esse populi disciplinam curare, & ab idololatria auertere. Neque Dionysio, Oleastro, Caietano, & Pagnino acquiesco, qui solum Moysem id canticum cecinisse putant. Fateor aliter legi apud Pagninum vertentem sic: *In auribus populi, & Iosue filij Nun.* At minus rectè: nam Hieronymus & Septuaginta, & Paraphrasis Chaldaica *Iosue* in nominatiuo casu constituunt. Hoc magis clarebit ex capite præcedenti, vbi Moysi simul, & Iosue præcepit Deus numero plurali: *Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel.* Hoc quippe canticum istud priuilegium habet, vt Deo dictante illud scripserint duo Amanuenses Moyses & Iosue. Deus enim vt authoritatem Iosue apud populum conciliaret, voluit tunc æquare illum Moysi, & confirmare eius Principatum, iam iam morituro Moyse; idcirco voluit quoque cum illo immediatè loqui. Dicitur ibidem: *Ait Dominus ad Moysem: ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Iosue, & state in Tabernaculo testimonij, vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses, & Iosue, & steterunt in Tabernaculo testimonij.* Sicut enim per Moysem alios, Moysem autem per se allocutus est Dominus. Sic etiam cùm ad principatum Moysis elegit Iosue non per Moysem, sed per se Dominus loquitur, ideo statim dicitur: *Præcepitque Dominus Iosue filio Nun, & ait, confortare, & esto robustus; tu enim introduces filios Israel in terram, quam pollicitus sum.* Etenim licet vox *Dominus* Hebraïcè non exprimatur, atque ita anceps relinqui videatur, Moysesne an Deus præceperit Iosue, præsertim cùm de Moyse sermo præcesserat; *scripsit ergo Moyses.* Septuaginta etiam Moysem expresserint in Regiis & Basileensibus codicibus ϗ ἐνετείλατο μωυσῆς, *& præcepit Moyses.* Et quamuis desit vox *Moyses* Romanis, videntur nihilominus vocem ἐνετείλατο *præcepit* ad Moysem referre, cùm in sequentibus de Deo per tertiam personam dicatur ὧν ὤμοσε Κύριος αὐτοῖς, καὶ αὐτὸς ἔσται μετὰ σοῦ, *quam iurauit Dominus eis, & ipse erit tecum.* At in Hebræo perspicuum est ad Deum esse referenda, cùm posteriora illa verba, quæ reddiderunt Septuaginta per tertiam personam, constituantur in prima, *quam iuraui eis, & ego ero tecum*, vt verissimè vulgatus transcripsit. Hoc amplius confirmatur, cùm paulò antè dixisset Dominus, *& præcipiam ei*, nimirum Iosue. Causa autem cur carmine concinnatam seueram reprehensionem, voluerit Deus à sui populi Principibus concrepari, optimè
Tom. 1. in c. 5. Isaiæ. traditur à Chrysostomo in caput Isaiæ quintum, dicens: *Quâ igitur causâ criminum obiectiones describunt Prophetæ sub cantici nomine? nimirum quia vsu spiritualis sapientiæ didicissent multum inferre emolumenti animabus auditorum. Nam quando aliud nihil est tam frugiferum, quàm eorum iugiter meminisse, quæ nequiter commiseris; eam autem memoriam nihil ita stabilem ac firmum reddit, vt melodia. Hinc ne per acrimoniam obiurgationum vehementiorem, isti effecti cunctatiores fuerent audire; vitauit illam continentem memoriam peccatorum; modulatione cantici tegens interim, ac suffurans à memoria metum infamiæ, & intolerandam animi deiectionem releuans.*

CAPVT II.

Vtrùm omnes versus Cantici Audite *composuerit Iosue, an quosdam Moyses, & quosdam Iosue alternatim.*

MODVM exploremus quo Moyses & Iosue simul canticum istud composuerint. Serarius, qui secus opinantes reiicit, varios exponit modos, quibus à Moyse & Iosue carmen idem concinnatum posset dici, vel si vterque totum composuisset, vel singuli partem, vel eodem simul tempore, vel diuerso. Primò enim fieri potuit, vt diuinitus afflati, ambo eosdem omnes versus, & voces conscriberent, claréque concinerent. Secundò, vt præiret vnus versum vnum canendo, alter subsequeretur eundem repetendo. Tertiò alternis vnum caneret Moyses, Iosue alterum; Quemadmodum Ambrosius & Augustinus hymnum, *Te Deum laudamus* composuisse feruntur. Quartò priùs Moyses totum canticum, statim post Iosue; quæ fuit opinio Caietani, qui tamen ait consentaneum esse, vt Moysis tam senis vox minus audiretur & Iosue adiutor eius tanquam interpres connumeretur. Quintò, si iteraret Iosue eo modo quo placuit Abulensi & Lorino, nempe sub mortem. Magallianus noster

noster primum modum confirmat ex sententia Authoris operis de mirabilibus sacræ Scripturæ affirmantis Eucharistheum Moysis canticum post transitum æquoris rubri cunctos pariter senes cum pueris, ætatésque omnes eodem inspiratos flamine, vno quasi ex ore nulla præmonitione edoctos, easdem cōcinentes literas decantauisse in vnum, quemadmodum & Septuaginta Interpretes eodem afflati spiritu dicuntur sacram vertisse Scripturam, quod sexto libro confirmauimus exemplo chororum Prophetarum, & Saulis, militúmque eius, eodem cum Prophetis spiritu repentè concinentium. Alium ego modum addo, quo posset accidere Moysem & Iosue hoc carmen composuisse, siue primum incinuisse Israelitico populo. Si diuiderentur, vt eodem tempore dimidiam populi partem alloqueretur Moyses, alteram partem Iosue, cùm vnius vox audiri non posset tot millibus hominum. Nec videbitur alicui omnes Israelitas Moyses tunc allocutus, sed maiores tantùm natu & Doctores, siquidem antequam pronuntiasset canticum dixit: *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque Doctores, & loquar audientibus eis, sermones istos.* Deut. 31. Deinde cùm dicat vniuersum cœtum Israel audiuisse Moysem, intelligi posset cœtus ille maiorum natu & Doctorum, qui rectè Israel dicuntur, cùm eius potissima pars fuerit, Nihilominus puto non fuisse diuisos Moysen, & Iosue: nec hunc ad plebem & vulgus, illum ad magnates, sed vtrumque cum eisdem simul collocutum, vt hoc pacto ex æqualitate eius actionis æqua noui principatus auctoritas Iosue conciliaretur. At quidquid sit de pronuntiatione, & cantu eius carminis, siue simul, siue seorsim illud cecinerint, siue eodem, siue alio loco, siue tempore eodem, siue diuerso: siue vnam partem Moyses, alteram Iosue; siue Moyses totum solus, siue Iosue nunquam: nihilominus existimo æquè dici posse Iosue fuisse scriptorem eius carminis, ac Moyses, nam æquè Deo dictante canticum illud conscripsit, vt constat ex capite trigesimo primo Deuteronomij, vbi postquam Deus ad Tabernaculum aduocasset Moysen & Iosue, ambobus dixit: *Scribite vobis canticum istud & docete filios Israel, vt memoriter teneant, & ore decantent.* Vtrique hoc præcepit Deus, & vtrumque scripsisse credendum est. Porrò canticum Israel qui refertur capite vigesimo primo Numerorum iam in superioribus diximus authorem habuisse Moysem non Israeliticum populum.

CAPVT III.

An Eliphaz, Baldad, Sophar, & Eliu canonica aliqua protulerint?



LIBRVM Iob superiùs iam constituimus ab ipso Iob non scriptum: nihilominus per ipsum Iob locutum Spiritum sanctum affirmamus. Dubium est aliquibus de amicis Iob; quidam eos Prophetas vocant, etenim eorum verba à sacris scriptoribus citantur. Dauid Psalmo septimo, & Isaias capite quinquagesimo nono acceperunt ex Eliphaz capite decimo quinto, *concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Psal. 143. Ex Baldad autem capite octauo accepit Dauid similitudinem vitæ cum vmbra. Moyses in decimo Deuteronomij illud, *qui personam non accipit.* ex Eliu sumpsit capite trigesimo quarto. Tum sanctus Paulus æquè allegat dictum Eliphaz, ac dictum Dauid in primæ Corinthiorum capite tertio ait: *Scriptum est enim: comprehendam sapientes in astutia eorum; & iterum: Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vana sunt.* Quibus verbis videtur accipere Apostolus tanquam sacrum, & æqualis cum Psalmis auctoritatis dictum Eliphaz capite quinto: *Comprehendam sapientes in astutia eorum*, sicut dictum Dauid Psalmo nonagesimo tertio: *Dominus nouit cogitationes sapientum, quoniam vana sunt.* Et formula adducendi locum eadem est, quæ in sacris Scripturis citandis solennis esse solet: *scriptum est*: nam id arguit Scripturam sacram, quæ per excellentiam Scripturæ dicuntur, vt noster Pineda notauit; quapropter ueritus est sanctus Anselmus dicta amicorum Iob, vt ea sic excuset: *Diuina sapientia reprehendit amicos Iob de locutione, dicens; non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Cur ergo Paulus illorum sententiis tantâ auctoritate vtitur, si ha ipsorum sententia Dominicâ reprehensione quassantur? Vel quomodo dicta eorum quasi praua respuimus, qua Paulus ex auctoritate astruit? aut quomodo attestatione Pauli recta putabimus, qua per semetipsum Dominus non recta definiunt. Sed*

vtraque hæc citius, quod non sint diuersa cognoscimus, si eius Dominica sententia subtilius verba pensamus, qui cùm dixit: Non estis locuti coram me rectum, illicò adiunxit, sicut seruus meus Iob. Licet ergo, quia quædam in dictis eorum recta sunt, sed melioris comparatione superantur: nam inter alia, quæ irrationabiliter dicunt ad Beatum Iob, fortes multas sententias proferunt, sed comparatæ dictis fortioribus vim fortitudinis amittunt. Origenes quoque: *Quæ diuini* (inquit) *Spiritus consilio habentur, digna quæ literarum monumentis insigniātur, ideo scribuntur, vt qui in ea incidit, ex eorum lectione capiat vtilitatem, quare trium amicorum Iobi sermones, nisi fructuosi essent, nunquam diuina prouidentia passa esset, vt in librum Iobi conferrētur.* Accedit narrari capite quarto Iob reuelationem factam Eliphaz, quem postea capite quadragesimo secundo iterum est Dominus allocutus; quare videtur prophetico aliquo dono instructus. Origenes censet monitos ab Angelis amicos Iob nouisse calamitatem eius. At diuersam meretur authoritatem sententia Iob quàm amicorum. Iob prophetica, amici
Iob 42. falsa multa dixerunt, vt propterea dixerit Deus ad Eliphaz: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob:* quoniam cùm hæc præsertim quæstio toto agitetur libro, An soli peccatores à Deo aduersis affligantur in hac vita: an verò etiam pij & iusti, qui nil tale meruerunt? Priorem partem & falsam tuentur amici Iobi: posteriorem & veram ipse sanctus Iob. Vnde verba, tum Dei, tum Iobi, quæ Deus capite vltimo probat, infallibilem habent veritatem canonicæ scripturæ: non item verba amicorum Iobi, vt passim patebit. Ita sanctus Gregorius, Augustinus, Chrysostomus, & Polychronius in catena. Qui idcirco dicunt, hos tres gessisse typum hæreticorum Ecclesiam, & pios impugnantium. Chrysostomus vocat illos peccatores, & sanctus Gregorius affirmat *in culpam lapsos*; quamuis enim viri sapientes essent, & veri Dei cultores, decepti sunt, dum sancto Iob adaptant theoremata vniuersalia, quamuis alioqui vera; etenim assumunt suis dissertationibus quasdam veritates. Nec illorum doctrinæ repugnat semper sanctus Iob, imò maiores propositiones illis conceditminores autem, quas vocant; atque consequentias deductas negat, vt constat, cùm capite nono ait: *Verè scio quod ita sit.* Et capite duodecimo: *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? & mihi est cor, sicut & vobis, nec inferior vestri sum; quis enim hac, quæ nostis, ignorat?* Et capite decimo tertio: *Ecce oculus meus vidit omnia hæc, & intellexi singula, secundùm scientiam vestram, & ego noui.* Et capite decimo sexto: *Poteram ego simile vestri loqui.* Auctor præterea Catenæ initio capitis vigesimi sexti ait, Iobum tacuisse, quò concederet, & approbaret orationem Eliu.

CAPVT IV.

An sententiæ Arati, & Epimenidis canonicæ sint?



DEO à sancto Paulo & aliis scriptoribus Canonicis citantur, dum vera proferunt amicorum Iob sententiæ: nec citantur, quia habebant Spiritus sancti authoritatem, sed habent iam quia citantur. Sic etiam modò possident canonicam authoritatem sententiæ Arati, & Epimenidis hominum Ethnicorum, postquam ab Apostolo laudatæ sunt, capite enim decimo septimo Actuum citat hoc Arati dictum:

τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν.

Ipsius (nempe Dei) *genus sumus.*

Fuit Aratus antiquus Poëta Ethnicus Antiocho Regi familiaris patria Solensis, non longè à Tarso, ac proinde sancto Paulo penè conciuis. Scripsit de stellis & signis cælestibus, cuius carmina transcripsit Tullius è Græco in Latinum. Dixit verba ab Apostolo citata, postquam retulisset à Ioue principium esse omnium, & omnia Iouis plena esse, & omnes vbique indigere Ioue. Postea subdidit, quod solum voluit allegare Paulus: *Huius etenim genus sumus.* Vnde constat sensisse Paulum sapientiores Ethnicorum per Iouem verum Deum intellexisse. In primo quoque Epistolæ ad Titum hæc Epimenidis allegat:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Addit postea Paulus: *testimonium hoc verum est.* Quapropter iam habet Spiritus sancti authoritatem testimonium huius Poëtæ, quamuis alioqui Ethnici, & vt videtur mendacissimi,

dacissimi, si se mentitus est quinquaginta septem annos dormiisse, nam de eo sic scribit Maximus Tyrius oratione vigesima octaua, in initio: *Cretensis quidam Athenas olim venit, Epimenides nomine, qui Atheniensi populo miru quidam, nec admodum creditu facilia adferebat Se, cùm aliquando clarâ luce in Dictæ Iouis antrum secessisset, multos ibi annos profundè dormisse, Deosque in somnis, vocésque eorum vsurpasse, atque ita veritati litasse & iustitia.* Artificiosum eius fabulæ mendacium, & quantum fuerit constabit ex Laertij narratione libro primo: *Missus enim aliquando à patre, vt ouem rure deferret, meridiano tempore diuertit ex itinere, utque in spelunca, quinquaginta & septem annos perpetuos obdormiuit. Dehinc somno excitatus, quærebat ouem; putabat enim se parum obdormisse. Quam cùm non inuenisset, in agrum reuertitur. Quum verò rerum omnium faciem immutatam cerneret, agrúmque in alterius ius concessisse: stupore attonitus, & dubius redit in oppidum. Ibi quum domum suam vellet ingredi, quisnam esset interrogatus, vix que agnitus à iuniore fratre iam vetulo, omnem ex illo didicit rei veritatem.* Nihilominus quia verè imputauit tria illa Cretensibus vitia, mendacium, maleficentiam, & ingluuiem, eius sententiam confirmat Apostolus. Scripsit autem Epimenides librum de oraculis, & de naturalibus suæ gentis vitiis.

Vt melius hæc intelligantur, oportet scire tribus modis se posse Spiritum sanctum habere circa librorum scriptionem antecedenter, comitanter, & consequenter. Antecedenter se habet Spiritus sanctus, cùm inspirat, reuelat, demonstrat quæ dicenda, & scribenda ve sunt, ita vt de suo, Martéve proprio nihil addat scriptor, sed ea duntaxat scribat, quæ à Spiritu sancto inspirata, reuelatáque sunt ad eum modum quo Discipulus Magistro dictante excipit quæ ab eo proferuntur. Huc alludit Psalmista Psalmo quadragesimo quarto, cùm ait: *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis.* Et sanctus Petrus in secunda epistola ait: *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc sæpè Prophetæ dicebant: *Facta est super me manus Domini.* Et quod idem est, *Factum est Verbum Domini ad me.* Quod fieri tribus modis potest. Primus per ecstasim; siuè per reuelationem imaginariam, vt ferè accidit Prophetis; siue intellectualem, vt sancto Paulo in ecstasi. Secundus per allocutionem, & visionem sensibilem, vt contigit aliquando Adamo, & pluries Abrahamo, & Moysi in rubo; tum Iosue & Danieli, quibus Deus vel Angelus sensibili voce est locutus. Tertius per inspirationem internam in vigilia cum supernaturali aliquo lumine diuinæ vocis, ita vt intelligerent scriptores se à Deo moueri. Hoc pacto Elisæus adducto Psalte prophetauit, & Daniel exposuit Nabuchodonosoris somnium de arbore vastissima. Concomitanter sese habet Spiritus sanctus, cùm non ad modum dictantis, & inspirantis se habet, sed ad eum modum, quo quis alterum scribentem oculo dirigeret, neque in re quapiam erraret. Hoc enim modo potest Spiritus sanctus scriptorem Hagiographum dirigere, vt in nullo eum errare, falli ve permittat. Cùm enim præsciat quid ille scripturus sit, ita ei adstat vt sicubi videret eum erraturum, inspiratione suâ illi esset adfuturus. Hic modus videtur à Spiritu sancto conseruatus in historiis, dictis aliorum, factisque referendis, quæ vel visu cognita, vel auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerant. Ita Euangelia, ita Acta Apostolorum, ita Machabæorum libri, ita cæteri libri Historici à Prophetis, aliisve conscripti; nisi cùm res ob antiquitatem, vel remotionem temporis, aut locorum, arcanæ, & incognitæ referendæ fuerunt, vt factum à Moyse in Genesi. Consequenter se habere posset Spiritus sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritus sancti ope, directione, assistentiâ à quopiam scriptore esset conscriptum; postea tamen Spiritus sanctus testaretur, omnia quæ in eo scripta essent, vera esse. Certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore Dei Verbum, & eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cætera, quæ inspiratione, vel directione eiusdem Spiritus sancti conscripta essent; quemadmodum tam est Regis verbum, & paris auctoritatis, cùm quis à secretis vel Notarius proprio Marte mandatum aliquod Regium, vel instrumentum publicum concipit, quod postea Rex lectum probat, & sigillo suo impresso munit, cum eo quod Rex ipse concipit & scribit. Hoc tertio modo dicta amicorum Iob, & Arati, & Epimenidis, quia citata, & probata canonicis scriptoribus authoritatem canonicam obtinuêre. Alia obseruatu digna circa hos tres modos differit Bonfrerius.

CAPVT V.

An reuelatio facta Eliphaz sit canonica?

Exponitur locus Iob cap.4.

ILLVD autem etiam quærendum, an saltem quod capite quarto per reuelationem dicit Eliphaz accepisse ab Spiritu sancto reuelatum fuerit, & canonicam authoritatem mereatur. S.Gregorius, & Philippus Presbyter videntur tanquã veram reuelationem admittere; in idem propendet S.Thomas, Burgẽsis, Dionysius Carthusian. Cyprianus Cisterciensis, Pineda, Bolducus, & alij iuniores. Tum quoniam ex vltimo capite Iob constat veram reuelationem accepisse Eliphaz, non ita alij amici Iob, quod videtur indicare, antea etiam potuisse familiariter egisse cum Deo. Nec obstat eâ locutione Dei abusum ad affligendum sanctum Iob; sæpissimè enim rebus bonis malè vtimur: tum quoniam verissima eius sententia est, & in honorem Dei; quapropter à malo spiritu suggesta non videbitur. Addunt aliqui à S.Petro in secunda epistola citari eius reuelationis sententiam, dixit: *Deus Angelis peccantibus non pepercit*; quod sic dictum sibi testatur Eliphaz, *in Angelis suis reperit prauitatem*. Verùm Nicolaus Lyranus, Isidorus. Clarius & alij quibus fauet Gaspar Sanctius, eam reuelationem fictitiam malunt, aut à Dæmone procuratam. Planè ipse Iob, tam Eliphaz quàm alios duos amicos vocat, fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum; quapropter res anceps est, tametsi mallem pluribus accedere eam reuelationem benignè interpretantibus.

Quoad substantiam reuelationis vnus Iacobus Bolducus à communi interpretamento discedit. Et argutè quidem: videamus an verè. Conspirant in hoc omnes verbis illis reuelatis Eliphaz: *Numquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir.* (Iob 4.) agi de comparatione hominis inquantum naturâ peccator & immundus est, cum Deo, qui omnis innocentiæ fons est, quasi exinde argueret Eliphaz. O amice Iob, quomodo tu homo cùm peccator sis, audes te cum Deo sanctissimo comparare. Bolduco autem videtur communis hæc interpretatio deficere, & venustatem sermonis destruere, quod vim & discrimen harum duarum vocum *Enosc* & *Gheber*, non satis attendens, totum versum de omni homine generaliter interpretatur: Nempe quod nullus homo Deo comparari debeat. Cùm tamen mens Eliphazis videatur esse, vt in prima parte versiculi de miseriis, & ærumnosis hominibus (qualis nunc est Iob, quantum ad corpus, & bona temporalia) sub voce *Enosc* loquatur; in secunda verò de diuitibus, nobilibúsq; viris, qualis fuerat Iob. Proponere enim Eliphaz videtur huic auctori sententiam notatu dignissimam tanquã à Deo acceptam, quam ad finem vsque sequentis capituli demonstrare prosequitur. Nempe hominem afflictum, & ærumnosum à Deo ipso iustificari, id est, Deum iustum illum (si verè iustus est) palàm ostensurum, ac manifestaturum aduersus quoscumque protegendo. Cùm *Enosc*, id est, misellus homo sese defendere minimè sit potens. Virum autem diuitem ac nobilem debere se ex bonis operibus probum, innocentémque reddere. Quod si ex multitudine nunciorum, & seruorum, vel ex bonis & facultatibus id efficere tentet, ex ipsismet rebus, in quibus gloriabatur, confundetur. Neque enim semper aut scrupulosa aut nimis curiosa est vocum Hebraicarum energia, vel significationis inuestigatio: nam sæpè per eam elegantes antitheses, aliique tropi pulcherrimi deteguntur; imò sensus mirabiles, vt videre est in pluribus locis; præsertim vbi de homine sermo est. Ponuntur enim de eo voces oppositæ significationis, aliquando sub simplici antithesi, vt quum dicitur, *& incuruabitur homo.* Hebraicé אדם *Adam*, quod infirmitatis nomen est, *& humiliabitur vir*, Hebraïcè איש *Isch*, quod heroëm, magnúmque virum importat. Sic etiam in hac sententia agnosci aliqua antithesis potest, nempe plebeiorum hominum, cum nobilibus & magnatibus, de quibus apertè loquuntur præcedentia verba: *Aperuit infernus os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius. & populus eius ad eum.* Et statim vt ostendat nobilem & plebeium pauperem, & diuitem simul descensuros in infernum, id est, valde humiliatos iri, quod pluribus antea dixerat, paucis complectitur, dicens: *Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.* Quasi dicat, non tantum homo abiectæ sortis, sed etiam vir magnus humiliabitur.

Aliquando

Aliquando verò hoc fit sub duplici antithesi, & hoc venustate & elegantiâ plenum est, *Et argueret vir*(Gheber)*eum Deo,& filius Adam*(tanquam)*cum sodali suo.* Quasi dicat: an fortasse vir, quantumcunque nobilis, & fortis disputare vellet cum Deo potentissimo, vel quilibet alius homo, cùm sit filius Adam imbecillis, infirmus, & pauper, vellet agere cum Deo fortissimo tanquam cum socio suo? Similiter in hoc loco duplex annotanda est terminorum oppositio. Ita tamen, vt cùm vox *Enosc*, secundùm loci exigentiam, aliam & aliã denotet miseriam: nunc non peccati, vel iniquitatis, sed ærumnosæ, afflictæque conditionis miseriam significet. Eò quòd opposita eius relatio respicit hominem diuitem, & nobilem, non sanctum aut iustum. Hoc posito sic interpretatur hunc locum Bolducus: *Numquid Enosc*, id est, *nonne homo miser à Deo iustificabitur, aut opere suo purior erit Gheber*, hoc est, *vir spectabilis*? quasi diceret: vt quid ô Iob ita conquereris, vel lamentaris de tua calamitate & miseria? Licet *Enosc* sis, id est, pauper & misellus; iustus est Deus, qui, si iustus es, iustum & innocentem te esse ostendet: causamque tuam aduersus quoscumque tuebitur. Sed quidni Deus ærumnosum, afflictúmque hominem non iustificaret, qui præcipit, *Humilem & pauperem*(Hieronymus reddit egenum, & inopem id est, sine ope) *iustificare.* Quomodo autem hoc fiat, statim declarat: *Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate.* Nempe declarando eum innocentem qui talis est. *Væ* etenim *iis qui iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo, & qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Denique ex diuina reuelatione loquitur Eliphaz, vel etiam in caput suum à quo & sociorũ calumniis Iob ab ipso Deo postea vindicatus est, ac iustificatus: vt ipse Eliphaz & socij viderent esse verissimum, quod dixerat: *Nonne Enosc à Deo iustificabitur?* Deinde procedens: *numquid* enim *Gheber*; id est, vir spectabilis, aut diues, *opere suo*, id est, ex possessione, vel ob possessionem suam mundabitur? supple à Deo. Quasi dicat, non enim Deus metitur innocentiam, puritatem, vel iustitiam ex possessionibus, facultatibus & diuitiis: alioquin quanto magis diues esset vir, tanto maiori coram Deo puritate niteret, quod falsissimum est. Digna equidem, quæ à Deo reuelaretur Eliphazi sententia, cui affinis prorsus illa est: *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris. Quis est hic? & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua.* Etenim qui simul diues & immaculatus vix esse porest, non mundabitur ex opere suo; id est, non ideo mundus erit, quia facultates possidet. Imò diues, aut iniquus, aut iniqui hæres, vulgò reputatur. Quapropter non de Deo factore hominis vult ista verba intelligi, sed de hominis diuitis facultatibus, quæ solæ minimè probum, aut iustum illum efficiunt.

Verùm hic sensus mihi non probatur, quoniam à vulgata alienus est. Deinde haud valde consentaneum Hebræo video, qui sic habet, vt ipse Bolducus peruidit, *Nunquid Enosc præ Deo iustificabitur?* quibus verbis comparatio satis declaratur. Nec satis causatur Bolducus nullum verbum pronuntiasse Iob, vnde posset ab Eliphaz argui, quòd se comparauerit Deo: nam in capite tertio, versiculo vigesimo quinto hæc habet verba: *Certè pauorem expaui, & venit ad me. Non tranquillus fui, neque quieui, & non dormiui, & venit ira.* Lamentatur enim Iob, quod quamuis Deum semper fuerit reueritus, & in bonis temporalibus, affectu nunquam quieuerit, Deus tamen eum afflixerit. Vnde videri posset se iustum, Deum verò erga se iniustum dicere velle. Posset igitur aliquis ex his verbis prædictã comparationem elicere. Quod ingenuè fatetur Bolducus, & conatur respondere, in cuius examine nolim morari; quoniam satis erant, vt ansam ad illam increpationem arripuisset Eliphaz vltima verba, quibus orationem capitis tertij finiuit Iob: *Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio*; quasi diceret, cur ergo sic plector, cùm inculpatè vitam duxere studuerim: nam finxi nescire iniurias irrogatas, neminem sum criminatus, & contumeliis lacessitus tacui, cúmque possem iure irasci, volui potius mitis & quietus esse. Nihilominus ira Dei, ac si nequam egissem & peccassem, me corripuit: cui Eliphaz ex relata reuelatione malè interpretatus eius verba dicit: cur Iob te innocentem iactas, Deoque iniustitiæ notam hoc tuæ innocentiæ prætextu impingis? Ais siquidem te inculpatè egisse, simúlque conquereris te à Deo seuerè cædi, quod planè nihil est aliud quàm Deum iniustum affirmare, qui vexet innoxios, ac proinde te cùm facias iustum, Deo puriorem esse te prædicas, verum falleris profectò: nam hoc diuinum oraculum accepi: *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir?* Quæ subiecto argumento à maiori ad minus firmius adstruit in sequentibus, dicens: *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, &c.*

CAPVT VI.

An Eliphaz & socij eius composuerint historiam Iob: & qui fuerint?

DEIN & alia via tentatur auctoritas Eliphazis: dicunt ab amicis Iob scriptum librum eius, quorum princeps Eliphaz fuit, & præter authoritatem Origenis, hanc coniecturam afferunt, quoniam cùm per intercessionem Iobi Deus eis pepercisset, & veniam obtinuissent peccati, quod in Iobum commiserant, illum atrociter calumniando, nullo meliori modo ei satisfacere poterant, quàm hanc historiam scriptis mandando: Tum quia erant docti, & ad hoc faciendum idonei, imò procliues: Tum etiam quia in ea seipsos accusant, suámque in respondendo inertiam, & in Iob immanitatem palàm exponunt. Quemadmodum sanctus Petrus (vt communis est opinio Patrum) præcepit suo discipulo sancto Marco, vt suæ trinæ negationis historiam, tam expressè discuteret præ aliis Euangelistis, vt magis inde confusus ampliorem suæ culpæ satisfactionem exhiberet. Deinde, *Venerunt* (vt inquit Historia) *ad Iobum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant illum prius, & comederunt cum eo panem in domo eius, & mouerunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum, & dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Cùm igitur omnes sic ad congratulandum Iobo diuersis modis & muneribus concurrerent, & intenderent: conueniens fuit, vt transacta tempestate isti tres amici, qui statim post ruinam condixerant, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur, Imo melius, qui eum tam atroci eloquio, & distento sermone pupugerat, & alij omnes de sua à ruina resurrectione, lætarentur, & hanc eius mirabilem vicissitudinem, sapientiam, magnitudinem & patientiam, cæterasque virtutes, aut per se, aut per Scribas, & Notarios scriptis mandanda curarent. Putat ergo Bolducus eorum quidem diligentia, ipsisque dictantibus à Scribis, Notariisque publicis hoc factum fuisse.

Sed à nobis hæc amplectenda non sunt ex iis quæ in superioribus libris disseruimus, vbi contrarium adstruimus, præter quàm quod leui fundamento firmentur. Illud non male idem author fulcit de authoritate Eliphaz, & eius sapientia quod Rex Theman fuerit, Themanitas scilicet sapientiam, ac literas semper coluisse, & præsertim Theologiam. Id non obscurè colligitur ex eo, quod cùm apud Baruch, quæstio mouetur vbi terrarum inueniri posset diuina Sapientia. *Non* (inquit) *audita est in terra Chanaan, nec visa est in Theman.* Quasi dicat, si in terris alicubi inueniri habeat sapientia, erit vel in terra Chanaan, vel in terra Theman; vbi sapientissimi, atque in Theologia doctissimi viri inueniuntur. Et notandum, quod terra Theman, cum terra Chanaan comparatur. In Chanaan autem, id est, in Palæstina multæ (saltem post legem) fuerunt Synagogæ in quibus erant legis Doctores, & præsertim Ierosolymis; vbi præter plurimas synagogas erat Academia, quam S. Antoninus statuit in porticu templi: Montanus verò iuxta portam templi Orientalem. Optatus Mileuitanus scribit septem fuisse gymnasia in monte Sion ædificata circa templum. Vnde colligi potest apud Thomam etiam Academiam fuisse. Et hoc optimo Dei consilio, vt sicut in Chanaan pro filiis Israel, ita in Theman pro filiis Esaü veræ sapientiæ, id est, Philosophiæ, & Theologiæ studium vigeret. Ita in Cilicia erat Tharsis, in qua Paulus se literis vacasse sub Gamaliele asserit, sic Memphis, & Heliopolis in Ægypto, sic Athenæ in Græcia. Quod autem dicimus de Theman confirmatur ex eo quod apud Ieremiam dicitur: *Numquid vltrà est sapientia in Theman?* Quasi dicat, quæ prius vigebat apud Themanitas sapientia omnino periit, nec ibi amplius inuenitur. Nec ad hoc parum confert, quod Paulus ad probandam illam Theologicam, diuinámque sententiam: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*, nostri Eliphasis Themanitæ testimonium profertat: *Scriptum est* (inquit) *comprehendam sapientes in astutia eorum.* Quæ verba producuntur ab Eliphaze in capite quinto. Accedit quod Eliphaz cum Deo locutus dicitur. Vnde non mirum si postea de rebus diuinis, ac Philosophiæ arcanis tam doctè, ac eruditè loquatur. Non est autem ille filius Esaü, de quo habetur Genesis trigesimo sexto, sed illius nepos, vt indicat nomen regionis Theman, quæ vocabulum sortita est à nepote Esaü nomine Theman, cuius fortasse iste fuit filius.

Tob. 2. Porrò tres Iobi amicos Reges fuisse liquet ex libro Tobiæ, vbi vocantur Reges, quemadmodum

admodum & Septuaginta, qui habent: *Hic est Eliphaz Themanorum Rex, & Baldad Sancaorum Tyrannus* (olim idem ac Rex) *Sophar Minaorum Rex.* Idem asserit sanctus Ambrosius libro Officiorum. Deinde ex more Orientalium, omnes qui sceptro, ac diademate, ex dignitate vti poterant, siue suæ spontis essent, siue alterius iuri subessent, Reges vocabantur, vt sæpè notat Rabbi Kimhi. Id quod hodie obseruant Tartari, Persæ, Æthiopes, & aliæ nationes Orientales. Neque multi anxij sunt in distinguendo Rege à Principe. Vnde tales potius Reguli, quàm Reges dicuntur cuiusmodi fuerunt illi quos Abraham debellauit. Item quos debellauit Iosue & quos Adonibezec occiderat amputatis digitorum extremitatibus. Theman igitur, cuius Rex Eliphaz erat, regio est, aut ciuitas Idumææ, de qua sic ait Hieronymus: *Theman est Regio Principum Edom in terra Gabalitica, à Theman filio Eliphaz filij Esaü sortita vocabulum, sed & vsque hodie est villa nomine Theman, distans ab vrbe Petra quinque millibus, vbi & Romanorum militum præsidium sedet, de quo loco fuit Eliphaz Rex Themanorũ.* Alter amicus Iob Baldad dicitur Suhites, quia præfuit Suhitis, quos LXX. vocant Saneæos. Erant autem populi habitantes in regione, quæ erat Moabitarum, vt ait Olympiodorus, non longè à Damasco, illámque versus Orientem habens, & eodem nomine cum metropoli Suhita vocabatur. Tertius amicus Sophar Naamathites. Ita cognominatur propter populos, quos regebat. Et fortasse iidem sunt, qui Nabathæi, qui (vt ait Hieronymus) à Nabaieth primogenito Ismaelis nomen acceperunt. Ipse enim Ismael cum posteris, vt habetur in Genesi: *Habitauit ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum, introeuntibus Assyrios.* Et teste Strabone, Nabathæa regio est Arabiæ, Syriæ contermina, populosa in primis & pascuis abundans, cuius metropolis est Petra, trium aut quatuor dierum itinere distans ab Ierico. Vnde non obscurè deducitur ratio, cur Sophar Naamathites vocatur à Septuaginta Rex Minæorum; Minæi enim, siue Minuæi, sunt populi in regione Arabiæ (ait Plinius) vel iuxta, vel intra Nabathæos, mari rubro adiacentes; qui primi commercium thuris fecêre, vnde ab ipsis thus ipsum Minæum dictum est.

Ex prædictis patet, quantum distarent abinuicem isti tres amici Iob: Nam Eliphaz in Theman, quæ est versus Austrum; Baldad in Suetana regione, ad Aquilonem iuxta Damascum, quæ est in Syria, morabatur. Sophar verò in regione Nabathæa, quæ est iuxta mare rubrum, ad Occidentem. Medius autem inter eos habitabat Iob, quamuis propius accederet ad Theman. Recentes autem historiographi has vrbes ita constituunt, vt Themã sit sepulchro Iobi cæteris vicinior, ad Aquilonem terræ Huz, cui Naamath sit etiam Septentrionalis, Sueta verò versus Austrum sita sit. Hæc notauit Bolducus, ex quibus nonnihil difficilius redditur ab iis librum Iob compositum. Eliu autem qui fessis, & cedentibus tribus amicis Iob, Eliphaz, Baldad & Sophar, intrusit se quartus disputator, & plus iniurius fuit, commodius posset eius historiam scriptis commendare, tum ob priuatæ vitæ otium, quia Rex non erat, tum ob ætatis vigorem, quia iunior erat; tum ob gratificationem, quia plus iniurius Iob; tum ob priuatum affectum, nam conterraneus fuit, imò cognatus ipsius; tum maximè, quia viuere potuit post literas à Moyse inuentas. Scribitur hic Eliu fuisse *ex cognatione Ram.* Chaldæus vertit, *de cognatione Abrahæ*; quod confirmant multi, & per Ram intelligunt Abram: sic enim antea vocabatur Abraham, mos siquidem Hebræorum est quibusdam nominibus detrahere primam syllabam, vt superius satis ostendimus. *Lehem* dicebant pro *Bethlehem*; *Chonias* pro *Iechonias*; *Selemias* pro *Meselemias*; sic & *Ram* pro *Abram.* Septuaginta scripserunt *Aram*, qui addunt fuisse Iob *de Ausitidis regione*, in qua eadem terra erat *Hus* patria Iobi. Husitis autem terra, vel Ausitis iacet vltra Iordanem, inter montem Hermon, & Trachonitidem, quam postea dimidia tribus Manasse possedit, vbi pyramidem sepulchralem sancti Iobi tradit Adrichomius, permanere. Patres autem vocant nunc Iob Idumæum, nunc Arabem prout Idumææ, & Arabiæ terminos latius extendunt. Hebræi putant Eliu fuisse Balaam, qui tempore Moysis inductus est, vt malediceret Israelitis. Sed satis hoc probari nequit; quamuis ratio temporis non obstat, cùm Eliu fuisset adolescens dum disputauit cum Iob. At Iob anno vitæ Moysis septuagesimo quinto quinquennio ante egressum Hebræorum ex Ægypto, vitâ functus probatur ex grauissimis authoribus. Verùm licet fieri potuit ab Eliu scriptum Aramæa lingua librum Iob post inuentas à Moyse literas, imo & transcriptum ab ipso Moyse non est opus hoc asserere, nec firma est ratio; vt id asseramus.

Iob 32.

CAPVT VII.

An Canticum Eliu authoritatem sacræ Scripturæ habeat?

Explicatur locus Iob capite 36.



CIRCA disputationem Eliu dubitari posset, an aliquid protulerit diuinâ authoritate firmum. Video in illa quod à paucis animaduersum est canticum quoddam è suo cerebro non dictum, sed allegata authoritate maiorum, & sapientissimorum virorum: quapropter eius cantici sententiæ, non Eliu, sed illorum virorum erit; atque obinde quales ij fuerint talis eius cantionis authoritas reputanda. In trigesimo sexto capite dixit inter alia Eliu ad Iob: *Memento quòd ignores opus eius de quo cecinerunt viri.* Exinde pronuntiat canticum, quod illi viri cecinerunt, cuius initium est ab iis verbis: *Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul.* Quod etiam Magistro meo eruditissimo & obseruantissimo viro Gaspari Sanctio plus est quàm verisimile, verba quæ sequuntur canticum esse vulgare, quo homines etiam rudes diuinam Sapientiam celebrabant, quæ ex his, quæ quotidie sensu capimus, manúque contrectamus, vbique se prodit. Quod canticum quod reliquum est, capitis complet, & maiorem capitis sequentis partem absoluit. Quare à communi hominum sensu vulgari ode significato probat excelsum esse Deum, & illius inscrutabilem sapientiam, neque illius opera nisi admodum obscurè à mortali ingenio posse cognosci. Neque mirum est adolescentem Eliu vernante adhuc ingenio, canticum integrum suæ orationi, aut disputationi inseruisse, cùm idem fecerit ætate iam senili Isaias qui duo antiqua cantica suis prophetiis inseruit: alterum capite quinto de infideli & ingrata; alterum capite vigesimo septimo de grata atque fideli vinea. Et canticum satis longum, de quo idem caput vigesimum sextum antiquum videtur esse, & ab alio compositum.

Videamus qui viri huius cantici fuerint authores, vt subinde debitam authoritatem vindicet. Interpretes penè in hoc conspirant fuisse viros antiquos Religiosos, timentes Deum, & sapientes; addunt multi Prophetas priscos. Si ita est, facile crediderim Isaac & Abrahamum præcipuo loco collocandos, quos tam Eliu quàm Iob, imò Eliphaz progenitores habuerunt, quod alibi significauimus, & multi affirmant. Nec difficulter exinde aliqua expeditio posset dari literali sensui extremæ illius capitis, & cantus sententiæ: *In ma-*
Iob 36. *nibus suis abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat, & annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.* Si de Abraham hunc locum interpretemur, fidissimo Dei amico videntur bene omnia congruere: quippe nonnihil arduum hactenus mihi visum fuit interpretamentum sancti Gregorij, & Thomæ, & aliorum Patrum & Doctorum, qui hæc non tam ad literam de lumine naturali, quàm allegoricè de lumine fidei & gratiæ, aut anagogicè, de lumine gloriæ, & ipso Deo intelligunt. At si de Abrahamo dicta admittantur congruit literalis sensus, & interpretatio Patrum de lumine Dei spirituali, & inaccessibili. Nec enim aptè consentiunt quæ Tirinus nuper notauit, scilicet, *abscondere in manibus lucem*, esse abscondere lucem, ne nobis appareat per noctem, per densas tenebras, per subtractionem radiorum miraculosam vt fecit in Ægypto Deus decimo capite Exodi: *Et annuntiare de ea amico*; esse impertiri lucem amicis suis sicut fecit Israelitis, prout in Exodo dicitur, *Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat,*
Exod. 10. *vbicunque autem habitabant filij Israel lux erat.* Hæc autem acciderunt aliquot sæcula postquam ea Cantici verba composita fuêre; quapropter antiquior historia quærenda est quam respectet Cantici sententia, vtque explanem illam, animaduertendum præmitto, non de luce solari intelligendam esse, sed de meteorica; fulgure scilicet, aut igni apparenti in aëre. Tota enim illa cantilenæ series ex meteoris operibus conatur ostendere maiestatem Dei, vt constabit legenti. Præmittit enim: *Qui aufert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper, si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper cardines quoque maris operiet.* Itaque de meteoris nubium, & fulgurum tota oratio est, nec ab iis discedens subdit elegantissimâ metaphora; quo pacto è nubibus fulguret Deus, dicens: *In manibus suis abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat*; quasi diceret, sic accidunt fulgetra vt quemadmodum is, qui habet absconsam lucem in manibus, non ita illam contegit, quin aliquando

quando emicent aliqui radiculi per digitos parum oppressos fulgentes. Sic Deus videtur lumen inclusisse in nubibus tanquam manibus, vt non penitus ibi condatur, sed aliquando inde subitâ fulguratione illuminet, prout accidit dum fulgurat. Hoc etiam confirmatur ex sequentibus: *Et præcipit ei, vt rursus adueniat*; quod dicitur propter tremulam naturam fulgurationis, quæ videtur ire, & redire, vt notauit Ezechiel, dicens: *Ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*. Sic enim emittit Deus è nubibus fulgetra, quasi iis præceperit, vt subitò regrediantur: & sic accidunt euntia, & redeuntia coruscare: facta autem mentione fulgurantis flammæ infit, & *annuntiat*, hoc est, annuntiauit, *de ea amico suo* annuntiare sumitur pro prænuntiare. Hoc quidem accidit sancto Abrahamo, cui possessionem terræ promissæ prænuntiauit, & firmauit Deus futuram eius simili lucis flammâ, & fulguratione, prout narratur decimo quinto Genesis, vbi Abrahæ dixit Deus: *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres illam*: cúmque ille rogaret: *Domine Deus, vnde scire possum, quod possessurus sim eam?* Iussit Dominus mactare illa animalia, quæ postea diuisit Abraham, quo facto, vt iureiurando firmum prænuntiaret illud Deus, fecit per transitum cuiusdam lucis, seu ignis fulgurantis: *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens per diuisiones illas*. Et immediatè pòst dicitur: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: semini tuo dabo terram hanc*. Itaque de luce, siue igni ex nube illius tenebrosæ caliginis, & fumo clibani coruscante instar fulguris, & transeunte prænuntiauit Deus amico suo Abrahæ possessionem terræ Chanaan. Ideò subdit: *quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere*, hoc est, igni illo, & fulgore lucis pollicitus est Dominus Abrahæ, & iuramento, pactóque fœdere sanciuit, quòd terra illa, vel illius terræ possessio eius, id est, Abrahæ in posteris suis futura sit: nimirum, quòd possidenda illis esset, & ad eam possidendam, ex Ægypto tandem ascensuri erant. Hoc, inquam, annuntiauit illa lux & fulgor nubeæ caliginis: & ne excludamus sensum communem de luce spirituali: idcirco Deus amico suo Abrahæ futuram eiusdem Abrahæ possessionem terræ Chananitidis annuntiauit de luce fulgurante, hoc est, per illam lucem, & non per aliam repræsentationem, vt pariter significaretur liberalitas diuina non constitisse in materialis illius terræ possessione, sed in promissione spiritualis, cuius illa terra vmbra, & figura erat: terra enim promissionis typus erat cælestis gloriæ: quæ quoniam consistit in visione æterni luminis, quod Deus est, cùm confirmatur promissio terræ illius, quæ figura est claritatis, & beatitudinis æternæ, rectè demonstratur lux, & fulgor igneus; quoniam lumen æternum possessio nostra futurum est, ad quam possumus ascendere. Nec intempestiuè meminit illud canticum prænuntiationis huius per fulgorem ignis, cùm de meteoris egisset, & fulgoribus, quæ naturaliter prænuntiant multa. Inde etiam apud Ethnicos obseruata est superstitiosa prænuntiatio fulgoris sinistri, aut dextri: nec opus est eorum significationes naturales, & commentitias hîc narrare.

CAPVT VIII.

An Eliu citauerit aliquod diuinum oraculum?

Explicatur pars capitis 37. Iobi.

EXPLORANDA quoque sunt quæ sequenti capite dixit Eliu. An aliqua oracula pronuntiarit? nam initio capitis ad secundum versiculum ait: *Audite auditionem in terrore vocis eius, & sonum de voce illius procedentem*. Quibus verbis videtur indicare se narraturum aliqua verba, quæ Deus dixerit, eáque esse sequentia vsque dum iterum monet: *Ausculta hæc Iob, sta, & considera mirabilia Dei*. Deinceps verò ex dictis argumentatur, & calumniatur sancto Iob. Gaspar Sanctius putat esse alteram partem illius cantici, quod de Deo cecinerunt viri; cùm præcedenti capite inquit, antiquum & illustre canticum adduxisset Eliu, & Dei ex eo admirabilem virtutem, & prouidentiam ostendisset, ex benigna rerum meteorarum influentia; nunc ex eodem cantico, & ex iisdem causis adducit illa, quæ hominibus infortunium afferunt, aut prænuntiant, Deum in prioribus humanum, & placidum, in posterioribus quæ latè persequitur, docet esse terribilem. Quare impressiones illas meteoras proponit, quæ noxiæ sunt

humanis

humanis commodis, aut sensibus horribiles. Et ad extremum docet ex eodem cantico hæc omnia, quæ hominibus vsui, aut terrori sunt, in nubibus aereâque regione concrescere; quæ incredibili celeritate, quasi in illis aliquid esset mentis, eò feruntur quocumque illas diuinum destinaret imperium. Hic finitur canticum, cuius verba suis verbis, & sensu explicat, & amplificat Eliu. Et tandem docet ab homine neque debere, neque posse diuinam explorari Sapientiam. Initium autem capitis trigesimi septimi: *Super hoc expauit cor meum, & emotum est de loco suo: custodite auditionem in terrore vocis eius, &c.* Sic Sanctius connectit cum præcedentibus, quasi diceret Eliu; dum hæc verba ex antiquo cantico mecum ipse considero, sic afficior, atque commoueor, vt à me ipso mihi excidisse videar. Reputo illius horribilem potentiam, & esse præterea, qui in Deo prouidentiam, aut æquitatem requirat. Nunc quando audistis ex illo cantico illustria quædam diuinæ prouidentiæ documenta, nunc ex eodem audite cantico minacem illius, & horribilem vocem.

At quamuis ita forsitan esset, quod partem cantici subdat Eliu in trigesimo septimo capite, cum eadem materia prosequatur, & similiter de meteoris agat, nihilque contineatur non verum vsque ad illa verba: *Ausculta hæc Iob*: Illa tamen verba, *Audite auditionem in terrore vocis eius & sonum de voce illius procedentem*; non videntur mihi interpretanda nec de oraculo aliquo verbali Dei, nec de sententia cantici, sed de tonitru quod vox Dei dicitur, prout dixit Psalmista: *Vox tonitrui in rota*, quod satis confirmant sequentia in eodem capite verba, vbi de tonitru est sermo sub metaphora diuinæ vocis: *Tonabit voce magnitudinis suæ, & non inuestigabitur, cùm audita fuerit vox eius, tonabit Deus in voce sua mirabiliter*. Idcirco dixerat Eliu, loquuturus de tonitru, *Audite auditionem in terrore vocis eius*, quæ scilicet est tonitru.

Dixi vera esse quotquot eloquutus est Eliu vsque ad illa verba: *Ausculta hæc Iob*; quoniam illa sententia, *qui in manu omnium hominum signat*, si genuinum eius sensum spectemus, Chiromantiæ minimè fauet: cuius artis superstitionem in libro secundo occultæ Philosophiæ attigimus. Extra rem prorsus esset inter meteorologicas impressiones intrudere Chiromantiam. Hoc vnum indicium inconsequentis orationis, & intempestiuæ clausulæ satis erat, vt exploderetur Chiromanticus sensus, quamuis alioqui vanus non esset. Quapropter frustrà Franciscus Valesius, & quidam alij conantur, ex hoc loco astruere Chiromantiam physicam seu naturalem, quà ex manu hominis colligatur indoles animi eiusdem, sicut & ex physiognomia vultus. Neque enim hic sermo est de manu hominis: nam Hebraismus est, pro manu seu potentiâ sua diuinâ (quam singulariter exerit dum tonat, pluit, aliásque tempestates excitat) & apertè ostendit Deum omnium hominum personas, & res omnes obsignatas habere quasi sera, claustro, vel sigillo, vt habent Septuaginta: in Hebræo est, *In manu omnem hominem clausum tenet*. Nam tonando, fulminando, pluendo, ningendo, & quasvis pro libito tempestates ciendo, te ipsâ demonstrat, & quasi sigillis signat, se absolutum esse Dominum vniuersi, & omnium hominum. Vel si mauis, refer hæc ad signa temporum, quod indicant sequentia verba: *Vt nouerint singuli opera sua: Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur*: vt totius huius clausulæ sensus sit: Ex nubibus, & aliis meteoris Deus signa etiam præbet hominibus, quibus illi futuras temporum varietates antè præsagiunt vt quid rerum fieri possit, non difficile videant, & manuum suarum operam ad temporum opportunitates accommodent. Neque hominibus solùm signa dedit, sed etiam mutis, rationisque expertibus animantibus, vt futuras agnoscant temporum mutationes, sibique ab illis maturâ fugâ, aut occultatione caueant. Quomodo autem nosse homines debeant opera sua ex meteoris, præter illa quæ Virgilius, Plinius, & Ælianus produnt; optimè Columella libro, & capite secundo scribit: *Temporibus accommodanda opera viris, vt permiserit status cæli.* Itaque tempestatibus annotatis cautior villicus, vel abstinere poterit ab operibus, vel festinationem adhibere. Præterea dici possunt, vt notarunt Ioannes à Iesu-Maria, & Gaspar Sanctius, à Domino hominum signatæ manus, eo opinor sensu, quia ita certò ex cæli, aërisque mutationibus, temporum mutationes præsagiunt, & vident quemadmodum si eas in manibus inscriptas legerent, viderentque præsentes: cui explicationi fauent quæ deinde sequuntur. Aut certè conuersiones illas temporum in sua haberent potestate, & manu, vsque adeò de illa temporum multiplici varietate non dubitant. Nihilominus quamuis nihil falsum agnoscam in his Eliu verbis, & cantici trigesimi sexti capitis in libro Iob; quia non certum videam authorem, certam illis authoritatem non tribuo; Quamuis certæ & canonicæ sit authoritatis ea esse verba Eliu.

CAP. IX.

CAPVT IX.

Quid de Genealogia Iob apud Septuaginta,& aliis appendiculis ad librum eius sit dicendum?

OPORTEBIT quoque in medium vocare quasdam appendices ad librum Iob apud Septuaginta,& Paraphrastem Chaldæum,quæ absunt Hebræis codicibus:vt nonnulla, quæ in superioribus libris dicta sunt nonnihil confirmemus. Sunt enim qui putant ex Syriaco,& originali textu ipsius Iob eas desumptas, quem libenter negauimus ante Hebræum extitisse. Nec enim putamus ab ipso Iob propriam historiam scriptam characteribus alphabetariis. In primis ea appendix reiicienda est, quâ traditur notuisse amicis Iob eius calamitatem; quoniam cùm pranderent, conspexêre panem in carnem, & vinum in sanguinem conuersum, quo prodigio significatam amici afflictionem nouêre. Maiorem authoritatem habent alia: quoniam inuenitur in quibusdam antiquis Latinorum, & in omnibus Græcorum Bibliis oratiuncula quædam vxoris Iob, à cunctis ferè Græcis interpretibus exposita,quam Origenes in epistola ad Iulium Aphricanum negat ad Hebraicæ scripturæ veritatem pertinere, ea capite secundo huius libri continetur in hæc verba: *Tempore verò multo præcunte, dixit ei vxor sua; Vsquequo perseuerabis dicens: Ecce expecto paruum adhuc tempus, accipiens spem salutis meæ? Ecce enim deletum est tuum monumentum,à terra.Fily,& filiæ,mei vteri dolores & labores, quos in vacuum laboriosè eduxi cum molestiis: túque ipse in fœtore vermium consides, pernoctans sub aëre: & ego erratrix & cultrix,locum ex loco circumiens, & domum ex domo, expectans Solem, quando occidet, vt requiescam à laboribus meis,& doloribus,quæ me nunc comprehendunt. Sed dic quoddam verbum ad Dominum,& morere.* Præterea in omnibus tam vetustis,quàm recentibus Græcorum exemplaribus,in ipso fine,statim post vltimam voluminis periodum habet annexam ex editione Septuaginta interpretum genealogiam quandam Iob,& amicorum eius,nonnihil alludentem ad genealogiam filiorum Esaü in libro Geneseos descriptam,quæ nec in Hebræis, nec in Latinis codicibus legitur, cuius verba hæc sunt: Γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ' ὧν ὁ κύριος ἀνίστησιν. οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ αὐσίτιδι ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς ἰδουμαίας, καὶ ἀραβίας. προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα ἰωβάβ. λαβὼν δὲ γυναῖκα ἀράβισσαν, γεννᾷ υἱὸν, ᾧ ὄνομα ἐννών· ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν ζαρὲ ἐκ τῶν ἡσαῦ υἱῶν υἱὸς, μητρὸς δὲ βοσσόρρας ὥς τε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ ἀβραάμ, καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύσαντες ἐν ἐδώμ. ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε χώρας. πρῶτος βαλὰκ ὁ τοῦ βεώρ. καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ δενναβά. μετὰ δὲ τὸν βαλὰκ ἰωβὰβ ὁ καλούμενος ἰώβ. μετὰ δὲ τοῦτον, ἀσὼν, ὁ ὑπάρχων ἡγεμὼν ἐκ τῆς θαιμανίτιδος χώρας, μετὰ δὲ τοῦτον ἀδὰδ υἱὸς βαράδ, ὁ ἐκκόψας μαδιὰμ ἐν τῷ πεδίῳ μωάβ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ γεθαίμ. οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, ἐλιφὰζ τῶν ἡσαῦ υἱῶν, θαιμανῶν βασιλεύς. βαλδὰδ ὁ σαυχαίων τύραννος, σωφὰρ ὁ μιναίων βασιλεύς. Cuius narrationis sensus, vt verbum verbo reddam, hic est: *Scriptum est autem, eum rursus resurrecturum esse cum his, quos Dominus suscitauit. hic interpretatus est ex Syriaco libro, habitans quidem in regione Ausitide,in finibus Idumææ,& Arabiæ.Erat autem ei priùs nomen Iobab; acceptâ igitur vxore Arabissâ, genuit filium nomine Ennon; erat autem ipse patris quidem Zare, Esaü filiorum filius,matris autem Bosorra.Ita est ipse quintus ab Abraham.Atque hi Reges sunt,qui regnauerunt in Edom,cui etiam regioni ipse præfuit primus Balac, Beor filius, & nomen ciuitatis eius Dennaba. Post autem Balac Iobab,qui vocatur Iob. Post hos autem Ason,qui erat dux Thematitidis regionis. Post hunc Adad filius Badad, qui percussit Madiam in regione Moab, & nomen ciuitatis eius Gethaim: qui autem ad eum venerunt amici, Eliphaz de filiis Esaü Themanitarum Rex; Baldad, Sauchæorum tyrannus; Sophar Minæorum Rex.* Noster Bonfrerius valdè veneratur has appendices, & saltem fidei, & canonicæ fidei proximam vltimam pronuntiat Primò,quia hanc editionem Romæ editam suâ sanctione probat,& recipi vult Sixtus Quintus Pontifex, ad vulgatæ editionis, & sanctorum Patrum intelligentiam. Secundò, quia omnes ferè ad vnum, præter vnum Hieronymum,sancti Patres hanc appendiculam agnoscunt, & vt Scripturam sacram recipiunt, vtpotè qui ex ea probant Iob Idumæum fuisse, & de stirpe Esaü. Hi Patres sunt, Origenes, Augustinus, Theodoretus, Chrysostomus, Ambrosius, Athanasius, Auctor libri de vera Circumcisione apud Hieronymum, Hippolytus, Irenæus, Eusebius Emissenus, Eusebius Cæsariensis, Apollinarius, Eustachius, Prosper,& alij. Refert ea

Ioann.Euseb.de Orig.S.Script.

Sixtus Senensis, legi etiamnum in Catena Græca explanationum in Iob manuscripta, quam apud se habebat, varias in hanc genealogiam annotationes Origenis, Chrysostomi, Iuliani, Seueri, Euagrij, & Olympiodori. Nec diffitetur, aut diffiteri potuit Hieronymus in quæstionibus Hebraicis in Genesim hæc in vulgata, vel Septuaginta editione haberi, sed tantummodo eludit, & dicit hæc non haberi in Hebræis voluminibus, vnde & hanc appendiculam reiiciens, aliam ipse nobis Iobi texit genealogiam. Hoc tamen non satis est, vt quidpiam à canone reiiciamus, quod non habeatur in Hebræis voluminibus; aliàs enim & postrema capita Esther, & duo postrema capita Danielis cum cantico trium puerorum, & totus Baruch, aliáque essent reiicienda, quod & facit eodem argumento Hieronymus, quæ tamen Ecclesia in sacrorum librorum canonem recepit. Adde contra sanctum Hieronymum facere, ne putetur hæc appendicula esse supposititia, quod teste Origene Epistola ad Iulium Africanum, eadem haberetur in Theodotionis versione. Rursum liber ille Syriacus, ex quo hæc appendicula reddita est, videtur esse ipse genuinus textus, & idioma, quo primùm conscriptus hic liber est; nam omnium ferè sententia est, à Moyse hunc librum in Hebraicum sermonem translatum; neque apparet quâ linguâ aliâ fuerit scriptus, nisi Syriacâ, quâ passim omnes Iudææ vicinæ regiones vtebantur. Tertiò conficitur argumentum, quod meo iudicio, valde vrget, antequam Hieronymi editio pro vulgata reciperetur in Ecclesia, habebatur hæc editio Septuaginta pro vulgata, in qua non aliter legebatur quàm modò in iis legimus, etiam fatente Hieronymo. Ergo cùm probauit Ecclesia librum Iob in Concilio Laodiceno, & Carthaginensi tertio, Innocentij, & Gelasij decreto, communique omnium Patrum consensu, iam inde ab initio Ecclesiæ, certè illum probauit, prout tunc legebatur in Ecclesia: Ergo tunc etiam appendicula illa, quæ inerat, habebat auctoritatem Canonicam: alioquin enim si nunc licet, & olim licuit de hac libri particula dubitare, licuit & de qualibet seu huius seu alterius libri particula dubitare, cùm par fuerit singularum ratio; imò & nunc licebit, cùm non magis errare potuerit prior, quàm posterior Ecclesia. Porrò si quod semel canonicam auctoritatem habuit, non potest à canone reiici, neque verò id vnquam fecit Ecclesia, sequitur, etiamnum eam appendiculam habere auctoritatem canonicam. Tantummodo obiici posset, non videri hanc appendiculam habuisse hanc auctoritatem; quia quod aliquando habuit auctoritatem canonicam, non potest ab Ecclesia deseri, & quasi à reliquo corpore detruncari: at hæc appendicula est iam à reliquo libri corpore truncata. Responderi tamen posset, id esse verum de toto aliquo libro, vel parte notabili, at de particula aliqua id non esse verum quando id non truncatur, & reiicitur tanquam Apocryphum, & minimè pertinens ad Scripturam sacram, sed ob aliam causam: constat enim & alias particulas esse in editione LXX. quas postea deseruit Ecclesia, cuiusmodi est illud de generatione Cainam, & alias nonnullas, nō quòd non haberent auctoritatem canonicam, sed quòd Ecclesia vellet sequi Hieronymi versionem: vbi autem Hieronymi versio partem aliquam notabilem omittebat, Ecclesiam tunc aliunde ex vulgata antiqua editione suppleuisse, vt fecit in Esther & Daniele.

Hæc quidem solùm mihi probant magnam auctoritatem illi additioni esse: nam iis omnibus Bonfrerij rationibus non obstantibus multi recentiores tanquam apocrypham eam reiiciunt, neque in Hebræo, nec Latino, nec in versione Regia Septuaginta est, atque vt notauit Bellarminus, non videtur de textu Septuaginta esse, sed ab aliquo addita, alioqui non ita liberè à sancto Hieronymo reiiceretur. Illud quod censuit Bonfrerius ex genuino originali Syriaco restitutam fuisse, etsi ita esset, eius potius authoritati derogat, quoniam eam Moyses appendiculam reliquisset cùm librum Iob in Hebræum transtulit, suspecta habenda esset. Post prædictam genealogiam & appendicem subnectit Origenes in fine commentariorum in Iob aliam additionem ex capite trigesimo tertio Genesis fermè iisdem verbis vsurpatam, & quadam notatiuncula exponit. Tenor additionis hic est: *Mortuus est Adad, & regnauit pro eo Samada ex Masseca, & regnauit pro eo Saül ex Robooth, quæ est ad flumen; mortuus est autem Saül, & regnauit pro eo Ballaenon filius Achobor, quo defuncto regnauit pro eo filius Barad, hominque vrbis eius Phogor, & appellabatur vxor eius Metebeel, filia Matraith filij Mazoob.* Deinde sequuntur hæc: Theman filius Eliphaz, dux Idumææ, hic interpretatur ex Syriaco libro, habitans in terra Husitide, in finibus Euphratis; erat ei priùs nomen Iob, & erat pater eius Zaret ab ortu Solis. Verùm istæ appendices minorem auctoritatem habent, nec Patres ita meminerunt eorum sicut de superiore. Circa genealogiam Iob non est opus hic laborare, & suprà attigimus aliquid. Illud censeo falsissimum quod Hebræi

putarunt

putarunt fuisse Consiliarium Pharaonis vnà cum Iethro, & Balaam. Nec fidem multam meretur Philo, qui ait duxisse Iob vxorem Dinam filiam Iacob.

CAPVT X.

Quot Moyses Psalmos scripserit?

QVAMVIS scripta Moysis in superioribus libris explicauerimus, nunc illud speciatim vestigandum, quot fuerit Psalmorum Auctor? Protulimus quod suo loco fulciendum erit totius Psalterij scriptorem non fuisse solum Dauid. Tum etiam damus auctorem Psalmi octogeni noni esse ipsum Moysem legislatorem Israëlis, non illum confictum à quibusdam, & sub Dauidis tempora superstitem, de quo etiam iam differuimus, aut posteros Moysis. Et quidem S. Athanasius scribens Marcellino, consulit, si scire concupiscat, quomodo Moyses orauit habeat hunc Psalmum. Nunc quærimus verùm alios Psalmos Moyses condiderit. Hoc placuit Iulio Patriarchæ, & Origeni, qui à Iulio illam accepit, & sancto Hieronymo in epistola ad Cyprianum, qui Psalmos omnes quibus non sit præfixum authoris nomen, censent eius authoris fuisse, qui præcedenti titulo prænotatus fuerat: & cùm multi sint Psalmi titulo carentes, volunt omnes eius esse, cuius postremò nomen præmissum fuit in aliquo titulo. Quapropter Moyses non tantùm erit auctor Psalmi citati, cuius titulus est: *Oratio Moysis hominis Dei*: sed etiam eiusdem Moysis esse cæteros omnes, saltem vsque ad nonagesimum nonum. Hæc etiam est Hebræorum opinio, qui hunc Psalmum, & decem sequentes Moysi adscribunt, & affirmant ad singulas tribus hos vndecim Psalmos spectare, atque hunc ad Ruben attinere, sicut & nonagesimum ad Leui, nonagesimum primum ad Iuda, & sic de cæteris. Verùm hoc constat esse falsum: nam quarto capite epistolæ ad Hebræos adscribit Apostolus Dauidi Psalmum nonagesimum quartum, quem illo & antecedenti capite explicat, & accedens ad illa verba: hodie si vocem eius audieritis, *iterum terminat diem quemdam, hodie in Dauid dicendo, post tantum temporis.* Præterea in Græco & Latino Psalmo nonagesimo hæc præmittitur inscriptio Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαβίδ, *Laus Cantici ipsi Dauid.* Nec obstare debet Hebræo titulo carere. Præterea Psalmo nonagesimo octauo exprimit nomen Samuelis dicens: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius*: cùm Samuel multis post Moysem sæculis vixerit. Deinde si Origenis, & Hieronymi regula constans esset, quid dicendum erit de Psalmo primo, & secundo, qui nullam Auctoris inscriptionem habent, cui tandem imputarentur, cùm nullius nomen sit præmissum? At constat ex Scriptura secundum Psalmum à Dauide esse compositum, & nomine Dauid citatur in quarto Actorum capite. Quapropter cùm hi Psalmi sine titulo, scilicet secundus, & etiam octogenus quartus Dauidis constent esse, cur non & alij inscriptione carentes?

CAPVT XI.

Quo tempore Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomius, liber Iob, & Psalmus octogenus scripti sunt?

NVNC de tempore quo hic Psalmus Mosaicus, & cæteri Moysis libri scripti sunt nonnihil vestigemus. Circa librum Genesis, de quo iam tetigimus aliqua, diuisa sunt suffragia. Pereira, Tena, & alij pro se citant Eusebium libro septimo Præparationis, dum ait Genesim scriptam priùs quàm legem: putant ante egressum filiorum Israël ex Ægypto Genesis historiam à Moyse conscriptam; quoniam otio & solitudine, quæ duo opportuna sunt contemplationi, & scriptioni, dum greges Iethro pascebat, vteretur: Tum quoniam Patriarcharum virtutes multum vtilitatis afferrent Israëlitis in Ægypto afflictis. Theodoretus etiam, Abulensis & Cornelius malunt post Ægypti exitum, cuius sententiæ coniectura sumitur ex sanctifica- Cap. 2.

tione septimi diei; cuius mentio fit secundo eius libri capite: cuius tamen sanctificationis præceptum non ante legem, saltem non nisi paucis ante diebus datum est capite decimo sexto Exodi, & rursum vigesimo. Idem probant ex discretione mundorum, & immundorum animalium, quæ capite decimo septimo Genesis significatur: at neutra vtriusque opinionis indicia rem conuincunt, minus huius postremæ: namque lex scripta accepit aliqua, quæ antea obseruabant; non solùm Patriarchæ, sed & Chananæi, vt fuit lex de suscitando semine fratris. Fuerunt quoque ante legem aliqui ritus Ecclesiastici vt Circumcisio quæ postea permansit cum lege. Bonfrerius secutus extremam opinionem, hanc rationem adiicit, quod ante apparitionem Dei in rubo, & missionem ad Pharaonem, non constet de spiritu Moysis prophetico, sintque non pauci in ea existimatione, vt Moyses post acceptum spiritum Prophetiæ, ab vxore abstinuisset; at constat in fine suæ commorationis in Madian vsum vxore. Verùm multò ante colligitur ex sancto Stephano Prophetiæ spiritu illustratum fuisse Moysem, quo nouit à Domino se constitutū Ducem, & vindicem populi sui, quo iure sine culpa occidit Ægyptium. Præterea ipse Bonfrerius fatetur anteà transcripsisse librum Iob, quod sine spiritu Dei non fecit, cùm multa addiderit ei historiæ, & diuinam authoritatem communicarit.

Meum sensum iam suprà demonstraui, vt primum omnium librorum Mosaicorum, quos nunc habemus, fuisset Genesis, an in Ægypto, an in Madian, an in deserto? non libenter definio: id saltem puto reuelationem creationis mundi, & vitarum Patriarcharum in Madian accepisse. In aliis Pentateuchi partibus existimo cum Bonfrerio primo anno, vel ante recessum montis Sinai scriptam Exodum, Leuiticum, & è libro Numerorum nouem prima capita: cætera deinde ex eodem libro posterioribus peregrinationis per desertum temporibus pro rerum gestarum ordine, ita vt postrema capita à vigesimo vsque ad finem, vltimo peregrinationis anno conscripta sint. Deuteronomium item, quod totius legis repetitio, & velut compendium est, non ante vltimum annum à Moyse conscriptum, vti & populo inculcatū existimo: & de inculcatione quidem illa satis meo iudicio, constat è capite primo Deuteronomij. Excipe vltimum caput Deuteronomij, quod Moyse mortuo, ad totius Pentateuchi complementum additum à Iosue, passim omnium melius sentientium habet opinio: idque fieri potuit eodem peregrinationis anno vltimo in Setim, seu campestribus Moab, mansione vltimâ, ante Iordanis transitum, dum in luctu funebri ob Moysis mortem Israelitæ occuparentur. Porrò liber Iob multis placet in Madian scriptus, sed mihi incertum est, quando à Moyse exaratus fuerit, non quidem ante Genesim. Psalmus verò octogesimus nonus scriptus post idololatriam aurei vituli indicatur à Paraphraste in eius Psalmi inscriptione, quæ sic se habet: *Oratio quâ orauit Moyses Propheta Domini, quando peccauit populus domus Israel in deserto.* Bonfrerio quoque placet pertinere ad tempora quæ egressum ex Ægypto secuta sunt. De scriptione ita fortasse erit; at de compositione eius posset aliud dici, in Ægypto scilicet decantatum esse eâ ipsâ nocte, quâ occisi primogeniti sunt: nam totius Psalmi materia ad hanc noctem potest referri, & constat ex Isaia, eâ nocte aliquid cantasse Hebræos, vt in septimo libro indicauimus, & nunc expositione eiusdem Psalmi confirmabimus.

CAPVT XII.

An Canticum noctis sanctificatæ solennitatis, cuius meminit Isaias, fuerit Psalmus octogesimus nonus, cuius explanatio proponitur?

DIXIMVS libro huius operis septimo ad canticum quoddam conclamatum à Iudæis nocte ipsâ, quâ occisi fuêre Ægypriaci primogeniti, allusisse Isaiam cùm trigesimo Prophetiæ suæ capite dixit: *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solennitatis, & lætitia cordis.* Nunc disserendum est, an ad Canticum hoc spectet Psalmus octogesimus nonus. Et quidem argumentum eius, & materia aptissima est illius noctis, & præteriti temporis euentibus. Eâ quippe nocte occisis primogenitis Ægyptiorum indemnes mansêre Hebræi, & Angelico gladio, & tyrannide Pharaonicâ liberati: ideò inchoat Psalmum: *Domine refugium factus es nobis*: vox Hebræa
מעון

מעון *mahon*, propriè habitationem significat quod congruit modo quo liberati Hebræi, ne occiderentur eorum primogeniti, nempe in domibus agnino sanguine signatis; Dei quippe monitu domos, & habitationes suas eâ nocte sanctificarunt sacrificio agni tanquam templa, & mactati agni sanguine signarunt, qui Christi Domini pro nobis passi, typum referebat. Addit *à generatione in generationem*, dixit hoc conscius Moyses quanta cum Patriarchis fecerat Deus, & quoties seruis suis fuerat refugium, liberans eos à magnis calamitatibus, vt Noë à communi diluuio, Abraham ex Vr Chaldæorum, Iacob ex fame, Ioseph è carcere, quasi à generatione in generationem ostendente se misericordia diuina, quippe reuelauerat Dominus Moysi hęc omnia, & omnes Patriarcharum vitas, quas identidem commemorabat Hebræis, vt credere fas est, postquam è Madian repetiit Ægyptum, liberaturus Israëliticum populum. Conscius quoque creationis mundi in tempore ante quod Deus ab æterno extitit, vt eam insinuaret Hebræis, quorum plerique paulò antè idololatræ erant, sic alloquitur Deum: *Priusquàm montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à sæculo, & vsque in sæculum tu es.* Mox precatur, *ne auertas hominem in humilitatem*, hoc est, ne permittas hominem ex Israël auerti, & reduci ad pristinam abiectionem & miseriam. Hoc significat humilitas, non virtutem humilitatis, vt notauit Bellarminus, miseriam, scilicet, illam cùm operibus luti affligebantur. *Et dixisti, conuertimini filij hominum*, cùm Israëlitæ opprimebantur ab Ægyptiis ob peccata sua id factum fuit, vt dixi alibi. Tunc Deus illos adhortatus est ad pœnitentiam per aliquos sanctos eius populi viros, imò vt credendum est per ipsum Moysem. Opportunè deinde occasione subitæ mortis tot primogenitorum, qui vna hora, aut vigilia noctis perempti fuêre comparat æternitatem Dei cum breuitate, & instabilitate vitæ humanæ, quæ à nocte ad manè, vel è contrà disparet; Ideò subdit: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præterijt, & custodia in nocte. Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt. Manè sicut herba transeat. Manè floreat & transeat; Vespere decidat, induret, & arescat.* Per illa verba: *& custodia in nocte*, non vocat Deum custodiam populi Israëlitici in illa nocte, sicut vocauerat refugium, sed congruè commemorat custodiam noctis, vt ei comparet breuitatem vitæ exemplo recentissimo Ægyptiacorum primogenitorum, quorum vita vna vigilia seu hora noctis euanuit: diuidebatur quippe nox olim in tres custodias, seu vigilias. Gratulatus deinde misericordiam Dei erga populum Israëliticum, qui in illa communi Ægypti calamitate indemnis fuit; quantumuis mereretur à Deo puniri ob peccata & idololatriam, quâ contaminatus fuerat inter Ægyptios, vt ex libro Iosuè colligitur; ac propterea correpti Hebræi fuerunt laboriosis operibus, & oppressione, non tamen derelicti à Deo. Subijcit peccatorum Israëlis, & ob ea supplicij memoriam dicens, *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus; posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus.* Possunt referri hæc verba vltima ad diminutionem aliquam Israëlitici populi ex occisione infantium iussâ à Pharaone, siue quia ex nimio labore, & molestiis aliqui mortui fuêre, vt contigit iis, qui ad metallum dabantur. Posteà addit: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Consumpserant quippe Hebræi vitam magnis & assiduis laboribus, sed inutilibus sibi, non aliter ac aranearum labor, in quo labore tabescebant, & consumebantur, prout Psalmo trigesimo octauo dicitur: *propter iniquitatem corripuisti hominem: tabescere fecisti sicut araneam animam eius*: quoniam autem deficiebant dies Israëlitarum in illa oppressione, & consumebantur, & tabescebant vt araneæ, subdit: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius labor, & dolor, quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Contracta est vt plurimum vita laborantium, & afflictorum Israëlitarum ad septuaginta annos, aut octoginta in robustioribus, quod tunc temporis non longa vita videbatur. Posteà miratus Dei irati potentiam in puniendis, tum Ægyptiis, tum Israëlitis precatur, vt eandem notam reddat miserescendo erga Israëlitas iam seruos Dei, dicens: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia: conuertere Domine vsquequò, & deprecabilis esto super seruos tuos.* Mox exultat pro misericordia quâ visus est Deus illo manè cum Hebræis, qui indemnes reperti sunt à clade primogenitorum. Vnde illud manè tristissimum Ægyptiis, festiuum & lætum fuit Israëlitis, cùm deinde soluti etiam fuerint à seruitute Pharaonicâ; ideò ait: *Repleti sumus manè misericordia tua, & exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris*, quippe lætitia, quam illo manè habuerunt Hebræi, cùm Ægypto excedebant, compensauit labores totius vitæ anteactæ tristissimæ, & molestæ, & fuit initium læte deinceps agendi, quod clarius repetit, dum ait: *Lætati sumus pro*

diebus, quibus nos humiliasti annis quibus vidimus mala. Vna lætitia illius mane fuit pro miseria, & abiectione, & malis omnium annorum præteritorum, quibus afflicti fuerant. Ad hanc lætitiam videtur allusisse Isaias, dum illi comparat lætitiam Beatorum cum dixit, *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatæ solemnitatis & lætitia cordis*; de quo loco in libro septimo egimus. Tandem precatur Moyses egressuris, seu egredientibus Ægypto Israelitis prosperum iter disponat, & dirigat, dicens: *Respice in seruos tuos, & in opera tua & dirige filios eorum: & sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.* Rectè precatur non solùm pro seruis Dei, hoc est, iis Hebræis, qui egrediebantur, sed pro filiis eorum: Nam hi terram promissionis ingressuri erant; illi enim vt egrederentur Ægypto, ope diuinâ egebant, directura eorum iter; hi vt ingrederentur terram promissam. Cumque per lucidam, & igneam columnam, in qua Deus erat, siue Angelus, factum esset, aptè dicitur: *& sit splendor Dei nostri super nos* &c. Hoc pacto non ineptè congruunt sententiæ huius Psalmi illius opportunitati noctis, & mane, cùm prodiit Israel ab Ægypto, qui licèt non sit totum canticum Israelitarum, alia fortasse cecinerunt in tota illa nocte & mane, non incommode illum quoque Psalmum & orationem fudisset Moyses. Circa quem obseruandum est difficile aliquibus visum, si hic Psalmus à Moyse compositus fuisset: quo pacto vitam hominis solum definisset septuagenario, aut octogenario annorum numero, cùm tempore Moysis longior videatur fuisse vita humana; siquidem ipse Moyses vt minimum vixit centum & viginti annos. Huic difficultati variè respondent interpretes. Sunt qui dicant Moysem non definiisse vitam hominis exiguo annorum calculo, sed centum & quinquaginta. At quod dicitur in Psalmo satis constat non simul, sed seorsim sumendum. Alij dicunt prophetice loquutum Moysem definiens spatium vitæ humanæ, prout non suo æuo, sed sequentibus futura esset. Alij malunt etiam Mosaicâ ætate iam vt plurimum, non extendi vitam humanam vltra septuaginta aut octoginta annos; de quo videri potest Ioannes Ionstonus libro de naturæ constantia, propositione quinta, articulo primo. At difficile hoc, & expeditior videtur interpretatio nostra; quòd si non placeat, poterunt considerari verba, non enim dixit dies nostri septuaginta, aut octoginta anni, sed in ipsis esse septuaginta, aut octoginta, quasi diceret: anni nostri sunt miserrimi, in quibus sicut aranea tabescimus, & vltra hoc non, viuimus in ipsis nisi septuaginta, aut octoginta: nam in infantia vel in somno non viuimus, vt vix dici possit septuaginta annos vixisse. Neque obstat, quominus hic Psalmus sit canticum, quod non inscribatur *canticum* Moysis, sed *oratio*: nam ex secundo Regum, capite secundo, canticum Annæ oratio etiam inscribitur. Nec dicitur cecinit, sed *orauit Anna*. Nihilominus canticum profudit, in quo nihil videtur postulasse, imò nec in eo ad Deum dirigit sermonem, nisi duobus illis versiculis, *lætata sum in salutari tuo*. Et rursus: *non est alius extra te*. Dicitur tamen oratio, vt Lyra & Dionysius Carthusianus exponunt, quoniam sit quædam cum Deo collocutio, & eleuatio mentis. Similiter canticum Abacuc dicitur oratio, cùm nullam petitionem contineat, nisi fortè illam: *In medio annorum viuifica illud*: multo meliori ratione canticum Moysis in hoc Psalmo dicitur oratio, quoniam ad Deum dirigat sermonem à primo versu: *Domine refugium factus es nobis*: & tandem postulet, *Respice in seruos tuos*, &c.

CAPVT XIII.

Quæ scripserit Iosue? Et quo tempore eius liber compositus?



ROCEDAMVS ad alios scriptores sacros: In primis multorum consensio est Iosue scripsisse vltimos octo Deuteronomij versus, vbi Moysis narratur mors; nam de se iam mortuus scribere Moyses non potuit: quamuis multi Hebræi putent ab ipso Moyse spiritu prophetico scriptus. At quia videntur alia etiam scriptis Mosaicis addita ab aliquo scriptore canonico, vt sunt aliquæ Moysis laudes, illa quoque appendicula de eius morte, imò totum caput extremum Deuteronomij ab alieno calamo adiecta videtur, & probabilius à Iosue successore, & amantissimo ipsius Moysis quàm ab Esdra, à quo dicunt alij ea scripta. Quoad historiam ipsam Iosue, Theodoretus in libro de quæstionibus supra Iosue, censet non ipsum fuisse eius auctorem, sed totum librum longè post mortem Iosue fuisse collectum ex antiquo commentario, cui titulus

titulus fuit *Liber Iustorum*, adductus authoritate verborum, quæ in decimo huius voluminis capite habentur, videlicet: *Nonne hæc* (haud dubium, quin gesta Iosue) *scripta sunt in libro Iustorum?* At istud indicium nihil euincit: nam eo loco non agitur, nisi de ingenti illo prodigio, cùm ad præceptum Iosue Sol & Luna steterunt. Hoc portentum videtur annotatum in illo libro Iustorum. Vnde hoc ipso, quod liber Iustorum allegetur pro hoc peculiari euentu, & non pro aliis quæ in historia Iosue narrantur, videtur tota illa historia non esse collecta ex Iustorum libro; vt quid etat opus citari pro hoc euentu, & non pro aliis? Quapropter Andreas Masius, & alij, apud Abulensem faciunt Esdram authorem historiæ Iosuanæ, cuius sententiæ nullum video fundamentum, sicut nec eorum qui hanc historiam tribuunt Samueli, aut Isaiæ; alij malunt fuisse Eleazarum Pontificem; quoniam inquiunt apud Serarium, propriè Pontificis partes non modò viuâ voce ætatis suæ populum docere, sed testatam quoque ad posteros facere Dei gratiam in Ecclesia conseruanda, vt vera Religio melius propagaretur. Et antequam degenerassent Leuitæ, fuerunt ex illo ordine Actuarij, qui in perpetua monumenta referrent quidquid memoratu dignum erat in Ecclesiæ gubernatione. Et quidem apud Isaiam trigesimo sexto capite, & aliis locis quidam Leuitarum *Matzirim* vocantur tanquam qui rerum memoriam scribendo conseruarent, qui essent à commentariis, sicut noster interpres vertit.

Verùm Iunilius, Dorotheus, Isidorus, Abulensis, Driedo, Serarius, Bonfrerius, Rabbi Moyses Kimhi, liber Babæbathræ, & Raddaci Hebræi, & reliqui penè interpretes authorem sui libri Iosue faciunt: nam, vt legitur in capite vltimo huius libri, scripsit post mortem Mosis omnia verba, quæ locutus est ad eum Dominus in volumine legis Domini, adiungens illi historiam de transitu filiorum Israël per Iordanem, de subuersione impiorum Regnorum, de diuisione terræ promissionis, déque cæteris dictis, factísque memorabilibus à morte Mosis vsque ad annum decimum septimum ducatus sui; in quo, teste Iosepho, mortuus est vir armis & religione inclytus, annum agens ætatis centesimum ac vigesimum, hoc est, anno ab orbe condito bis millesimo quingentesimo decimo, & ante Christi aduentum millesimo quadringentesimo secundo. Cætera quæ à morte Iosue vsque ad finem libri huius scripta sunt, Esdram adiecisse fama est; quamuis alij hoc tribuant Caleb, non diu post Iosue mortem; alij Samueli, quem dicunt in aliis etiam rebus manum apposuisse ad librum Iosue, trecentos, & plures post annos, quemadmodum nomen ciuitatis Cariathsepher non à Iosue, sed à Samuele maioris claritatis gratiâ adiectum; quoniam tempore Iosue nolunt sic vocatam, sed post ingressum Hebræorum in promissionis terram. Thalmudici in Babæbathra id tribuunt Eleazaro Pontifici, quem dicunt Iosuanæ historiæ adiecisse, quæ de Iosue morte narrantur capite vigesimo quarto, à versu vigesimo nono vsque ad trigesimum tertium, qui, quia de ipsius Eleazari morte agit, eum dicunt à Phinees additum. Scripsit suum librum Iosue post bella cum Chananæis gesta: Tum quia materia debet præcedere scriptioni; tum quia, vt notat Bonfrerius, occupatior erat primis illis sex annis Iosue quàm vt ad scribendum animum applicare posset. Quocirca ad hanc scriptionem opportunissimus fuit ille in Thamnathsare plurium annorum recessus à septimo ad decimum septimum. Addo verò vltima duo capita illius libri, non nisi paulò ante ipsius mortem ab eo scribi potuisse, idque dumtaxat vsque ad versum decimum nonum capitis vltimi; nam ab alio cætera fuerunt addita, siue Esdra, siue Samuele, siue Calebo, siue alio ex senioribus, qui Iosue conuixerant. Scripsit præterea, siue potius transcripsit Iosue Deuteronomium. Canticum *Audite*, à Iosue pariter cum Moyse scriptum, & decantatum suprà monuimus.

CAPVT XIV.

De scriptis Samuelis, Nathan, & Gad, & quo tempore liber Iudicum, Ruth, & Samuelis scripti?

LIBRVM Iudicum Masius, & Frater Brito commentatus præfationem super hunc librum, eius authorem Esdram pronuntiat. Petrus Comestor, & alij malunt Ezechiam esse. Dorotheus libro de Prophetis, vult scriptum à Scribis sacris, qui in tabernaculo versabantur. Alij apud Iansenium, Maldonatum, & Pinedam à pluribus contextam Iudicum historiam volunt, scilicet à singulis Iudicibus, vel eorum actuariis, & scribis,

scribis, hosque ea quæ ad sua tempora pertinebant literis & memoriæ mandasse, & in commentarios retulisse. At sanctus Isidorus, Driedo, Rabbi Moyses Kimhi, liber Babæbathra, & Raddaci, Arias Montanus, Ioannes Benedictus, Serarius, imò Abulensis, & tandem Sixtus Senensis censent istam historiam Samuelem collegisse, eique adiecisse narrationem Ruth Moabitidis, quæ velut appendix est libri Iudicum. Eiusdem Samuelis est liber Regum primus. Atque in hoc conspirant Hieronymus, Gregorius, Theodoretus, Procopius, Eucherius, Petrus Comestor, Hugo Carensis, Dionysius Carthusianus, Isidorus Clarius, Lyra, Caietanus, Abulensis, Vatablus, Sixtus, Serarius, Manuel Sà, Mariana, & alij. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Dauidis, ac sui ipsius gesta, quæ in primo Regum vsque ad mortem suam, hoc est, vsque ad caput vigesimum quintum referuntur. Nathan verò & Gad Prophetæ scripserunt libros Regum à morte Samuelis vsque in finem libri secundi, quod satis apertè indicare videtur primus liber Paralipomenon: in cuius calce hæc verba leguntur: *Gesta Dauid priora & nouissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad.* Et quanquam posterior pars huius primi voluminis à vigesimo quinto capite vsque ad finem libri secundi Regum, comprehendat Saulis ac Dauidis historiam; tota tamen ad Samuelem refertur, & de nomine eius inscribitur; quia ipse Saulem primum Regem in regno constituit, & Dauid in Regem futurum elegit, & vnxit. Hanc tamen Isidorus Hispalensis Episcopus arbitratur Dauidem Regem scripsisse vsque ad initium tertij libri, hoc est, vsque ad annum ab orbe condito bis millesimum nongentesimum, ac trigesimum & ad annum ante Christi ortum millesimum ac trigesimum secundum iuxta Sixtum Senensem. Ex libro etiam Regum primo, capite decimo constat à Samuele scriptam fuisse legem Regni, sed hæc non videtur extare, vt notat Bellarminus.

De locis & temporibus, quo hæc scripta sunt, ita Beuterus, & alij definiunt, scripsisse Samuelem in Ramatha, vbi commorabatur, librum quidem Iudicum post electionem Regis Saul, póstque inscriptionem legis Regni, librum verò primum Regum ex eo tempore, quo reprobato Saule, Dauidem vnxit. Dauid verò compleuisse scripturam Samuelis vsque ad finem secundi libri Regum incipiens scribere, ex quo data fuit ei requies in Regno toto; & prout accidebant res, cætera scribens. Paulò aliter Bonfierius censuit, nimirum scripsisse Samuelem librum Iudicum, quo tempore fungi cœpit principatu apud Israëlitas, vel certè non diu ante principatum hanc scriptionem credi potest esse auspicatus. Ruth libellus ab eodem Samuele sub idem tempus conscriptus creditur, vtpote qui sit velut appendicula ad librum Iudicum, & nonnullam ad libros Regum viam muniat. Regum liber vti non vnum habet scriptorem, ita non vno eodémque tempore conscriptus fuit; sed neque conscribi facilè simul potuit, cùm Regum, rerúmque gestarum ordo aliud deposcerent. Cùm autem propemodum certum sit, Samuelem primi libri prima viginti quatuor capita scripsisse, de tempore, locóque non difficile erit coniicere; nempe id ab eo factum in illo suo recessu in Ramatha post depositum principatum, Saulémque Regem creatum. Et quanquam nouem prima capita etiam antè conscribi potuerint, fortè tamen rectius in hosce posteriores annos hanc scriptionem reiiciemus, quibus commentandi maius otium, abdicato principatu, & publicis reiectis curis, ei suppetebat.

CAPVT XV.

De officio Videntis. Olim Propheta pro musico sumebatur.

QVONIAM autem *Gad* dicatur, *videns Dauid*, hoc est, *Dauidis*, & Samuel quoque eodem videntis agnomine denotetur, opportunè nunc agemus quid hac voce significatum fuerit, quippe nonnullos Auctores legi arbitratos eundem fuisse vsum Israeliticis Regibus ac Persis habentibus id genus ministrorum, quos oculos, & aures Regis nuncuparunt; quoniam Regem admonebant ea quæ viderant, aut audierant, diligentissimè vt hoc officium præstarent, conspicati omnia; ita vt Principi essent vbique pro oculis, & auribus, quorum Dion Chrysostomus, & Apuleius luculenter meminerunt. Philo Iudæus id genus officij in aula Persica transtulit ad Angelos, dum libro de somniis hæc pronuntiat: *Sunt quædam purissimæ substantiæ optimæque omnium quæ altius, diuiniúsque sapiunt, aspernatæ ista terrestria & humilia, ministra*

stræ omnipotentis tanquam Magni Regis aures, & oculi, audientes, videntésque omnia. Has Genios Philosophi, Angelos vocant sacræ Literæ. Apud Romanos posteà simile delatorum officium introductum fuit. Martianus in lege *Diuus Adrianus*, de cust. & exhib. rerum, eos vocauit εἰρηνάρχας, quasi pacis & quietis Principes, alibi dicti sunt in iure *Primates officiorum.* Alij eos dixerunt ὠτακουστὰς, & emissarios, hoc est, προσαγωγεῖς. Alij ὦτα καὶ ὀφθαλμοὺς βασιλέων. Alij *delatores.* Alij *curiosos.* De iis Apuleius libro primo Asini ait: *Non sum equidem curiosus qui velim audire cuncta.* Dicti quoque fuêre *quadruplatores*, quoniam quarta pars delati rei bonorum ipsis daretur iuxta præscriptum Neronis, cum lege Papia media pars bonorum ipsis concederetur, atque in immensum fuisse hoc modo auctas opes tempore Tiberij scribit Dion Cassius libro trigesimo septimo historiæ Romanæ. habuit quippe ille Princeps hos delarores velut custodes legum; erant velut monitores Regum, & constat delaroribus diuisisse bona omnia ex Libonis Drusi damnatione. Quod officium nonnullis videbitur Gad præstitisse cum Dauid primo Regum, capite vigesimo secundo admonens illum, ne maneret in terra Moabitarum, cùm dixit: *Noli manere in præsidio, proficiscere, & mane in terra Iuda.* Ob eandem causam etiam Deus voluit per ipsum Gad Dauidem monere: nam in extremo libri secundi capite: *Sermo Domini factus est ad Gad Prophetam & videntem Dauid: Vade & loquere ad Dauid.* Hic Videns distinguitur à Propheta. Quapropter videtur accipi pro illo muneris genere, quod Persis & Græcis dicebatur oculus Regis. Hoc certum non est, quoniam in primo Regum libro, capite nono explicatur quid sit Videns, dum dicitur: *Olim in Israël sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: venite & eamus ad Videntem; qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Cùm igitur non pro corporali munere, sed spirituali Prophetiæ gratiâ Videns accipiatur. Non est cur dicatur Gad Videns appellatus, quoniam pro oculo, siue otacusta fuerit Dauidi præter quàm quòd recentior origo oculorum, & aurium Regis tribuatur. ὠτακουστὰς, seu auscultatores primus dicitur inuenisse Darius minor sibi diffisus. προσαγωγίδας autem, seu exploratores Dionysius Syracusanus, vt Plutarchus testatur.

Nihilominus quoniam aliquod discrimen videtur sacer textus notare inter Prophetam & Videntem, dum Gad non solùm dicitur Propheta, sed additur quoque, & Videns, vt duo muneta tribuantur illi & Prophetæ, & Videntis, vestigandum est, quæ differentia inter vtrumque intercesserit. Iacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus Videntem distinguit à Propheta, quoniam Videns suam non interpretetur Visionem: *Requiritur* (inquit) *quod Propheta intelligat & interpretetur visionem, siue reuelationem, quia aliter non diceretur Propheta, sed Videns tantùm; ideò antiquitus omnes quos nunc appellamus Prophetas, & omnes qui videbant visiones, siue intelligerent, siue non, appellabantur Videntes, vt patet primo Regum, capite nono. Sed propriè non appellatur, nec est verè Propheta nisi intelligat, & interpretetur visionem. Nam ex hoc Propheta dicitur diuina inspiratio, eo quod intuitus Prophetæ inspiratus lumine supernaturali & prophetico interpretatur, & intelligit visionem, aliter non esset Propheta, sed Videns tantùm, sicut Pharao & Nabuchodonosor. Ideò dicitur Danielis decimo, quod opus sit intelligentiâ in prophetia; & ideò Theodorus fuit condemnatus hæreticus in Concilio Toletano, eo quod asserebat, Prophetas non intellexisse visiones, & prophetias suas.* Verùm licet ita sit, quòd verus Propheta intelligat suam visionem, hoc parum refert ad distinctionem Prophetæ, & Videntis, quæ circa Dauidis tempora videtur fuisse. Neque Samuel, qui dictus fuit Videns, caruit intelligentiâ suæ visionis. Et sacer textus in primo Regum, capite nono, dicitur idem fuisse olim Videntem, ac posteà Prophetam, & quæsitos fuisse Videntes, vt responsa diuina ab iis acciperent, quod non fieret, nisi ipsi intelligerent visiones suas. Prætereà non esset opus addi Gad esse Prophetam, & Videntem, cùm in nomine Prophetæ, Videns etiam includeretur.

Tract. 1. Prol. in Psalm

Serarius in Commentario ad nonum caput primi libri Regum, duplicem dicitesse actionem Prophetarum. Vna est abstrusissimarum rerum certa & perspicua, quæ tamen eius, quæ ad fidem spectat, obscuritatis aliquid habeat, cognitio, siue simpliciter humano ingenio inuestigari nequeant, siue tali tempore & loco. Posterior est earumdem rerum elocutio, atque explicatio. Propter priorem dicit appellatos Videntes, propter posteriorem Prophetas, & horum ministros & interpretes hypothetas. Quod licet ita sit, cùm in idem officium recidant, non satis explicat differentiam duorum diuersorum munerum, quæ vt dixi Samuelis, & Dauidis temporibus fuisse videtur.

Censeo igitur Videntem olim fuisse dictum, qui posterioribus sæculis Propheta vocabatur: At illis temporibus, cùm Videntis nomen in vsu fuit, aliâ significatione Prophera

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script.

sæpissimè accipiebatur, vt diuersa munera significarent. Idcircò Gad non solùm Propheta dictus est, sed etiam Videns. Primam illam partem, quòd Videns dictus fuerit olim, qui postea Propheta, clarissimè comprobant verba sacri textus, quæ protulimus. Et S. Basilius initio Commentariorum in Isaiam, sic confirmat: *Alia vis nullo peraquè apprehendit quid potissimum expetere debeas, vt visio. Hinc factum vt eorum, quæ veritate nituntur, speculatio, visio appellata sit, ob euidentiam, ac ratam certitudinem: eam ob rem vocabatur Propheta Videns, simul, & præuidens, aut à fronte videns. Lectione enim Amos ipsi didicimus dixisse Amasiam: Videns, vade, abito in terram Iuda, & illic prophetabis. Proinde Samuel in Regnorum libro dictus est* ἰμπρόσθεν ὁρῶν *antè videns, vel præuidens; ait enim Scriptura, vocabatur anteeernens, vel præuidens; quod enim perspicaciter eernerent quid esset futurum, ob id appellabantur præuidentes, siue à fronte videntes; quia verò Dei sententiam, decretúmve obseruabant, nuncupati sunt Videntes.* Quamuis autem videntes iidem essent ac Prophetæ temporibus Samuelis, & Dauidis, nomen Prophetæ communiter accipiebatur non pro iis qui futura, & occulta peruidebant, prædicebántque, sed pro cantoribus & musicis; idcirco tunc temporis duo diuersa munera imputari Gad poterant Prophetæ, & Videntis, hoc est, musici seu cantoris diuinarum laudum, & simul futura præuidentis. Luculenta sunt aliqua Scripturæ loca quæ probent tunc temporum Prophetam sumi pro cantore sacro. In primo Paralipomenon, capite decimo quinto dicitur: *Chonenias autem Princeps Leuitarum prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam, erat quippe valde sapiens.* Et rursus, *Chonenias Princeps Prophetiæ inter cantores.* In eiusdem libri vigesimo quinto capite: *Dauid & Magistratus exercitus segregauerunt in ministerium Asaph, & Heman, & Idithun, qui prophetarent in citharis, & Psalteriis, & cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes.* Hic locus de dono prophetiæ nequit intelligi: nam qui eo dono vsuri sint non ab hominibus, sed à Deo eliguntur, cùm non humano, sed diuino afflati Spiritu loquantur. Sæpiùs in eodem capite dicuntur alij in organis & musicis instrumentis prophetare. Chorus etiam Prophetarum chorus cantorum erat. In primo Regum, capite decimo prædixit Samuel Sauli: *Obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.* Abulensis in hunc locum nonâ quæstione probè admonuit spiritum illum, qui in Saulem insiluit, fuisse spiritum deuotionis, quo vellet, & facultatem aliquam, quâ posset simul cum aliis cantoribus concordi melodiâ diuinas concinere laudes, non spiritum Prophetiæ, quo futura prænosset. Nec mirum Musicos dici Prophetas in sacris Literis, cùm in profanis etiam dicerentur vates. Quintilianus libro primo, capite decimo ait: *Quis ignorat musicem tantum iam in illis antiquis temporibus non studij modo, verum etiam venerationis habuisse, vt iidem musici & vates, & sapientes iudicarentur.* Plura prophetandi significata in sacris Literis non est opus hîc intrudere. Dicitur autem Gad non solùm videns, sed videns Dauidis; quoniam valdè familiaris erat Dauidi, & Deus illi reuelarat, quæ ad personam, & res Dauid spectabant, & per illum consulebat Deum ipse Dauid. In secundo Paralipomenon, capite trigesimo quinto dicuntur Asaph, & Heman, & Idithun Prophetæ Regis, quoniam coram Rege in Tabernaculo nouo canebant, erantque velut Regij cantores.

CAPVT XVI.

An Ieremias scripserit tertium & quartum Regum libros, & quo tempore scripti?

NON satis constat quis author fuerit tertij & quarti Regum librorum. Sunt qui Esdræ eos attribuunt; Magister historiæ, Dionysius Carthusianus, Driedo; alij Isaiæ: At vsque ad finem non scriptos ab Esaia, vel inde colligi posset, quod vltima Babyloniorum tempora non viderit; quapropter D Hieronymus, Procopius, Gazæus, S. Isidorus, quos sequuntur Salmeron, & Cano, Rabbi Moyses Kimhi, Rabbi Salomon, Dauid Camius, Abulensis, Sixtus, Arias Montanus, & alij plures Ieremiam hoc opus in vnum volumen collegisse tradunt; quod & propius vero videtur, quia postremum caput libri Regum cum vltimo capite libri Ieremiæ, stylo, verbis, ac narratione

tione

tione conueniat. Apparet hoc volumen per compendium fuisse collectum, partim ex libris dierum Regum Iuda & Israël, partim ex Nathan Prophetæ, Achiæ Silonitis, Addo Videntis, & Semeiæ, Horai, Iehu, & Esaiæ Prophetarum scriptis, sæpissimè in tertio & quarto libro Regum citatis. Hoc tamen non placet aliis, sed à variis Prophetis, & Sacerdotibus sanctis scriptos Regum libros, à quibus gesta Regum eo ordine, quo sibi successerunt, conscribi potuerunt, & verisimile esse vel viuente Rege quolibet, vel certè eo mortuo non dilatam scriptionem eorum quæ ipso regnante contigerant, etsi subinde fieri potuerit, vt historia conscripta non statim in vulgus omnibus legenda prodierit, quemadmodum in rebus talibus fieri solet, filiis Regum, ac posteris suæ familiæ, & progenitorum dedecora in vulgus spargi ægrè ferentibus, aut etiam impedientibus. Quod aliqui certum aliquem horum librorum scriptorem conentur adstruere, vel Ieremiam, vel Esdram, vel alium quempiam, qua ex re & descriptionis tempore coniecturam faciunt, frustrà sunt, cùm nullum eis argumentum suppetat: nam etsi vltimum Ieremiæ caput cum iis quæ habentur quarto Regum, vltimo capite, per omnia ferè consentiat, id tamen argumentum leue est, vt Ieremias librorum Regum scriptor adstruatur; potuit enim qui Ieremiæ scribenda dictauit Spiritus sanctus eadem alteri scribenda suggerere, potuit Ieremias posteriorum capitum libri quarti Regum scriptor esse, at non cæterorum. Hoc censuit Bonfrerius. Nihilominus libentius accederem superiori plurium sententiæ tribuenti Hieremiæ hos duos postremos Regum libros; quamuis enim in librum quartum Regum immersa sint fragmenta quædam Isaiæ Prophetæ. Nam penè eodem modo scripta sunt tria capitula illius quarti libri Regum, scilicet decimum octauum, decimum nonum, & vigesimum, ac sunt scripta quatuor in ipso Isaiæ vaticinio, nimirum à trigesimo sexto vsque ad trigesimum nonum; tamen Hieremias posterior fuit Isaiâ, & eodem modo iisdem verbis suum vaticinium terminauit, ac libri Regum finiuntur. Id certum Isaiam omnem illam historiam non consummasse. At ab Ieremia potuisse absolui. Quo pacto Paralipomenon author potuit dici Ieremias, iam dicemus.

CAPVT XVII.

Quo tempore Esdras & Nehemias scripserint, & quæ?

PORRO Paralipomenon librorum author valdè dubius est, quem non vnum, sed historiographos plures Theodoretus, & Procopius statuunt. In principio tamen scholiorum in Paralipomena vnus quispiam traditur, qui ex multis scriptis eam compegerit historiam. Hunc quidam pronunciant Isaiam, alij Ieremiam. At Rabbi Moyses Kimhi, Rabbi Salomon, Driedo, & Sixtus Senensis Esdram assignant: Etenim post Babylonicam captiuitatem floruisse debuit. At cùm Esdræ tempore Hierosolyma deuastata fuerit, & in captiuitatem abducti Iudæi, amissis penè etiam sacris codicibus, & in Paralipomenis citentur varia monumenta, vnde desumpta ea historia videtur, non est ita certum eorum facilem copiam Esdram habuisse sicut Ieremiam. Cuius operi potuit Esdras vltimam clausulam adiicere. Quicumque ille sit sacer Paralipomenon scriptor, vt notat Sanctius ex illis Commentariis, quos accepit à Moyse, & ex aliis, in quibus singulorum Regum gesta notabantur, excepit, quæ ad rationem temporum, & populi Israëlitici memoriam conferre videbantur, omissis aliis, quæ quia leuiora erant, quàm vt in publicis, æternisque monumentis seruanda viderentur, superioribus Regum historiis, quasi quoddam supplementum adiecit. Id autem ex eo apparet verisimile, quia in libris Paralipomenon sæpiùs audimus, cùm singulorum Regum absoluitur historia. Reliqua autem verborum eius scripta sunt in libro Gad, Addo, Isaiæ, & cætera; aut in verbis dierum Regum Israël, aut Iuda, quasi compilator, aut scriptor ille sacer dicat, sumpsisse se aliquid ex libris illis, seu Commentariis Regum, relicta tamen esse nonnulla, quæ ex illis Commentariis, qui ad publicam memoriam in tabulariis Regiis seruabantur, depromi possint. Et ideò hi libri vocari videntur דברי הימים, id est, *verba Dierum*, seu *Diaria*, quia ex verbis dierum, seu diariis Regum collecti sunt, de quo posteà fusiùs dicemus. Id nunc ex Pineda notabo, quamuis

frequentissima omnium ferè interpretum expositiò, & persuasio sit (vt hoc quoque obiter obseruemus) *Paralipomena* ideò sic vocata, & inscripta à septuaginta Interpretibus, quòd ij libri contineant prætermissa derelictave in libris Regum: at sanè Clemens Romanus libro secundo constitutionum, capite vigesimo secundo, vocat librum secundum Paralipomenon librum Prætermissorum in libro dierum, vt ex exemplari Clementis Cretensis affert Turrianus in explanatione illius loci, vult enim Prætermissa in libro verborum dierum, qui alius omnino est à libris Regum, contineri in libris Paralipomenon. Et propterea libros Paralipomenon Hebraicè inscribi *Dibre Haiamim*, id est, verba dierum, quod contineant derelicta in illo libro verborum dierum.

Certum id est Esdram fuisse authorem sui libri, hoc est, libri Esdræ, quando autem Esdras floruerit, & in Iudæam Babylone reuersus sit, non vna est opinio, dum alij sub annum à soluta captiuitate quinquagesimum, alij sub annum eiusdem solutæ septuagesimum, alij sub annum octogesimum Ierosolymam reuersum sub Artaxerxe Longimano volunt. Scripsisse autem non diu post eius reuersionem, tum nonnulla quæ se absente facta fuerant à soluta captiuitate, tum ea quæ, se presente contigerant, ex ipsius libri materia non difficile est cognoscere. Alter Esdræ liber etsi, siue propter materiæ affinitatem, siue quia ab Hebræis vterque liber in vnum compingi solet, commune etiam ab Esdra nomen acceperit, tamen eius scriptorem non Esdram, sed Nehemiam esse certum est, qui posterius etiam, quàm Esdras, sui temporis res gestas scripsit, Babylone reuersus Ierosolymam, sub eodem tamen Artaxerxe Longimano: nam Esdræ reuersio Ierosolymam sub annum sextum vel septimum Artaxerxis Longimani ab Eusebio, & aliis statuitur; at Nehemiæ Ierosolymam aduentus sub eiusdem Artaxerxis Longimani annum trigesimum secundum ab eisdem contigisse memoratur. Neque tamen tam citò vel scripsit, vel absoluit suam scriptionem Nehemias, sed tantummodo post annos duodecim, quibus reædificatio vrbis facta est, & quæ deerant templo adiecta sunt, quæ perfecta refert in suo libro Nehemias. Sortitus est liber Nehemiæ nomen *Esdræ*, quod vtriusque libri ea continent, quæ simul ab Esdra, & Nehemia gesta sunt: deinde, quod vtrique libri tam apud Hebræos quàm apud Græcos in vnum connectuntur volumen, apud Latinos in duo diuisum. Diffident tamen à nobis hac in parte Græci Patres, quia quem nos tertium Esdræ librum inscribimus, & inter Apocrypha scripta reiicimus; illi in sacro canone collocant, & primum in ordine librorum Esdræ statuunt, quod ea quæ in eo narrantur, gesta sint ante ea quæ Esdræ, & Nehemiæ libris continentur: qui verò apud nos primus, & secundus sunt, illi vtrumque sub secundo volumine Esdræ comprehendunt: quapropter apud eos primi Esdræ initium sic habet: Καὶ ἤγαγεν Ιωσίας τὸ πάσχα ἐν ἱερουσαλὴμ; hoc est, *& fecit Iosias Pascha in Hierusalem*; & diuiditur in capita centum & nouem. Secundus verò sic incipit: Καὶ ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Κύρου βασιλέως περσῶν. id est, *& in primo anno Cyri Regis Persarum*; & secatur in capita octoginta, Hæc ex Bonfrerio, & Sixto notata sunt.

CAPVT XVIII.

An Elias aliquid scripserit Canonicum? Quo pacto post raptum epistolam scripserit?

VONIAM in Paralipomenis producitur epistola Eliæ missa ad Ioram, quærendum hîc est, quid Propheta Elias scripserit, an eius illa epistola fuerit, quam hîc præmittemus; cùm enim in secundo Paralipomenon, capite vigesimo primo, sacra Scriptura recensuisset apostasiam, & sceleta Ioram, subdit: *Allatæ sunt autem ei literæ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa regis Iuda, sed incessisti per iter Regum Israël & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab; insuper & fratres tuos, domum Patris tui, meliores te occidisti: Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ cum populo tuo, & filiis & vxoribus tuis, vniuersáque substantia tua; tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Quod euentus confirmauit: nam additur versu decimo octauo: *Et super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili. Cúmque dies succederet*

succederet dies, & temporũ spatia voluerentur, duorum annorũ expletus est circulus, & sic longâ consumptus tabe; vt egereret etiam viscera sua, languore pariter & vitâ caruit. Mortuúsque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius. Hanc epistolam non vult Caietanus ab Elia Thesbite scriptam, sed ab alio Propheta eiusdem nominis. At hoc diuinare est, & scriptura norasset, in qua cùm dicitur Elias, Thesbites significatur. Fateor quidem, & in hoc omnium consensus est eam epistolam scriptam, aut missam fuisse, dum inter mortales iam Elias non ageret, sed post raptum eius in Paradisum, quippe raptus fuit Elias regnante Iosaphat Patre Ioram, scilicet antequam regnaret Ioram. Hoc constat etiam ex Prophetia Elisæi, qui tempore Iosaphat prophetauit post raptum Magistri sui Eliæ. Quapropter in eo est difficultas, quando eam scripsit. Torniellus & Emanuel Sà putant Eliam præscium futurorum antequam in cælum raperetur eas literas scripsisse, & Elisæo tradidisse vt opportuno tempore longè post raptum suum redderet Regi Ioram. At Lyra, Bellarminus, Maluenda, Salianus, Sanctius, Tirinus, & Hebræi in *Seder olam*, è paradiso volunt eam missam epistolam. Quidam putant hoc accidisse septennio, postquam Elias fuit translatus. At Salianus mauult illas literas misisse Eliam ex paradiso post nouem à raptu suo annos. Nuncium autem fuisse, siue Angelum quemdam humanâ specie indutum, siue verum hominem, vt maius haberent pondus, maioremque auctoritatem ad Regem commouendum, & eius conuertendos asseclas. Hoc confirmat scriptura illa, quæ de manu Dei dicitur Dauidi allata in vigesimo octauo primi Paralipomenon capite. An nunc extet paradisus, in quo peccauit Adam, & decepta fuit Eua, in nostra curiosa Philosophia disseruimus, & ad institutum nostrum parum attinet. Porrò alia scripta Eliæ notant Origenes, & Syncellus, ex quo inquiunt allegasse Apostolum quandam authoritatem in secundo primæ ad Corinthios, sed de hoc posteà agemus: Interim dico, nihil prætereà reliquisse scriptum Eliam, & apocryphum esse, si quidquam eius nomine circumlatum sit. In Synopsi Athanasij inter libros reiectæ authoritatis, & apocryphos recensentur libri Eliæ Prophetæ; eius Apocalypsim citant S. Hieronymus & Origenes.

CAPVT XIX.

Notantur clausulæ vetustioribus canonis libris apposita à recentioribus Prophetis.

ANTEQVAM ad alios scriptores Canonicos transferamus sermonem, operæ pretium erit obseruare vetustiorum libris manum aliquam recentiores Prophetas apposuisse, ne hoc retardet alicui quo minus à priscis sanctis Moyse, Iosue, & Samuele eos libros putet scriptos, quos iis tribuimus. Imprimis Mosaico Deuteronomij codici iam diximus à Iosue adiectum vltimum caput, vbi mors ipsius Moysis enarratur. Præterea in Geneseos capitibus decimo tertio, vigesimo tertio, trigesimo quinto, & trigesimo septimo. Tum etiam in Numerorum decimo tertio fit mentio ciuitatis *Hebron*, cuius nomen fertur impositum à filio Calebi multos annos postquam scripta fuêre, & post Moysis mortem, quod notauit Andreas Masius, & anxiè inculcat. Etenim sanctus Hieronymus libro de locis Hebraicis eam ciuitatem, quę antea dicebatur *Cariatharbe* notat postea dictam Hebron à Calebi filio, qui capite secundo primi Paralipomenon libri vocatur Hebron. Idem dicitur de laudibus Moysis, quæ in Pentateucho reperiuntur, non à Moyse, sed ab alio post eius mortem adiectis, qualis illa erat. *Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.*

Plura reperientur in libro Iosue ab alio quàm Iosue notata, namque in capite eius decimo citatur liber iustorum, quem alij vocant librum recti ad probandam historiam de Sole consistere iusso à Iosue. Hunc autem librum non extitisse Iosue temporibus inde probari potest, quod in tertio Regum capite primo, citetur etiam historia quædam de Dauide ex eodem libro Iustorum. Cum igitur liber iustorum comprehendat tempora Dauidis, post eius æuum, aut in ipso scriptus videtur, multa post Iosue sæcula; quapropter recentior author illam citationem adiecit Iosuano volumini, aut saltem vetusto libro Iustorum noua Dauidis historia adiecta est à iuniore scriptore, quod perinde est.

Tum etiam capite decimo quarto expugnatio Hebron per Caleb refertur, quam post mortem Iosue dicunt accidisse Masius, & alij, nec Serario displicet. Bis enim expugnata Hebron fuit, semel à Iosue, prout refertur capite eius decimo, quam deinde recuperatam à Chananæis rursus expugnasse Caleb post Iosue victorias & mortem affirmant, quam expugnationem notat caput decimum quartum. Deinde capite decimo quinto eiusdem Iosue ea narrantur de Axa filia Caleb, que gesta sunt post mortem Iosue, vt comprobari potest ex capite primo Iudicum: in eodem Iosue capite mentio fit ciuitatis *Carias-sepher*, quod nomen vt iam notauimus post Iosue impositum multis creditur, quippe nomen Hebraicum sit, nec videtur ante Israelitarum ingressum in terram promissionis nomen Hebræum habuisse, sed aliud. Præterea capite decimo nono Iosue memoratur expeditio filiorum Dan contra Lesem, quæ post Iosue susceptа colligitur ex capite decimo octauo Iudicum. Dicuntur quoque capite quarto Iosue lapides in Iordanis medio erecti manere vsque ad præsentem diem, quod sanè videtur non à Iosue notatum, sed ab alio post Iosue sæculum superstite: similiter capite decimo quarto dicitur, *Fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem.* Eodem modo capite octauo de suspenso Rege Hai dicitur: *Deposuerunt cadauer eius de cruce, proiecerùntque in ipso introitu ciuitatis, congesto super eum magno aceruo lapidum, qui permanet vsque in præsentem diem* Cum igitur libri sui author Iosue sit, de suo tempore non ita loqueretur: quoniam præsens id erat, aut saltem proximum suo diei. Hoc maximè liquet ex fine capitis decimi quinti, vbi dicitur: *Iebusæum autem habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere, habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Hierusalem.* istud ab alio quàm Iosue adiectum proculdubio est: atque vt obiter hoc moneam nequit esse additum ab Esdra: quoniam ante huius sæcula iam erat occupata à Iudæis tota Hierosolyma. Illud quoque in hac clausula notandum est nominari Hierusalem, quod nomen Iosuanis temporibus nolunt eruditissimi in vsu fuisse. Tum denique vt iam notauimus narratio mortis Iosue adiecta ab alio est ipsius Iosue Commentariis.

Iosu. 19.47.

In libro etiam Iudicum nominatur Hierusalem, cum id nominis negetur à multis tunc temporum possedisse sicut nuperrimè monuimus. In eiusdem Iudicum libri capite decimo octauo dicitur de tribu Dan: *Posuerúntque sibi sculptile, & Ionathan filium Gersam filij Moysi, ac filios eius sacerdotes in tribu Dan vsque ad diem captiuitatis suæ.* Hæc captiuitas non videtur alia quàm sub Salmanasare cum Israelitæ abducti in captiuitatem fuerunt, quemadmodum Raschi Seder Holam capite trigesimo quarto, & fortè Lyra, ac initio Caietanus censent: quod confirmatur ex eo quod scribit Raschi, & placet Lyræ, ob illud sculptile Michæ adhuc perseuerans tempore Dauidis inualuisse famem secundo Regum, vigesimo primo capite. Rabbi quoque Beniamin scribit suo adhuc tempore illic ostensa fuisse vestigia eius aræ seu statuæ. Cum igitur hoc idolum tempore Dauidis perstaret, post eius tempora ea captiuitas debuit accidere, quapropter non à Samuele authore libri Iudicum, sed ab alio Iuniore notata videtur.

In libro quoque Samuelis, hoc est Regum primo eiusdem Samuelis mors notatur & capite nono dicitur: *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: venite & eamus ad videntem.* Vbi supponit qui hæc scripsit post Samuelis ætatem vixisse, alioqui cur *Olim* diceret, quod tempore Samuelis fiebat. Deinde cum à capite vigesimo quinto vsque ad finem secundi libri dicatur author Dauid, videtur ab aliis aliquid adiectum, vt cùm capite vigesimo septimo dicitur Achis dedisse Dauidi Siceleg, & additur: *propter hanc causam facta est Siceleg Regum Iudæ vsque ad diem hanc.* Vbi supponitur transisse iam aliquot Reges Iuda post Dauidem: idem videtur dicendum etiamsi Nathan & Gad fuerint authores illius historiæ: nam & hi coæui fuerunt Dauidi, nec plures Reges Iuda videre potuerunt. Similiter cum capite trigesimo dicitur statuisse Dauid, vt æquè diuideretur præda inter pugnantes & manentes ad sarcinas, mox additur: *Et factum est hoc ex die illa & deinceps quasi lex in Israel vsque in diem hanc.* Vbi supponitur istam Clausulam adiectam multo post illam historiam. In ea quoque libri primi parte, cuius dubio procul fuit author Samuel nonnullæ eius laudes miscentur, ab alio nonnulli putant adiectas, qualis illa est capite secundo: *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.* & capite tertio: *Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram, & cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini. Tum illa acclamatio populi capite duodecimo: non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.*

Psalmis quoque Dauid & Asaph multa adiecta sunt in eorum titulis quæ non nisi

multa

multa post Dauidis, & Asaph tempora adiici possent, vt Psalmo sexagesimo quarto apponitur *Canticum Hieremiæ, & Exechielis populo transmigrationis.* & Psalmo septuagesimo: *Psalmus Dauid filiorum Ionadab, & priorum captiuorum.* Psalmo nonagesimo quinto adiicitur *quando domus ædificabatur post captiuitatem.* Psalmo centesimo trigesimo sexto imponitur: *Psalmus Dauid Hieremiæ:* Psalmo septuagesimo quinto, qui est Asaph additur *Canticum ad Assyrios:* Denique Psalmi centesimi, & centesimi quadragesimi quinti inscriptiones nomina præferunt Aggæi, & Zachariæ; cum tamen ij Psalmi Dauidici reputentur, & tot sæcula post Aggæus, & Zacharias floruêre. Prouerbiorum quoque liber auctorē habet Salomonē, in eius tamen capite vigesimo quinto mentio fit Regis Ezechiæ, qui aliquot post Salomonica secula floruit. Clausulas quoque vltimas librorum Iudith & Tobiæ non ab Eliachim authore libri Iudith; nec ab alterutro Tobia, cui historia sua tribuitur, est scripta, cum in libro Tobiæ vtriusque mors narretur, & in fine Iudith commemoretur tanquam de re antiqua institutio festi ob victoriam Iudith: *Dies autem victoriæ huius festiuitatis ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur & colitur à Iudæis ex illo tempore vsque ad præsentem diem.* Hæc Eliachim coæuus Iudith scribere non potuit. Libris quoque Paralipomenon adiecisse Esdras vltimam clausulam videtur de decreto Cyri restituendorum Iudæorum. Eiusdem quoque additamentum videtur, quod sexto capite libri primi eorumdem Paralipomenon dicitur: *Sararias genuit Iosedech. Porrò Iosedech egressus est quando transtulit Iudam & Hierusalem per manus Nabuchodonosor.* Liber secundus Esdræ, cuius author Nehemias fuit, aliqua habet capite duodecimo ab alio quàm ab Nehemia adiecta: hæc sunt: *Iosue autem genuit Ioacim & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada, & Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa.* Quippe vt notat Tirinus: recensentur sex summi Pontifices, quorum primus Iosue; vel Iesus præfuit tempore Cyri Persarum primi monarchæ; vltimus Ieddoa, seu Iaddus à tempore Darij Codomanni vltimi Persarum monarchæ: & idem occurrit Alexandro Magno, & dira Iudæis minantem placauit teste Iosepho, sed id contigit centum annis post hæc Artaxerxis tempora & diu post mortem Nehemiæ. Vnde constat versiculum hunc vndecimum, & etiam vigesimum secundum ab aliquo alio scriptore hagiographo insertum esse huic libro Nehemiæ, vt postetis constaret de successione Pontificum synagogæ, per omne tempus monarchiæ Persicæ, quæ stetit ducentis annis.

CAPVT XX.

Vnde dicta sit eadem ciuitas Cariatharbe & Hebron: An bis expugnata? Quandiu Idolum Micha in tribu Dan stetit?

Facile concedo ita accidisse, iuniores Prophetas, seu Authores Hagiographos seniorum Commentariis adiecisse aliqua, licet non omnia quæ superiori capite adiecta sunt, vt quæ de Hebron narrantur; censeo siquidem nomen Hebron ante Mosaica tempora fuisse inditum ciuitati Cariatharbe. Etenim illa ciuitas, quæ antea vocabatur Cariatharbe, siue quia Arbe illam construxit, aut in illa imperauit, ideo dicta sit ciuitas Arbe, quod mihi certius est; siue dicta sit ciuitas quatuor, quia in ea olim habitarunt pij quatuor viri, Abraham, Eschol, Aner, & Mamre: siue quia inde insecutus est Abraham quatuor Reges eosque profligauit: siue Gen. 4. quia ibi essent sepultæ celeberrimæ quatuor fœminæ, Eua, Sara, Rebecca, & Lia, & totidem illustrissimi viri, Adam, Abraham, Isaac, & Iacob, vt volunt Rabbini. Postea eadem ciuitas vocata est Hebron à societate, & amicitia, quam cum eius regionis viris principibus contraxit Abraham. Siquidem *Cheber, Chebra,* & *Chebron* Latinè sonat *societas*, seu *coniunctio*; atque ideo ab ea potius ciuitate fortasse fuit vocatus Calebi filius Gen. 14. Hebron, non ex Calebi filio ciuitas Hebron: vtcunque sit, ille Caleb, qui ex Paralipomenis dicitur pater Hebron, non fuit ille qui terram promissionis ingressus est: Cum 1. Paral. 1. illius Calebi filij fuissent in Ægypto, & ciuitatem Hebron nunquam vidissent, quapropter illi nomen imponere non potuêre. Illud quoque de expugnata Hebron à Caleb aliter intelligitur à Lyrano, nimirum Calebum verè, & propriè cepisse vrbes Hebron, & Dabit. Dici tamen capite decimo Iosue, illas cepisse ipsum Iosue per anticipationem; quia eius concessu, & authoritate posteà ceperit eas Caleb: nam quæ à ducibus mino-

ribus geruntur imputantur maioribus, maximè belli imperatori; qui dicendi modus etiam placet Abulensi, & Caietano. Quod autem alij confingunt de duabus Hebron, aut de duabus vnius Hebron partibus, vna à Iosue occupata, altera postea à Caleb, reiiciendum est, quia nullo hoc fundamento assertum.

Similiter quod de captiuitate Daniticæ tribus annotatum fuit superiori capite, potest referri, non ad captiuitatem Salmanasaris, sed ad aliam, antequam Samuel scriberet Iudicum historiam, cum scilicet arca Dei capta fuit, de qua Dauid cecinit: *Tradidit in* Psal. 77. *captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici, & conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam spreuit.* Neque enim credendum videtur permisisse Dauidem suo tempore idolum Michæ in præcipua vrbe tribus Dan, & Abulensis satis refellit testimonium Raschi de diuturnitate eius idoli vsque ad Dauidica tempora, atque Rabbi Beniamin, prout notauit Serarius considerato textu Hebræo solum asseruit ante antrum ex quo Iordanis egreditur, cerni locum altaris ipsius idoli Michæ, non autem vllas illius partes, aut vestigia, vti vertit Montanus. Sicuti & subdit illic etiam locum esse altaris Ieroboam filij Nabat, quando ibi fuit vitulus aureus: & quidem si Michæ idolum illic eo tempore stetisset, nullo vitulo fuisset opus. Huiusmodi quædam alia excusare possem, sed non est opus circa hæc digredi.

CAPVT XXI.

A Iosue, Samuele, Ezechia, & Esdra adaucti libri sacri aliquibus additionibus.



VONIAM inficiari nequimus aliqua adiecta esse priscis Scripturæ libris, quod non opinor factum à solo Esdra, quem dicunt volumina sacra reparasse, ordinasse, & complesse, de quo postea agemus: alij ab Isaia, aut Ieremia id factum censent. Ego certissimum habeo nō omnia adiecta esse ab Esdra, nec omnia ab Isaia, aut Ieremia, vel aliquo his antiquiore. In primis non omnia adiecisse Esdram liquet ex fine capitis decimi quinti Iosue, vbi adiectum est: *Habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Hierusalem vsque in præsentem diem.* Hoc à Iosue scriptum non fuit vt superius indicauimus; nec enim tantum tempus præcesserat, vt eam antiquitatem significaret. Neque ab Esdra pariter, quoniam ante dies, imò sæcula Esdræ iam erat expulsus Iebusæus hoc idem probat, nec ab Isaia, nec ab Ieremia hoc additum, quorum etiam æuis expugnari prorsus Iebusæi iam olim fuerant à Dauide. Aliunde quoque nec ab Isaia & Ieremia additiunculas istas librorum sacrorum promanasse constat ex fine libri secundi Paralipomenon, vbi referuntur, quæ post Ieremiam acciderunt, nimirum facultas Regis Cyri ad reædificandum templum Domini, ibidem quoque Ieremias citatur, de quo tanquam iam mortuo dicitur: *ad explendum sermonem Domini quem locutus fuerat per os Ieremiæ, suscitauit spiritum Cyri Regis Persarum.* Deinde in Psalmorum titulis adduntur nomina Ieremiæ, & aliorum Recentiorum Prophetarum, Aggæi, & Zachariæ. Denique quæ libro secundo Esdræ, cuius author Nehemias est, adiecta monstrauimus, nec ab Isaia, nec Ieremia, nec Esdra adiici potuerunt, cum notentur ibi, quæ multo post acciderunt. Quapropter dicendum est variis temporibus à variis Prophetis hoc factum, & non priuata solum authoritate, sed diuina, quæ etiam apud homines publica esset. Imprimis id factum à Iosue, qui et successor Moysis etiam in prophetiis adiecit aliqua scriptis Mosaicis, saltem volumini Deuteronomij appendit narrationem de morte ipsius Moysis. Nec mirum, cum ipse Iosue Canticum *Audite* quod in Deuteronomio insertum est, iussu Domini, & dictante ipso Domino conscriberet. Oportebatque, vt in libro legis explicatus maneret exitus illius eximij viri, per quem lex tradita fuerat, & cuius superstitis gesta erant narrata. Hoc autem videbatur pertinere ad ipsum Moysis successorem etiam in prophetiis, & aliquandiu collegam. Samuel deinde additiunculas aliquas adiecit libro Iosue; nec enim quod nuper diximus de Iebusæo habitante Hierosolymis ab alio iuniore vel Isaia, vel Hieremia addi debuit ea ratione, qua diximus; nam non multo post Samuelis mortem expulsi Iebusæi per Dauidem fuerunt. Post Samuelem non est opus designare alium qui libros sacros compleuerit

vsque

vsque ad tempora Ezechiæ Regis, cuius auspiciis id factum colligitur ex capite vigesimo quinto Prouerbiorum, quod incipit: *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis.* Quapropter sicut Prouerbiorum libro manum apposuerunt, credibile est, & in aliis similiter fecisse, quod Græcè est, ἃς ἐξεγράψαντο, *quas descripserunt.* Anastasius citat, ἃς ἐξελέξαντο, *quas elegerunt*, quod si Parabolas elegerunt ex multis aliis, proculdubio nō improbabile est eodē modo Psalmos quoq; ex longe maiore numero elegisse. Planè citatus in catenis Græcis Iosephus Græcus Author in Hypomnestico suo capite centesimo quinquagesimo octauo selectos Psalmos ex triū millium numero ad centum quinquaginta numerum scribi Ezechiæ Regis iussu, cum Rex ille videret tanta Psalmorum multitudine Leuitas obrutos, ad ignauiam, ac negligentiam traduci, quod probabile videtur ex eo maximè, quod ille Rex vt erat pius, ac religiosus, veterum monumenta colligenda curauit, & in Prouerbiis Salomonis, eius, siue virorum eius in hac re diligentia literis consignata est. Præter Ezechiam, siue viros eius, quorum vnum censeo fuisse Isaiam, assignandus est alius, qui ea, quæ ad tempora post Ezechiam, Isaiam, & Ieremiam referuntur adiecit, & hic Esdras fuit de quo postea tractabimus, interim quoad collectionem Psalmorum per Esdram factam, Eusebij sententia videtur vera, quam in secundo Machabæorum libro capite secundo disertis verbis comprobatam videmus: *Inferebantur*, inquit auctor illius libri *in descriptionibus, & Commentariis Nehemiæ hac eadem, & vt construens Bibliothecam, congregauit de Regibus libros, & Prophetarum & Dauid, & epistolas Regum, & de donariis.* Cum igitur Nehemiam curasse, vt libri Dauid congregarentur, apertè legamus, dubitandū non est eius cura, Esdræ opera Psalmos fuisse collectos, & quo ordine reperti sunt, eo fuisse dispositos. Quod etiam Agellius eruditè obseruauit. Vltra hos septuaginta interpretes nonnulla adiecerunt interpretationi suæ librorū sacrorum de quibus etiam agendum erit aliquando: præterquàm quod assignandus sit post Esdram, qui libro secundo Esdræ adiecerit genealogiam sacerdotalem à Iosue vsque ad Ieddoa qui tempore magni Alexandri Pontificatum egit.

CAPVT XXII.

Vnde acceperint Iuniores Prophetæ quæ priscis libris addiderunt?



VÆRI potest vnde acceperint Iuniores scriptores sancti, quæ libris sacris adiecère. Multis modis huic quæsito respondere licet, & idem vt plurimum dici potest de iis quæ in Psalmis, libro Sapientiæ, & aliis sacris explicantur circa historias Mosaicorum librorum, quæ in ipsis tacentur; narrantur tamen à scriptoribus recentioribus. Potuit illud fieri, quia testes oculari fuerunt aliqui, vt Iosue, qui vidit mortem Moysis, quam enarrauit, adiecitque Deuteronomij fini, & Samuel cuius tempore Iebusæus Hierosolymis expulsus non erat, idque notans adiecit libro Iosue; & Esdras qui in fine Paralipomenon narrauit decretum Cyri de reædificando Hierosolymis templo, quod accidit sub tempora eiusdem Esdræ. Denique quicunque scripserunt aliquid perseuerare *vsque in præsentem diem*, testes hi oculatos se profitentur. Deinde eloquio diuino possent addenda doceri, vt de Esdra, Dauide & sancto Paulo ferunt multi, & credi fas est. Tertiò, si non eloquio Dei peculiari doctus fuisset scriptor, seu additor, afflatu tamen instrueretur diuino, vt quæ per traditionem certam acceperat, adscriberet. Hoc pacto indicauit Asaph Propheta, seu quisquis Author est Psalmi septuagesimi septimi accepisse prodigia Ægyptiarum plagarum operatum Moysem in campo Taneos, tum etiam fructus Ægyptiorum traditos ærugini, & moros pruinâ perditos. Hoc inquam per traditionem sibi innotuisse significat initio Psalmi, vbi præmittit: *Loquar propositiones ab initio: quanta audiuimus & cognouimus, & Patres nostri narrauerunt nobis, non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera.* Eodem fortasse modo sanctus Iudas citauit prophetiam Henoch. Quartò ex scriptis & Commentariis aut aliorum Prophetarum aut Sacerdotum Israelitarum, aut eorū, qui à Commentariis Regi erant quos modo non habemus, hauriri poterat, quæ adiecère Iuniores Prophetæ, mos enim Hebræorū fuit sicut & aliarum nationum, in Commentarios referre, quæ Principum

3. Reg 8. suorum temporibus accidebant. Dauid, vt scribitur secundo Regum libro, habuit à commentariis Iosaphat filium Ahiud & Saraiam Scribam. In libro Paralipomenon primo di-
1. Par. 29. cuntur Nathan, & Gad gesta Dauidis scripsisse. Erant quippe nonnulli deputati, vt diaria Regum, seu Ephemerides conscriberent, quæ videntur citari in tertio Regum, dum alle-
3. Reg. 11. gatur, *Liber verborum dierum Salomonis*; fortasse illa scripta sunt, vt placet Theodoreto, de quibus in secundi Paralipomenon capite nono dicitur: *Reliqua operum Salomonis priorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis in visione quoque Addo Videntis contra Ieroboam filium Nabath.* Capite duodecimo, alij Com-
2. Par. 12. mentarij citantur: *Opera Roboam prima & nouissima scripta sunt in libro Semeiæ Prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter exposita.* Rursus capite decimo tertio: *Reliqua autem ser-*
Cap. 13. *monum Ahiæ, viarúmque & operum eius scripta sunt diligentissimè in Addo Propheta.* Tum etiam capite vigesimo: *Reliqua autem gestorum Iosaphat priorum & nouissimorum, scripta sunt in verbis Iehu filij Hanani, quæ digessit in libros Regum Israel.* Item capite vigesimo sexto: *Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & misericordiarum eius, scripta sunt in visione Isaiæ filij Amos Prophetæ, & in libro Regum Iuda & Israel.* Tandem capite vigesimo quarto: *Filij Ioas, & summa pecuniæ, quæ adunata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei, scripta sunt diligentiùs in libro Regum.* At hi libri Regum Iuda, & Israël, qui in Paralipomenis citantur, diuersi sunt à quatuor libris Regum, quos nunc habemus; quoniam citata verba nequeunt ad nostros canonicos libros Regum referri, in quibus tantùm abest, vt ea quæ citato libri secundi Paralipomenon capite, referuntur, fusius & diligentius narrentur, vt nonnulla etiam prætermissa sint in libris nostris Regum, quæ in Paralipomenon notantur: In aliis quoque locis libri tertij Regum citantur similia diaria, capite decimo quarto dicitur: *Reliqua autem verborum Ieroboam quomodo pugnauerit, & quomodo regnauerit, ecce scripta sunt in libro verborum dierum Regum Israel.* Et posteà: *Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Iuda.*

Hoc ipsum confirmat præfixus libris Paralipomenon titulus דברי הימים, *Dibre hayamim*, scilicet, *verba dierum*, hoc est, Ephemerides, vel diaria, in quibus notari multa solent, quæ dum historia contexitur, prætermittuntur; idcirco transtulere Septuaginta, παραλειπομένων *relictorum* Hoc enim significat *Paralipomenon*, quia in duobus Paralipomenon libris plura narrantur, quæ in quatuor Regum libris relinquuntur; ea tamen in diariis commentariis annotata fuerant. Quapropter quæ in Paralipomenon libris referuntur ex illorum numero sunt quæ relicta, & prætermissa fuêre ex illis verbis, seu gestis, quæ in *verba dierum*, nimitum Ephemeridas, seu commentarios relata erant; dicuntur verba dierum, quasi opera dierum, vel gesta diaria; quoniam apud He-
Præfat. in Iosue. bræos verbum significat opus. Vnde Masius obseruat, priscis temporibus apud Ecclesiam fuisse diaria, & annales, in quibus res gestas, vt quæque notatu dignissimæ, & ad doctrinæ sacræ propagationem vtilissimæ videbantur, continuâ serie scribebant ij, qui quoque tempore eleganti eruditione pietatéque præstantes in populo Dei viuebant. Satis hoc docent cùm aliæ, quæ sæpè laudantur, quamuis iam interciderint Regum historiæ, tum liber bellorum Domini, & liber recti, in quo & Iosue & Samuelis, Saulisque gesta fuisse conscripta certum est, quin ipsæ sacræ Literæ Numerorum vigesimo primo capite, eos tales Annalium, siue Diariorum scriptores *Hammoschelim* appellant, hoc est, argutos, scitos, facetósque homines & subtiles, ac elegantes scriptores. *Maschal* enim dicendi, scribendive genus est vrbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Nimirum istæ res omnes quæ memorabiles vsquam in cœtu Dei eueniebant, prout magis minusve insignes, partim ligatâ oratione, aliàs soluta conscribebant.

Eundem morem fuisse apud alias gentes colligitur ex Scriptura. Assuerus siquidem Rex Persarum acceptum à Mardochæo beneficium, & insidias Eunuchorum aduersus ipsum Regem relata in commentarios habuit: nam capite Esther secundo dicitur: *Mandatúmque est historiis, & annalibus traditum coram Rege.* Postea capite sexto, vbi vulgatus vertit, *Iussit sibi afferri historias, & annales priorum temporum.* Græcus habet, γράμματα μνημόσυνα ἡμερῶν, *Literas memoriales dierum.* Sic & Iulius Cæsar Ephemerides, & commentarios memoriæ gratiâ conscripsit, in quibus capita suorum gestorum, & quædam minuta notauit, in historiam posteà facilè referenda relictis nonnullis; traditúr quoque Suetonius Augustum habuisse diurnos commentarios; item & Tiberium, atque apud Lucianum in encomio Demosthenis legitur colloquium Philippi cum Antipatro, quod se dicebat descripsisse ex commentariis domus Regiæ. Sic etiam sanctus Clemens

Romanus

Romanus septem vrbis regiones diuisit septem Notariis, qui Martyrum passiones & eorum gesta literis commendarent, & designati posteà à Fabiano Papa septem Diaconi, qui Martyrum gesta à totidem Notariis scripta colligerent. Scribit quoque Iosephus libro primo in Appionem, in more positum fuisse apud Ægyptios, & Babylonios, & potissimum apud Hebræos, vt res gestæ publicè committerentur scribendæ Sacerdotibus magnis; & vocat *δημοσίας ἀναγραφὰς publicas descriptiones*, addens istiusmodi commentarios ad sua vsque tempora conseruari. Quod referendum etiam est ad tempora superiora Regibus, cùm nulli erant deputati à commentariis Regiis. Sic fortasse fuit sacerdotalis scriptio ille liber, qui primo Paralipomenon, capite quarto citatur nomine *sermonum antiquorum*. Hebraicè, *verba vetusta*, nimirum verba dierum, seu Ephemerides antiquæ. Tullius libro secundo de oratore scribit: *Ab initio rerum Romanarum vsque ad P. Mutium Pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus, efferebatque in album; & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, ij qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Apud eundem Ciceronem primo de legibus inducitur Atticus Pontificum maximorum annales citans. Idem confirmatur ex Plinio & Suetonio. Hinc reddi commoda ratio potest, cur multi sacræ Scripturæ libri inchoentur statim per aliquam coniunctionem, scilicet per *&*, aut *itaque*: Quoniam libri qui huiusmodi incipiunt, vt sunt in Hebræo textu, Exodus, Leuiticus, Numeri, Iosue, Iudices, & in vulgata Iudith, & Machabæorum liber primus, vel aliis libris, qui extant, coniunguntur, vt Exodus, & Leuiticus; vel cum aliis publicis Israelitici populi commentariis, & diariis connectuntur, ex quibus vel excerpti, vel ita scripti, vt in vnum cum illis corpus compingi possint, vel adiungi ipsis queant. Ideirco per coniunctionem *&*, aut *itaque*, & similes connectendi voculas auspicantur stylum. Nam quòd idem ritus scribendi inueniatur in libris Iosephi Gorionidæ, & aliis Hebræorum suadet non opus esse recurrere ad internam scribentis reuelationem, sed ex causa dicta natum hunc Hebraicæ scriptionis idiotismum.

Ex dictis constat vberem copiam suppetisse recentioribus hagiographis addendi aliqua vetustis; ex iis scilicet quæ scripserunt Nathan Propheta, Gad Videns, Ahias Silonites, Addo Videns, Semeias Propheta, Iehu filius Hanani, Isaias Propheta, Iosaphat filius Ahiud, Saraias Scriba, imò ipse Samuel, qui alia scripsit, quæ non extant tum ex libro inscripto, *Sermones antiqui*, & aliis verbis dierum, seu Ephemeridibus, & commentariis. Vnde Septuaginta Interpretes etiam hauserunt aliqua.

CAPVT XXIII.

Qui liber fuerit inscriptus, Verba vetera?

PORRO circa librum inscriptum, *Verba vetera*, libandum nonnihil in præsentiarum erit. Hebraicè הדברים עתיקים, *Haddevarim Hatthikim*, vel iuxta Septuaginta Interpretes, *λόγοι παλαιοὶ*, id est, *Sermones antiqui*; citatur hoc opus primo Paralipomenon, capite quarto, ambigentibus expositoribus, tam de ipso opere quàm de his, quæ in ipso scripta referuntur. Author libri Quæstionum, siue Traditionum Hebraicarum, existimat hoc opus esse librum Ruth, quod is eadem illa contineat, quæ in primo Paralipomenon ex libro sermonum veterum desumpta sunt. Quidam ex Hebræis putant id esse opus alterum longè diuersum, & particularem historiam progenitorũ Dauidis Regis comprehendens. Abulensis ait: *Hæc verba vetera sunt historiæ antiquæ, hoc dixit Esdras ad differentiam aliarum genealogiarum, quas describebat, quæ erant propinquæ tempori suo, sicut patet præcedenti capite, in quo deduxit progeniem Dauid vsque ad tempus suum post captiuitatem Babylonis: ista enim erãt antiqua.* De his quoque quæ in eodem sermonum veterum volumine scripta essent, non minor est hæsitatio: nam vulgata nostra editio demõstrat, fuisse in hoc libro descriptam historiam Principum quorũdam ex tribu Iuda, qui regnauerunt in Moab, & historiam viri cuiusdã ex eadẽ tribu illustris, qui annis ferè ducentis post Iosue Ephraitam Ducem Hebræorum, qui primus stare fecit Solem; iterum renouato miraculo, Solis cursum remoratus est. Sic enim legitur in vulgata Latina editione: *Et qui stare fecit Solem, virique mendacij, & Securus, &*

Ioann. Eus. b. de Orig. S. Script. *Incendens,*

Incendens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in Lahem. Hæc autem verba vetera. Contrà verò in Hebraicis exemplaribus & in Græcis codicibus nihil horum legitur; de quo videri possunt Sixtus & Abulensis, & nos iam egimus, atque explicauimus vulgatam versionem per Septuaginta, & textum Hebræum, negauimúsque alium præter Iosue, Solem fecisse stare in sacris Literis; quippe illa verba: *Qui stare fecit Solem*, non demonstrant actionem alicuius viri, sed sunt significatio nominis Hebræi, vt latiùs in superioribus probatum manet.

CAPVT XXIV.

An sint Canonici libri citati in Scriptura?

Lib. 18. de Ciuit. cap. 38.



TANDEM cur hi libri qui in sacra pagina citantur, non habeantur canonici, appendemus hic, prout explicuit Augustinus: *In ipsa historia Regum Iudæ, & Regum Israel, quæ res gestas continet, de quibusdam Scriptura canonica credimus, commemorantur plurima quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inueniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, & alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur: nec tamen inueniuntur in canone, quem populus Dei recepit. Cuius rei, fateor, causa me latet, nisi quod ego existimo etiam ipsos, quibus ea quæ in authoritate Religionis esse deberent, sanctus vtique Spiritus reuelabat, alia sicut homines, historicâ diligentiâ, alia sicut Prophetas, inspiratione diuinâ scribere potuisse: atque hæc ita fuisse distincta, vt illa tanquam ipsis, ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti indicarentur, esse tribuenda; ac si illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad Religionis authoritatem, in qua authoritate custoditur canon.*

Neque est opus subticere, quæ etiam de libris citatis in scriptura, potissimùm de verbis dierum censuit Abarbinel Prooemio secundo in libros Regum scribens: *Fuisse libros Chronicorum, in quibus descripta erant Regum gesta, quorum alia continebant gesta Regum Israelis, alia Regum Iudæ: & cùm Propheta librum scribebat, gesta quædam ex eis accepisse, alia reliquisse; atque ideò in fine narrationis historicæ scripturam dixisse, reliqua gestorum Regis illius, quæ Propheta non scribebat, scripta fuisse in libris Chronicorum.* Constat itaque Prophetis gesta Regum scripturis libros alios fuisse, quos nunc non habeamus, atque ex iis nonnulla decerpta, nonnulla prætérita; cur autem scripturus Propheta Spiritu sancto afflatus, quædam scripsit, nonnulla omisit? Respondet: *Dubium non esse apud Israelitas consultum fuisse, apud Gentes, in libris describere res, omniaque gesta Regum; libros autem illos vocatos fuisse Chronica seu Verba dierum, eò quòd in eis describerentur, quæ illo tempore contingebant, & vniuscuiusque Regis genealogia, prolésque. In illis autem duplices narrationes continebantur, aliæ necessariæ, & vtiles soli integritati descriptionis eorum, quæ Reges per singulos dies gesserant; aliæ erant arbitrariæ, veluti sermones, qui plus æquo laudabant, vel vituperabant Reges, pro authorum amore vel odio. Cùm igitur Deus Prophetæ præcipiebat, vt librum de gestis Regum componeret, id non erat eo fine, vt integrè & perfectè narrationes Chronicorum exhiberet; sed tantùm vt sæculorum illorum mores, generationúmque successiones notæ fierent, Regúmque concatenatio genealogica alterius ab altero, atque etiam, vt eorum virtutes, & vitia cognoscerentur, & præmia quæ inde à Deo reportarunt, vel pœnæ quibus mulctati sunt; quæ omnia descripserunt iuxta prophetiæ & reuelationis diuinæ veritatem. Cùm igitur hic esset Prophetæ scopus, in eiusmodi libro multa omisit Regum gesta ad eorum potentiam, gloriam, & vrbium ædificationem spectantia, quæ Chronica complectebantur, eò quòd licet ista Chronicis rectè conuenirent, non erant tamen necessaria, neque consentanea libro per se, & primò designato ad explicandam Regum successionem, virtutes, & vitia eorum, pœnásque & præmia iis reddita. Hoc est quod dicitur de Asa; reliqua autem omnium sermonum Asa, & tertio Regum decimo quinto, & vigesimo tertio, & sic de reliquis Regibus.* Idem Abarbinel illud secundi Paralipomenon, capite nono: *Reliqua autem operum Salomonis priorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis contra Ieroboam filium Nabat.* sic commentatur: *Hæc significant de gestis Salomonis duos libros scriptos esse, vnum de eius gestis prioribus, hoc est, de ædificiis eius, de gloria, splendore, & prosperitate eius. Hæc omnia scripsit Nathan Propheta, eò quòd facta sunt ipsius tempore. Alterum autem de eius gestis posterioribus, id est, de iis, quæ contigerunt in senectute*

senectute eius, de amoribus eius in mulieres, de iis quæ cor ipsius peruerterunt, de idolis quæ fecerunt, de Prophetiis, & verbis diuinitus ad Prophetas factis in ipsius punitionem, de aduersariis, qui in senectute ipsius insurrexerunt aduersus eum, & de malis quorum in Israele causa fuerunt. Hæc omnia scripsit Ahias Silonites in libro de peccatis Salomonis, & calamitatibus quæ contigerunt in nouissimis illius diebus. De iisdem etiam rebus scribitur in libro alio, quem composuit Addo videns de rebus gestis Ieroboam filij Nabat. In eo enim necesse fuit gesta Salomonis enarrare, quæ coniuncta erant gestis Hieroboã: si igitur ita est, tres isti Prophetæ Nathan Ahia, & Addo non scripserunt omnes vnum librum neque conuenerunt in vna narratione, sed vnusquisque scripsit librum suum, vt iam dixi. Interpretes alio modo ista explicant, qui mihi non probatur, & ideo eum prætery.

CAPVT XXV.

Qualis fuerit liber Dei, vnde Moyses deleri petierit? An idem ac liber viuentium seu vitæ, toties in Scriptura commemoratus?

NE amplius & ne nimiùm moremur in vetustis explicandis libris, quorum in sacra pagina mentio fit; sicut singulos plus considerare non vacat, sic & libet explicare, quis fuerit liber Dei, ex quo Moyses deleri deprecatus sit, obiterque enarrabimus quis fuerit liber vitæ toties in scripturis sacris, maximè in nouo Testamento collaudatus: verba Moysis sunt: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Fuere qui hunc Dei librum peculiarem aliquem commentarium intellexerint, vt Iustorum librum, alij sacram scripturam, Rabbi Salomon Iarchi Gallus exponit: *Dele me de libro tuo*, hoc est, Dele de libro legis nomen meum, ne memoria nominis mei habeatur in eo, malens memoriam rerum à se gestarum, perpetuâ obliuione deleri, quam populum perdi. Humilis interpretatio est, nec valde sublimior, quam adhibet Caietanus, qui credit hunc librum esse ordinationem diuinæ prouidentiæ circa eos, qui in hoc mundo futuri sunt principes, & librum principatus appellat: statutum enim est in mente diuina, & in ipsa tanquam in libro, diligentissimè exaratum, qui & quot, & quales in hac vita futuri sint inter mortales principes, duces, ac reges; quoniam verò dixerat Deus Moysi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra populum, & deleam eos; te autem faciam in gentem magnam.* Intellexerat Moyses Deum scripsisse eum in in libro principatus, ex hoc, quod etiamsi destrueretur populus ille, Deus nihilominus constitueret ipsum Principem super gentem magnam. Ideo petit, inquit Caietanus, quod aut condonet peccatum hoc, aut deleat ipsum de libro principatus significans per hoc, quod non vellet esse Princeps alterius gentis, si gens ista consumeretur.

Communius interpretamentum est hunc librum non alium fuisse, quàm id quod in sacris literis libri vitæ seu viuentium nomine frequentata commendatur memoria; verùm & liber vitæ varie in sacra pagina videtur accipi, aliquando pro ipsa sacra scriptura accipitur; quoniam in ea promissiones æternæ vitæ, vnà cum præceptis ad vitam æternam consequendam necessariis contineantur, de quibus loquens sapientissimus filius Sirach dixit: *Hæc omnia liber vitæ, testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.* & Propheta Baruch: *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: qui tenent eam, peruenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem.* & Christus de hoc libro ad legis peritos verba faciens, inquit: *Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere.* Dicitur etiam diuina scriptura liber vitæ, quia argumentum, scopus, finis, atque vniuersa intentio totius sacrosanctæ Scripturæ Christus est, qui se ipsum vbique appellat vitam, & vitam nostram; vnde etiam in Psalmo trigesimo nono dicitur: *In capite libri scriptum est de me*, quod Arnobius, & Augustinus exponunt de libro Psalmorum, cuius principio scriptum est: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit.* Quæ sanè verba nulli magis conuenire possunt, quàm Christo, qui solus sine peccato est. Tertullianus verò in libro contra Praxeam, & Hilarius in expositione Psalmi secundi intelligunt per caput

libri, initium totius diuinæ scripturæ vbi pro eo, quod nos legimus: *In principio creauit Deus Cœlum & terram* habent *in filio*. verum in Hebræo non legitur בבן *bevem* hoc est, *in filio*, sed בראשית *bereseth* quod septuaginta interpretes, & Symmachus, & Theodotion, & Hieronymus interpretati sunt, in principio, quod tamen principium Hieronymus Augustinus, & Gregorius asserunt iuxta mysticum, & spiritualem sensum significare Christum Dei filium: qui tam in ipsa fronte Geneseos quæ caput librorum omnium est, quam etiam in principio Ioannis Euangelistæ, cœli & terræ conditor approbatur, vbi dicitur omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil

Non tamen hic liber, nimirum sacra scriptura est liber vitæ, ex quo deleri Moyses petiit, sed alius cuius commemoratio celebrior in ipsa sacra pagina est, in qua frequentius liber vitæ appellatur diuina prædestinatorum conscriptio in vitam æternam: vel vt Augustinus in vigesimo de ciuitate Dei tradit, est notitia Dei, qua prædestinauit eos, quibus præsciuit se daturum vitam æternam, de quo libro Paulus in epistola ad Philip. ait: *Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*. & Christus ad Discipulos suos inquit: *Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis*. Est autem liber hic tanti momenti ad æternam felicitatem, vt nullus eam consequi possit, qui non fuerit in ipso conscriptus, dicente Ioanne; *Non intrabunt in eam nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*. Et Daniel inquit: *In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*. Contra verò, quicunque non fuerit scriptus in libro hoc, aut semper in peccatis viuet, aut saltem ex hac vita peccator decedet; & post hanc vitam æternæ damnationis supplicio plectetur. Nam de flagitiosa vita eorum, qui in hoc libro non sunt, testis est Ioannes inquiens: *Adorauerunt bestiam omnes, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi*. Et iterum: *Mirabuntur bestiam inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi*. De sempiterno quoque eorumdem interitu, idem Ioannes addit: *Hæc est mors secunda; qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*. Est igitur liber vitæ Primus, constans, atque perpetua in mente Dei prædestinationis cognitio, de qua Paulus, ad Timotheum scribens, dixit: *Firmum fundamentum Dei stat: nouit Dominus, qui sunt eius*. Quod recte Sixtus annotauit. De hoc igitur libro postulauit Moyses præ nimia erga populum charitate deleri, nisi dimitteret Deus Israelitarum peccatum, quo autem pacto id deprecatus fuerit, variè Patres, & interpretes commentantur, ne dicatur contempsisse æternam suã salutem ex qua excidere, impium & temerarium multis votum videtur, & nuper non nemo in nostra scripta inuectus est, quod indicauerimus illud desiderium pro salute proximorum posse laudabiliter haberi, quod vt consulciamus, prius exhibebimus alia interpretamenta circa postulatum Moysis: atque vt enucleatius procedamus, diuinæ scientiæ libros quos interpretes distinguunt, Euthymius in Psalmum sexagesimum octauum, & in Psalmum centesimum nonum sic describit: *Liber Dei est summa eius scientia; scriptura verò, perpetua memoria; per libros enim variam ac multiplicem Dei cognitionem diuinæ literæ figuratæ intelligunt; verum hic diuinæ scientiæ liber triplex est: quorum vnus magis est vniuersalis; in quo omnes tam iusti, quam peccatores, qui in hanc mortalem vitam venturi sunt, & paulo post morituri, scribuntur, quem Dauid in Psalmo sexagesimo octauo librum viuentium appellauit, & quem in Psalmo centesimo trigesimo octauo significauit, inquiens: in libro tuo omnes scribentur. Alius etiam liber est scientiæ Dei magis priuatus, in quo soli iusti scribuntur, eâ ratione, quod eos tantum cognoscere hoc est, approbare dicatur, iuxta id, quod scriptum est: Nouit Dominus viam iustorum, quem nobis Dauid indicauit, dicens; Et cum iustis non scribantur. Est & tertius particularis liber, in quo peccatores scribuntur. Iudicium enim, vt inquit Daniel, sedit, & libri aperti, & ex his iudicati sunt viuentes, & mortui, Moyses ergo de primo illo vniuersali libro dixit ad Deum: si quidem dimittis eis peccatum, dimitte, si minus; dele me de libro, quem scripsisti*. Addit aliam necessariam distinctionem Hugo Cardinalis in expositione Psalmi centesimi trigesimi octaui, ait geminos esse libros vitæ, alterum præsentis iustitiæ, & gratiæ, de quo Moyses maluit deleri, quam populum perdi; alterum sempiternæ prædestinationis, de quo Moyses non optauit deleri, sciens, quòd de eo nemo deleri posset. Porrò Euthymianæ expositioni videtur consentaneus Sanctus Hieronymus in quæstione nona ad Algasiam secutus sententiam Origenis quæ habetur in Commentariis epistolæ ad Romanos, vbi ait, Moysen ex charitate erga Deum ac populum suum, noluisse deleri de libro vitæ in perpetuum, sed in præsentiarum; non in spiritu, sed in carne; hoc est, per mortem corpoream, sicut & Paulus optauit anathema fieri pro fratribus suis, hoc est, tota die, iuxta Psalmi sententiam

mortificari

mortificari, solus pro illis perire in carne, & sanguinem fundere, vt fratres seruarentur in spiritu. Eadem videtur sancti Gregorij existimatio in vigesimo Moralium libro, vbi de Moyse ait: *Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerret.* Plerique tamen de libro non vitæ temporalis, sed æternæ: hoc est, prædestinationis id accipientes ad varios sensus diuertunt. S. Augustinus in quæstione centesima quadragesima septima in librum Exodi inquit, Moysem ex ingenti quadam diuinæ familiaritatis securitate, tali Deum ratiocinatione interpellasse: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Sed non delebis me de libro tuo, in quo me indelebili Charactere conscripsisti: dimitte igitur eis hanc noxam. Quod argumentationis genus Dialecticorum vulgus deducere solet ex regula illa: A tota disiunctiua affirmatiua cum destructione vnius partis, ad alteram eius partem valet argumentum, veluti si dicamus. Necesse est animum aut esse mortalem, aut immortalem: atqui mortalis non est: igitur immortalis. Rupertus libro tertio commentariorum in Exodum scribit, Moysem voluisse his verbis conuincere Deum, vt ignosceret populo; eúmque tali vsum fuisse argumento. Si non dimittis eis hanc noxam, dele me de libro tuo. Quare? quia & ego homo peccator sum. Si ergo peccantibus peccata non dimittis; sed eos deles de libro vitæ, solique apud te scripti permanent iusti: consequens est, vt etiam ego peccator de libro tuo delear. Sensus igitur est: si non dimittis eis hanc noxam, dele me de libro vitæ, id est, consequens est, vt deleas me de libro vitæ. Abulensis in Commentariis super Exodum docet, hoc dictum non esse intelligendum iuxta nudam, simplicemque vocis significationem, sed secundum hyperbolicum tropum, quo ardentissimum efflagitatæ rei desiderium exprimere solemus dicentes. Aut hoc mihi concede, aut moriar, quem quidem tropum vsurpauit Rachel, cum ad virum suum diceret. Aut da mihi liberos, aut moriar, non quod liberos vitæ præferret hoc dixit, sed vt vehementissimum habendæ prolis desiderium hac patheticæ locutionis figura hyperbolicè demonstraret. Lyranus ait, quod quemadmodum Seruator noster secundum voluntatẽ partis sensitiuæ mortem reformidantis, petiit à se transferri calicem passionis, quem voluntas rationalis ardentissimè appetebat: sic Moyses secundum desiderium partis animæ inferioris petiit à Deo deleri de libro vitæ; quod tamen secundum portionem animi superiorem fieri nolebat: explicans hac precatione, non quid ipsa mens Deo consentiens vellet, sed quid ipsa carnis voluntas carni suæ, hoc est, populo suo compatiens desideraret. Moyses Gerundensis tradit, Moysen vix sui compotem, & penè extra se raptum magis hæc ex impetu abundantissimæ charitatis, quam ex deliberatione rationis protulisse. Idem opinatus est Victorinus. Sublimius Sanctus Bernardus sermone duodecimo in Canticum Canticorum putat Moysem non in hunc sensum petiisse deleri de libro vitæ, vt à gloria æterna excluderetur, sed magis hoc ex paterno quodam affectu postulasse; videlicet ne solus ipse absque gente sua scriptus permaneret in libro vitæ, solusque ipse in æternam felicitatem introduceretur excluso populo suo, ceu si paupercula quædam mulier, inuitata ad prandium diuitis, sub hac conditione, vt infantulum, quem sinu gestat, foris relinquat, quia plorat, & futurus sit conuiuio molestus, respondeat malle se ieiunare, quàm exposito pignore charo solam prandere cum diuite, ita nec Moyses vult solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, cui licèt inquieto & ingrato, vice pariter, & affectione matris inhærebat. Verum Moysis charitatem magis extollit Chrysostomus, qui libro de compunctione cordis, & libro tertio de prouidentia Dei, & homilia decima sexta in epistolam ad Romanos, reiicit sententiam eorum, qui Moysem & Paulum de temporali morte locutos, arbitrantur: *Quomodo enim*, inquit, *optasset Paulus à Christo anathema fieri, hoc est, separari ab eo per mortem carnis, cum mors ipsa magis ad eum chorum, qui cum Christo est, coniungat, & ipsius gloriâ potiri faciat? vermiculorum est itaque in luto latitantium ista suspicio, vterque enim tam Moyses, quàm Paulus, cum hæc dicerent, non solum cogitatione transcenderunt omnes præsentis vitæ agones ac mortem, sed etiam pro Deo, quem magis, quam se ipsos diligebant; cælos & Angelos supergredientes, omnia inuisibilia spreuerunt, ac pro Dei amore ab ipsa Dei fruitione, & ineffabili gloria excidere non tantum petierunt, sed quod auctius est, etiam optarunt; ita enim totam eorum mentem inexplebilis charitatis affectus deuicit, vt etiam id, quod præ cæteris amabilius erat, frui Deo, contemnerent, & cælorum Regno, diuinaque fruitioni, quam expectabant laborum remunerationem cedere paterentur; ne scilicet Deus tantopere ab ipsis dilectus ab impiis irrideretur blasphemareturque; quod cum pollicitationes populo suo, quem elegerat, facias implere non posset, illum destituisset, & in eius bona alias gentes quæ nunquam eum agnonerant*

uerant, introduxisset. Chrysostomum sequuntur Theophylactus, Oecumenius, Cassianus, & Cornelius, qui notat hunc sensum magis ex Hebræo colligi, sic enim habet: *Si dimittis, & si non, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quæ verba ob vehemens pathos abrupta & concisa, sic expleri possunt: *Si dimittis, dele me de libro tuo* quod est, Opto deleri vt eis dimittas, puni me vt illis parcas, offero me in lytrum & piaculum pro populo meo: & si non dimittis, rursum oro & dico: dele me de libro tuo, quia non possum videre me scriptum in libro, & populum meum ex eo deleri, vt scilicet ego saluer, & populus meus pereat; aut ergò vtrumque scribe, & salua: aut si alterutrum vis delere & perdere, me vnum potius dele, & perde, quam totum populum, Malo enim vt tua gloria à toto populo celebretur, quam à me solo: malo vt tot millia præsentium & futurorum ex eis gignendorum, te colant, laudent, ament, quam ego solus per te sim felix. Malo etiam totum populum saluari & beati, quam me solum. Hoc enim quasi dilemmate vrget Moyses & penè cogit Deum vt populo dimittat.

CAPVT XXVI.

Votum Moysis & Sancti Pauli non fruendi Deo pro fratribus honestum sanctúmque fuit.

QVONIAM autem nobis obiectum fuit, (à quonam? haud opus est dicere) simile votum contra charitatem esse, quæ incipit à se ipso, confirmanda est illius ardentis desiderij sanctitudo in Moyse, adiunctâ quoque auctoritate Apostoli, qui anathema fieri pro fratribus suis pariter exoptauit. Hoc votum non contra charitatem, sed ex charitate esse egregiè disserit Catherinus ad eum Diui Pauli locum, ibi ait: *Neque vero per hoc quod optat se anathema à Christo pro fratribus, putare debes id fuisse contra charitatem, tanquam optauerit separari à gratia Christi propter aliquod peccatum. Absit hoc omnino, sed solummodo renuntiabat bono proprio quod consistit in visione Dei ac fruitione, vt sic complures animæ fratrum saluæ fierent; & illud ad maiorem Dei honorem pertinere existimabat, iuxta illud: in multitudine populi dignitas Regis. Neque est contra charitatem, quæ non (vt vulgus temerè ait) incipit à se ipso. Non enim à seipso incipit vera charitas, sed à Deo, qui præferendus est omnibus. In Deo igitur Apostolus putabat hoc esse multo dignius, vt multos lucrifaceret Deo, etiam cum sui abiectione, qui non faciebat animam suam sibi præ Deo pretiosam, & in hoc erat pretiosior, qui tanto feruore studebat gloriæ Dei: sic & Moses &c.* Postea subiungit factum deprecantis Moysis deleri pro fratribus suis de libro vitæ, & addit: *Etenim non erat contra charitatem ista cogitatio, sed ex summa charitate, si fieri potuisset. Et licet esset desiderium contra bonum proprium; tamen non contra charitatem, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi à quo videbat infinitam gentem segregari.* Porro Diui Pauli votum fuisse non solum ipsa Dei fruitione priuari pro fratribus suis, sed æternis quoque pœnis, apertè construit Cassianus collatione vigesima tertia, capite sexto, vbi locutus de Apostolo ait: *Propter illos quibus adhuc lac velut nutricula vberibus Euangelicis immulgebat, diuulsionem à Christo sibi quidem noxiam, sed cæteris necessariam non recusat. Etenim ad electionem huius potissimum rei, illa nimia pietatis virtute compellitur, qua pro salute fratrū suorum si esset possibile, etiam vltimum anathematis malum optasset incurrere. Optarem enim, inquit, ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ: hoc est, vellem ego non solum temporalibus, verum etiam perpetuis addict pœnis, dummodo omnes, si fieri possit, homines Christi consortio fruerentur. Certus etenim sum vtiliorem Christo, & mihi omnium salutem esse, quàm meam.* Sanctus Chrysostomus diffusius & sæpius id confirmat, ad ipsa Apostoli verba interpretatus tum alibi, vt homiliis de laudibus Pauli, & in libris de prouidentia. Chrysostomi sententiam paucis concludens Theophylactus ait: *Videri igitur quod ex amore quo in Deum inflammatus est, optat, si modo fieri possit separari à cætu eorum qui cum Christo æternùm viuunt? Non à charitate ipsius sed gloria ipsius, & illius vsu.* Et paulo post: *Itaque ipse ego, qui innumera transegi diligens Deum supra quam natura ferat opto pro gloria Dei excidere gloria Christi.* Idem interpretamentum fulciunt Theodoretus, Oocumenius, Theodulus Celosyriæ, Anselmus, &

hom. 1. & 2. de laud. Pau. hom 4. in ep. ad Philip.

& alij non pauci. Hanc Sotus fatetur esse Patrum Commentationem, qui ait: *Tametsi dum Origenem, Chrysostomum, & Patres super hunc locum meditatius lego, sublimiorem mihi videor hic sensum intueri Vis etenim amoris, vbi in ecstasim rapit amantem, non sinit rationes has circumspectare, vt se se latius proferat. Quocirca, qui (vt paulo ante meditabar) neque exulare à cælo, neque in tartara detrudi vllius momẽti arbitrabatur, vt separari posset à charitate Christi, eadem nunc charitate absque præscriptione vel temporis vel loci, ait cupere se anathema esse à Christo pro fratribus; non considerans, quo id pacto fieri posset; quasi optasset charitas Dei in Paulo fructu gloria orbari vt plures Deus haberet amatores. In quo profectò se maximè dilectio patefacit.* Qui postea addit: *At quoniam nos ab hac dilectione, quàm longissimè absumus, neque intelligere hæc possumus.* Similiter & Rupertus ad caput Exodi trigesimum de Moyse & Sancto Paulo locutus. *Vtriusque dicta magni ponderis sunt & nostras vires excedunt. Magni etiam viri hactenus vtramque sententiam humeris suis versauerunt, & rem sicut est, satis verbis exprimere non potuerunt. Est enim hoc penè ineffabile, nec nisi aliquid de eiusdem charitatis spiritu habentibus, saltem sensu perceptibile est; quo modo homo Deo familiaris qualicumque causa vel ratione hoc animo suo admittere possit, vel à Deo anathema esse, vel de libro eius concedat se ipsum deleri: quomodo in ista concessione non solum nullam incurrat pœnam, aut culpam, sed etiam ampliorem apud Deum mereatur gratiam. Nobis hoc solum de tanta re sublucet; quia Deus charitas, Deus humilitas est; & cum per humilitatem, siue charitatem à Deo quisquam procul absistit, indigniorem se iudicans eis pro quibus interuenit: is miro modo quantum se deprimit, tantum ascendit: quantum condemnat, tantum iustificat: quantum à Deo quasi recedit, tantum illi proximus est. Diuitias animi eiusmodi nos frigidi, atque inopes ignoramus: Et idcirco eum legimus illum anathema se esse pro fratribus optantem, istum de libro Dei deleri se concedentem: aut dicta dissimulamus, aut in sensum exilem grauissimè prolata detorquemus. Cæterum quem spiritus idem tetigit videt ex parte aliqua, quantum talis habitus mentis apud Deum valeat pro sua reuerentia.* Recentes nunc expositores audiamus. Isidorus Clarius sic Apostoli locum explicat: *Tantùm abest vt odio eos prosequar, vt si fieri posset optarim, ipsâ, quam à Christo expectamus, quo Christo nihil mihi charius, ne cœlum ipsum quidem, felicitate priuari, & paratis ab eo ineffabilibus bonis, vt meo interitu, & æterno exilio salus Iudæis pararetur. Et Moses: Aut dimitte, inquit, eis noxam hanc, aut dele me de libro, quem scripsisti.* Postea addit: *Quocirca optasset, si suo interitu* reconciliari potuisset hæc gratia, relegari à Christo, vt hæc gloria *seruatæ Iudeæ gentis ipsi Christo accederet.* Ioannes Ferus ait: *Etiam cum suo ipsius damno aliorũ salutem optat Paulus, si aliter fieri nequit. Non tantũ optauit mori, vt quidam exponunt, sed anathema esse à Christo, hoc est, damnari, vt omnes alij saluarentur, & gloria Dei ab omnibus prædicaretur. Vera charitas nihil quærit nisi Dei gloriam, & aliorum salutem. Paulus non ingratus erat vocationi suæ, sed gloriam Dei summè exoptabat crescere. Moyses eundem affectum &c. Hic affectus nihil aliud est, quam plenè abnegare se ipsum in obsequium, & gloriam Dei.* Et addit: *Hunc affectum nos tepidi adcò ignoramus, vt etiam horreamus audire hæc verba.* Quæ de damnatione dicuntur, sine culpa debent sanè accipi. Titelmanus quoque hæc habet: *Vsque adeò enim hæc res mihi cordi est, vt optarim, atque etiamnum optem (si fieri posset, & si Deo foret beneplacitum) ea quam expecto mercede retributionis priuari, atque ita modo quodam à Christo (licet non amicitia, tamen æterna etiam præsentia) separari pro salute fratrum si vel tali ac tanto pretio eos possem à sua infidelitate, & subsequutura damnatione redimere, vt ad Christum conuertantur & salui fiant.* Cornelius noster non semel: in Prologomenis de prærogatiuis sancti Pauli sic Apostolum alloquitur. *Quid agis Paule, nonne desipis? Nonne cõtra charitatẽ, contra Christum pro cæcis Iudæis pugnas? Nequaquam: sed pro charitate contra charitatem in charitatem connitor & tendo: Optabam, & opto anathema esse à Christo: opto pro charitate Christi à Christo diuelli: opto pro salute Iudæorum, non ab amore, sed à beatitudine, & gloria Christi, à Christo, & cœlo etiam in æternum, si opus sit exul excludi: deposco pro eis esse anathema; deposco esse diris deuotum caput, dempto peccato, & charitatis naufragio, deposco mihi æternum eorum exitium. Opto, oroque Domine omnia irarum tuarum fulmina Iudæis imminentia; vt eis parcas in meum caput retorqueas, vibres, effundas, exhaurias.* In Commentariis autem sic habet: *Hinc patet, cuilibet viro sancto idem licere optare, scilicet, vt deleatur de libro vitæ, & separetur à fruitione, & beata societate Christi, & Sanctorum in cælis, sine tamen sua culpa; dummodo hac ratione, & conditione posita, multi alij Deum agnoscerẽt, diligerent, & bearentur.* Quod inter alios docet Ludouic. Molina prima parte quæstione vigesima quarta in fine. Hoc enim maius est Dei bonũ & gloria, quã sit mea vnius beatitudo, & cõsequẽrer hoc optare nõ minuit, sed auget

Ioann. Eusch. de Origine S. Script.

charitatem, & propriam perfectionem ad quam magis inclinat Charitas, quam ad propriam gloriam, & beatitudinem, præsertim quia ipsa nouit, & scit Deum, vt pote liberalissimum, tam liberali animo, qui sua commoda, suamque beatitudinem diuinæ gloriæ, & fratrum saluti posthabet, & postponit, liberaliter quoque charitatis, gratiarum, & aliorum donorum cumulos & incrementa repensurum; nec passurum, vt liberalitate suæ creaturæ vincatur.

Tam abest vt hoc votum contra charitatem sit, quemadmodum in me iactatum, & criminatum fuit, vt potiùs summa charitas sit. Idque Richardus Victorinus in supremo charitatis gradu constituit sub finem libri de gradibus violentæ charitatis: de eo qui ad extremum charitatis gradum ascendit sic scribit: *Cupit anathema fieri à Christo pro fratribus suis, qui eiusmodi est. Quid ergo dicemus, nonne hic amoris gradus videtur animum hominis, quasi in amentiam vertere, dum non sinit eum in sua æmulatione modum, mensuramve tenere. Nonne summa amentia videtur esse, veram vitam repellere, summam sapientiam arguere, omnipotentiæ resistere? Nonne vitam repellit, qui pro fratribus à Christo separari cupit, sicut & ille qui dicit: Aut ignosce illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti.* Accedit hunc Diui Pauli affectum alios sanctos viros imitatos esse. Nazianzenus in orat. 44. de Pentecost. oratione quadam sic loquitur: *Adeò vos amplector, atque exosculor &c. vt anathema etiam esse, ac nonnihil, vt damnatus perpeti non recusem, modo nobiscum adiungamini, & communibus animis trinitatem celebremus.* Eundem affectum in Chrysostomo fuisse collaudat Metaphrastes in eiusdem Chrysostomi vita: spiritualissimus Seraphinus Firmanus capite decimo speculi interni sic ait: *Sum enim proximi in salutem promptus, qui corpus exponam, & animam, famam & existimationem: itaque volo Deo esse anathema, vt nedum gloria velim priuari, non dum possessa; sed & vbi possiderem, expoliare, me ipsum volo, igneque vestiri Tartareo; modo Deo, quod libitum est, faciam.*

CAPVT XXVII.

Vtrùm alio affectu quàm charitatis liceat simile votum? opportunâ digressione disseritur.



NON igitur contra charitatem, nec illicitum est votum istud; namque non intercedente peccato licitum, & laudabile est, atque ex charitate potest aut alio pio affectu haberi, illudque ex pio odio sui, & affectu erga diuinam iustitiam in sancto Iob constituit Taulerus: in sermone Assumptionis sic ait: *Inde est, quod sanctus ille Iob, quem Dominus suo ore commendat, dicens ad Sathan: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo? & de quo scriptura testatur quod non peccauerit labiis suis, neque stultum quid contra Deum loquutus sit, de se ipso ait: In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne saltem ibi erit requies mihi? omnia sua dicit non vtique secundum nihil suum creatum, quatenus ea ex parte homo nihil est; sed iuxta nihil suum ex culpa & peccato contractum. Itaque ob sua peccata in profundissimam inferni abyssum, in sæuissimam carnificinam & densissimas inferni tenebras descendere volebat, tanquam diceret. Incertum est, dignamne vel illic, peccata quæ commisi, pœnam recipere possint. Hanc autem inferni pœnam intensissimo, atque grauissimo modo ferre volebat, etiam sine spe vnquam euadendi, donec meritas pro culpis pœnas lueret.* Audiamus rursum Seraphinum Firmanum capite octauo de vera conuersione, vbi dicit: *Non demiror quemquam perfectæ impulsum spiritu compunctionis, eo vsque deuenisse contemptus, odiique sui ipsius, vt nimio Deum honorandi desiderio infernum concupierit. Si etenim amor priuatus sæpe ad perfectum adducit Dei contemptum; longe amplius prouehere potest Dei amor ad absolutam sui ipsius aspernationem.* Quò sanè paucissimi perueniunt. Idem capite septimo speculi interni locutus de odio sui ipsius: *Hoc porrò odium oporteret esse magnum, & sincerum, extra simulationem: quo etenim est perfectius, eo consultius nobiscum agitur, dicente Christo: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Hinc factum est, vt sanctorum nonnulli parem re vera exoptauerint peccato vltionem, agnoscenteʃque infinitam se iniuriâ affecisse Dei bonitatem, cruciatum super se expetierint infinitum, Tartareos nempe cruciatus non videntes quid aliud peterent ex iustitia. Neque tamen hinc desperauerunt, videntes superno discretionis in lumine, iniuriâ se denuò Deum affecturos; qui vult, vt si longè peiora perpetrasset homo facinora, non ideo desperet.*

Vbertinus

Vbertinus tractatu arboris vitæ crucifixi IESV sic ait: *Non mireris autem, quod inter delectamenta a Deo creata, quæ enumeraui, posuerim appetitum iustitiæ sui in æternum pro offensis præteritis, sine adiectione nouarum offensionum; quia non solum hoc est bonum commune, sed est excessiua animæ rectitudo. Ad quam profunda humilitas in recognitione suæ iniquitatis & zelotypicæ transformationis charitas ad rectitudinem iustitiæ Dei duxit animam; dum videt iustissimum, & Dei honorificum, quod tantum scelus ab ea commissum puniatur in æternum. Et suauissimi dulcoris est gustus in tanto amore iustitiæ Dei, quod hoc appetit pro honore sui. Et ad hoc sæpe gratiæ excessus rapit mentem sponsæ. Vnde si sibi reuelaretur, quod hoc vult Dei iustitia, accipit hoc anima cum suauitate pacifica, & plus sæpe cum electione promptissima, & hoc intellige de pœna separata à culpa. Quod autem hoc sit rationabile probat Psalmus: Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Si lætabitur videndo vindictam in alio, nec in se ipso; nequaquam iustus est, sed cruentus; licet enim talis punitio à mente carnali apprehendatur, quasi desperans à Domino ex separatione; nequaquam tamen sic accipit mens à Spiritus sancti feruore ad hunc Zelum commota.* Rusbrochius vndecimo de præcipuis virtutibus capite idem supponens, sic de perfectè contrito ait: *Tanta intus animi contritione accenditur, vt se putet nunquam satis dolere posse; nec solum petat à Deo, vt is peccata sua sibi remittat per bonitatem & misericordiam suam, sed etiam, si ad maiorem Dei laudem cedat, per iustitiam suam ea in se vindicet. Quanto enim maiorem erga se expertus Dei benignitatem, tanto peccata sua magis ponderat; quemadmodum etiam D. Petrus visa Christi benignitate, ait ad eum. Exi à me Domine; quia homo peccator sum. Sanè si quis eò posset pertingere, vt Dei erga se iustitiam perinde vt misericordiam exoscularetur, ac diligeret; is re vera peccatorum suorum omnium, atque etiam pœnarum illis debitarum tam facile plenam obtineret veniam, quàm vna aquæ guttula in ardenti fornace consumeretur. Nec in hoc grandis situs est labor, sed potius gaudium ingens, quandoquidem multò est iucundius diuinæ se permittere, vel resignare iustitiæ, quàm misericordiæ, eo quod maior in illo sita sit mortificatio. Atqui quò est mortificatio maior, eò & gustus copiosior.* Similiter loquuntur Lanspergius Carthusianus, Gerardus Zutphaniensis, Ludouicus Blosius, B. Angela de Fulgino. S. Catharina Senēsis, & alij viri spiritualissimi. His satis credo obuiam iui iis quorum nuper me eriminata est quorundam non maxima eruditio.

lib. 5. c. 5. vers. Iesu desertum incolens.

CAPVT XXVIII.

An Scripturæ aliquando perierint?

Restitvamvr nunc ad institutum de libris sacris sermonem. Inualuit apud multos existimatio, in qua fuit Sixtus Senensis, opinatos sacras Scripturas aliquando periisse, incendioque absumptas in expugnatione Hierosolymæ per Nabuchodonosorem. Id videntur affirmare sanctus Irenæus capite vigesimo quinto libri tertij: Tertullianus libro de habitu muliebri capite tertio: Clemens Alexandrinus stromatum primo: Eusebius in Chronico: sanctus Basilius epistola ad Chilonem; & sanctus Hieronymus aduersus Heluidium: Theodoretus præfatione in Psalmos: S. Isidorus libro primo de officiis capite decimo tertio: Chrysostomus homilia octaua in epistolam ad Hebræos: Hilarius præfatione in Psalmos: Optatus Mileuitanus libro septimo contra Parmenianum. Historiam in quarto libro Esdras ita describit: *Quoniam, ô Domine, lex tua incensa est, & propter hoc nemo scit, quæ à te facta sunt: si inueni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, vt scribam omne, quod factum est in sæculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta. Et respondit ad me, & dixit: Vade & congrega populum, & dices ad eos, vt non quærant te diebus quadraginta. Tu autem prepara tibi buxos multos, & accipe tecū Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Asiel, quinque hos, qui parati sunt ad scribendum velociter & venias huc; & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, qua non extinguetur quoadusque finiantur, quæ incipies scribere: & tunc perfectis quadam palam facies, quædā sapientibus absconsè trades, &c. Et accepi quinque viros, sicut mandauit mihi Dominus, & profecti sumus in campum & mansimus ibi, & factus sum in crastinū: & ecce vox vocauit me dicēs: Esdra aperi os tuū, & bibe, quo te potauero. Et aperui os meū, & ecce calix plenus porrigebatur mihi: hoc erat plenū, sicut aqua; & color vt ignis, & accepi & bibi, & cū bibissem,* 4. Esdr. 14.

cor meum cruciabatur intellectu & in pectus meum increscebat sapientia: nam spiritus meus conseruabatur memoria. Et apertum est os meum, & non est clausum amplius. Altissimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt, quæ dicebantur, excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem: ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor: & cum completi essent quadraginta dies, dixit ad me Altissimus: Priora quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni & indigni: nouissimos autem septuaginta conseruabis, & vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic.

Credo nihilominus sacras scripturas nunquam omnino periisse neque enim canonicâ aliquâ authoritate constat incendio absumptas, nullibi id scriptura testatur. Præterea quamuis iussu Nabuchodonosoris concrematæ fuissent non est verisimile nullos codices è flammis assertos; quemadmodum enim cùm Antiochus iussit diligentissime inquiri sacros libros & comburi; nihilominus non omnes consumpsit, sed plures conseruati fuerunt; siquidem in tertio capite primi Machabæorum dicitur Iudæos *expandisse libros legis.* Et iterum in secundo libro, & capite eorundem Machabæorum scribitur solatio habuisse sanctos libros. Sic etiam quamuis Nabuchodonosor ita sæuiisset in scripturas, vt iussisset comburi, multa earum volumina possent reseruari. Deinde sicut Ieremias eripuit incendio arcam & tabernaculum Mosaicum, posset multo facilius libros legis asseruare; cum maximè propitius fuerit Ieremiæ Nabuchodonosor, liberum eum Prophetam permittens. Accedit ad hæc in nono Danielis capite, octoginta fortasse ante Esdram annos mentionem fieri librorum Ieremiæ, & Moysis: quapropter in ipsa captiuitate post excidium, & incendium Ierosolymæ supererant libri sancti. Narrat quoque Iosephus in vndecimo antiquitatum Cyrum dimisisse Iudæos ex Babylonica captiuitate; quoniam ostëdissent ipsi Iudæi nomen suum expressum in vaticinio Isaiæ, idque factum à Daniele produnt aliqui. Præterea ex testimonio Philonis apud Eusebium Iudæi sic caros habebant libros legis, vt potius mortem paterentur; quam legem in aliquo mutari permitterent. Quapropter eam penitus interire non negligerent viri sancti tametsi pauci essent, qui vastatione suæ patriæ euaserunt. Tum demus capta & incensa Ierosolyma nullam fuisse opportunitatem vindicandi à flammis aliquos ex libris sacris, id fieri antea poterat; tum in priori captiuitate Israelis, hoc est, decem tribuum inter quos multi fideles essent, & fuit Tobias, tum in prima transmigratione Iudæorum quæ benignior fuit, & in qua abducti fuerunt Ezechiel, & Daniel & alij viri Principes. Tum etiam in secunda transmigratione sub Iechonia, cùm se se sponte Nabuchodonosori dedisset.

[Marginal notes: 1. Mach. 1. — lib. 11. antiq. cap. 1.]

CAPVT XXIX.

Quo pacto Esdras rescripserit, & reparauerit scripturam. Exponuntur sancti Patres.



MERITO igitur Recentiores Pererius, Baronius, Bellaminus, Serarius, Marius, Bonfrerius non admittunt restaurationem scripturarum combustarum factam per Esdram. Nec si considerentur sancti Patres fauent priori opinioni. Dicunt plerique Esdram reparasse scripturas non combustas, non perditas, sed corruptas, seu deprauatas. Vnde potius negant in Babylonico excidio conflagrasse. S. Irenæus sic loquitur: *In ea* (inquit) *captiuitate populi, quæ facta est à Nabuchodonosor corruptis scripturis, & post septuaginta annos Iudæis descendentibus in regionē suam, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis inspirauit Deus Esdræ sacerdoti tribus Leui, præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quæ data esset per Moysem.* Hinc etiam B. Hieronymus libro aduersus Heluidium, Esdram restauratorem Pentateuchi nuncupat: & alibi scribit, quod scripturas sacras iam dispersas, eodem spiritu, quo ante scriptæ erant, restituit. Theodoretus similiter ait: *Mirabilis ille Esdras edidit in lucem libros cælestis gratiæ plenos, qui quidem cum propter Iudæorum incuriam; tum vero ob impietatem Babyloniorum diutius deprauati permansere.* Ecce corruptas, dispersas, deprauatas scripturas, non combustas, & prorsus perditas dicunt. Sanctus

[Marginal notes: lib. 3. c. 25. — Præfat. in Ps.]

Sanctus Hilarius solum profert Esdram collegisse Psalmos in vnum corpus: at hoc ipso indicat non omnes omnino periisse. Tertullianus quoque tantum dixit: *Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum.* Non autem dicit periisse atque vt posset dici restauratum, sufficeret deprauatum, & dispersum fuisse. Eodem pertinet illud B. Isidori Etymologiarum libro sexto, capire primo: *Hebræi* (inquit) *vetus Testamentum Esdra Auctore iuxta numerum literarum sacrarum in duobus & viginti libris accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, Legis scilicet, Prophetarum, & Hagiographorum.* cap. 3. de hab. mulien.

Quod igitur Esdras præstitit, non fuit excisas prorsus scripturas memoriter reparare, sed cùm Iudaicus populus diuturnitate, & tyrannide eius captiuitatis adhuc linguæ patriæ obliuisceretur, ac proinde nec linguam, nec characteres, quo sacra volumina conscripta erant, commodè perciperet; idcirco qui exemplaria aliqua transcribebant corruptè id præstabant; quæ autem ex Iudæa extraxerant, iam vsu & tempore detrita fuissent, aut dispersa, & partim consumpta. Opus subinde fuit noua rescribere, & in puritatem pristinam restituere, in vnumque corpus ordinare: hoc fecit sanctus Esdras sincerè, & integrè scripturas restitués characteribus Assyriis, quibus iam Hebræi assueti erant. Et hoc voluerunt sancti Patres qui nō de pleno scripturarū interitu, sed de suppressione, deprauatione que illarū ob persecutionem Nabuchodonosoris loquuntur. Circa Optatum Mileuitanum id peculiariter monete oportet falsum prorsus fuisse, dum existimauit omnes sacros libros ab Antiocho quos à Iudæis acceperat fuisse exustos, ab Esdra tamen postea restitutos memoriter. Nam Antiochus aliquot sæculis posterior fuit quam Esdras. Præterea Antiochus quamuis id conatus fuerit, non potuit omnes consumere. Quartus autem Esdræ liber apocryphus & aliqua absurda continet; quapropter fidem non meretur, prærerquam quod de Cabala potius ibi loquatur, atque de hoc illum interpretatur Leonardus Marius, inde quoque secretiorem Cabalæ Philosophiam probat Picus Mirandulanus dicens: *Cùm igitur vsque ad tempus Babylonicæ captiuitatis nihil de hac secretiori expositione scriptum esset, Esdras post vrbis readificationem, & legem à se restauratam voluit huiusmodi Cabalisticam explanationem literarum monumentis mandari, ne forte perderetur propter captiuitates & dispersiones Iudaicas, in quibus seruari non poterat ordo, & prisca consuetudo tradendi Cabalam per manus: accitis ergo ad se fidissimis notariis, redegit omnia Cabalæ mysteria in libris septuaginta, iuxta numerum septuaginta seniorum synagoga, solis sapientibus in posterum communicanda. Hos ergo libros, summa impensa mihi coemptos, cum diligenter perlegerem; inueni in eis multa, immo pene omnia consona fidei nostræ, quibus Christiani Iudæos suis telis confodiant: apud quos authoritas Cabalistarum in magno honore, & reuerentia est. Hæc igitur Cabala est, de qua credo me primum apud Latinos explicitam fecisse mentionem.* Huc vsque Picus. Porro Esdræ Pentateuchus, vnica & oblonga membrana ipsius, vt Hebræi credunt, Esdræ manu conscriptus absque vllis vocalibus punctis, seruatur summa veneratione in cœnobio Prædicatorum Bononiæ.

CAPVT XXX.

Asaph, & alij composuerunt Psalmos vt non omnes sint Dauidi tribuendi.



VLTA circa Psalmorum librum exquirenda sunt. In primis An omnium Author fuerit Dauid, an plures? Anceps inquisitio, in qua diuisos Patres antiquos, & recentes interpretes video: neutra controuersiæ pars probabili destituitur fulcro. Firmior tamen rationibus mihi videtur, quæ Psalmorum authores multiplicat cum Origene, Eusebio, sancto Hilario, sancto Athanasio in Synopsi, & sancto Hieronymo, qui in epistola ad Sophronium, & altera ad Cyprianum refutat eos qui omnes vni adscribunt Dauidi Psalmos, sed eorum quorum nomina in titulis præfiguntur. Eandem sententiam præferunt præter Hebræos Sixtus Senensis, Beuterus, Bonfrerius, Tirinus & alij Recentiores. Dubij præterea quidam sunt vt Agellius, qui tamen nostram opinionem solidius fulcit, nec eius rationibus voluit respondere, cum obiectis respondeat pro contraria assertione; valde enim congrua sunt

cor meum cruciabatur intellectu & in pectus meum increscebat sapientia: nam spiritus meus conseruabatur memoria. Et apertum est os meum, & non est clausum amplius. Altißimus dedit intellectum quinque viris, & scripserunt, quæ dicebantur, excesßiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem: ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor: & cum completi essent quadraginta dies, dixit ad me Altißimus: Priora quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni & indigni: nouißimos autem septuaginta conseruabis, & vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic.

Credo nihilominus sacras scripturas nunquam omnino periisse neque enim canonicâ aliquâ authoritate constat incendio absumptas, nullibi id scriptura testatur. Præterea quamuis iussu Nabuchodonosoris concrematæ fuissent non est verisimile nullos codices è flammis assertos; quemadmodum enim cùm Antiochus iussit diligentissime inquiri 1.Mach.1. sacros libros & comburi; nihilominus non omnes consumpsit, sed plures conseruati fuerunt; siquidem in tertio capite primi Machabæorum dicitur Iudæos *expandisse libros legis*. Et iterum in secundo libro, & capite eorundem Machabæorum scribitur solatio habuisse sanctos libros. Sic etiam quamuis Nabuchodonosor ita sæuiisset in scripturas, vt iussisset comburi, multa earum volumina possent reseruari. Deinde sicut Ieremias eripuit incendio arcam & tabernaculum Mosaicum, posset multo facilius libros legis asseruare; cum maximè propitius fuerit Ieremiæ Nabuchodonosor, liberum eum Prophetam permittens. Accedit ad hæc in nono Danielis capite, octoginta fortasse ante Esdram annos mentionem fieri librorum Ieremiæ, & Moysis: quapropter in ipsa captiuitate post excidium, & incendium Ierosolymæ supererant libri sancti. Narrat quoque Iosephus in vn- lib. 11. antiq. cap. 1. decimo antiquitatum Cyrum dimisisse Iudæos ex Babylonica captiuitate; quoniam ostēdissent ipsi Iudæi nomen suum expressum in vaticinio Isaiæ, idque factum à Daniele produnt aliqui. Præterea ex testimonio Philonis apud Eusebium Iudæi sic caros habebant libros legis, vt potius mortem paterentur; quam legem in aliquo mutari permitterent. Quapropter eam penitus interire non negligerent viri sancti tametsi pauci essent, qui vastatione suæ patriæ euaserunt. Tum demus capta & incensa Ierosolyma nullam fuisse opportunitatem vindicandi à flammis aliquos ex libris sactis, id fieri antea poterat; tum in priori captiuitate Israelis, hoc est, decem tribuum inter quos multi fideles essent, & fuit Tobias, tum in prima transmigratione Iudæorum quæ benignior fuit, & in qua abducti fuerunt Ezechiel, & Daniel & alij viri Principes. Tum etiam in secunda transmigratione sub Iechonia, cùm se se sponte Nabuchodonosori dedisset.

CAPVT XXIX.

Quo pacto Esdras rescripserit, & reparauerit scripturam. Exponuntur sancti Patres.



MERITO igitur Recentiores Pererius, Baronius, Bellaminus, Serarius, Marius, Bonfrerius non admittunt restaurationem scripturarum combustarum factam per Esdram. Nec si considerentur sancti Patres fauent priori opinioni. Dicunt plerique Esdram reparasse scripturas non combustas, non perditas, sed corruptas, seu deprauatas. Vnde potius negant in Babylonico lib.3.c.25. excidio conflagrasse. S. Irenæus sic loquitur: *In ea* (inquit) *captiuitate populi, quæ facta est à Nabuchodonosor corruptis scripturis, & post septuaginta annos Iudæis descendentibus in regionē suam, & post deinde temporibus Artaxerxis Persarum Regis inspirauit Deus Esdræ sacerdoti tribus Leui, præteritorum Prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quæ data esset per Moysem.* Hinc etiam B. Hieronymus libro aduersus Heluidium, Esdram restauratorem Pentateuchi nuncupat. & alibi scribit, quod scripturas sacras iam Præfat. in Ps. dispersas, eodem spiritu, quo ante scriptæ erant, restituit. Theodoretus similiter ait: *Mirabilis ille Esdras edidit in lucem libros cælestis gratiæ plenos, qui quidem cum propter Iudæorum incuriam; tum vero ob impietatem Babyloniorum diutius deprauati permansere.* Ecce corruptas, dispersas, deprauatas scripturas, non combustas, & prorsus perditas dicunt.

Sanctus

Sanctus Hilarius solum profert Esdram collegisse Psalmos in vnum corpus: at hoc ipso indicat non omnes omnino periisse. Tertullianus quoque tantum dixit: *Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum.* Non autem dicit periisse atque vt posset dici restauratum, sufficeret deprauatum, & dispersum fuisse. Eodem pertinet illud B. Isidori Etymologiarum libro sexto, capite primo: *Hebræi* (inquit) *vetus Testamentum Esdra Auctore iuxta numerum literarum sacrarum in duobus & viginti libris accipiunt, diuidentes eos in tres ordines, Legis scilicet, Prophetarum, & Hagiographorum.* cap. 3. de hab. mulien.

Quod igitur Esdras præstitit, non fuit excisas prorsus scripturas memoriter reparare, sed cùm Iudaicus populus diuturnitate, & tyrannide eius captiuitatis adhuc linguæ patriæ obliuisceretur, ac proinde nec linguam, nec characteres, quo sacra volumina conscripta erant, commodè perciperet; idcirco qui exemplaria aliqua transcribebant corruptè id præstabant; quæ autem ex Iudæa extraxerant, iam vsu & tempore detrita fuissent, aut dispersa, & partim consumpta. Opus subinde fuit noua rescribere, & in puritatem pristinam restituere, in vnumque corpus ordinare: hoc fecit sanctus Esdras sincerè, & integrè scripturas restituēs characteribus Assyriis, quibus iam Hebræi assueti erant. Et hoc voluerunt sancti Patres qui nō de pleno scripturarū interitu, sed de suppressione, deprauatione que illarū ob persecutionem Nabuchodonosoris loquuntur. Circa Optatum Mileuitanum id peculiariter monere oportet falsum prorsus fuisse, dum existimauit omnes sacros libros ab Antiocho quos à Iudæis acceperat fuisse exustos, ab Esdra tamen postea restitutos memoriter. Nam Antiochus aliquot sæculis posterior fuit quam Esdras. Præterea Antiochus quamuis id conatus fuerit, non potuit omnes consumere. Quartus autem Esdræ liber apocryphus & aliqua absurda continet; quapropter fidem non meretur, præterquam quod de Cabala potius ibi loquatur, atque de hoc illum interpretatur Leonardus Marius, inde quoque secretiorem Cabalæ Philosophiam probat Picus Mirandulanus dicens: *Cùm igitur vsque ad tempus Babylonicæ captiuitatis nihil de hac secretiori expositione scriptum esset, Esdras post vrbis readificationem, & legem à se restauratam voluit huiusmodi Cabalisticam explanationem literarum monumentis mandari, ne forte perderetur propter captiuitates & dispersiones Iudaicas, in quibus seruari non poterat ordo, & prisca consuetudo tradendi Cabalam per manus: acceitis ergo ad se fidissimis notariis, redegit omnia Cabalæ mysteria in libris septuaginta, iuxta numerum septuaginta seniorum synagogæ, soli sapientibus in posterum communicanda. Hos ergo libros, summa impensa mihi coemptos, cum diligenter perlegerem; inueni in eis multa, immo pene omnia consona fidei nostræ, quibus Christiani Iudæos suis telis confodiant: apud quos authoritas Cabalistarum in magno honore, & reuerentia est. Hæc igitur Cabala est, de qua credo me primum apud Latinos explicitam fecisse mentionem.* Huc vsque Picus. Porro Esdræ Pentateuchus, vnica & oblonga membrana ipsius, vt Hebræi credunt, Esdræ manu conscriptus absque vllis vocalibus punctis, seruatur summa veneratione in cœnobio Prædicatorum Bononiæ.

CAPVT XXX.

Asaph, & alij composuerunt Psalmos vt non omnes sint Dauidi tribuendi.



MVLTA circa Psalmorum librum exquirenda sunt. In primis An omnium Author fuerit Dauid, an plures? Anceps inquisitio, in qua diuisos Patres antiquos, & recentes interpretes video: neutra controuersiæ pars probabili destituitur fulcro. Firmior tamen rationibus mihi videtur, quæ Psalmorum authores multiplicat cum Origene, Eusebio, sancto Hilario, sancto Athanasio in Synopsi, & sancto Hieronymo, qui in epistola ad Sophronium, & altera ad Cyprianum refutat eos qui omnes vni adscribunt Dauidi Psalmos, sed eorum quorum nomina in titulis præfiguntur. Eandem sententiam præferunt præter Hebræos Sixtus Senensis, Beuterus, Bonfrerius, Tirinus & alij Recentiores. Dubij præterea quidam sunt vt Agellius, qui tamen nostram opinionem solidius fulcit, nec eius rationibus voluit respondere, cum obiectis respondeat pro contraria assertione; valde enim congrua sunt

indicia huius nostræ sententiæ, nec infirma argumenta: Nam ex secundo Paralipomenon satis mihi probatur Asaph, cuius sæpe nomen Psalmorum titulis præfigitur, esse authorẽ aliquorũ, cùm dicatur capite vigesimo nono: *Præcepit Ezechias & Principes Leuitis vt laudarent Dominũ sermonibus Dauid, & Asaph vidẽtis.* Qui alij sermones hi quibus Leuitæ laudabant Dominum nisi Psalmi? cumque dicuntur sermones Dauid, & Asaph, erunt Psalmi Dauid, & Asaph. Igitur cum constet vtrumque composuisse Psalmos, & in Psalmorum libro æquè reperiantur, & eodem modo Psalmi inscripti Dauid & Asaph. Cur vnius solum esse dicendi sunt, & non etiam alterius, ij qui cuique adscribuntur, & inscribuntur: quod si alterutri addicendi sunt, cur magis imputandi sunt omnes Dauidi, & non Asapho, cum similiter inueniantur Psalmi inscripti vtriusque nomine in peculiaribus Psalmorum titulis, & ex communi totius libri inscriptione nihil colligi possit cur Dauidi potius sint tribuendi quam Asapho? nam Psalterij titulus solum est *Psalmorum liber*, non autem additur *Dauid.* Imo ex hoc non ineptè colligunt aliqui Patres non vnius Dauidis esse omnes Psalmos quod sanctus Hilarius sic in præfatione ad Psalmos considerat: *Varias esse plurimorum de Psalmorum libro opiniones, ex libris ipsis quos scriptos reliquère, compertum habemus. Nam aliqui Hebræorum eos in quinque libros diuisos volunt esse: vt sit vsque in quadragesimum Psalmum liber primus, & à quadragesimo vsque ad septuagesimum primum liber secundus, & eo vsque ad octogesimum octauum liber tertius, & vsque in centesimum quintum liber quartus: ob quod hi omnes Psalmi in consummatione sua habeant, fiat, fiat. Concludatur deinde in centesimo quinquagesimo Psalmo liber quintus. Alij verò ita scribendos Psalmos existimauerunt: Psalmi Dauid, quo titulo intelligi volunt, eos omnes à Dauid fuisse conscriptos, sed nos secundum Apostolicam Auctoritatem, librum Psalmorum, & nuncupamus, & scribimus. Ita enim in Actis Apostolorum dictum meminimus. Scriptum est enim in libro Psalmorum, fiat domus eius deserta, & episcopatum eius accipiat alter. Ergo neque secundum quosdam Hebræos quinque libri, neque secundũ plurimorum simplicitatem Psalmi Dauid dicendi sunt; sed secundum Apostolicam auctoritatem liber Psalmorum esse noscendus est. Sunt autem plures eorundem Psalmorum scriptores. Nam aliquibus Dauid auctor præscribitur, in aliquibus Salomon, in aliquibus Asaph, in aliquibus Idithum, in aliquibus filiorum Chore, in aliquo Moysi. Ex quo absurdum est Psamos Dauid dicere vel nominare: cum ibi auctores eorum ipsis inscriptionum titulis commendantur. Et liber Psalmorũ rectius esse dicetur diuersis in vnũ volumen Prophetis, diuersorũ, & auctorum, & temporum congregatus.* Considerari quoque potest, si essent omnes Psalmi Dauidis totumque Psalterium eius esset, ita vt librum integrum Psalmorum composuisset solus Dauid: Cur postea in peculiaribus Psalmorum titulis annotatur esse Dauidis cum maxime quidam annotentur eius esse, alij non, sed Asaph, aut alterius? Etenim tituli Psalmorum, qui ad sacram scripturam pertinent, nimis aperte videntur Psalmos nonnullos aliis scriptoribus à Dauide adscribere, vt *Psalmus Asaph*; nam sicuti de auctore Psalmi dubitare non licet, cum dicitur in titulo: *Psalmus Dauid.* Ita cùm eadem verborum forma in titulo cuiusque Psalmi dicitur: *Psalmus Asaph*, non videtur dubitari posse, quin illius Psalmi Asaph sit auctor.

Neque congruit responsio quam adhibent ij, qui contrariam sententiam tuentur, nimirum quosdam Psalmos prænotari *Asaph*, seu quia hos à Dauide decantandos acceperat (nam hic Asaph ferè vbique cantorum princeps Dauidis tempore statuitur, primo Paralipomenon decimo sexto & vigesimo quinto) seu quia argumento Psalmorum à Dauide accepto, ipse metrico carmine reddiderat: hæc enim nullo modo satisfaciunt, cùm isto scripturæ loco appelletur Asaph Videns, seu Propheta; non enim Propheta dici potest, qui quæ alter diuina reuelatione accepit, concinit, vel argumentum aliquod, quod alter diuino afflatu hausit, carminum modulis, ac pedibus adstringit, aliàs qui Isaiam Prophetam carmine redderet, Propheta & Videns dicendus esset, vt obseruauit Bonfrerius, cui videtur argumentum hoc tam esse firmum, vt ab aliter opinantibus nulla videatur idonea responsio adhiberi posse. Addit & non leuem coniecturam Eusebius in Psalmum septuagesimum septimum, & ex eo Hieronymus ad Matthæi decimum tertium caput, vbi explicans illud: Vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Hoc (inquit) *testimonium de septuagesimo septimo Psalmo sumptum est. Legi in nonnullis codicibus, & studiosus lector fortè reperiet id ipsum, in eo loco, vbi nos posuimus, & vulgata habet editio, vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, ibi scriptum Per Isaiam Prophetam dicentem: quod quia minimè inueniebatur in Isaia, arbitror postea à prudentibus viris esse*

sublatum

sublatum. Sed mihi videtur ita in principio editum: Quod scriptum per Asaph Prophetam dicentem. Septuagesimus enim septimus Psalmus, de quo hoc sumptum est testimonium, Asaph Propheta titulo inscribitur; & primum scriptorem non intellexisse Asaph; & putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen Isaia, cuius vocabulum manifestius erat. Hæc ille: plus addit ad Psalmum illum septuagesimum septimum, vbi asserit, omnes veteres codices habere in Mattheo: *Vt impleretur quod scriptum est in Asaph Propheta*. Et ab hominibus ignorantibus suppositum Isaiam pro Asaph. Quod si verum est, Asaph & Propheta est, & auctor illius Psalmi: sic autem vt Agellius notat respondendum fuit Porphyrio beatum Euangelistam de imperitia calumnianti, quasi Esaiæ tribuerit, quod in eo Propheta non esset. Habebant igitur libri, & quidem antiquissimi, *per Esaiam Prophetam*, neque id negari poterat: alioqui facilius multo fuisset, respondere perfido Philosopho, non haberi in Matthæo, quod ipse tanquam falsum calumniaretur, per Esaiam Prophetam: sed ille codicibus prolatis, & obsignatis tabulis peruicisset, ostendisset enim & plures, & antiquos libros habere, per Esaiam Prophetam: neque aut melius, aut verius illi responderi potuit; quàm vt in librarium transferretur culpa, ne Apostoli fides periclitaretur. Addet nonnihil ponderis nostro placito styli differentia, quæ cernitur in Hebræo maximè; nam Dauidis nomine inscripti Psalmi longè faciliore, & benigniore venâ fluunt; at qui Asaph inscribuntur post Psalmum septuagesimum primum, non ita benignam, facilemque venam ostentant.

Alias rationes pro nostra sententia afferunt nonnulli, quæ mihi minoris roboris videntur, ac subinde iis non vtor. Quamdam sumunt ex appendicula, quæ habetur in fine Psalmi septuagesimi primi: Defecerunt laudes (seu, orationes) Dauid filij Iesse. Quibus verbis indicatur esse finem Psalmorum Dauid: vnde & mox subiiciuntur Psalmi Asaph. Addit Bonfrerius: Neque est, quod quis obiiciat, adhuc in sequentibus esse Psalmos, qui auctorem Dauidem in titulo præferant, aut esse in præcedentibus, qui aliorum à Dauide nomina in titulo adscripta habeant; maximè vero inter cæteros manifestè Psalmus quadragesimus nonus, qui pro titulo habet: *Psalmus Asaph*. Respondeo enim, quod ad præcedentes Psalmos attinet, omnes videri esse Dauid, vt ex infra dicendis intelligi poterit præter vnicum illum quadragesimum nonum, quem vel ipse Dauid inter Psalmos suos reposuerit, quemadmodum videmus fieri, vt quis inter sua carmina amici carmen ad se missum, quódque ipsi probatur reponit; vel certè id ab Ezechia esse factum, qui Psalmos hosce collegit, & hunc vnum Asaph Dauidis Psalmis permiscuit. Quod ad posteriores Psalmos attinet, iam antea notauit Agellius verisimile esse, priores vnum & septuaginta Psalmos ab Ezechia Rege fuisse collectos, & ab eodem appendiculam in fine fuisse additum; tum deinde subiecisse Psalmos Asaph, reliquos vero tum Dauidis tum aliorum ab Esdra collectos prioribus additos fuisse. Hæc non malè Agellius, & Bonfrerius respondent. Nihilominus efficax argumentum inde sumi haud mihi videtur: nam illam notatiunculam: *Defecerunt laudes Dauid*, cur eam relinqueret, aut posuisset Esdras, cum omnes Psalmos in vnum librum redegit: siquidem postea tot collocasset Psalmos Dauid. Censeo alium esse sensum eius verborum, vnde nihil probare possumus pro asserentibus multos Psalmorum authores, nimirum eum Psalmum fuisse vltimum, quem Dauid composuerit. Constat enim in senecta illum confecisse pro filij Salomonis inauguratione in Regem. Et vlterius alium hymnum non cecinisse: idcirco rectè annotatum fuit ibi defecisse Dauidicos hymnos seu laudes.

CAPVT XXXI.

Cur eidem Psalmo nomina duorum inscribuntur? infirmantur argumenta existimantium vnum Dauidem omnium Psalmorum authorem.

QVÆ pro contrario asserto producuntur, leui operâ possunt refringi: nam validius argumentum inde vsurpant: quoniam vnus idemque Psalmus duo nomina in titulo prænotata habet, vt Psalmus trigesimus octauus, & sexagesimus primus Dauidis

uidis & Idithum præfert nomina: Psalmus septuagesimus sextus, Idithum & Asaph. Porrò cum vnus idemque Psalmus non possit esse scriptorum plurium, necesse est vt vnum istorum dicamus Psalmum concinnasse, alteri datum ad concinendum. Quod si in his licebit hoc dicere, quidni etiam liceat idipsum asserere, vbi vnius nomen dumtaxat prænotatur Asaph, Idithun, Eman, Ethan &c. præfigi nimirum nomen cantoris, scriptoris autem Dauidis nomen subticeri? Hoc autem argumentum, vt notat Agellius facile refellitur ab iis, qui Idithun non cantoris nomen putant, sed musici instrumenti genus, quod hoc nomine in ea lingua tum appellaretur, idque septuaginta intellexisse, qui tametsi in Psalmo trigesimo octauo vertetint τῷ Ἰδιθοὺμ, hoc est, *ipsi Idithun*, tamen in Psalmo sexagesimo primo ὑπὲρ Ἰδιθοὺμ, dixerunt, hoc est, *super Idithun*, vt ὑπὲρ ὀγδόης, *pro octaua*, ὑπὲρ ληνῶν, *pro torcularibus*. Solidius respondet Bonfrerius: cum duo præfiguntur nomina, non eodem modo præfigi vtrumque; & ex modo loquendi satis liquere, cui tanquam auctori is Psalmus adscribi debeat, cui vt cantori: verbi gratia Psalmus trigesimus octauus, cui hic est titulus: *In finem*, vel (vt Hieronymus & alij vertunt) victori ipsi Idithum, canticum Dauid, satis indicatur Dauidem auctorem esse, cum appelletur Canticum Dauid; alterum verò, qui Leuita erat, Cantorem, cui is Psalmus ad concinendum datus sit. Idem indicat titulus Psalmi sexagesimi primi: *Pro Idithum Psalmus Dauid*. At titulus Psalmi septuagesimi sexti: *Pro Idithum Psalmus Asaph*, satis indicat Psalmi compositorem Asaph, Idithum verò Cantorem. Etsi enim & ipse Asaph Leuita esset & cantor, cantorumque princeps, tamen aliis, & ipse suos Psalmos decantandos dabat, siue ratione imperij, quod in cæteros habebat, siue quia Psalmi diuerso metro concinnati diuersa instrumenta requirebant, quibus aptè concinerentur: erant quibus cithara, erant quibus nablia, erant quibus organa, cymbala, psalteria magis conueniebant: porrò diuersa instrumenta diuersis Leuitis erant assignata, vt liquet e primo Paralipomenon decimo sexto & vigesimo quinto: cum vnus in vno instrumenti genere, alter in altero excelleret. Si minus hæc placeat responsio, suppeditabo tertiam; nec enim mihi vnquam visum est hoc argumento quidquam probari; quoniam nihil incommodi daretur vnius Psalmi duos esse authores, cum in sacra scriptura similia reperiamus exempla. Etenim vnius Cantici, *Audite*, quod in Deuteronomio continetur, iam ostendimus non vnũ Moysem, sed Moysem simul, & Iosue fuisse authores. Imò hoc credo sæpissimè accidisse sub Dauidis tempora in choris Prophetarum, qui pari spiritu afflati, eundem hymnum decantabant. & quidem id accidisse militibus Saulis ipsique Sauli negari nequit; cum ex scriptura constet eius milites in eandem cautionem conspirasse in choro Prophetarum. Eodem modo Canticum Moysis in Exodo post transitum maris rubri decantatum à toto Israel in idem concrepante Canticum prodidit Sanctus Augustinus siue author de Mirabilibus sacræ scripturæ.

Aliud argumentum sumitur ex capite tertio libri primi Esdræ, vbi traditur fundato templo stetisse sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Leuitas filios Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid Regis Israel, hoc est, vt & Leuitæ & filij Asaph laudarent Deum per hymnos, & Psalmos compositos à Dauid: Respondetur, è diuerso, per manus eo loco non id significare, quod Dauid Psalmos omnes composuerit, sed quod ille disposuerit, atque præceperit, vt sic fieret. Itaque secundo Paralipomenon vigesimo nono capite, cum sit eodem modo in Hebræo, Per manus Dauid, Septuaginta verterunt ἐν ἐντολῇ, Ex præcepto Dauid, & ibidem Beatus Hieronymus ait, Constituit Ezechias Leuitas in domo Domini cũ cymbalis & psalteriis & citharis secundùm dispositionem Dauid. Leuior est tertia Euthymij ratio, scilicet, antiquitatem suam seruandam esse in authoribus Psalmorum, si diuersi essent, quibus ego assentio, inquit ille: asserunt Psalmos omnes à Dauid fuisse compositos: & quemadmodum octogesimum octauum Psalmum, qui Moysi inscribitur, dicunt Moysis non esse; quia si eius esset, ob illius antiquitatem, primus in ordine legeretur; aut saltem haberetur inter libros Moysis, sicuti habentur eius Cantica: quorum vnum in Exodo, alterum in Numeris, tertium in Deuteronomio reperitur: ita etiam existimandum esse asserunt de aliis Psalmis, qui aliorum inscriptiones præ se ferre videntur: quod scilicet ab alio compositi non sint, quam à Beato Dauid. Eadem etiam dicunt de duobus Psalmis, qui Salomonis inscriptionem habent: quod scilicet si essent Salomonis, aut extremo in ordine collocari debuerant, aut in libris Regum, aut Paralipomenon interseri, aut saltem alicubi de eis memoria haberi, eo modo quo cæterorum omnium eius operum ratio habita est. Erant enim, inquit, illi cantica quinquies mille, parabolæ ter mille: Psalmorum vero eius, Scriptura non meminit.

Eneruia

Eneruia ista sunt: namque in ipsis etiam Psalmis qui constant clarè esse Dauidis, ordo & ratio temporis non habetur. Plures siquidem Psalmi tertium præcedunt ratione temporis, quamuis post tertium collocati, & ne plura dicam, certe Psalmi quinquagesimi titulus indicat Psalmi causam & argumentum fuisse, admissum cum Bethsabee adulterium. Titulus vero tertij est, cum fugeret à facie Absalon. Prius enim Dauid Regis peccatum fuit admissum, quam Absalon filij facinus, & Parentis fuga: temporis igitur non est habita ratio in ordine Psalmorū. Sed causā inuersi huius ordinis reddere difficile est. Origenes, & eum secutus Beatus Hilarius, ad numerorum rationem hunc ordinem referunt, & quinquagesimum Psalmum, quia remissionis est, iure in eo numero collocatum, cum septem hebdomadas habeat: Septem porro annorum hebdomadibus expletis remissionis annus agebatur. Sed si in hoc solo Psalmo temporis ratio prætermissa fuisset, poterat hac responsione definiri tota quæstio: verum quia multi alij sunt qui tertium antecedunt posteriore loco positi, vt trigesimus tertius, *Cum immutauit Dauid vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit.* Quinquagesimus primus, Cum venit Doeg Idumæus, & annuntiauit Saul. Quinquagesimus tertius, *Cum venissent Ziphai, & dixissent ad Saul: Nonne Dauid absconditus est apud nos.* Quinquagesimus quintus, *cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Quinquagesimus sextus, *cum fugeret à facie Saul in speluncam.* Quinquagesimus octauus: *Quando misit Saul, & custodiuit domum eius, vt interficeret eum.* Quæ omnia Psalmum tertium tempore præcesserunt, Quapropter merito Anastasius Antiochenus asserit in titulo Psalmi centesimi trigesimi sexti, cuius hæc sunt verba: Θαυμαστὸν δὲ ὅτι μεταξὺ τῶν ἐπινικίων κεῖται οὕτω σαφῶς τὴν αἰχμαλωσίαν κηρύσσων· ἀλλ' αἴτιον τούτου ὅπερ ἤδη πολλάκις εἴρηται, τὸ μὴ κατὰ τάξιν συντεθῆναι, ἀλλ' ὡς ηὑρέθησαν κατὰ τὴν ἀρχήν. διὰ τοῦτο καὶ πρόθυστεροι πρὸς τὸ πρᾶγμα κεῖνται· τελευταῖοι μὲν πολλάκις οἱ τὴν ἀρχὴν σημαίνοντες τῆς αἰχμαλωσίας, πρῶτοι δὲ οἱ τὰ τέλη αὐτῆς μηνύοντες, καὶ τὴν ἄφεσιν τῆς αἰχμαλωσίας καὶ τὴν ἐπάνοδον. *Mirum verò quod inter epinicios hic Psalmus est interpositus (nempe super flumina Babylonis,) qui adeo perspicuè captiuitatem prædicat, sed eius rei causa est, vt sæpe diximus, quod non ordine sunt compositi, verum vt inuenti sunt à principio; ideoque præpostere pro eo atque iussum erat sunt positi, & frequenter posterius, qui initium captiuitatis significant, ac prius qui finem illius, & remissionem captiuitatis, & reditum indicant,* Eusebius quoque citatus ab Agellio ait nihil adeo artificiosum in hoc libro contineri, sed simplicem esse Canticorum simul, atque Psalmorum collectionem, quos cum per diuersos libros dispersi essent, vel Esdras vnà cum aliis quoque sacris scriptis ex memoria deprompserit, vel etiam veteres Hebræorum sapientes, vt cuique in memoriam venisset, collegerint: ideoque ordine quo inuenti fuissent, & vt forte quisque incidisset, simplicius editos fuisse. Hæc verba hic auctor initio suorum in Psalmos Commentariorum posuit: idem quoque scripsit in Psalmi octogesimi sexti commentario, sed alio argumento permotus; quod non inter eos modo qui Dauid omnium consensu tribuuntur, ordinem temporis minimè seruatum, sed inter eos quoque Psalmos, qui Core filiis inscripti sunt, intermissos alios, & seriem illorum continuam abruptam videret.

Maioris apud me momenti Patrum authoritas esset: At non sunt pro vno psalterij authore quotquot allegantur, & plerique commodam interpretationem ferant. Sanctus Ambrosius quidem in Psalmum quadragesimum tertium, & quadragesimum septimum conspicuis verbis notat esse omnes Dauidis, licet aliorum nomina præferant. S. Augustinus libro decimo septimo de ciuitate capite decimo quarto. Citatur in eandem sententiam Chrysostomus, & Theodoretus inclinat, quam plurium existimat esse sententiam. Cassiodorus Ecclesiæ vsum appellat. Citantur etiam Basilius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, quippe qui sub nomine Dauid, Psalmos aliorum nomine prænotatos citent, vt Psalmum septuagesimum sextum, & octogesimum octauum. Hoc tamen argumento meo iudicio, non satis constitui potest de eorum sententia; possunt enim in citando, sequi aliorum, vulgique opinionem: nam hoc ipsum & Hieronymus & Athanasius, & alij qui manifestè in contraria sunt sententia videntur facere. Aliud enim est, quid sentias, disertis verbis definire, aliud est, cursim, & obiter, librum citare, vbi nihil interest scire cuius sit: nam quocumque est, qui librum Sapientiæ non sub nomine Salomonis citet? si tamen plerosque interroges, sitne is liber verè Salomonis, manifestè esse negabunt, quod obseruauit Bonfrerius. Alij ipsum Ambrosium, & Augustinum, qui potissimum allegantur pro sententia vnum omnium Psalmorum authorem Dauidem propugnante, sic interpretantur vt vtramque

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script.

ſententiam temperent, videlicet, Pſalmos, qui Aſaph, filiis Core, Heman, & cæterorum nominibus inſcripti ſunt, eſſe Dauid, quia illis materiam, & argumentum dederit; rurſus eorum eſſe, quos titulo præferunt, quia ab illis ad carminis, rhythmique ſpeciem conformati ſint, vt & omnes verè Dauid dici, & cantorum illorum poſſint. Alij aliâ ratione Dauid dici omnes volunt, quia id cuius auctor quiſpiam ac princeps fuit, illi non iniuriâ adſcribatur: Auctor autem, qui primus Pſalmos compoſuit, Dauid fuit: itaque haud immeritò omnes Pſalmos tanquam primo hymnorum pſallendorum inuentori tribuuntur, etiamſi nonnullorum alij auctores fuerint. Hæc dicunt qui diuerſas vtrorumque ſententias conciliare volunt, vt & omnium Pſalmorum auctorem eſſe Dauid verè dici poſſit, & non omnium. Addit Antonius Beuterus, non nouum hoc interpretamento dicendi modum Sancto Auguſtino imputari, cùm ipſe ſecundo de doctrina Chriſtiana libro dixerit: *Librum Sapientia Salomonis eſſe, quia declaratorius eſſet eorum quæ Salomon prius ſcripta reliquerat.* Addi poteſt ipſum Auguſtinum aliter alibi ſentire: nam vbi agit de titulo Pſalmi primi, ſic ait: *Qui Pſalmus quotus ſit, vel à quo recitatus ſit, titulorum inſcriptione oſtenditur; non enim omnes Pſalmi à Dauid editi ſunt; ipſe enim Dauid ex omni populo quatuor Principes Spiritu ſancto mundatos elegit, quorum nomina ſunt Aſaph, Eman, Ethan, & Idithun; vt in quemcumque diuinus Spiritus intraſſet, hymnum Deo caneret; Dauid verò ſolus nouem Pſalmos ore proprio cecinit. Reliqui autem ab illis quatuor Principibus iuxta titulorum inſcriptionem ſunt editi.* At quidquid citati Patres in hac parte exiſtimarint, ſunt alij grauiſſimi, & erudiſſimi, qui contrariam de multiplicitate Authorum in Pſalmorum libro ſententiam clarè pronuntient, & validè propugnent, quos iam exhibuimus.

CAPVT XXXII.

Septem Pſalmorum Authores admittuntur.



QVÆRAMVS nunc qui fuerint Pſalmorum Authores, & vt omittamus modò Ieremiam, Ezechielem, Aggæum, Zachariam, filios Ionadab, & priores captiuos, quorum nomina non præmittuntur in Hebraicis Pſalmorum interpretibus, ſed ſolum in Græcis: quapropter addita à Septuaginta videntur: Rabbi Salomon Gallus decem Pſalmorum authores deſignat, cùm inter eos numeret Melchiſedech & Abraham, quod in ſuperioribus libris reiecimus; quapropter temperantiùs Sixtus Senenſis Pſalmorum auctores hos octo recenſet, Dauidem, Salomonem, Moyſem, Aſaph, Ethan Ezrahitam, Eman Ezrahitam, Idithun, & filios Core. Et Dauidi quidem Pſalmos ſeptuaginta tres attribuit ipſius nomine prænotatos, iterúmque alios nouem & triginta anepigraphos, ſeu nullius nomine inſignitos, qui vniuerſim ſunt centum & duodecim. Salomoni attribuit vnicum Pſalmum ſeptuageſimum primum, *Deus iudicium tuum Regi da*, quem ipſe ſeptuageſimum ſecundum appellat: nam in cæteris numeris ferè vno à noſtro Bibliorum textu diſcrepat. Moyſi adſcribit Pſalmum octogeſimum nonum, & alios decem ordine conſequentes vſque ad centeſimum. Aſaph adſcribit Pſalmos duodecim, quadrageſimum nonum, ſeptuageſimum ſecundum, & decem ſequentes. Ethan Ezrahitæ adſcribit Pſalmum vnicum, videlicet octogeſimum octauum. Eman Ezrahitæ itidem vnum, octogeſimum ſeptimum. Idithun verò vnicum, etiam attribuit trigeſimum octauum ſcilicet. Filiis denique Core Pſalmos vndecim tribuit, quadrageſimum primum, quadrageſimum tertium, & quinque ſequentes, octogeſimum tertium, octogeſimum quartum, octogeſimum ſextum, octogeſimum ſeptimum. At in his multa ſunt parum probanda. Idcirco Bonfrerius dixit quinque tantummodo videri habendos Pſalmographos, Dauidem, Moyſem, Aſaph, Eman Ezrahitam, & Ethan Ezrahitam: & Moyſis quidem vnicum eſſe Pſalmum octogeſimum nonum. Eman vnicum octogeſimum ſeptimum. Ethan etiam vnicum, nempe octogeſimum octauum. Aſaph duodecim ſuprà recenſitos, nempe quadrageſimum nonum, & ſeptuageſimum ſecundū cum decem ſequentibus, reliquos omnes ſeu epigraphen habentes, ſeu anepigraphos, videri Dauidi adſcribendos. Itaque excludit Idithun filios Core, & Salomonē, quod nec per omnia probo: cōſentio illi in exclusione

Idithun;

Idithun; non amplector reiectionem filiorum Core. Nonnihil dubito de Salomone, quod in sequentibus membratim discutiemus. Id quidem nunc comprobo, plurimos Psalmos tribuendos esse Dauidi, quàm ipsi tribuit S. Athanasius, qui in synopsi videtur eos dumtaxat Dauidis facere, qui istam habent inscriptionem; *Psalmus Dauidi*; qui verò hanc inscriptionem habent, *Dauidi*, aliorum existimare, qui eos Dauidi offerebant, & consecrabant, inque eius gratiam componebant; qui verò nullam epigraphen, vel eam sine proprio cuiuspiam nomine habent, etsi de his nihil apertè definiat, videtur tamen Dauidi abiudicare: atque adeò admodum paucos Dauidi adscribere. At certum est, longè plures Dauidi esse adscribendos: primùm enim certum est Dauidi Psalmum secundum esse adscribendum ex Actorum quarto; qui tamen Psalmus est sine titulo. Rursum constat multos Dauidi esse tribuendos, qui hanc inscriptionem habent: *Dauidi*: nam Psalmus decimus quintus, cui titulus est: *Tituli inscriptio ipsi Dauid*, adscribitur Dauidi Actorum 2. Item Psalmus trigesimus primus Dauidi adscribitur, ad Romanos quarto, cui hic titulus est, *Ipsi Dauid intellectus*. Rursus Psalmus sexagesimus octauus eidem Dauidi adscribitur Actorum vndecimo, qui tamen Psalmus in titulo habet *Dauid*, hoc est, Dauidi, vt patet ex Hebræo, & Græco. Psalmus etiam 94. eidem adscribitur ad Hebræos 4. in cuius titulo est. *Laus cantici ipsi Dauid*. Psalmus denique decimus septimus, cùm haberet hanc epigraphen: *In finem Puero Domini Dauid*. Mox tamen quæ subduntur verba: *qui locutus est Domino verba cantici huius*; manifestè indicant Psalmum esse Dauidis. Ex quibus omnibus colligit Bonfrerius, vbicumq; ea est inscriptio, nisi quid aliud impediat, nihil vetare quominus Dauidi Psalmus adscribatur. Et verò quemadmodum Dauid, & Asaph aliis suos Psalmos decantandos dabant, qui proinde, *ipsi Idithum*, vel pro *Idithun filiis Core*, &c. inscribuntur: ita potuit ipse Dauid auctor Psalmorum, Psalmos à se ipsos decantandos Dauidi inscribere. Præterquàm quod, vt notarunt Sixtus Senensis & Lorinus, atque nos alibi in hoc eodem opere monstrauimus, perinde est in titulis Psalmorum nomen Dauid secundo aut tertio casu reponi. De multitudine Psalmorum, quos Moysi tribuunt Origenes, S. Hieronymus & S. Hilarius, iam egimus, & vnum solum illi addiximus. Neque omnes Hebræi illud admittunt: nam Psalmus nonagesimus, qui in Hebræo nullam habet inscriptionem, ex eo præscripto Moysi tribuendus esset, cùm præcedens Moysi sit hominis Dei: manifestè tamen eius Psalmi nonnulla verba Chaldæus interpres homo Hebræus, ipsi Dauid adscribit. Certè in Græcis & Latinis exemplaribus titulus Dauid auctorem præfert.

CAPVT XXXIII.

An Dauid spiritum Prophetiæ alligatum musicæ habuerit, sicut Samson fortitudinem capillis?

Reiiciuntur qui Salomonis sapientiam annulo adstrinxerunt.



CIRCA ipsum Dauid illud inquiri posset; an eius spiritus Propheticus musicæ alligatus fuerit? Id adstruunt multi, inter quos meus Magister Sanctius; sed locupletissimè & sæpiùs Abulensis, cuius hæc sententia est: *Propheta accipitur dupliciter in sacra Scriptura, vno modo pro illo, cui Deus reuelat aliqua abscondita, quæ non reuelat aliis hominibus, siue loquendo ei per* Super 1. Paralip. 17. q. 5. *Angelum suum, siue aliter, & sic propriè accipitur Propheta. Alio modo vocatur Propheta quicumque laudans Deum, si faciat aliquos Psalmos vel cantica. Et isto modo omnes Leuitæ, qui canebant coram Domino, vocabantur Prophetæ, & dicebantur prophetare in lyris, & Psalteriis, & aliis organis musicis; sic etiam supra quindecim, Chonenias Princeps cantorum dicebatur princeps Prophetæ; isto modo secundo erat Dauid Propheta, & etiam excellentior omnibus Prophetis, quia non fuit aliquis, qui tot Psalmos componeret sicut Dauid, vt patet ex titulis eorum in libro Psalmorum, quia plures attribuuntur ei soli, quàm omnibus aliis simul sumptis: Propheta autem isto modo non habebant reuelationem à Domino, ita vt loqueretur eis; Ideo quando dubitabant super aliquo consulebant Dominum sicut cæteri, qui non erant Prophetæ. Interdum tamen Deus inspirabat illis*

Prophetis cantoribus aliquid, & canebant aliqua futura, in quibus concordabant cum Prophetis primo modo, & sic Dauid multa cecinit, quæ futura erant, & potissimè Dauid conuenit cum Prophetis primi modi, quia licet Deus nunquam loqueretur ei, tamen prophetiam istam secundi modi, quæ erat ars faciendi Psalmos, & Cantica diuinæ laudis non acceperat humano ingenio, nec eruditione, & studio, sed Deus ei inspirauerat, ideo excellentior erat inter omnes Prophetas secundi modi, & tamen hoc non obstante, non poterat per se consulere Dominum, sed si debebat consulere, oportebat quod per alium consuleret. Id colligit ex duplici capite. Primò quia Dauid consulebat Deum per alios, secundò quia Deus alloquebatur illum per alios. Hoc multis probat exemplis; quia *nunquam vnus Propheta consulebat Dominum per alium Prophetam ex quacumque causa, siue Deus sibi illico responderet, siue non, nec reperietur aliquando de aliquo, qui nominetur Propheta, quod consuleret Dominum per alium, etiamsi Deus non reuelaret sibi immediatè, quod volebat. Et patet hoc de Ieremia à quo Iudæi quæsierunt, an deberent descendere in Ægyptum, & per decem dies orauit, nec respondebat ei Deus, & tamen nullum alium Prophetam super hoc quæsiuit, sed expectauit vsquequo Deus ei reuelare voluit die decimo, vt patet Ieremiæ quadragesimo secundo. Sic etiam fuit de Daniele, qui interdum per tres hebdomadas erat dubius super aliqua re & consulebat Dominum quid fieri deberet super illa, vel qualiter intelligeretur: Danielis decimo. Et tamen nunquam consulebat tunc alium Prophetam super hoc, licet essent alij Prophetæ famosi in Babylone à quibus posset quærere, quorum vnus erat Ezechiel, vt patet Ezechielis primo. Et sic Dauid non consulebat Dominum nunc per Nathan tanquam nunc non haberet spiritum Propheticum, & ante hoc habuisset aliquando: nam ipse consueuerat semper consulere Dominum per alios: sic enim patet quando erat profugus à facie Saulis: nam consuluit ter Dominum per Abiathar summum sacerdotem, scilicet, in Ceila; & Siceleg, primo Regum vigesimo tertio & tragesimo. Postea etiam quando voluit redire de terra Philisthinorum in terram Iuda, consuluit sic Dominum secundo Regum secundo capite, sic etiam, quando factus est Rex super Israel, consuluit Dominum super bello contra Philisthinos secundo Regum quinto, & supra decimo quarto. Dicendum ergo, quod Dauid non erat Propheta, cui Deus loqueretur per se sicut aliis Prophetis.* Id ipsum Tostatus probat; quia alij Prophetæ quibus Dominus per se loquebatur, non recipiebant responsũ diuinũ in aliquo per interpositam personam, sed per se ipsos, & tamen Dauid sæpe recepit diuina mandata, & responsa per alios: *In deserto locutus est Dominus ad Prophetam Gad, vt denunciaret Dauid quod non maneret in præsidio terræ Moab, sed veniret in terram Iuda, primo Regum vigesimo secundo: nunc non locutus est Deus ipsi Dauid per se, sed per Nathan declarando ei, quid intenderet facere ipsi Dauid. Iterum cum peccaret Dauid in adulterio non comminatus est ei per se ipsum Deus, sed per Nathan denunciauit sibi omnia mala, secundo Regum decimo secundo. Iterum etiam, quando peccauit Dauid numerando populum: Deus locutus est ei bis per Prophetam Gad, scilicet, primò dando ei electionem de tribus generibus pœnarum: secundò reuelando ei, quid deberet facere ad hoc, quod cessaret pestis, vt patet secundo Regum vltimo. Non ergo erat Dauid Propheta, cui Deus per se loqueretur, & sic quandocumque ipse vellet certificari de aliquo per Deum, oportebat, quod consuleret Dominum per alios Prophetas, sicut consulebat quilibet, qui non erat Propheta.*

Itaque extra Psalmos non legimus Prophetiæ dono afflatum Dauidem quasi spiritus eius Propheticus Citharæ, siue Psalterio annexus fuerit, sicut Samsonis crinibus donum eximiæ fortitudinis alligatum sancti Patres fatentur. Sanctus Ambrosius libro secundo de Spiritu sancto ait: *Tantum ergo momenti crines habuere capitis, vt manentibus illis vis inuicta duraret, tonso autem capite fortitudo omnis viri subito solueretur? Non ita est, vt tantam vim corporalium capillorum putemus: sunt quidam crines Religionis & fidei. Crines Nazaræi intellige, perfecti in parsimonia & abstinentia consecrati.* Rursus lib. tertio de Virginibus: *Quandiu cincinnos Samson habuit, nunquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum veritatis amisit.* Et libro secundo officiorum capite vigesimo sexto: *Samson super genua mulieris inflexa ceruice truncatus, inuicti* (quia scilicet illum vinci non sinebat.) *crinis ornatum, prærogatiuam suæ virtutis amisit. Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia.* Sanctus Chrysostomus homilia decima quinta ex variis in Matthæum, crines illos vocat *Arcanum Samsoneæ virtutis martyrium.* Id est, testimonium. Procopius: *Filij hæreticorum rident quod in capillis gratia est. Rideant igitur, quod in Apostolorum vmbris gratia est: in fimbria item vestimenti Christi: in luto denique, quod cæcum illustrauit. Quapropter voti nomine preciosa apud Deum fuit coma.* Sanctus Ephrem sermone quodam aduersus Impr. mul. *Mysterium fortitudinis ipsius inter dormiendum*

noctu

noctu per dolum deprædans mulier, illum iam nudum, atque inermem circumuenit. Nec enim placet existimatio Abulensis arbitrantis, non in solis capillis sed in quocumque alio Nazaræatus instituto robur Samsonis collocatũ fuisse, ita vt si sciens & prudens aliquod violaret, vt si vinum biberet, aut vuas comedisset, aut mortuos contingeret, vires protinus amisisset. Nec enim sacra scriptura hoc significat, nec Patres declarant. Tum non liquido respondisset Samson Dalilæ, quo potuisset modo infirmari, cum sacer textus id fecisse dicat: *Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam, ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam.*

Illud quæri potest, an dum in peccato fuit Dauid eum spiritum prophetandi amiserit? Gratiæ enim gratis datæ perseuerant adhuc in peccatoribus, ipsúmque donum, Prophetiæ in hominibus iniquis repertum est. Samson quoque quamuis alioqui peccarat donum fortitudinis retinuit. Saul quoque peccator simile prophetandi donum per Canticum accepit aliquando. Nihilominus videtur imminutum fuisse illud donum in Dauid, dum in peccato auersus Deo fuit: quoniam ea gratia prophetandi per cantum deuotionem, & pium erga Deum affectum solebat comitari, quam dispositionem non ita habuit Dauid, donec pœnitens resipuit, nullumque Psalmum legimus eo tempore edidisse. Quoad donum fortitudinis Samsonis illud aduertendum est non amissurum verè nisi culpa sua reciderentur ipsi crines, quoniam non inerat illis eiusmodi donum tanquam in subiecto, sed tanquam in signo, sicut Ioachimus Abbas in caput primum Apocalypsis notauit dicens: *Non hæc scripta sunt, vt in capillis spiritus fortitudinis fuisse credatur, aut quod spiritus inuisibilis in rebus sensibilibus delectetur sed quia illu in iisdem crinibus designabantur virtutes, in quibus spiritus sancti gratia à mentibus percipitur, & sentitur humanis.* Abulensis quoque, & Serarius rectè hoc considerarunt, si enim vires in crinibus tanquam in subiecto hæsissent, his vtique recisis, nullus illis iam superfuisset locus, quemadmodum, si cui auferatur oculus, nulla ei amplius videndi potestas est: siue ille vi erutus sit, siue defluxione, morbove aliquo corruptus. Rursum vero cum crines in Nazaræis quidam exterior Dei cultus essent, interiorisque cultus, deuotionis, & consecrationis indicium, quamdiu interiora ista perstabant, etiam si vi, aut ægritudine indicium illud auferretur exterius, non auferebantur dona ea, quæ propter interiora illa dabantur potissimum, sicuti cum propter fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum habitus, & ornamenta quidpiam à Deo tribuitur, etiamsi impediatur habituum istorum vel professio, vel actio, vt somno fit, inopia, ægritudine; non idcirco illud quod antea, istarum virtutum ergò tribuebatur, subducitur. Neque apud sapientes minus honoris, ac reuerentiæ est erga dormientem, qui aut regia potestate aut insigni doctrina, & sapientia excellit, quàm erga vigilantem, sceptrum tenentem, differentem ac præcipientem. Cum igitur non propter signum, sed propter rem signatam, non propter capillos, sed propter interiorem animi religionem & cultum datæ Samsoni vires fuerint, & interiora bona inuito ac repugnanti auferri possint nemini, si absque ipsius assensu & peccato fuissent capilli ablati, animique mansisset in Dei veneratione constantia, nihil de Samsonis viribus, quæ interiorum causa, dabantur, deminutum vnquam fuisset. Facit ad hæc Sanctus Augustinus, siue auctor admirabilium sacræ scripturæ libro secundo capite sexto: *De Samsone*, inquit, *priusquam nasceretur à Domino præcipitur, vt capillus illius nunquam ferri acumine vel alicuius aculei tonderetur. Quandiu igitur in mandati diuini custodia permanserat, spiritus sancti munere maximam fortitudinem habebat. Vnde cum muliebri persuasione præcepti Dominici transgressionem adinuenit, etiam spirituale fortitudinis donum, quod habuerat statim recessit. Non quia insensibili capillo ossium, & carnis, & sanguinis, qui nihil ex his habet, virtus inerat, sed mandati Dominici obseruatio donum fortitudinis obseruabat.* Sed fortasse aliquis dicet: Quare ergo cum capillis iterum fortitudo illius succreuit si non in capillis prius robur habuit? Attamen etiam hac vice; non tam in longo capillo amissam virtutem recuperabat, quàm donum spiritale, quod negligens amisit, afflictus pœnitentiâ crescentibus capillis paulatim impetrabat: præsertim cum in huius mandati transgressione ex parte licet aliqua excusabatur, quamuis suæ virturis Dalilæ petenti mysterium dicere non negauit, non tamen se imperante vel concedente, vel consentiente tondetur. Vnde afflictus postea à Deo impetrauit facilius, quod non sponte, sed dormiens seductus amiserat. Cæterum, ne hoc prætermittamus ex Arabico libro Montis Granarensis retulerunt nonnulli annexam annulo sapientiam habuisse Salomonem, atque ad balneum se aliquando præparan-

tem in Iordanis ripa precibus pellicum annulum illum digito exemisse, exemptumque illarum dolo, qui amantem non sapientem Salomonem volebant coniectum in flumen, stupidumque velut truncum mansisse Regem, donec piscatorum operâ ex piscis exenterati ventre extractum recepit simul cum restitutione sapientiæ. At hoc non taceret sacra Scriptura, & Rabbinicum commentum sapit.

CAPVT XXXIV.

An Idithun fuerit Psalmorum aliquorum auctor?

AD *Idithun* veniamus; an ipse Psalmographus fuerit. Sunt, qui putent hanc vocem *Idithun* quotiescumque in Psalmorum titulis præfigitur non esse nomen proprium alicuius hominis, sed aliquid aliud significantem. Hadrianus Scrieckius titulum Psalmi trigesimi octaui: *In finem ipsi Idithun Canticum Dauid*, quod in Hebræo est למנצח לידיתון מזמיר לדוד sic legit: *Almanatsch Alioddithom masemor aldaud.* Et huiusmodi interpretatur, vt *Almanatsch* sit idem, quod *in Lunatione*, seu *Neomenia* siue *Nouilunio*, & malè verti à Pagnino *Victori*, melius tamen à septuaginta *In finem*., hoc est, *In finem lunæ*. Quoniam Cantica huiusmodi fuerint decantanda, seu à Dauide prolata in fine lunæ, hoc est, in Neomenia, quippe apud Iudæos fuerint celebrata solenniter Neomenia, vt constat ex secundo Paralipomenon libro, Iudith, Esaia, Osea, Machabæis, ac propterea Psalmus alius moneat: *Buccinate in Neomenia tuba in insigni die solennitatis vestræ.* Porrò illud *Aliodithom* dicit significare pro *Iudaitate*, siue, *Iudaismo circumsidenti*, vel *circum Iudaitate*, adeoque significantissimè inscribatur pro populo Iudaico: pro quo videlicet, & pro populis singulis sanctus Rex Dauid has preces in die festo fundebat, verbisque illis conceptis præibat, quemadmodum Psalmus quinquagesimus quintus inscribitur *Pro populo, qui à sanctis longè factus est*: nam pro populo ibi est על-יונת *al Ionath pro propinquitate*, quod malè vertit Pagninus *Columbam mutam*. Eodem modo vbi præmittitur Psalmis *Asaph*, vult Scrieckius לאסף *le-Asaph* significare *pro aquarum descensu*, referrique omnes Psalmos, huiusmodi inscriptos ad exitum filiorum Israel de aquis Ægypti seu mari rubro, id confirmat ex Psalmorum sensu, & præcipuè in Psalmo septuagesimo septimo, vbi dicitur: *interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in vtre, & deduxit eos in nube diei & tota nocte in illuminatione ignis.* & Psalmo octogeno: *Testimonium* in Ioseph posuit illud cum exiret *de terra Ægypti.* Et Psalmo septuagesimo sexto, vbi coniunguntur voces *Asaph* & *Idithun*, siue *Iodethun* populi exitus ab aquis discernitur, dum dicitur: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi: multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.* Et rursus: *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis &c.* Ex quibus concludit voces *Idithun* & *Asaph* non esse nomina Cantorum, aut Psalmographorum. Hoc idem alij censent, sed diuerso tramite suam cogitationem tutantur, opinati *Idithum* genus esse musici instrumenti, aut nomen alicuius cantionis eo nomine appellatæ. At constat ex libro Paralipomenon primo Idithum & Asaph egregios Dauidis Cantores esse. De Idithun dicitur capite decimo sexto. *Heman & Idithun, & reliquos electos vnumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino, quoniam in æternum misericordia eius, Heman quoque & Idithun canentes tuba, & quatientes cymbala & omnia musicorum organa ad canendum Deo; filios autem Idithun fecit esse portarios.* Ex hoc & aliis locis constat hominis proprium nomen Idithun esse: Imò putant aliqui eundem fuisse ac Ethan: quapropter reiicienda videtur eorum interpretatio, qui aliter iudicarunt; minus tamen firmamenti habet sententia Scrieckij eum Asaph pariter negauerit esse proprium hominis nomen, cum liqueat ex Paralipomenis non solum cantorem fuisse Dauidis, sed & Prophetam, vocarique proinde Asaph videntem; & eodem modo inscribitur in Psalmis, ac ipse Dauid.

Nunc decernamus, An hic Idithum aliquot composuerit Psalmos? Affirmat Senensis & alij, atque Haymo testatur se legisse in quibusdam scripturis: *Hunc Psalmum fecit Idithum.* Nescio vnde hoc acceperit, sicut neque quod Eusebius docuit edoctum fuisse Dauidem ab Idithun illa quæ in Psalmo trigesimo octauo continentur, tanquam ab eo,

qui

qui spiritu Prophetico fuisset prædictus. Nihilominus non est, vnde colligamus esse Idithun Psalmi alicuius authorem sicut Asaph & alij: quamuis enim præponatur titulis aliquorum Psalmorum, non fit vt author. Nusquam siquidem ita est præfixus *Psalmus Idithun*, sicut inuenimus *Psalmus Dauid*, & similiter *Psalmus Asaph*, sed solum *pro Idithun*, adiecto itidem *Psalmus Dauid*; quemadmodum Psalmus septuagesimus sextus inscribitur: *In finem ipsi Idithun, Psalmus Asaph*, & Psalmus trigesimus octauus *In finem ipsi Idithun, Canticum Dauid*. Alij etiam hic legunt *pro Idithun*. Itaque quotiescumque nominatur Idithun, alius signatur author Psalmi: Quapropter non est illi tribuendus: Neque dici oportet tunc duos fuisse authores Psalmorum: nam eo modo quo inscribuntur non denotatur æqualis authoritas; nusquam enim reperietur titulus qui dicat *Psalmus Asaph & Idithun*, sicut nec *Psalmus Dauid & Idithun*.

CAPVT XXXV.

Qui filij Core? An fuerint Psalmographi, & quomodo?

De filiis Core nunc disceptemus. Hadrianus Scrieckius sicut nomina Idithun & Asaph præfixa Psalmis noluit esse propria aliquorum hominum, sed voces alia significantes ad Israeliticum populum attinentia. Sic etiam censuit de voce, *Core* quæ pluribus præmittitur Psalmis. Nomen hoc inquit, etiam ad populum Iudaicum pertinet קרח *Chore* vel *Korhe* vel *Gaorhe* est *gradientia vlterius*, spectatque ad populi transgressum vltra Iordanem: ideo in Psalmo quadragesimo primo, qui hac inscriptione est præditus, dicitur: *Memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonym à monte modico*. De quo transitu capite primo Iosue dicitur: Surge & transi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum in terram quam ego dabo filiis Israel, quod ipse Scrieckius sic legit: *Vade tu veniens vltragredere, vel transi vlteriorîtatem hanc* &c. Sed hanc interpretationem Scrieckij extortam è lingua sua Iapherica iam reiecimus superiori capite. Neque dubitari debet filios Core esse ministros templi, quorum crebra mentio extat in scripturis, qui numerantur inter alios sexto capite primi Paralipomenon: *Hi verò sunt qui assistebant cum filiis suis de filiis Caath, Heman cantor filius Iohel, filij Samuel, filij Elcana* &c. Et post *filij Core*. Hos filios Core fuisse Asir, Elcana & Abiasaph colligunt ex Paralipomenis Sixtus Senensis, Lorinus, & alij, eosque tradit Rabbi Kimhi excelluisse doctrina, prophetia & Musica: & Lyranus scribit in familia Core perseuerasse donum Prophetiæ vsque ad Dauidem: sed vnde hoc nouerit nescio, cum ex scriptura non constet. Sanctus Hieronymus etiam, in quæstionibus Hebraicis in Paralipomena tradit Coritas tempore Dauid fuisse super ministerij opera custodes vestibulorum Tabernaculi, & custodiuisse ostia Tabernaculi exterius: Patres verò eorum, qui in Psalterij titulis prænotantur custodiuisse ostium Tabernaculi interius, & cantores fuisse castrorũ Domini. Sanè in secundi Paralipomenon capite vigesimo dicitur: *Leuitæ de filiis Caath, & de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum*. Videri inibi alia possunt. Porrò ipse Core fuit vnus de authoribus seditionis contra Moysem, & Aaron quæ narratur capite decimo sexto Numerorum. Sed mirandum accidit miraculum vt ipso Core miserè, & horribiliter pereunte filij eius incolumes euaderent, quia peccato Patris nequaquam consentirent: filij autem Core dicti sunt omnes posteri, quorum aliqui Dauidis tempore nobilissimi cantores erant.

An autem fuerint Psalmographi dubium est: negant multi, etiam ex iis, qui non omnes Psalmos Dauidi tribuunt vt Bonfrerius: quoniam difficile videtur, quo pacto multi possent esse vnius Psalmi authores. Deinde quia non præfiguntur in Psalmorum titulis, eo modo quo prænotantur ij, qui authores sunt, vt. Dauid, & Asaph; siquidem nunquam inscribitur: *Psalmus filiorum Core*, sed solum *filiis Core*. At ista difficultas exigua est, quandoquidem iam notauimus parum referre secundo, aut tertio casu collocari authores Psalmorum; perinde siquidem est; vt Sixtus, & Lorinus probant, nosque supra comprobauimus; seruilis siquidem litera ל *le* nunc datiuo, nunc genitiuo seruit.

Quapropter

Quapropter aptè significat authorem Psalmus quadragesimus septimus, dum notatur huiusmodi *Psalmus Cantici filiis Core*: sequens similiter inscribitur: *In finem filiis Core Psalmus* & Psalmus quadragesimus primus: *Intellectus filiis Core*. Hoc eodem modo multi Dauidis Psalmi inscribuntur, quibus nomen *Dauid* tertio constituitur casu. fauet his quod Symmachus aliquando vertit *filiorum Core*, & Sanctus Thomas legerit in singulari *filij Core* & quamuis in Datiuo vbique, & ab omnibus legeretur, dum aliud non obstaret, habendi essent authores Psalmi. Accedit quod in Psalmo septuagesimo septimo dicatur: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei*; qui i salmus filiis Core adscribitur, quibus ea vox conueniebat, abiectum nempe esse in domo Domini, seu vt est in Hebræo, ad limen stare: id namque munus illis demandatum erat, vt est primo Paralipomenon. Minoris momenti est altera difficultas de compositione vnius Psalmi per plures filios Core: nam in choris Prophetarum, & canentium diuinas laudes non fuit nouum multos in easdem laudes, eademque concepta verba pari Sancti spiritus instinctu conspirare, vt non semel in hoc opere monstrauimus. Deinde numerus pro numero quandoque ponitur, & de pluribus affirmatur, quod ad vnum tantum spectat, vt notauit Lyra. Quamobrem parum refert nominari filios Core. Præterea vt animaduertit Sixtus Senensis poterant collato studio Psalmos componere. Denique idcirco potuisset idem Psalmus multis tribui, quia diuersos eius versiculos diuersi componerent: Quemadmodum Apostolicum Symbolicum Apostolis tribuitur, & hymni *Te Deum laudamus* authores feruntur Sanctus Ambrosius, & Sanctus Augustinus. Id testatur S. Dacius quartus post Ambrosium Mediolanensis Episcopus libro decimo Chronici capite primo, quod Cardinalis Baronius probat, licet non probet esse Sancti Ambrosij sermonem nouagesimum secundum, vbi id confirmatur: sic ibi: *Triumphare visus est Augustinus illa præsertim hora in qua nouum hominem sacro Baptismate induimus, in qua vna nobiscum diuino quodam instinctu hymnum cantauimus de Christi fide.*

CAPUT XXXVI.

An Salomon Psalmographus fuerit?

INsigniti nunc Psalmi nomine Salomonis examinandi sunt. Sixtus Senensis authori Salomoni tribuit Psalmum septuagesimum primum. Paraphrastes Chaldæus id confirmat, dum hunc titulum præscripsit: *Per manum Salomonis dictus propheticè*. Lectio quoque Sancti Hieronymi idem notare videtur *Psalmus Salomonis*. Diximus sæpe parum referre tertium casum constitui, quamuis author denotetur: nã & Canticũ Canticorum, quod cõstat Salomonis opus esse, similiter inscribitur Hebręis *le Salomo*. Et affixum *le* Datiuum potius quàm Genitiuum exposcit. Ideo septuaginta reddunt ὁ ὅρω τῷ Σαλωμών, *quod est Salomoni*, hoc est, Salomonis: nam secundum Idiotismũ Hebraicũ *le Salomo* significat idem ac *Salomonis*, siue *secundum Salomonẽ*: quemadmodũ autem affixum illud Græci interpretantur per Datiuũ, vel Accusatiuũ cum præpositione dicentes τῷ Δαβίδ, seu κατὰ Δαβίδ. Sic etiã Latini dixerunt Euangeliũ Matthæi, vel secundũ Matthæum, quod Hebraicè diceretur *le Matthai* & Syri *De Matthai*. Psalmus is non video, cur sit Salomoni tribuẽdus, cum in fine illius notetur: *Defecerunt laudes Dauid*. Hinc liquet vt notarunt Caietanus, Iansenius, & alij eum Psalmum fuisse Dauidis, & vltimum quem ecinuit. Quamobrem apud Arnobium, Rufinum, Remigium, Sanctum Brunonem, Haymonem, Hugonem, & alios, atque etiam Glossam inscribitur: *Psalmus Dauid in Salomone*; atque vulgata habet *in Salomonem*. Quo notatur non fuisse à Salomone compositum, sed in Salomonem dictum hoc est, pro inaugurando Salomone, sed ad Christum refertur, cuius typum gessit Salomon: Hebræum לשלמה *lislomoh* verti potest *pro Salomone*. Apollinarius negat inscriptione authoris carere in Hebræo, sed addit.

Ἡδὺ μέλος Σολομῶνι πολυκλείτῳ μεμηλώς.

Dulce carmen inclyto Salomoni pergratum

Libentius concederem Psalmum centesimum vigesimum sextum Salomonis esse, cuius inscriptio est: *Canticum graduum Salomonis*, ipsumque testantur Salomonem authorem Origenes, Eusebius, Sanctus Athanasius, & Sanctus Hilarius. Fuêre etiam teste Origene,

qui

qui Psalmos omnes inscriptos *Cantica graduum*, à Salomone compositos pronuntiarent, sed maiori probatione hoc indigebat. Mirum tamen videretur nullum Psalmum à Salomone editum inter tot carmina,quę composuit,cùm tertio Regum,capite quarto dicatur: *fuisse carmina eius quinque millia*.Imò nomine carminum Psalmi videntur intelligi,maximè cùm diuini cultus aliquando fuerit studiosissimus; periêre fortasse multi Salomonici Psalmi,sicut & alia opera eius.

CAPVT XXXVII.

Exscribuntur duo Salomonis Psalmi ex repertis in Bibliotheca Augustana.

REPERTI tamen haud olim sunt in Bibliotheca Augustana antiquissimis exscripti membranis decem & octo Salomonis Psalmi, Græcè dumtaxat, quos aliquando in Latinum reddidimus sermonem; atque vt aliquale de iis iudicium feramus,duos tantùm Græcè,Latinéque exhibebimus; primum, & extremum: & sunt sequentes.

ΨΑΛΜΟΣ ΤΩ ΣΑΛΟΜΩΝ.

Α.

1. Ἐβόησα πρὸς κύριον ἐν τῷ θλίβεσθαί με εἰς τέλος, πρὸς τὸν θεὸν ἐν τῷ ἐπιθέσθαι ἁμαρτωλούς.

2. Ἐξάπινα ἠκούσθη κραυγὴ πολέμου ἐνώπιόν μου, ἐπακούσεταί μου, ὅτι ἐπλήσθην δικαιοσύνης.

3. Ἐλογισάμην ἐν καρδίᾳ μου, ὅτι ἐπλήσθην δικαιοσύνης ἐν τῷ εὐθηνῆσαί με, καὶ πολλὼ γενέσθαι ἐν τέκνοις.

4. Ὁ πλοῦτος αὐτῶν διέλθοι εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ ἡ δόξα αὐτῶν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς.

5. Ὑψώθησαν ἕως τῶν ἄστρων· εἶπαν, οὐ μὴ πέσωσιν.

6. Καὶ ἐξύβρισαν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς αὐτῶν, καὶ οὐκ ἤνεγκαν.

7. Αἱ ἁμαρτίαι αὐτῶν ἐν ἀποκρύφοις, κἀγὼ οὐκ ᾔδειν.

8. Αἱ ἁμαρτίαι αὐτῶν ὑπὲρ τὰ πρὸ αὐτῶν ἔθνη· ἐβεβήλωσαν τὰ ἅγια κυρίου ἐν βεβηλώσει.

PSALMVS SALOMONI.

I.

1. *Clamaui ad Dominum cùm tribularer in finem: ad Deum cùm persequerentur peccatores.*

2. *Subitò auditus est clamor belli coram me: audiuit me, quia plenus sum iustitiâ.*

3. *Cogitaui in corde meo, quoniam plenus iustitiâ: in abundantia mea, & multitudine filiorum.*

4. *Diuitiæ illorum peruenerunt in vniuersam terram: & gloria illorum vsque ad fines terræ.*

5. *Exaltati sunt vsque ad sidera: dixerunt, nequaquam cadent.*

6. *Abundarunt in bonis suis: & non attulerunt.*

7. *Iniquitates illorum in absconditis: & ego non noui.*

8. *Iniquitates illorum supra gentes quæ antecesserunt eos: profanarunt sancta Domini in contaminatione.*

Extremus, id est, decimus octauus Psalmus in hunc modum se habet:

ΨΑΛΜΟΣ ΤΩ ΣΑΛΟΜΩΝ ΕΠΙ τοῦ Χριστοῦ κυρίου.

ΙΗ.

1. Κύριε τὸ ἔλεός σου ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰς τὸν αἰῶνα.
2. Ἡ χρηστότης σου μετὰ δόματος, πλουσίου ἐπὶ Ισραήλ· οἱ ὀφθαλμοί σου ἐπιβλέποντες ἐπ' αὐτὰ καὶ οὐχ ὑστερήσει ἐξ αὐτῶν.

3. Τὰ ὦτά σου ἐπακούσει εἰς δέησιν πτωχοῦ ἐν ἐλπίδι, τὰ κρίματά σου ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν μετ' ἐλέου.

4. Καὶ ἡ ἀγάπη σου ἐπὶ σπέρμα Ἀβραὰμ υἱοῦ Ισραήλ· ἡ παιδεία σου ἐφ' ἡμᾶς ὡς υἱὸν πρωτότοκον μονογενῆ.

5. Ἀποστρέψαι ψυχὴν ὑπήκοον ἀπὸ ἁμαρτίας ἐν ἀγνοίᾳ.

6. Καθαρίσαι ὁ θεὸς Ισραὴλ εἰς ἡμέραν ἐλέου ἐν εὐλογίᾳ, εἰς ἡμέραν ἐκλογῆς, ἐν ἀνάξει Χριστοῦ αὐτοῦ.

7. Μακάριοι οἱ γινόμενοι ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἰδεῖν τὰ ἀγαθὰ κυρίου, ἃ ποιήσει γενεᾷ τῇ ἐρχομένῃ.

8. Ὑπὸ ῥάβδον παιδείας Χριστοῦ κυρίου, ἐν φόβῳ θεοῦ αὐτοῦ, ἐν σοφίᾳ πνεύματος καὶ δικαιοσύνης καὶ ἰσχύος.

9. Κατευθῦναι ἄνδρα ἐν ἔργοις δικαιοσύνης φόβῳ θεοῦ· καταστῆσαι πάντας αὐτοὺς ἐν φόβῳ κυρίου.

10. Γενεὰ ἀγαθὴ ἐν φόβῳ θεοῦ, ἐν ἡμέραις ἐλέου.

ΔΙΑΨΑΛΜΑ.

11. Μέγας ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ ἔνδοξος, ἐν ὑψίστοις κατοικῶν.

12. Ὁ διατάξας, ἐν κυρεία φωστῆρας εἰς καιροὺς ὡρῶν ἀφ' ἡμερῶν εἰς ἡμέρας καὶ οὐ παρέβησαν ἀφ' ὁδοῦ ἣν ἐνετείλατο αὐτοῖς.

13. Ἐν φόβῳ θεοῦ ἡ ὁδὸς αὐτῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀφ' ἧς ἡμέρας ἔκτισεν αὐτὰ ὁ θεὸς καὶ εἰς αἰῶνα.

14. Καὶ οὐκ ἐπλανήθησαν, ἀφ' ἧς ἡμέρας, ἔκτισεν αὐτοὺς ἀπὸ γενεῶν ἀρχαίων· οὐκ ἀπέστησαν ἀπὸ ὁδοῦ αὐτῶν εἰ μὴ ὁ θεὸς ἐνετείλατο αὐτοῖς ἐν ἐντολῇ δούλων αὐτοῦ.

Ψαλμοὶ Σαλομῶντος ιή. ἔχουσιν ἔπη α. τέλος σὺν Θεῷ.

PSALMVS SALOMONI DE CHRISTO DOMINO.

XVIII.

1. *Domine misericordia tua super opera manuum tuarum in æternum.*

2. *Dulcedo tua cum munere diuite super Israel: oculi tui considerantes super ea, & ex ipsis non tardabit.*

3. *Aures*

3. *Aures tuæ audient petitionem pauperis in spe: iudicia tua in vniuersam terram cum misericordia.*

4. *Et dilectio tua super semen Abraham filij Israel: correptio tua super nos tanquam filium primogenitum vnigenitum.*

5. *Vt auertas animam obedientem ab imperitia in ignorantia.*

6. *Vt mundes Deus Israel, in die misericordiæ in benedictione, in die electionis, in regno Christi eius.*

7. *Beati qui nati sunt diebus illis ad videndum bona Domini, quæ faciet generationi venturæ.*

8. *Sub virga increpationis Christi Domini in timore Dei sui: in sapientia spiritus, & iustitiæ, & fortitudinis.*

9. *Ad dirigendum virum in operibus iustitiæ timore Dei: constituendum omnes illos in timore Domini.*

10. *Generatio bona in timore Dei: in diebus misericordiæ.*

DIAPSALMA.

11. *Magnus Deus noster: & gloriosus in altissimis habitans.*

12. *Ordinans in potestate luminaria in tempora horarum à diebus in dies: & non transgredientur à via, quam præcepit illis.*

13. *In timore Dei via illorum quotidie: à die quâ creauit illa Deus, & in sæculum.*

14. *Et non errarunt à die quâ creauit illa Deus, à generationibus antiquis: non recesserunt à via sua, nisi Deus præcipiat illis in mandato seruorum eius.*

Psalmi Salomonis octodecim habent ab primo finem in Deo.

CAPVT XXXVIII.

Considerantur quæ possint derogare authoritati Salomonici Psalterij.

DVo in his Psalmis notari possunt, quo minus Salomoni tribuendi videantur: quoniam primo Psalmo introducatur author persecutionem passus quâ vacauit Salomon Rex pacificus mirâ tranquillitate functus. Deinde quoniam in secundo Psalmo *Christus Dominus* clarissimè pronuntietur: tum in inscriptione, tum in ipso Psalmi contextu. Is autem modus loquendi neoterior est, & Christianorum. Adiici ad hæc possit secundum ordine Psalmum sic incipere, ἐν τῷ ὑπερηφανεύεσθαι τ̄ ἁμαρτωλὸν ἐν κριῷ κατέβαλες τείχη ὀχυρά. *Cùm superbiret peccator in ariete deiecisti muros munitos.* Tempore autem Salomonis vsus arietis bellici, & tormentarij non erat, cùm eius machinæ inuentores Carthaginenses fuêre, eâ vsi aduersus Romanos, teste Tertulliano libro de pallio, vbi ait: *Arietem non quem Laberius reciprocicornem, & lanicutem, & testitrahum: sed trabes machina est, quæ muros frangere militat, nemini vnquam adhuc libratum: illa dicitur Carthago studiis asperrima belli, prima omnium armasse in oscillum penduli impetus commentata vim tormenti de bile corporis capite vindicantis.*

Ioann. Euseb. de Orig. S. Script.

Idem confirmant Pausanias & Vitruuius. Carthaginenses siquidem post Salomonem effloruère; quippe conditionem Carthaginis ab Elisia Pigmalionis sorore sæculum & dimidium præcessit, plus minusve Hiram; apud Græcos Iramus Abibali filius, Rex Tyri æuo Salomonis, & amicus eius: Iosephus scribit libro contra Appionem primo: *Sunt apud Tyros multorum annorum scripta publica diligentissimè seruata de rebus memoria dignis, quæ vel apud ipsos, vel aduersus alios gesta fuerunt: in his proditum extat Hierosolymis extructum fuisse templum à Salomone Rege, annis antè conditam à Tyriis Carthaginem centum quadraginta tribus, & mensibus octo.* Verùm hoc indicium non multam habet vim, quoniam non semel inuenimus scripturæ interpretes notiori vocabulo vsos, vt rem facilius

Prou.26. explanent, quamuis ea vox in originali non habeatur, vt est illud Prouerbiorum: *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij.* Vox Mercurij in Hebræo non est, sed tantùm generice *cumulum.* Illud quoque quod vulgatus vertit in libro Iob iuxta Hebræum: *nomen tertiæ Cornu stiby.* Septuaginta reddunt Ἀμαλθείας κέρας, *Amalthea cornu.* Sic etiam *Orionis* nomen in versione Iob continetur, cùm antequam Orion viueret, is liber fuerit Hebraicè scriptus.

Dein nulla mentio est horum Psalmorum apud Patres; quare licet à nemine damnati

Cap.12.& 20. sint, à nemine sunt laudati; atque ideò nequeunt authoritatem habere. Tertullianus libro de carne Christi solùm damnat Valentinianorum Psalmos, qui diuersissimi ab his erant; sicut etiam ij quos Nicephorus memorat, non aliud continentes quàm Pauli Sa-

Lib.6.cap.30. mosateni encomia, qui horribili, vt ait ipse Nicephorus, impudentiâ reiecto Dauidis Psalterio laudes suas in Ecclesia compositis Psalmis decantare fecit. Saniores sunt Psalmi, quorum meminit cum laude Dionysius Alexandrinus libro secundo contra Nepotem Episcopum. Et testatur Eusebius libro septimo historiæ; ij erant hymni quidam ab ipso

Lib.9.cap.29. Nepote compositi, quem eo nomine collaudat Dionysius. Fortasse & non nemo imitatus Nepotem secundùm normam Dauidici Psalterij hos Psalmos Salomonicos composuit, an & is Salomon nuncuparetur, quis diuinare potest? Planè nihil absurdum continent. In ea fermè materia versantur, ac Psalmi graduales, quos Hebræi prisci imputarunt Salomoni. Commemorant sæpissimè, siue alludunt ad ea, quæ ad captiuitatem Babylonicam, & ab ea liberationem, restitutionémque attinent: in aliis rebus æmulari conantur Dauidis Psalmos: nam præter idiotismos aliquos, quibus Septuaginta interpretes vtuntur; haud prorsus dissimiles inscriptiones præ se ferunt, Diapsalmata quoque inserentes.

CAPVT XXXIX.

Notantur inscriptiones Salomonici Psaltery.



SALMVS secundus hunc præfert titulum: *Psalmus Salomonis de Hierusalem.* Agitur in eo de expugnatione Hierosolymæ per Nabuchodonosorem: Fortasse etiam per Antiochum. Tertij inscriptio est: *Psalmus Salomonis de iustis*; materia est, quomodo erga eos se habeat Deus misericorditer & prouidè. Quarti titulus est: *Psalmus Salomonis de his qui placere hominibus student.* Egregiè aduersus hos inuehitur. Psalmus quintus simpliciter inscribitur. Sextus hunc titulum habet: *Psalmus in spe Salomonis*; refertúrque ad fiduciam orationis, vt ex illo versiculo liquet: *Dominus exaudiuit orationem omnis qui est in timore, & omnem petitionem animæ sperantis in ipsum implebit Dominus.* Septimus hoc modo notatur: *Psalmus Salomonis conuersionis.* Nihil tamen continet vnde colligatur aliquid de salute Salomonis, sed de toto populo Israëlitico agit, & potius de conuersione Dei ad miserescendum eius. Octauus huiusmodi inscribitur: *Psalmus Salomonis in victorias*; non narrat victorias Iudæorum, sed de Iuda, qui propter peccata sua quæ enumerat, victus, captus, ductúsque à Babyloniis fuit, & Deus de peccatis punitis victorias retulit. Nono hæc præfixa sunt: *Psalmus Salomonis in coarguitione.* Græcè est εἰς ἔλεγχον: memoratur ibi captiuitas, & transmigratio Babylonica. Decimus sic se habet: *Hymnus Salomonis.* Vndecimus sic: *Salomonis in expectatione*, depingit reædificationem, & restaurationem Hierusalem, & gloriam eius maiorem deinceps prædicat, quod fuit Isaiæ, & aliorum Prophetarum vaticinium. Duodecimum hæc notat inscriptio: *Salomonis in lingua iniquorum*, reprehenditque vitia linguæ. Vndecimus sic insignitur: *Psalmus Salomonis consolatio iustorum*; in quo videtur alludi ad discrimen inter restitutam

restitutam Samariam, & Hierosolymam, dum inter alia ait: *Feræ noxiæ accurrebant illis, in viis illorum laniabant carnes eorum, & in mollibus tundebant ossa eorum, & ex his omnibus liberauit nos Dominus.* Et postea: *Quoniam subuersio peccatoris, & non attinget iustum quidquam ex his omnibus.* Regnum quippe Israel quorum caput Samaria fuit penitus submersum mansit: neque illuc vltra restitutus Israel, hoc est, decem tribus, sed restitutio facta est ex populis Assyriis, & Babyloniis, qui primum terram illam colere cœperunt: immisit Deus in eam feros leones, à quibus misere vexabantur noui isti incolæ. Calamitatem hanc propter neglectum Dei cultum sibi infligi statim præsenserunt. Re igitur ad Salmanasarum renuntiatâ, vnum de Sacerdotibus captiuis ad eos remisit, qui legitima Dei eos doceret, atque hoc solo ἀλεξιφαρμάκῳ leonum feritas domita, & restincta est. Rabbi Iose duos sacerdotes missos scribit; etenim audito rumore de leonibus dilacerantibus Assyrios conuocauit Salmanasar seniores captiuitatis Israeliticæ, qui rogati eius rei causam, responderunt: *Domine noster Rex, terra ista non recipit gentem incircumcisam* (Regem sperabant responsurum: redite igitur in patriam vestram, sed expectatione ipsorum elusa) *Respondit eis: date duos de vobis, eamque & circumcidant eos & doceant librum legis. Verbo autem Regis nihil erat reponendum. Miserunt igitur R. Dositheum, & R. Zachariam, qui flentes circumciderunt eos, & docuerũt eos librũ legis cum scriptura emigmatica, & compendiaria.* Porro quartus decimus Psalmus dumtaxat inscribitur *hymnus Salomoni.* Decimumquintum verò hæc præfatio insignit: *Psalmus Salomoni cum Cantico.* Tangitur ibi vtilitas diuinarum laudum, dum dicitur: *Quid potest homo nisi confiteatur nomen tuum? Psalmum & laudem cum cantico in lætitia cordis, fructum labiorum in organo præparato linguæ, primitias labiorum à corde sancto & iusto. Faciens hæc non mouebitur in æternum à malo, flamma ignis & ira iniustorum non attinget eum.* Decimo sexto hic titulus est, *Psalmus Salomoni in adiutorio.* Græcè εἰς ἀντίληψιν imploratur ibi diuinum auxilium. Decimus septimus ita præloquitur *Psalmus Salomoni cum Cantico Regi.* Incipit, & tandem desinit vocans Deus Regem. Totus videtur alludere ad aduentum & regnum Christi Domini; frustum huius Psalmi dabo, in quo describitur dominatio Messiæ: postquam enim Israelitici & Iudaici Regni vastationem commemorasset, subdit:

Vide Domine, & suscita illis Regem suum, filium Dauid in tempore quod vides tu Deus: ad regnandum super Israel filium tuum.

Et succinge illum fortitudine ad conterendum principes iniustos.

Munda Hierusalem à gentibus deambulantibus in perditione, in sapientia iniusta.

Repelle peccatores ab hæreditate; contere superbiam peccatorum, vt vasa figuli in virga ferrea, contere omnem substantiam illorum.

Perde gentes iniquas in verbo oris illius in concione eius, vt fugiant gentes à facie illius, & increpa peccatores in verbo cordis sui.

Et congregabit populum sanctum, quem ductauit in iustitia, & iudicabit tribus sanctificati à Domino Deo suo.

Et non dimittet iniustitiam in medio illorum habitare, & non habitabit omnis homo cum illis sciens malitiam.

Etenim cognoscet illos, quoniam omnes sunt filij Dei sui, & dimetietur illos in tribubus suis super terram.

Et incola & extraneus non cohabitabit cum ipsis amplius. Iudicabit gentes & populos in sapientia Iustitia.

DIAPSALMA.

Et habebit populos gentium ad seruiendum illi sub iugo eius, & glorificabit in celebritate vniuersa terra.

Et purgabit Hierusalem in sanctificatione quemadmodum, & quod ab initio:

Vt veniant gentes ab extremis terræ ad videndum gloriam eius, portantes munera infirmatos filios eius.

Et ad videndum gloriam Domini, qua glorificauit illam Deus, & ipse Rex iustus, doctus Domino super illos.

Et non est iniustitia in diebus eius in medio ipsorum: quoniam omnes sancti, & Rex illorum Christus Dominus.

Etenim non sperat in equo, & ascensore, & arcu, neque multiplicabit sibi aurum, & argentum ad bellum: & multis non congregabit fiducias in diem belli.

Dominus ipse Rex eius spes potentis in spe Dei, & miserebitur omnium gentium in conspectu suo in timore.

Etenim concutiet terram verbo oris sui in æternum.

Benedicet populum Domini in sapientia cum lætitia.

Et ipse mundus à peccato ad regendum populum magnum, ad increpandum Principes, auferendum peccatores in fortitudine verbi.

Et non infirmabitur in diebus suis in Deo eius; quoniam Deus effecit illum potentem in spiritu sancto: & sapientem in consilio prudentia cum fortitudine & iustitia.

Et benedictio Domini cum ipso in fortitudine, & non infirmabitur.

Spes eius ad Dominum, & quis potens contra illum? fortis in operibus suis, & potens in timore Dei.

Pascens ouile Domini in fide & iustitia, & non dimittet, vt infirmentur inter illos in pastu suo.

Omnes illos in sanctitate ducet, & non est in illis superbia dominandi inter eos.

Ipse nitor Regis Israel, quem nouit Deus, vt suscitet illum in domum Israel vt corripiat illum.

Verba eius ignita super aurum pretiosum & primum, in Synagogis diiudicabit populos, tribus sanctificatorum.

Sermones eius vt verba sanctorum: in medio populorum sanctificatorum

Beati qui nascuntur in diebus illis ad videndum bona Israel in congregatione tribuum; quas faciet Deus.

Accelera Deus super Israel misericordiam tuam, liberabit nos ab impuritate inimicorum profanorum: Dominus ipse Rex noster in sæculum, & adhuc.

CAPVT

CAPVT XL.

Vtrùm in captiuitate compositi aliqui Psalmi? An & ab Eman, Ethan, filiis Ionadab, Ieremia, Ezechiele, Aggæo, Zacharia, & Esdra?



HEMAN quoque & Ethan numerantur inter authores Psalmorum, quoniam ipsorum nomina duo Psalmi præmonstrent, videanturque ipsi ab eximia sapientia commendari in tertio Regum libro, capite quarto, vbi de Salomone dicitur: *Et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan Ezrahita & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol.* Falsò quippe existimatur in *Seder Olam* hos esse Ægyptiorum sapientes: quoniam paulò antè dictum fuerat: *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum.* Nomen quippe Ethan indicat Hebræos esse, quod confirmat Iosephus libri octaui capite secundo. Atque ex titulis Psalmorum & Paralipomenis potest confulciri. Ex quibus Eman, & Ethan tanquam homines Hebræi, & cantores Dauid commemorantur. S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis prodit in Ethan Abraham intelligi, in Eman Moysen, in Chalcol Ioseph, in Dorda duodecim tribus, in Mahol Iacob: at secutus est Hieronymus traditiones Hebræorū, non quidē indubitatas, quæque etymologiis incertis, aut non veris nituntur, & iam in superioribus reiecimus eos, qui ab Abraham putarent compositum Psalmum octogesimum octauum, cuius titulus Ethan præfigitur. Genebrardus sapientem Heman nepotem Samuelis putat, & principem cantorum, cum Asaph fratre; negat tamen de eo fieri in Psalmi alicuius titulo mentionem, sed de alio, qui Zare filij Iuda filius fuerit. Idem censuit Lyra. At Abulensis, & Sixtus eosdem ipsos existimant Heman, & Ethan qui in libro Regum tertio laudantur, ac qui in Psalmorum titulis inscribuntur. Porrò Philo libro de temporibus tradit Psalmos, qui his tribuuntur, qui sunt octogesimus septimus & sequens, multò post Dauidicum & Salomonicum sæculum compositos, nimirum Psalmum octogesimum septimum fuisse editum in captiuitate Babylonica, & assiduè per septem decantatum annos, quibus Ioakim Rex Iudæorum carceribus Babylonis iniustè fuit oppressus. Psalmum verò octogesimum octauum fuisse compositum ad gratiarum actionem, quando Euilmerodach Rex Assyriorum Ioakim Regem de carcere eductum apud se in honore habere cœpit. Falsa tamen ista existimatio communi sensu reputatur; atque perinde habet Psalmus octogesimus septimus mentionem filiorum Core, atque Heman: filij autem Core potissimum tempore Dauidis effloruere in Psalmorum concentu pariter ac Heman.

Fuit quidem aliquibus visum Psalmum septuagesimum in captiuitate compositum, cum in titulo præferat: *Filiorum Ionadab & priorum captiuorum.* quippe filij Ionadab Rechabitæ erant, qui multos post Dauid annos floruerunt, ipseque Ionadab illustris habitus tempore Iehu: cum enim addatur: *Et priorum captiuorum*, conspirant omnes hunc Ionadab non esse illum, qui filius fuit Semmaa fratris Dauid, qui turpe consilium Amnoni dedit inferendi vim Thamar Absalonis etiam ex matre sorori, Sed vt dixi, illum Ionadab celebriorem socium Iehu in occidendis reliquiis domus Achab & patrem Rechabitarum in vaticinio Ieremiæ satis commendatorum. Hi Rechabitæ quamuis nullibi dicantur clarè captiui, videntur paruisse primi omnium Ieremiæ suadenti Iudæos dedere se se Chaldæis, à quo Propheta ipsi collaudati erant. Dicuntur igitur Rechabitæ captiui illum Psalmum cecinisse: & fortasse ita fuit. At nequaquam ab his est editus, cum expressè titulum Dauidis ostentet, qui talis est: *Psalmus Dauid filiorum Ionadab.* Ecce Dauidem authorem notat: Adiectum fortasse ab Esdra illud *filiorum Ionadab*, quoniam eo vsi fuerint Rechabitæ, aut pro iis dictus.

Etenim Esdras Psalmorum collector fuit, vt Haymoni pluribusque aliis placet, & ab eodem videntur notata in Psalmorum titulis aliqua Prophetarum nomina, qui multo post Dauidem vixerunt, nec ab iis videntur ij Psalmi editi, cum aliquando reperiatur simul Dauidis inscriptio, qua significatur fuisse Dauid author, qui nequiit vllum Psalmum cum neoterico Propheta simul composuisse, cum magna inter vtrum-

que

que annorum intercapedo excurrerit. Præterea nunquam reperitur huiusmodi inscriptio: *Psalmus Zachariæ*, vel *Psalmus Aggæi*, aut *Psalmus Ieremiæ*, sed ad summum solum nomen Prophetæ, vel quod aliunde regatur quàm ex nomine Psalmi, vt *reuersionis Aggæi, & Zachariæ*. Hinc etiam constat Psalmum: *Super flumina*, qui Ieremiæ tribuitur, ab eo non esse compositum, sed à Dauide, cum titulum hunc habeat: *Psalmus Dauid Ieremiæ*. Dictus fuit quidem à Dauide cum respectu fortasse ad Ieremiam, cuius lachrymas præuidit. Idem dicendum est de Psalmo sexagesimo quarto, qui licet habeat in inscriptione, hæc verba: *Canticum Ieremiæ & Ezechielis*: ante istam tamen clausulam præmittit *Psalmus David*. Vnde constat hunc fuisse eius legitimum authorem: sed quia agitur ibi de egressione Iudaici populi è Babylonica captiuitate, quam prædixerunt illi duo Prophetæ; idcirco in eius Psalmi titulo memorantur. Illud obiter hic admonendum, ea huius Psalmi verba: *Timebunt qui habitant terminos à signis tuis*, non ad miracula & prodigia, quæ tunc acciderint, à nulloque probatæ fidei auctore narrantur, referenda, sed potius ad vias, & itinera Iudæorum regressorum. Promam quæ circa hæc reperio in vetustis Iuliani Toletani aduersariis, qui ait: *Salomon & prædecessores Reges Iudæorum, signauerunt vias Regias, & Militares lapidibus, ad milliaria, quem morem ab eis Carthaginenses, & Romani, & ab his Gothi, & Sarraceni acceperunt. Quin huius vrbis Hebræi doctissimi mihi dixerunt, in milliaribus lapidibus, altera facie posuisse numerum milliariorum, in alterâ vero aliquod nomen Dei; iuxta illud Psalmi sexagesimi quarti: Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos, à signis tuis. Sic vocat hic lapides milliares, signa. Quin in omni lapide scriptum erat, Huc progredi licet Hebræo, in die Sabbathi; nec hinc vltra transire.* Hæc Iulianus. Præter hæc fertur etiam Esdras (quoniam Psalmorum collector) primum condidisse Psalmum, instarque præfationis toti Psalterio apposuisse, sed hoc incertum.

***



IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER DECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

An aliquid præstiterint Esaias, aut Ezechias circa Cantica, & Prouerbia Salomonis?



DE Salomonis scriptis nunc agemus. Is initio sui Principatus composuit Prouerbiorum librum, seu Parabolas, quas nobiles sibi adstantes exceperunt, posteà edidit Cantica Canticorum. Tandem sub vitæ finem Ecclesiasten fertur composuisse suorum erratorum pœnitens, vt quidam Iudæi tradunt: sed alij Esaiæ authori hos tres libros addicunt. Rabbi Moyses Kimhi sic ait: *Esaias scripsit librum suum, & librum Prouerbiorum & librum Ecclesiastes, & librum Cantici Canticorum.* Authores quoque Thalmud ab Ezechia, eiúsque familiaribus editum Ecclesiasten volunt. Nonnulli hoc tribuunt familiaribus Salomonis; & sunt alij qui dicant sententias horum trium librorum ab Esaia Propheta fuisse collectas ex variis libris Canticorum, & Prouerbiorum, quos diuina Scriptura commemorat à Salomone compositos, & Spiritus sancti instinctu reseruatas, tanquam cæteris vtiliores, atque his tribus libellis coarctatas, quas Isidorus ex Iosepho & Hieronymo affirmat hexametris, & pentametris versibus à Salomone conscriptas, & extremam partem libri Prouerbiorum concludi alphabeto, quod trimetro Iambico supputatur. Planè Hippolytus in Canticum Canticorum laudatus ab Anastasio Niceno quæstione trigesima nona, editum ab aliis, quàm à Salomone putat librum Canticorum, collectum scilicet ex multis Salomonis Canticis; idcirco considerat dici Canticum Canticorum, quasi ex pluribus concinnatum canticis. Verba Hippolyti operæpretium erit exhibere; Iocutus de Salomone, cuius multa & sapientissima opera cõmemorantur in Scriptura, sic rogat: *Et vbi est vniuersa eius cognitio? vbi autem hæ mysteria? & vbi libri? Extant enim sola Prouerbia, & Sapientia, & Ecclesiastes, & Canticum canticorum. Quid ergo? falsúmne dicit Scriptura? Absit. Sed fuit quidẽ magna, eorum quæ scripsit, materia, vt ostendit dicendo, Canticum Canticorum: Significat enim, quòd id quod continebant ter mille Odæ seu Cantica, in vno narrauit: In diebus autem Ezechiæ; alij quidem libri fuerunt electi, alij verò neglecti. Vnde dicit Scriptura: Hæc sunt Prouerbia Salomonis discreta, quæ scripserunt amici Ezechiæ Regis. Vnde autem selegerunt, nisi ex libris, qui inerant in ter mille Prouerbiis, & quinquies mille Odis seu Canticis Canticorum? Ex ipsis sapientes amici Ezechiæ elegerunt ea, quæ pertinebant ad ædificationem Ecclesiæ.* Porrò circa Salomonica opera animum aduertisse Ezechiam Regem constat ex Eusebij Cęsariensis testimonio

monio de prisca historia, qui ait: *Libros autem Salomonis, qui scripti erant de Prouerbiis, & Odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, & omni genere animalium, & de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias; propterea, quod morborum medelas inde acciperet populus, & nihili faceret à Deo petere curationes.*

Sanè negari non potest tempore Ezechiæ Regis manum aliquam appositam operibus Salomonis: nam constat ex Scriptura viros amicos Ezechiæ transtulisse quædam prouerbia in libro Prouerbiorum. Hinc factum est, vt quidam Ezechiam fecerint collectorem librorum Salomonis. At quoniam eam manum non solus Ezechias, & per se apposuit, sed per viros amicos suos, atque Isaias fuerit amicissimus eius, & præcipuus inter eos viros, natum hinc est, vt Esaiæ tribuatur ea collectio, & à quibusdam dicatur author eorum librorum. Nihilominus mihi videtur librum Canticorum, & Ecclesiasten non esse opus dici ab Ezechia, vel Isaia tactos, cùm ex Scriptura id non colligatur, nec ea opera ido stendant. Consideratio autem illa Hippolyti ex titulo Cantici Canticorum nata est ex obliuione idiotismi Hebraici: non enim nuncupatur eiusmodi is liber, quoniam ex multis Salomonis Canticis collectus sit; sed quoniam eximium, & excellentissimum canticum sit: nam quod exaggerare volunt Hebræi dicere, repetitione eiusdem nominis genitiuo pluralis præstant. sic dicitur: *Vanitas vanitatum*, pro ingenti vanitate, & *Deus Deorum* pro Deo maximo. Aliis quæ pro Thalmudicorum opinione obiiciuntur circa authorem Ecclesiastæ; satis respondet noster Pineda, & inefficacia obiecta sunt. An verò scriptus sit Ecclesiastes post Salomonis pœnitentiam æquè incertum est, ac ipsa pœnitentia. Affirmant nihilominus multi, cap. 5. & disertè noster tuetur Pineda, tametsi prius id repulerit Bellarminus libro primo de verbo Dei. Eucherius quoque voluit cantica post pœnitentiam concinuisse, sicut & Hieronymus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Bachiarius Prouerbia.

CAPVT II.

Sobna & Isaias fuerunt viri Ezechiæ Regis, qui transtulerunt parabolas quasdam Salomonis.

Explicatur locus Prouerb. 25.


IRCA Prouerbiorum librum aliqua incident consideratione digna: nam initio capitis vigesimi quinti dicitur: *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda.* Gemina hic dubitatio, qui fuerint hi viri Ezechiæ. Deinde quid præstiterint. Aben Ezra, Sixtus Senensis & alij vnum ex his fuisse Sobnam, siue Sebonam, qui tempore Ezechiæ Regis scriba fuit. Septuaginta dicunt eos viros Ezechiæ fuisse amicos eius. Sic enim legunt: *Hæ sunt disciplinæ Salomonis indistinctæ, quas descripserunt amici Ezechiæ Regis.* In quarto autem libro legis, & vaticinio Isaiæ legimus tres fuisse familiares Regis Ezechiæ; eosque penè semper iunctos memorat occupatos in negotiis ipsius Regis ingredientes ad Deum & colloquentes: Hi sunt Eliacim filius Helciæ præpositus, domus Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentariis. Sic capite trigesimo sexto Isaiæ dicitur: *Ingressus est Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Ioahe filius Asaph à commentariis ad Ezechiam, scissis vestibus, & nuntiauerunt ei verba Rabsacis.* Eosdem priùs miserat Rex ad excipiendam legationem Assyrij tyranni; eosdem saltem duos primos misit ad Isaiam. Puto tamen in eorum virorum Ezechiæ numero, & potissimo loco ipsum numerandum Isaiam, qui non parum elaborasse in libris sacris credendus est; & cui potissimùm ea prouincia demandata fuerit à sancto Rege. Sobna quoque cùm scriba extiterit præcipuus, & Ioahe, quoniam à commentariis Regi erat, non expertes eius laboris essent. An autem interuenerit Eliacim, quoniam administrationi Regiæ domus satis occupatus esset, dubitari poterit. Sed parum hoc refert explorare.

Quoad verba præposita initio vigesimi quinti Prouerbiorum capitis, Plerique interpretes isthæc verba tanquam titulum sequentium Parabolarum ab aliquo præscripta, & præfixa fuisse autumant, hunc verò & non alium nisi Sobnam fuisse, ex coniectura Aben Hezræ docent non pauci, quem tempore Ezechiæ scribam fuisse memorat sacra pagina.

Addunt

Addunt etiam hunc vnà cum aliis Ezechiæ Regis familiaribus, reliquas huius libri sententias dispersas ex peruetustis membranis collegisse, & compilasse. Itaque verbum illud, transtulerunt, non significat (inquiunt) parabolas istas ab vna lingua in aliam à viris illis conuersas, ac redditas fuisse: sed ex diuersis schedulis in hoc volumen transcriptas, ac superioribus adnexas. Caietanus autem addit sequentes parabolas ad huius libri integritatem nequaquam pertinere: Sed cùm constet ex libro tertio Regum, capite quarto, Salomonem tria Parabolarum millia dictasse, viros Ezechiæ ex his millibus, quarum pleraque interierant, paucas istas hinc inde conquisitas, & ab interitu vindicatas in hunc librum velut appendicem aliquam contulisse suspicatur. Pineda noster præfatione in Ecclesiasten *transtulisse* sumi vult pro descripsisse ex autographo, vt plura exempla suppetere possent discipulis & magistris: censet enim tempore Salomonis, & posteà Ezechiæ, diligentissimos Doctores extitisse, qui apertis scholis docerent, & quasi per manus traderent sententias Salomonicas. Notat deinde originale verbum, ex quo vertit vulgatus, *transtulerunt*, non solùm significare describere ex vno exemplari, vel linguâ, sed etiam transferre de manu in manum. Vnde in secundo Paralipomenon, capite quarto, dicuntur *verba vetera*: propriè inquit, ex eadem radice verba translata, id est, quæ per traditionem, & de vno in alium accipiuntur ab auditoribus. Quare iuxta hæc viri Ezechiæ transferebant sententias Salomonis, nempe communicabant cum pluribus. Addit ex proprietate Hebræâ, transferre esse roborare, quasi viri Ezechiæ robur aliquod, & authoritatem dederint suo testimonio illis parabolis Salomonis suâ manu descriptis.

Planius tamen & subtilius Ferdinandus Salazarius eruditissimus magister meus coniectatur: qui supponit hunc librum esse Sapientiæ, aut Salomonis conuiuium, in quo Salomon seipsum, necnon Agur, seu congregantem, Lamuelémque Regem loquentes inducit. Quemadmodum Plato etiam in suo conuiuio Socratem, Phædrum, Pausaniam, Eryximachum, & alios quosdam amoris laudes personantes: & Plutarchus in suo etiam epulo septem Græciæ sapientes, de legibus perorantes induxit Salomones, qui primo loco dicit in hoc conuiuio à capite decimo (vbi sic initio legis: *Parabolæ Salomonis*) sermonem advsque vigesimi quarti capitis finem protulisse: Tunc autem inducit Agur, & Lamuelem suas inseruisse Parabolas, & Problemata, ac demum post illos Salomonem dicere iterùm, & adorsum opus perfecisse. Ad hunc modum olim huius libri, seu potius conuiuij telam fuisse contextam suadet translatio Vaticana septuaginta Interpretum, quæ Agur, Lamuelisque Parabolas sub finem huius capitis vigesimi quarti inserit, & ad Salomonis parabolas rursus redit. Ergo viri Ezechiæ, cùm librum hunc Salomonis conscriberent, vt parabolas, quas Salomon suo nomine dictauerat, in vnum conflarent, eas, quas post duos illos, Agur, Lamuelémque subiecerat, è suo loco in hunc transtulerunt, ac duorum, Agur videlicet, Lamuelisque orationes, post omnes Salomonis parabolas subscripserunt. Quapropter ita ego reor, priora illa verba: *Hæ quoque parabolæ Salomonis*, ad textum ipsum sacrum pertinere, & ab ipso Salomone hîc adscripta fuisse: quemadmodum etiam capite decimo, *Parabolæ Salomonis*: atque etiam idem iudicium ferendum de illis, *Verba congregantis, filij vomentis*, necnon de illis, *Verba Lamuelis Regis*: eiusmodi enim præscriptiones significant personam, quæ in hoc conuiuio sapientiæ fari incipit. Ergo cùm Salomon semel & iterum iuxta veterem, germanámque huius libri seriem, sermonem haberet, semel quidem ante duos illos sapientes, & iterum post illos; priori quidem orationi hic titulus præfixus fuit: *Parabolæ Salomonis*; posterior autem sic inscripta est: *Hæ quoque parabolæ Salomonis.* Illa autem verba: *quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda*, non pertinent ad textum, sed ab aliis hîc adscripta sunt, & parenthesi claudi deberent: significant autem sequentes parabolas, non ab vna lingua in aliam, nec ab schedulis in hoc volumen, sed ab vno loco in alium translatas, vt cum prioribus Salomonis parabolis nullo interstitio cohærerent. Hunc ad sensum vocanda est translatio Septuaginta, quæ præmissa verba sic extulit: *Hæ quoque parabolæ Salomonis indistinctæ, quas descripserunt amici Ezechiæ Regis Iudææ.* Græcè αἱ ἀδιάκριτοι, id est, *non discretæ.* Hæ sunt (inquam) Salomonis parabolæ, quas olim amici Regis Ezechiæ indistinctas, & indiscretas conscripserunt: nam eas, quæ priùs aliis interiectis discretæ fuerant, ipsi copularunt, & contexuerunt. Hæc autem addita sunt à septuaginta Interpretibus: non quia ipsi duas illas Salomonis orationes similē ad modum copulauerint, aut contexuerint (constat enim vtramq; secundùm per antiquam huius libri formam ab illis separatam, & solutam) sed vt rationem redderent, cur duas illas iam olim ab Ezechiæ temporibus cohærentes, consertasque orationes duabus aliis interpositis ipsi meritò seiungerent. Nimirum id

Ioann. Eusib. de Origine S. Script.

obiicientes, quod eas Ezechiæ familiares indiscretas conscripsissent: cùm tamen olim discretæ, & ab inuicem separatæ fuissent, iuxta genuinam, primæuámque libri seriem, ac methodum. Hæc penè ad verbum ex Salazario transcripta, quia egregiè, & excogitata, & dicta.

CAPVT III.

An Agur Iudæus, & non Salomon, composuerit caput trigesimum Prouerbiorum.

EX eodem Prouerbiorum libro inquiri potest, quis fuerit Author capitis trigesimi, quod incipit: *Verba congregantis filij vomentis.* in Hebræo est: *Verba Agur filij Iakeh.* Interpres autem Latinus, vt sæpè alibi facit, significationem nominis proprij transtulit, non sonum; de quo suprà latè egimus: quemadmodum enim in Paralipomenis nomen proprium *Molechet* per significationem transfert vulgatus *reginam*, & *Ishod* interpretatur *virum decorum*, & *Ioacim* vertit, *qui stare fecit*. Sic etiam nomen proprium *Agur* in Prouerbiis reddit *congregantem*, quia id significat Agur. De hoc igitur ita Sixtus Senensis scribit: Agur Iudæus filius Iake, hortatu amicorum suorum Ithiel, & Vchal edidit prophetiam quandam parænetieam de duobus à Deo expetendis, de quatuor generibus hominum pessimorum, de quatuor difficilibus, de quatuor minimis animantibus, eximiâ sapientiâ præditis; de quatuor animalibus bene incedentibus, quorum summa trigesimo Prouerbiorum capite refertur. Aben Ezra putat hunc Agurem fuisse virum quendam integræ vitæ, & magnæ sapientiæ, cuius dicta & sententias Salomon transtulit in librum Prouerbiorum suorum. Hæc multorum Hebræorum est existimatio, idémque censuêre aliqui recentiores, vt Rodolphus, & Iansenius hac ratione ductus: Quomodo, inquit, Salomon seipsum virorum stultissimum in sequenti versu appellauit, qui planè nouerat se præ omnibus hominibus, sapientiâ & Prophetico spiritu donatum?

Verùm maior & nobilior interpretum factio eundem esse Agur & Salomonem decernit; sic Rabbi Leui, Beda, Lyranus, Dionysius, Caietanus, Hugo, Osorius, Arboreus, Emanuel Sa, Salazarius, Tirinus, atque Kubenaki, pariter Hebræorum, vt notauit Sixtus, existimat hunc fuisse Salomonem ipsum: אגור, *Agur* enim sonat congregatorem. Salomon autem congregauit verba Sapientiæ, & desumpsit ea. Id quod יקה *Iake* significat; dixitque eam prophetiam propter איתיאל *Ithiel*, id est, vxores, quas plurimas habuit, אכל *Vchal* autem significat *Potero*; præsumpsit enim multa Salomon, & potuit. Atque huic sententiæ fauere videtur nostra vulgata editio pro eo quod in Hebræo legitur דברי אגור בן־יקה המשא נאם הגבר לאיתיאל לאיתיאל ואכל *Divre Agur ben-Iake hammassa neum haggheuer le-Ithiel; le Ithiel veukal.* hoc est, *Verba Agur filij Iake, Prophetia, quam dixit vir ille Ithieli, Ithieli, inquam, & Vchal*, sic transtulit: *Verba congregantis filij vomentis, visio quam loquutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante, confortatus ait.* Alij aliter hæc accommodant Salomoni, vt ipse dicatur congregans, tum ob sapientiam, quâ gubernauit regnum, & in vnum collegit, & quasi congregauit suâ humanitate, liberalitate, & prudentiâ; nam vt Agapetus scribit: *Vnum Regis & agricolæ studium vna cura est congregare: hic quidem serit frumentum, & frumenta congregat; ille verò beneficia serit, & ciues conducit.* Tum quia plurimam sapientiam collegit, tum alias ob rationes, quas ex variis interpretibus collegit eruditissimè Salazarius. Idem Salomon dicitur filius vomentis: quod Hugo Cardinalis interpretatus refert ad Dauidem; quod tantam prophetici spiritus vim hauserit, vt prophetias non more aliorum eloqui, aut efflare, sed veluti euomere videretur. Sic Hugo Cardinalis. Itaque secundùm hanc expositionem, Salomon semetipsum cum parente Dauid componit, & addit se (si fas est filium cum patre conferre) collectorem merum esse, qui afeitas hinc inde sententias congerit. Patrem verò vomentem dici posse, qui pleno ore, & gutture prophetias reddere videretur.

Aliam expositionem producit Hugo, & considerat Salazarius, etiam de Dauide, vt propterea dicatur Salomon filius vomentis, quoniam Dauid saliuæ quodam indecoro vomitu

mitu stultitiam, & insaniam simulauit coram Achis Rege Geth. Neque id abit à contextus serie nam statim stultitiam suam fatetur in auspicio capitis, cum ait: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.*, quod homo sum verè stultus ex patre stultitiam simulante, nam simulatio illius stultitiæ, meæ veræ, & non simulatæ omen fuit. Cæterum hoc quidquid est, ad Dauid, seu ad Bethsabee spectans ex ignoratione Hebraici sermonis profectum fuit: Nota enim est sacræ scripturæ phrasis, iuxta quam hoc nomen *filius* multis affigitur rebus, augendæ significationis gratia; *filius mortis*, dicitur reus mortis: *Filius nuptiarum*, sponsus: *filius iniquitatis*, valde iniquus. Itaque iuxta hunc loquendi modum, *filius vomentis*, seu vomitus appellatur vir abundans vomitu; vel vt obseruat Caietanus, vir cui perseuerat adhuc vomitus, id est, qui eceptum sistere, aut inhibere non potest vomitum. Ergo hæc significatio ad Salomonis prophetiam accommodata non vno modo accipi potest. Aliquis dixit similitudinem hanc vomitus eò spectare, vt significetur huius libri sententias non esse connexas, & in seriem aliquam redactas, sed permixtas omnino, & solutas, vtpote quas Salomon, veluti ex vomitu quodam effuderit: sicut enim vomens cibos permistos, & indiscretos reddit: sic Salomon huius libri sententias ad eum modum permistas sine ordine, ac serie aliqua profluit. Cæterum hæc interpretatio non elaborata & decocta, sed quasi ex vomitione reddita videtur. Posset etiam alius aliquis similitudinem vomitus ad ipsius prophetiæ seueritatem referre, vtpote quæ sit inuectiua, & Satyrica. Notus est ille dicendi modus, Euomere aliquid in aliquem. Cicero quinta Phil. *In me absentem orationem euomuit* id est, inuectus est oratione sua. Terentius in Adelph. *Ibo & requiram fratrem, vt in eum hæc euomam.* Mitto alia. Ergo Salomon iuxta hunc sensum appellari potest in hoc libro, *filius vomentis*, quia in eiusdem libri sententiis plerisque carpit seuerius vitia, & in vitiosos inuehitur, ita vt multa ex his in illos stomachabundus euomuisse videatur, sed maximè in capite trigesimo Prouerbiorum versu vndecimo, tamen hoc etiam coactum videtur.

Illud procliuius, quod tradit Cœlius libro vigesimo primo capite octauo, vomentes appellari solitos eos, qui ex tempore nec præparata, aut præmedita loquuntur, citátque illud Aristidis, qui ab Imperatore quæsitus, vt aliquid ipso audiente diceret, subiecit: *Hodie proponas, cràs verò audias: οὐ γάρ ἐσμεν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων. Non sumus quidem ex vomentibus, sed ex accuratè dicentibus*, Id est, non sumus ex his, qui ex tempore imparati dicunt ad rem. Prophetæ quidem non à se præmeditata, & comparata, sed à Deo ipso instillata, & infusa ex tempore dicebant. Ergo Salomon, vt significet se non suas ex antiqua præmeditatione sententias dicere, sed ex tempore diuino afflatum spiritu eloqui, non ineptè dixerit, *verba congregantis filij vomentis.* Id est, extemporaria, repentina ex diuini spiritus perculsu dicta non ex studio, & præmeditatione coacta, & collecta promentis. Melius verò atque aptius ad quandam prophetici spiritus redundantem plenitudinem significandam, similitudinem vomitionis adhibitam fuisse dicemus. Sicut enim homo pleno & emoto stomacho vomitionem sistere, aut inhibere non potest, donec exhausto ventriculo conquiescit; sic etiam Salomon prophetico plenus spiritu vomenti se similem esse dicit; quia ea, quæ diuino afflatus spiritu exceperat, & iam inde euomere cœperat, à libri huius initio cohibere non poterat; sed adhuc effundere cogebatur. Eodem sensu in Psalmum quadragesimum quartum, quem plerique Salomoni tribuunt, vsus est verbo eructandi: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Et sæpe aliàs, quod perinde est, ac si dicat, verbum bonum animo conceptum supprimere non possum. Sed velut cibus indecoctus in stomacho ructus ciet, & odore suo ipse se se prodit: sic etiam ea, quæ à diuino hausi spiritu, opprimi se, atque celari non permittunt, sed pro ructibus verba mouent, atque inuitum fari cogunt.

Hæc acutè & eruditè expendit Salazarius, sed germanior vltima ex propria sententia commentatio videtur iuxta totius libri scopum: etenim mens Salomonis est Sapientiam inducere inter epulas suos alloquentem conuiuas, & varias sententias dictantem. Cum igitur superiores eiusdem libri prouerbiorum sententias, sapientiæ hactenus tribuerat, ex quo illam loquentem induxerat, vt iuxta morem etiam conuiuiorum non vna tantum persona verba faceret, in hoc capite, & in sequenti duos viros ex conuiuis, quos ad mensam sapientiæ inuitatos fingit, sapientia producit, qui ipso silente simili ratione eloqui, & sententias excogitatas promere cœperunt. Hi sunt *Agur*, seu *congregans* in hoc capite *verba congregantis* &c. Et Lamuel in sequenti quod simili modo auspicatur: *Verba Lamuelis Regis.* Itaque verba hæc non sunt alienas sed quemadmodum Plato in suo con-

uiuio Socratem, Apollodorum, Glaucum, Agathonem, Aristodemum, & alios inducit loquentes, & singulis orationem suam, & amoris elogia tribuit, & Plutarchus septem Græciæ sapientes, & alij alios: sic etiam Salomon sapientiam ipsam, ceu conuiuij Reginam, & Symposiarcham, Agur verò & Lamuelem tanquam conuiuas proponit, & singulis verba dat. Ergo sic ait, *Verba Congregantis*. Non alienum à nostro interprete nomina propria Hebraica Latinitate donare; præsertim cum Emphasim habent. Perinde igitur est, ac si dicat *verba Agur*. Et quidem aptissimè Salomoni id nominis illi dedit, qui silente Sapientia verba facturus erat, significat virum, qui multam sapientiam, & plurimas quoque sententias partim studio, partim vsu, & experientia collegerat, vel si mauis *verba ligantis*, aut *colligantis* (hæc enim omnia originali verbo respondent) sic accipe, id est, verba non clarè, & apertè dicentis, sed sententias suas quibusdam similitudinibus, & ænigmatibus inuoluentis. Nec abit hoc ab antiquæ scripturæ phrasi. Isaias ait capite octauo: *Liga testimonium, signa legem*, Idest, ne apertas, & claras nimium tes dicas, sed eas ænigmatibus, & similitudinibus tege. Iam intelligis quàm aptè hæc significatio in hunc locum cadat: Nam in conuiuiis problemata, & gryphos difficiles obucere solemne erat, & caput istud eiusmodi gryphis scatet. Itaque ait: *Verba ligantis* aut *colligantis*, idest, verba eius, qui sententias suas ænigmatibus condit, similitudinibus tegit. Subdit: *Filij vomentis*, seu vomitus, id est, vir vomens nimirum satur, & affatim epulis expletus: nam ferè problemata sub epulis proponi consueuerunt. Vomens autem pro saturo non ineptè sumitur, vel aliter: Moris erat in conuiuio, vt is, qui copiosè & eleganter, & acutè fari volebat, è conuiuio surgeret, & adesas epulas haustumque vinum euomeret, vt mens liberior, & paratior ad ad dicendum foret. Sanè id non crederem, nisi mihi subesset duplex satis locuples testimonium, alterum quidem Plutarchi in Symposio, vbi docens in conuiuio philosophandum, suadet vomitum ei, qui peritè dicere vult, si quidem vinum caput tentare cœperit. Alterum Prouerbiorum vigesimo tertio capite, vbi docens Salomon apud hominem liuidum non esse cœnandum, sic demum infit: *Cibos, quos comederas euomes, & perdes pulchros sermones tuos* Nimirum vt peritè & copiosè dicas, cibos per vomitum extrudes; sed nihilominus sermones tuos pulchros, & elegantes perditum ibis: quia vir ille liuidus ex inuidentia nihil probabit, nihil laudabit, sed omnia potius extenuabit, contemnet, arguet. Ergo fortasse iuxta hunc morem Salomon in hoc Sapientiæ conuiuio Agur loquentem inducens, propterea illum filium vomitus, id est, vomentem appellat, quia ex vomitu leuato capite, & expeditis sensibus ad dicendum prosilierat. Reliqua verò: *Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus* &c. cum his pulchrè concinunt; est enim sensus: Prophetia, quam protulit vir non vino obrutus, sed Deo plenus, non ex mero concidens, sed concepto Deo confortatus & erectus.

CAPVT IV.

Quis Lamuel Rex? An is aut Bethsabee vltimum Prouerbiorum caput composuerit?



APITE quoque extremo Prouerbiorum inducitur Lamuel Rex eius capitis author, quod sic incipit: *Verba Lamuelis Regis: visio qua erudiuit eum mater sua*. Hic Lamuel etiam Salomon est introductus tertius sapientiæ conuiua sub Lamuelis nomine, quod etiam ex doctissimo Salazario collustrandum erit. Aquila ῥῆθα λαμμοῦν, idest, *verba Lammun*: Theodotion ῥήματα ῥεβουήλ, idest, *verba Rebuel*. Symmachus λόγος λάμμυν, idest, *sermones Lamuel*. Est autem hic למואל *Lemuel* per ו *Scurech*, sed infrà *Lemoel* per ו *Cholem*. Hanc diuersitatem obseruauit Caietanus, & quoad sensum nihil interesse dicit. Nam qui in initio superioris capitis semetipsum in prima persona איתיאל *Ithiel* nuncupauerat, hoc est, *mecum Deus*, hic in tertia vocat *Lemuel*, idest, *cum ipso* vel *in ipso Deus*, nam *Lemuel* fit ab למו *Lemo* & אל *el* Quidam etiam legunt לָמוֹאֵל *Lamoel* quod interpretatur, ipsius Deus, per *Kamets*, & *Cholem* ab לָמוֹ & אֵל Beda verò, Lyra & alij conuertunt *Cum quo Deus*, sed præferenda est prima lectio. Fere interpretes docent Salomonem eo nomine insignitum à Matre ante lapsum ob propheticum spiritum, per quem Deus ipsi præsentissimè aderat, vel quia valde

valde gratus erat Deo. Adnotat præterea Iansenius id nominis compositum, & conflatum videri ex nomine שלומו, sublato ש, & addito אל nomine Dei: ita vt dicamus Bethsabee (vt solemne est matribus cum filiis deliciosè agentibus) nomen illius commutasse, illi nimiùm applaudens, atque blandiens, vt placet Hugoni. Ego quidem reor Salomoni hoc nomen magno consilio inditum fuisse, quia vmbra erat, atque figura veri Salomonis Christi, qui propriè *Lemuel*, idest, *in ipso Deus*. Septuaginta interpretes nomen hoc dissoluerunt; nam sic conuertunt: *Verba mea dicta sunt à Deo, Regis admonitio, quem erudiuit mater sua*. Itaque non vnum aliquod nomen proprium existimarunt esse *Lemuel*, sed propositionem ac nomen Dei.

Portò hæc verba Lamuelis siue Salomonis non fuere quidem ab ipso primum dictata, sed recitata, & relata, vt à matris ore didicerat. Huius quidem orationis, quam ad filium habuit Bethsabee, non vnam causam offerunt Hebræi. Alij enim dicunt, vel potius fabulantur, Salomonem cùm in prima nocte nuptiarum, quas cum Pharaonis filia copulauit, ex conuiuio geniali mero incaluisset, ac nouis amoribus lasciuiret, in thalamo ad multam vsque diem hæsisse. Hæc autem Regis iners indulgentia in causa fuit, vt hora sacrificij matutini præteriret, atque hostiæ solemnes non persoluerentur. Nam claues templi erant sub ceruicali Salomonis, atque adeo sacerdotibus aditus præclusus fuit. Eapropter inquit, mater filium suum increpauit, & seuerius monuit obiiciens libidinem & crapulam, de quibus postea sermo est. Sed quis non videat hoc aliis Rabinorum figmentis prorsus adsimile esse? Aptius, ac verisimilius alij etiam Hebræi docent Salomonem patre demortuo, vt erat liberali ingenio & moribus ingenuis, vt matri pro adepto sibi regno gratiam referret, eidem significasse, vt quidquid vellet nihil non exoratura postularet, ipsam vero his verbis occurrisse, quibus adstruit nihil gratius sibi à filio præstari posse quàm vt libidinem, atque crapulam caueret. Cæterum frustra ad hæc commenta confugimus, cum sit obuia satis huius orationis causa. Puta ergo studiosam & solicitam de filij educatione Bethsabee hæc ab ineunte ætate Salomoni monita sæpius dictasse, atque inculcasse, vt altius illius animo infigerentur, quæ adeo memoriæ illius adhæserant, vt eam iam prouectus repeteret. Nec insolens Salomoni sententias à Matre olim acceptas in librum istum referre: nam capite quarto Prouerbiorum sic fatur: *Nam & ego filius fui patris mei tenellus & vnigenitus coram matre mea, & docebat me, atque dicebat, suscipiat verba mea cor tuum.* Hugo Cardinalis existimauit hoc prius Hemistichium, *verba Lamuelis Regis*, non à Salomone conscriptum sed ab instauratore sacrorum librorum Esdra in titulum capitis præfixum, deinde in textum relatum. Non inficior in antiquis codicibus hæc extra textum in fronte capitis adscribi; sed tamen postquam correctiora Clementis Biblia reliquo textui inseruerunt, haud dubitandum est à Salomone pronuntiata. Itaque ait: *Verba Lamuelis Regis, visio qua erudiuit.* Quasi dicat: ea, quæ hactenus adscripsi, mea sunt; sed tamen illa potissimum mea esse iudico, quæ à matre accepi: nam præstantissima patrimonij pars, quam parentes in filios transferunt, sunt monita, & adhortationes salubres. Et quidem cum doctissimus, ac sapientissimus vulgo habear, haud piget meo nomine matris consilia proferre, quæ nimirum fœminæ captum exuperant, & sapientissimo viro digna sunt. Et quidem si vera est Hugonis sententia, illud nomen *Lamuel* Salomoni à matre inditum fuisse, cum illi adhuc paruulo blandiebatur, & indulgebat; accommodatè hic additum est, cum Salomon ea recenset quæ mater illi blandiens & applaudens dicebat. Interim autem cogita illius Heroinæ seueros mores, quæ inter blanditias, tam seria monita miscebat: Imo hæc & non alia erant illius blandimenta, & plausus, quibus filium deliciosè fouebat. Discite matres adblandiri filiis, neu vestris deliciis remollescant & illiquefiant. Ad hæc acerbæ quædam, & rigidæ nimium matres, quæ filios suos passim Diabolo, ac diris deuouent, animaduertant, quonam nomine Salomonem paruulum compellare solita erat, etiam cum increpabat, & corripiebat, *Lamuel* scilicet, id est, *cum ipso Deus*, quod perinde est ac si Hispanè diceret, *Vala te Dios*, quia vero mater id nominis passim vsurpabat, inde factum, vt Salomon illud cognominis loco ferret, ita vt vulgo *Lamuel* à pueritia vocaretur. Hæc meus Magister tam bene dixit, vt quia melius scribere non possim, transcripsi.

Capvt

CAPVT V.

Quis Philo fuerit author libri Sapientiæ?



AGNA circa librum ſapientiæ dubitatio eſt, quis illum concinnarit, aut compoſuerit. S. Auguſtinus in ſecundo de doctrina Chriſtiana libro, eius authorem cenſuit IESVM Siracidem. Similiter Euſebius libro octauo de Preparatione capite ſecundo: *Simonis tempeſtate fuit IESVS filius Sirach fama celebris, qui ſapientiam titulo omnium virtutum genera profitentem compoſuit.* Theodoretus laudatus à Lippomano in catena in Exodum mauult Sirach fuiſſe patrem illius Ieſu. Galatinus Philoni Alexandrino illum tribuit, ei ſcilicet Philoni Iudæo, qui Apoſtolicis temporibus vixit: *Quod enim*, inquit, *Selomo in Prouerbiorum libro ænigmaticè, parabolicè, & quaſi vniuerſali, de Dei filio, qui Patris ſapientia eſt, quandoque futurum prædixit: Philo hoc in libro per eaſdem obſcuritatis, & celationis artes, id idem de eodem iam impletum docet. Etſi plerumque non in vniuerſalitate (vt Selomo facit) maneat, ſed ad ipſam quam intendit particularitatem accedat, ſe (vt opinor) temperare non valens, quominus veritatem, quam proſequitur pandat. Hoc autem exempli cauſa ex eo inter cætera manifeſtiſſimè oſtenditur, quod Selomo cauendum præcipit, cum ait: Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Deinde ſequitur: Si dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, cum reliquis quæ ſequuntur. Quod totum quid aliud eſt, quàm id quod Philo tempore ſuo factum refert dicens: dixerunt impij apud ſe non rectè cogitantes? Cum cæteris quæ ſequuntur.* Ex iis qui contendunt auctorem eſſe Philonem Alexandrinum, nonnulli occaſionem ſcribendi fuiſſe dicunt vt populum ſuum Hebræum, pro quo legationem ſuſceperat ad Caium, conſolaretur, colligendo ex Salomonis ſententiis, & aliis ſcripturis ſacris, quæ conferrent ad reprehenſionem iniqui Monarchæ, ac iniquiſſimorum delatorum: quibus horribilem proponit diuini Iudicij pœnam quam pridem Pharao cum ſuis fuerat expertus: & ad conſolandos Hebræos exemplo miraculoſæ veteris illius alterius liberationis, ſub eodem Pharaone. Driedo tamen, Michael de Medina, & Lorinus alium deſignant Philonem vetuſtiorem, qui temporibus Oniæ Pontificis vixit. Genebrardus putat fuiſſe vnum ex ſeptuaginta interpretibus, Philonem quoque vocatum. Tandem Adrianus Finus cuidam eiuſdem nominis Salomonis Regis familiari hunc librum tribuit. At Gonſaluus Ceruantes latè defendit ſolum Salomonem libri Sapientiæ fuiſſe authorem eo modo compoſitum ab ipſo, ac nunc habemus. Poſtea vero ex Hebræo Græcum redditum à Septuaginta interpretibus cum aliis libris ſacris, fuiſſeque primum omnium librum à Salomone iuuene compoſitum initio principatus ſui: multas congerit authoritates veterum, quibus Salomon citatur tanquam author ſententiarum, quæ in libro Sapientiæ continentur. Quod ſane negari non poteſt; at non proinde probat hoc modo, ac nunc illum habemus à Salomone compoſitum, & non ab alio collectum ex Salomonicis libris, & ſententiis, ſicut de libro Prouerbiorum exiſtimauit Rabbi Moyſes ab Iſaia factum. Illud quoque negari nequit temporibus Ezechiæ, & Iſaiæ immutata aliqua Salomonis opera, vt ex vigeſimo quinto Prouerbiorum capite iam indicauimus. Author quoque Eccleſiaſtici fertur ex Salomonis ſententiis ſuum librum concinnaſſe, atque idem dici poteſt maiori ratione de Sapientiæ libro: quoniam nono huius voluminis capite de ſeipſo ſcripſit, inquiens: *Tu autem Domine elegiſti me Regem populo tuo & iudicem filiorum, & filiarum tuarum: Et dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo, & in ciuitate altare, ſimilitudinem tabernaculi tui, quod præparaſti ab initio.* Apparet quoque huius libri Sententias, quanquam à Salomone conditas, tamen à Græco ſcriptore fuiſſe collectas, & in hoc volumine Græcè conſcriptas, vt Senenſis & plerique docent, eumque collectorem puto fuiſſe vocatum Philonem. Vnde natum ob ſimilitudinem appellationis, vt Philoni Iudæo Alexandrino tribueretur, quod mihi falſum eſt. Is enim non meruit vt ipſius calamo aſſiſteret diuinus ſpiritus, qui & in aliis operibus multa falſa conſcripſit, & infidelis fuit, quippe tunc temporis Iudaiſmum coluit, cum abrogatus erat poſt Euangelij prædicationem: quamuis fateor alia argumenta, quæ Sixtus Senenſis libro octauo, & alij congerunt, vt Philonem Hebræum iuniorem negent authorem Sapientiæ, facilè eludi poſſe ea ratione, qua id tuetur Galatinus, Addo nec obſtare à Dionyſio Areopagita capite

pite quarto de diuinis nominibus citari illam sententiam, *amator factus sum fortunæ illius*, quam dicit in primis scripturarum institutionibus haberi: uam hoc potuit citari non ex Philonis scriptis, sed vnde Philo librum sapientiæ collegisset. Neque puto Philonem collectorem huius libri familiarem Salomoni fuisse. Tunc quippe Hebræi nomina Græca nondum vsurparant nullo cum Græcis habito commercio, nec Græcæ eloquentiæ stylo fundabantur. Quapropter verosimilius est sub tempora septuaginta Interpretum effloruisse. Tunc iam nomina & ritus aliquot Græcos nonnulli Hebræi vsurpare cœperant. Porrò sententiam suam de Iesu Siracide authore Sapientiæ, ipse postmodum Augustinus retractauit in retractationibus suis. Poterat idem præstare Theodoretus. 2. Retract. cap. 8.
Quod ex Eusebio & aliis profertur Iesum Sirach esse authorem libri Sapientiæ, referri potest ad librum Ecclesiastici, qui pariter Sapientiæ liber vocitatus fuit, atque in Syro hunc titulum præ se fert: *Liber Iesu filij Simonis Asiro, qui vocatur liber Sapientiæ filij Asiro.* Similiter & Græcè inscribitur: σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ σιράχ. *Sapientia Iesu filij Sirach.* Vnde Origenes homiliâ decimâ octauâ in Numeros, dixit: *In libro qui apud Græcos, Sapientia Iesu filij Sirach appellatur scriptum est: Omnis sapientia à Deo est.* Beda quoque dixit libro de sex ætatibus mundi: *Sub Simone Pontifice Iesus filius Sirach Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo mentionem facit.* Illud tandem admonendum est, quod Ioannes Picus in præfatione Heptapli, & alij scribunt ab Hebræis tradi scriptum lingua Ierosolymitana à Salomone Rege librum alterum Sapientiæ ab hoc nostro diuersum ex Mosaicæ legis penetralibus acceptum, cuius etiam meminit Theophilus Antiochenus in libris ad Antolycum, libro tertio.

CAPVT VI.

Ecclesiastici liber receptus in Hebræorum canone. Quis eius author?

DE canonica Sapientiæ & Ecclesiastici authoritate nolo hic disceptare, sed vt certam supponere, quàm alij eruditissimè satis fulciuêre, & constat ex Tridentini Concilij sententia. Illud aduertendum duxi, librum Ecclesiasticum adhuc inter Hebræos canonicum habitum, quod ex Iosepho, & Simeone Ben-Sata, seu libro Berachot confirmari potest. Etenim Iosephus libro contra Appionem secundo, postquam de lege sermo præcessisset, agens de legitimis nuptiis, subdit: *Mulier, inquit,* (lex scilicet) *peius quiddam viro est ad omnia, & ipsius viri malitia præ benefica muliere.* Nimirum melior est. Quæ verba desumpta sunt ex capite quadragesimo secundo Ecclesiastici, quem vocauit Iosephus legem more Iudæorum, significantium eo nomine sacram Scripturam, canonémque sacrorum voluminum. Huc accedit quod noster Cornelius alicubi annotauit Rabbinis priscis ante Christum cognitum fuisse Ecclesiasticum, habitúmque canonicum, ideóque Hebraicè extitisse, liquet ex dicto, factóque Rabbi Simeonis Ben-Sata, qui fuit frater vxoris Alexandrini Iannæi, cuius Alexandri pater fuit Hyrcanus, auus Simon frater Iudæ Machabæi. Cùm enim hic Alexander sectâ Sadducæus, regiam coronam sibi imposuisset, Regémque Iudææ se fecisset, ac simul eiusdem summus vellet temanere Pontifex, vti fuerat Simon Ionathas & Iudas Machabæi, obstiterunt ei Pharisæi, dicentes neminem simul posse esse Regem, & Pontificem: quare si Rex esse vellet, Pontificatum in alium resignaret. Hac de causâ ipse Pharisæos persecutus est, & septingentos ex eis crucifixit, vti ex Iosepho libro decimo tertio Antiquitatum, capite vigesimo secundo, & Chronicis Hebræorum narrat Genebrardus in Chronic. Idem deinde vt Pharisæos sibi conciliaret, Rabbi Simeonem iam nominatum primarium è Pharisæis ad conuiuium inuitauit, eúmque inter se, & Reginam considere fecit, dixitque: *En quantum te Pharisæum honoro.* Cui Rabbi Simeon: *Iure*, inquit, *& merito id facis: nam lex dicit: Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum considere illum faciet.* Quæ verba sunt Ecclesiastici capite 11. Ita rem narrant Hebræi in libro Berachot, id est, Benedictionum, capite 3. Vnde colligi potest Rabbinos ante Christum (nam Alexander hic & Rabbi Simeon centum annis Christum antecesserunt) Ecclesiastici librû, vt legem, hoc est, vti Canonicum habuisse,

æ Hebraicè lectitasse. Nam sententia hæc iam citata Hebraicè extat in libro Berachot. Hebraicè dico, id est, Hierosolymitanè, puta Syriacè. Hebræi enim post reditum ex Babylone linguam Hebræam corruperunt, & cum Chaldæa commiscuerunt: vnde hæc eorum lingua dicta est Hierosolymitana, siue Syriaca. Rabbini quoque melioris notæ, qui post Christum scripserunt, ex Ben-Sira, id est, Ecclesiastico, sæpè sententias cum laude Auctoris, & libri citant Hebraicè, id est, Syriacè. Itaque post Esdram prisci Iudæi adiecerunt canoni Ecclesiasticum; Neoterici verò, quia in eo Trinitatis mysterium significatur prorsus reiecêre iniquâ interpretatione Thalmudis. Sic enim, vt idem Cornelius producit: habet eorum Thalmud: *Omnis Israelita habebit partem in futuro sæculo*, &c. Nemo legens libros חיצונים *Chitsisonim*, id est, exotericos, *habebit partem in futuro sæculo.* Vbi Gemara: *Qualis*, inquit, *est Ben-Sira* (puta Siracides, siue Ecclesiasticus: ipsi enim vnum tantùm Ben-Sira agnoscunt, quem faciunt auctorem tam Ecclesiastici quàm Alphabeti.) Causam addit, sed obscuram, quam clarè explicat Rabbi Salomõ, quod scilicet Siracides constituat plures personas in Deo. Nominat enim Spiritum sanctum capite primo, Patrem & Filium capite vigesimo quarto, & capite quinquagesimo primo. Iudæi autem negant sanctam Trinitatem, dicuntque Deum vnum esse in persona, æquè ac in essentia, quæ est illorum perfidia; cui aliud velum prætexunt, scilicet se sequi canonem Esdræ, hoc est, se agnoscere illos dumtaxat libros pro canonicis, quos Esdras in suo canone recensuit.

Nunc authorem Ecclesiastici vestigemus. Quidam apud Lyram pronuntiant fuisse Iesum summum Sacerdotem, alij Ben-Sira, alij Sirach. Procopius enim Gazæus præfatione in Genesim, ait: *Laudanda est illa Sirach admonitio: in superuacuis operum tuorum, ne sis curiosus; plura enim intellectu hominum ostensa sunt tibi.* Sanctus Hilarius similiter dixit: *In eo libro qui nobiscum Salomonis inscribitur; apud Græcos tamen, & Hebræos Sapientia Sirach habetur, ita monemur: Ecce circumualla possessionem tuam spinis, argentum & aurum constitue, & ori tuo fac ostium & seram, & verbis tuis iugum & mensuram.* In canone vltimo Apostolorum edicitur: *Inquiritur à vobis, vt adolescentes vestri addiscant etiam sapientiam eruditi Sirach.* Alij ad Salomonem referunt eius libri sententias, vt sunt Origenes, Hesychius, Ambrosius, Optatus, Maximus, immo summi Ecclesiæ Præsides, Anacletus Papa, Alexander Primus, Sixtus Primus, Sixtus Secundus, Felix Primus, Innocentius Primus, Marcellinus, Fabianus, Hormisda, Pelagius Primus, Sanctus Leo, plures Patres, & nonnulla Concilia. Alij Collectorem non tantùm interpretem autumant Iesum Iuniorem filium Sirach. Hæc fuit sancti Isidori, & posteà Abulensis existimatio. Verissima tenet sententia alium Iesum seniorem, filium etiam alterius Sirach, librum Ecclesiastici compegisse; hominem quidem sapientissimum, & sanctum. Hoc constat ex capite quinquagesimo eiusdem Ecclesiastici, vbi dicitur: *Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus filius Sirach, Ierosolymita, qui renouauit sapientiam de corde suo.* Caput autem sequens hunc habet titulum: *Oratio Iesu filij Sirach.* In ipso quoque Ecclesiasti prologo, qui vt multis placet, authoritatem possidet canonicam, vt aliis sacræ Scripturæ proximam, disertissimè dicit Iesus Siracides iunior ab auo suo Iesu Sirach seniore Ecclesiasticum fuisse compositum; à se verò traductum. Sic Eusebius, sanctus Athanasius, sanctus Hieronymus, & alij, Iesu Sirach meritò tribuunt hunc librum. Antiochus Monachus homiliâ
Lib. 2. In- septimâ ait: *Iesus Sirach filius dicit: insomnia extollunt imprudentes.* Cassiodorus quoque
stit. c. 13. enumerans sacros libros Salomonis (ait) libri quatuor Iesu filij Sirach vnus. Rabanus pa-
Lib. 5. c. 3. riter in libris de vniuerso: *Constat autem hunc librum sub Iesu filio Sirach editum fuisse, & inter reliquos sacræ Scripturæ pari habitum veneratione.* Philippus Abbas in libro de Damnatione Salomonis ait: *Propter eloquij similitudinẽ, vt Salomonis Ecclesiasticus diceretur, apud imperitos consuetudo obtinuit, sed antiquiores & sapientiores dicunt eum esse Iesu filij Sirach.* Clarissimè S. Athanasius in synopsi de Ecclesiastico: *Hic itaque Iesus cùm esset Salomonis sectator, haud minus illo in illustranda sapientia, & pietatis doctrina strenuum se gessit.* Ij autem qui Sirach attribuunt hunc librũ, non discedunt ab hac sententia, sed filiũ vocant nomine patris tanquam agnomine. Porrò Iesum Sirach seniorem fuisse Ecclesiastici authorem, & iuniorem solum interpretem satis colligitur ex præfatione quam Iesus iunior præfixit Ecclesiastico, dicens: *Auus meus Iesus postquam se amplius dedit ad lectionem legis & Prophetarum, & aliorum librorũ, qui nobis à parentibus traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid.* Qui putant Iesum iuniorem fuisse authorẽ, fefellit lectio illegitima huius loci pro *voluit*, legentes *volui*. Sed paulò pòst se iterum explicuit Iesus iunior tantùm esse interpretem, dicens:

Hortor

Hortor itaque venire vos cum beneuolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere, in illis, in quibus videmus imaginem sapientiæ deficere in verborum compositione; nam deficiunt verba Hebraica cùm fuerint translata in alteram linguam. Non fuisse Salomonem, nec Ben-Sira, nec Iesum Sacerdotem summum filium Iosedech, Ecclesiastici saltem totius authores, constat ex commemoratione eorum hominum, qui iis defunctis effloruêre: vt omittam alios, meminit author ipsius Iesu summi Sacerdotis, & Oniæ, cuius videtur tempore vixisse, cùm indicet capite quinquagesimo, se illum vidisse operam sacris dantem, dicens: *Et circa illum corona fratrum quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt, quasi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria sua.* Inde Philippus Abbas loquens de Iesu Sirach, dixit: *Qui cùm in extrema eiusdem voluminis parte præcedentium Patrum fortia facta laudaret, in conclusione satis honorificè Simonem commendauit, tantoque eum copiosius, & sublimius extulit, quanto eum vicinius, & perfectius nouit.* Prætereà nec in nominibus Iesu, aut filio Sirach, potest æquiuocatio excusari, vt tribuatur hic liber Iesu filio Iosedech, aut Ben-Sira, quasi idem sit, ac filius Sirach; quoniam series genealogiæ eos satis distinguit: Etenim nec Iesus Sacerdos summus, nec Ben-Sira habuêre patrem, aut filium vocatum Sirach, de quo posteà agemus.

CAPVT VII.

Quomodo in Ægypto repertus Ecclesiasticus?

An Iesus Sirach senior author eius, fuerit vnus ex septuaginta Interpretibus?

PORRO hic Iesus senior filius Sirach sapientissimus fuit, quippe de eo dixerit præfatio Græca Ecclesiastici: *Hic Iesus Salomonis fuit sectator, nihil minus illo sapientiâ, & eruditionis nomine probatus, vt qui multis ini verè fuerit.* Eadem habet sanctus Athanasius in synopsi. Credo fuisse vnum de septuaginta interpretibus, quod etiam Genebrardus, & Oliuerius Bonartius censuêre, & multis indiciis confirmari potest à tempore, quo floruit, à locis vbi vixit, à gestis suis, imò & dictis. Etenim Iesus senior scripsit sub Eleazaro, qui Simoni fratri in pontificatu successit. Et hic Simon adeò fuit sanctus, vt teste Iosepho, libro duodecimo, capite secundo, cognominationem habuerit iusti: *Eò quòd & Deum* (inquit) *piè coleret, & ciues summâ prosequeretur beneuolentiâ.* Iesus ergo senior scripsit Ecclesiasticum sub idem tempus, quo septuaginta Interpretes suam versionem fecêre post Alexandrum Magnum sub Ptolemæo Philadelpho centum & quinquaginta annis ante natiuitatem Christi. Ita Torniellus in Annalibus ad annum mundi 3798. & Genebrardus anno mundi 3797. Beda, & alij. Iesus verò iunior Ecclesiasticum in Græcum transtulit sub Ptolemæo Euergete, fratre Philadelphi. Hic autem Ptolemæus Philadelphus euocatis è Ierusalem Doctoribus, sacram Scripturam ex Hebræo curauit verti in idioma Græcum per septuaginta Interpretes, vt ea ornaret suam Bibliothecam, quam copiosissimam Alexandriæ instruebat. Id liquet ex eo, quod nepos eius, puta Iesus iunior, qui Ecclesiasticum ab auo puta Iesu seniore, compositum, ex Hebræo in Græcum vertit, cùm in prologo dicat, se id fecisse tempore Ptolemæi Euergetis: Hic enim Ptolemæo Philadelpho, quasi fratri frater, in regno Ægypti successit. Vnde colligi potest, Iesum seniorem vixisse tempore Philadelphi, & septuaginta Interpretum. Deinde ipse Iesus Sirach Hierosolymis natus est, inde in Ægyptum descendit, ibidémque vixit, vbi Septuaginta versio facta est. Illud liquet ex ipso Ecclesiastici libro: nam in quinquagesimo capite dicitur *Iesus filius Sirach Ierosolymita.* Ex præfatione autem, quam scripsit Iesus iunior, cõstat auum suum venisse in Ægyptum vbi videtur Ecclesiasticum composuisse; ibi enim eum nepos inuenit, vt ipse ait in Prologo: Ægyptus enim tunc erat sapientiæ, & sapientum domicilium; vnde sub idem tempus facta est Alexandriæ in Ægypto versio sacræ Scripturæ ex Hebræo in Græcum per septuaginta Interpretes. Mirum profectò fuisset hunc doctissimum virum & sanctum non fuisse designatum inter eos. Planè Aristæas in-

in historia septuaginta Interpretum prodens memoriæ eorum nomina, recenset inter alios quendam Iesum: quin & addit Ptolemæum instruxisse regale conuiuium septuaginta interpretibus in quo more veterum eisdem totidem quæstiones morales, ethicas & politicas proposuit, cuique scilicet vnam; proferτque singulorum responsa, & sententias, quæ plane similes, & subinde eædem sunt cum hisce Siracidis. Ac fortè occasione harum propositionum regalium Siracides librum hunc ethicum conscripsit, vt ait Cornelius, quod mihi non omnino placet: nam Græcè illum conscripsisset in gratiam Regis. Quapropter ante descensum in Ægyptum Hebraicè scripsisse Ecclesiasticum dicendus est. Illud amplius confirmatur ex ipso Ecclesiastico, qui elogia Patriarcharum & Pontificum concludit capite quinquagesimo elogiis Simonis Pontificis, qui fuit frater Eleazari, sub quo facta est versio septuaginta Interpretum: ita enim de eo scribit capite quinquagesimo, ac si viderit eum Pontificalibus indutum in cœtu populi hostias offerentem. Hic enim Simon non fuit secundus, scilicet Oniæ Auari filius, vti putauit Eusebius in Chronicis, & ex eo Beda libro de sex ætatibus mundi in Ptolemæo Euergete, ac Lyranus, sed fuit primus cognomento iustus. Itaque Ecclesiasticus à Iesu Sirach seniore scriptus est initio Regni Ptolemæi Lagi: nam scriptus est paulò post mortem Simonis iusti Pontificis: illius enim quasi recèns defuncti laudes decantat capite quinquagesimo: *Simon* (inquit) *Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.* Simon autem hic defunctus est quatuor annis ante finem regni Ptolemæi Lagi: nam anno trigesimo septimo Lagi successit ei in Pontificatu frater Eleazarus, qui post sex annos misit septuaginta duos Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum, vt sacram Scripturam ex Hebræo verterent in Græcum: Ptolomæus enim Lagi vitâ functus est anno regni quadragesimo, cui mox successit Ptolomæus Philadelphus, qui anno tertio regni euocauit septuaginta duos Interpretes. Quæ omnia tradit Eusebius in Chronico. Ex quibus liquet Ecclesiasticum conscriptum esse sub idem tempus, quo septuaginta duo Interpretes conscripserunt Græcam sacræ Scripturæ versionem, quod fuit Olympiadis centesimæ vigesimæ quartæ anno tertio, post Alexandri Magni mortem, anno quadragesimo tertio, qui fuit Græcorum, siue Seleucidarum annus trigesimus primus, quod optimè notat Cornelius.

CAPVT VIII.

An Ben-Sira & Iesus Sirach idem fuerit?

Agitur de libro Ben-Sira.

VTERQVE autem Iesus Sirach, cum senior, tum iunior diuersus est à Ben-Sirach, quippe nonnulli eos confundunt, eundem esse ratiquoniam *Ben-Sira* Hebraicè idē est, ac *filius Sira*, vel *Sirach*; & quia prouerbia Ben-Sira easdem dicunt habere sententias, ac Ecclesiasticus continet. Quapropter & Ben-Sira suspicantur esse Iesum filium Sirach, & prouerbia Ben-Sira esse eundem ipsum librum Ecclesiastici. Verùm diuersos esse Iesum Sirach & Ben-Sira, quatuor rationibus probat noster Serarius in notis ad
Cap. 14. Epistolam primam sancti Bonifacij, & ex eo Gretserus libro primo Defens. Bellarmini. Prima est, quia Ben-Sira Hebraicè vltimam literam habet א: Sirach autem habet ח: Secunda, quia communiter Hebræi tradunt Ben Sira vixisse alterâ post Ieremiam ætate: Iesus Sirach autem vixit diu pòst, tempore Ptolomæi Philadelphi. Tertia, quia Ben-Sira dicitur filium habuisse Vzielem, & nepotem Iosephum: Iesus Sirach autem filium habuit Sirach, & nepotem Iesum. Porrò Vziel & Iosephus, velut eximij sapientes citantur ab Hebræo Scholiaste Prouerbiorum eiusdem Ben-Sira. Quarta, quia Ben-Sira multa habet, quæ non habet Ecclesiasticus: rursum Ecclesiasticus multa habet, quę non habet Ben-Sira, adeóque liber Ben-Sira totus alius, & diuersus est ab Ecclesiastico. Quis credat eundem Auctorem de eisdem penè rebus, & eodem penè modo ac phrasi adeò diuersos scripsisse libros, nec vllam huius rei dare significationem? Addit quintam rationem Cornelius, quam inefficacem ipse quoque nouit, quòd Ben-Sira habeat nonnulla, quæ minus sana & vera videntur, aut saltem malè sonant; quale est illud alphabeto secundo litera ע *Ain: Oculos tuos absconde à muliere vidua, & ne concupiscas pulchritudinem eius in corde tuo,*

tuo; quia filij eius filij scortationum sunt. Videtur hic damnare viduitatem, & matrimonium cum Vidua; aut certè vtitur similitudine longissimè petita, qua viduam ad nouas nuptias aspirantem comparat cum meretrice, quæ multos viros admisit. Verum excusari potest, vt aliud iis verbis admonuerit, quasi diceret, ne in vxorem ducas viduam, quia si id feceris, molestiam & probrum tibi accerses ob eius filios, qui cum patrem non habeant, & matrem non timeant, liberè agunt quod lubet, ac scortationi indulgent: horum enim scortationes & scelera tibi quasi vitrico, vel adscribentur, vel infamiam afflabunt, qui sensus sanè vetus est, & commodus. Potest tamen hinc probari non esse eundem librum Prouerbia Ben-Sira, ac Ecclesiasticum Iesu Sirach, siquidem diuersas sententias continent, vt consideranti duo alphabeta, quæ nomine Ben-Sira feruntur constabit; neque enim aliud habemus legitimum eius Hebræi; quamuis in Bibliotheca Vaticana seruetur manuscriptus Chaldaicè quæstionum, & problematum codex Ben-Sira, idemque reperiatur apud Rabbinos. Sed longè impar est, & dispar Ecclesiastici: nam statim ipso in Prologi limine offenduntur futilissimæ, & indignæ Iudæorum næniæ, traditur ibi prodigiosa Ben-Siræ generatio ex matre Virgine, quæ non ex viro, sed aliunde ex vapore vel humore concepetit, quæ meræ sunt næniæ, & fabulæ Iudaicæ. In ipso libro Auctor proponit quæstionem, cur Deus certum genus muscæ, vel vermiculi inutile, imo noxium homini, vt pote eius caput inuadens, & in cerebrum penetrans, crearit? Ac respondet id fecisse, eò quod eodem Titum Imperatorem Romanum occidere, itàque superbiam eius sternere, ac crudelitatem in Iudæos excisa Hierosolyma exercitam vindicare decreuisset, quæ non solum ridicula & nugacia sunt, sed apertè falsissima, & Chronologię repugnantia Ben-Sira enim aliquot sęculis vixit ante Titum, imò ante Christum. Nam vt habet communis Hebræorum sententia, vixit altera ætate post Ieremiam Prophetam, cuius etiam nepos fuisse existimatur, filium habuit Vzielem nomine, & Nepotem Iosephum, vtrumque sapientiæ laude clarum, quorum subinde meminit Scholiastes Alphabeti Ben-Sira. Idem Auctor narrat vespam ore gestasse araneum, ac stultum quemdam baculo vespæ araneum excutere destinasse, accurrisse Dauidem Regem, ac miratum, cur Deus tres res adeo ineptas & insulsas, putà vespam, araneum & stultum creasset: Deum verò miranti respondisse; se vespis punire noxios, vti Chananæos puniuit, Sapientiæ duodecimo, araneo purgare domum, quod is noxios ad se trahat humores: stulto tueri subinde vitam sapientum vti Dauid ipse simulans se stultum coram Achis Rege, mortem sibi imminentem cauit primo Regum vigesimo primo. Plura eiusdem farinæ affert, quæ planè leuicula, Iudaica, fabulosa & sapiente indigna sunt. Similia sunt problemata Physica, quæ cæteris immiscet. Cur, inquit, in stillicidiis stilla vna sigillatim in lapidem destillat, non duæ simul; ac respondet. Ne lapidem cito exterant & consumant, cut in cæteris corporis membris ex vno poro duo pili oriuntur; capite verò ex vno poro vnus capillus dumtaxat? ac respondet. Quia id noceret visui & oculis, quorum sedes est in capite: ab oculis enim succum & spiritus ad se se auocarent, ac abstraherent plures capilli ex eodem poro nascentes &c. Ex quibus liquet Auctorem hunc planè diuersum esse à prisco illo Ben-Sira, eiusque nomen conciliandæ auctoritatis causa sibi arrogasse. Hunc Ben-Sira apocryphum codicem testatur se vidisse noster Cornelius qui hactenus dicta obseruauit.

CAPVT IX.

Sententiæ Ben-Sira.



ITAQVE quæ legitima habentur Ben-Sira, quadraginta duæ sententiæ sunt per Hebraici Alphabeti literas digestæ, quas operæpretium erit hic exhibere, vt ad oculum constet non esse Ecclesiastici librum: sed inde in Ecclesiastico vsurpatæ aliquot. Pertinet quidem hoc ad sacræ scriptionis originem. Eæ sententiæ sunt sequentes.

ALEPH. *Ama & honora medicum, dum non indiges eius.* Idem sancit Siracides capite trigesimo octauo. Mysticè Scholiastes Hebræus Ben-Sira hoc refert ad Deum: quasi diceretur: Cole & precare Deum, qui est malorum omnium archiatrus, antequam eius auxilio tibi opus sit.

BETH. *Ben, id est, filium, non filium* (hoc est, filium, qui non se gerit vt filium, puta filium procacem, rebellem & peruersum:) *Sine vt aqua summo remiget.* Nam sæpe remus emendat, quem non potuit paterna castigatio.

GHIMEL. *Os quod cecidit in sorte tua, rode*, quod dicitur, vxore & sorte, quæ tibi obtigit, contentus viue.

DALETH. *Aurum tundi debet, & puer verberari*, hoc est, explicat Scholiastes: *vti aurum, si illud tundas, magis fulget: sic puer, si eum verberes, euadet melior.*

HE. *Esto bonus*, & manum tuam à bono ne prohibeas. *Bonus*, id est, benignus, beneficus.

VAV. *Væ malo*, & væ illis qui adhærent ei. Aut: væ improbo, & væ vicino eius. Improbus enim suam culpam, & pœnam vicinis afflat.

ZAIN. *Sparge panem tuum in superficie aquarum, & in arida, & in fine dierum inuenies eum*: quod dicitur: Esto liberalis in omnes promiscuè, siue pauperes sint, siue diuites, ac tandem iustam mercedem à Deo accipies.

CHET. *Vidisti asinum nigrum? Neque nigrum, neque album.* Scholiastes: Doce linguam tuam, vt dicar semper: Nescio: ne quando in responso capiaris.

THET. *Bene malo ne facias, & malum non continget tibi.* Simile est dogma Siracidis capite duodecimo.

IOD. *Manum tuam à beneficentia ne abstrahas.*

CAPH. *Sponsa conscendit thalamum; sed nescit, quid sit euenturum*, hoc est. Futura omnia incerta sunt, rerumque euentus ignorantur, etiam cum in propinquo sunt.

LAMED. *Sapientem nutu, & stultum suste.* Suple, erudi & castiga.

MEM. *Qui honorat contemnentes se, similis est asino, qui inseruit ei, à quo caditur.*

NVN. *Ignis ardens comburit multos aceruos frugum.* Quod dicitur: Ex paruo initio maxima oriuntur mala, sicut ex vna scintilla grande incendium: ex vno verbo aspero multa verbera & cædes, iuxta illud Iacobi tertio: *Ecce quantus* (quantulus, quàm modicus) *ignis, quàm magnam Syluam incendit. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.*

SAMECH. *Senex in domo, bonum signum in domo.* Tum quia senium signum est probæ & temperantis vitæ; huic enim & à natura, & à Deo præmij loco datur longæuitas: tum quia senes rerum vsu & prudentia pollentes, docent iuuenes, quæ familiæ profutura, vel obfutura sunt. Senex ergo in domo signum & causa est, quòd in domo sit bona disciplina, & œconomia.

AIN. *Merces si communes habueris cum aliquo: à bono centies frustra repetes, à malo millesies.*

PE. *Mensam appara, contentio sublata est.* Tum quia sopita contentione in concordiæ, & amicitiæ redintegratæ symbolum instrui solet mensa: tum quia vina, & conuiuia animos iratos mulcent, leniunt, exhilarant, & ad concordiam alliciunt.

TSADE. *Si necesse est, vt contrahas accipiendo, & dando, esto sors tua cum viro bono.* Quod dicitur, negotiare cum probo, non cum improbo.

COPH. *Propinqua negotiatio comeditur à domino suo: longinqua comedit dominum suum.* Quod est: Qui in locis sibi vicinis negotiantur, hi ditantur: qui in remotis, hi depauperantur, sic Hebræi nonnulli explicant illud Prouerbiorum decimo septimo: *Oculi stultorum in finibus terræ*, id est, qui extremas orbis regiones obit negotiandi causa, hic stultus est.

RESCH. *Amicum veterum ne abnegato.* Idem monet Siracides capite nono.

SCHIN. *Sexaginta consiliarij si fuerint tibi, tamen consilium animæ tuæ ne deseras.* Idem consulit Siracides capite trigesimo septimo, vers. decimo octauo.

THAV. *Tam liberalis sit tibi manus, quasi semper satur fueris, & non quasi modo demum satur factus, antea vero esurieris*, quod est, In dando esto benignus, & liberalis, non tetricus & auarus: nihil enim ita gratiam conciliat, vt benignitas, & liberalis hilaritas.

Hæc vna Prouerbiorum series, altera sic se habet.

ALEPH. *Animum tuum ne des tristitiæ, multos enim occidit tristitia.* Idem habet Siracides capite trigesimo octauo.

BETH. *Bella mulieris specie multi pessumdati fuerunt, & robusti omnes interfecti ab ea.* Idem tradit Siracides capite nono.

GHIMEL *Secretum tuũ reuela vni è mille, licet multi fuerint, qui pacem tuam quærant.*

DALETH

DALETH. *Abstrahe tamen tuam à muliere gratiosa, tanquam à carne prunarum.* Quia caro eius ignita est, ac instar prunarum, te comburet. Prouerbiorum sexto.

HE. *Absconde oculos tuos à muliere gratiosa, ne capiaris reti eius.*

VAV. *Væ ei, qui vadit post oculos suos, quos nouit esse filios scortationum.* Id est scortationi addictos.

ZAIN. *Ne esto ex iis, qui raram, aut densam barbam habent: nam nescis quid sit decretum*, quod est, Noli esse ex eorum numero, qui vel peruersè callidi, vel planè stulti sunt. Nam vt ait R. Aquila (quem ferunt magistrum fuisse Aquilæ Pontici, qui sacram scripturam ex Hebræo in Græcum conuertit) in Gemara: Homo rara barba, callidus est: densa barba, stultus.

CHET. *Chari sunt cuiuis homini mares; sed væ patri fæminarum.* Filiæ enim sunt continua sollicitudo, ac non rarò dedecus, & probrum parentum: vnde sequitur.

TETH. *Thesaurus vanus est filia patri suo, cui dum metuit, noctu non dormit.* Idem dicit Siracides capite quadragesimo secundo.

IOD. *Dormit* (dormiens) *non dormit custos puellæ paruulæ: forsan in adolescentia sua decipietur, & adultior facta scortabitur.* Idem habet Siracides capite quadragesimo secundo.

CAPH. *Cum nupta erit filia, tu anxius eris de ea valde, dicens: Fortè liberos habebit, fortè non habebit: & cum senuerit, ne fortè veneficia exerceat.*

LAMED. *Ne dormias in iuuentute tua, & in senectute tua, ne ducas vetulam: nam vxor vetula debilitabit vires tuas, etiam si fueris iuuenis; vxor autem virgo addet tibi vires & robur.* Exemplum est in Dauide sene, quem calefaciebat Abisag Sunamitis tertio Regum primo.

MEM. *Aqua mulieris quæ virgo iuuenis est, dulces sunt, & augent vires: sed aquæ mulieris vetulæ amaræ sunt, vt absinthium, & debilitant vires; vt cisterna, quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo absorpsit.*

NVN. *Excute te ipsum à muliere mala; quia lingua sua in te dominatur: mulier enim mala similis est canibus rabidis;* cui ideo fores clausæ sunt, licet verba mollia proferat ore suo, cum respondet.

SAMECH. *Scriba docens alios, ducat Virginem, & ne ducat eam, quæ maritum habuit: nam aquæ Virginis tibi soli erunt; aquas verò eius quæ maritum habuit, antea alius præter te hausit.* Prouerbiorum quinto.

AIN. *Oculos tuos absconde à muliere vidua, & ne concupiscas pulchritudinem eius corde tuo; quia filij eius, filij scortationum sunt:* Non quia ex scorto nati; sed quia scortationi addicti: nam patrem non habentes, & matrem non curantes, suæ concupiscentiæ liberè indulgent.

PHE. *Auerte faciem tuam à sociis malis: ne habeto cum eis iter. Cohibe pedem tuum ab eis, ne capiaris reti ipsorum.* est idem Prouerbiorum primo, & tertio.

TSADE. *Reconde fili mi, opes tuas in vita tua, & absconde illas: & heredibus tuis vsque ad diem mortis tuæ, ne dederis illas.* Vt hæredes pendeant à te, non tu ab illis; ne habitis tuis opibus te spernant, & egere sinant, vti multis contigit.

COPH. *Compara tibi opes, & vxorem bonam Deum timentem: multos quoque filios procreato, etiamsi centum fuerint.* Quia si boni fuerint, & probè educati, non erunt multi, licet centum fuerint.

RESCH. *Procul recede à vicinis malis, vt ne annumereris societati eorum: nam pedes eorum ad malum currunt, & properant effundere sanguinem. Nihilominus misereat te vicinorum tuorum, licet mali sunt; & da illis de cibo tuo quia eo tempore, quo ad iudicium stabis, pro te testimonium dicent.*

SCHIN. *Audi mi Domine, sermones meos, & inclina aurem tuam ad verba mea. Supersede mi Domine, litigare cum vicinis tuis; & si animaduerteris in sociis tuis rem malam, ne profer infamiam ipsorum lingua tua.*

THAV. *Compara tibi aureos nummos, & quaslibet opes; & ne indica vxori tuæ vbi sint, licet ipsa bona sit:* Bonitate scilicet Iudaica: nam Christianus coniux coniugi fideli non tantum opes, sed & liberos, ac se ipsum credit.

His addit Cornelius duas alias sententias eiudem Ben-Sira: *Ne te cruciet ærumna diei crastinæ; quia nescis, quid paritura sit dies.* Sumpsit id ex Prouerbiorum vigesimo septimo. Idemque docet Christus Matthæi sexto. Altera est: *Dies breuis & opus multum.* Cui simile est illud Hippocratis initio Aphorismorum de arte medendi: *Vita breuis, ars longa,*

occasio

occasio præceps, iudicium incertum, experientia periculosa. Et illud R. Simonis in lib. Auoth: *Dies breuis, & opus multum, & operarij pigri & merces copiosa, & paterfamilias vrget.* Et illud Salomonis Ecclesiastici nono: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Id est, *viue æternitati*, non inferæ & miseræ, sed superæ, & beatæ; quia modicus labor exigui, & irreuocabilis temporis magnum & æternum tibi pariet præmium. Plures sententias scripsit Ben-Sita, quas diligentissimè conquisiuit noster Cornelius, nec præter dictas quidquam repetire potuit.

CAPVT X.

Vnde collectus fuerit Ecclesiasticus à Iesu Sirach seniore, & an Iesus Iunior fuerit Canonicus scriptor?

ITAQVE diuersas habet sententias Ben-Sita ab Ecclesiastico; habet & nonnullas similes, vt Iesus Sirach videatur ab illo mutuasse, cum antiquior fuerit, aut saltem vterque ab alio, à Salomone nimirum, cum constet ex dictis vsurpasse Ben Sira aliqua, ex Prouerbiorum libro cætera fortasse hauserunt. Vnde Philo compegit sapientiæ librum, vel ex altero sapientiæ volumine cuius iam meminimus, quod ex penetralibus legis tradunt aliqui authores confecisse Salomonem diuersum à sapientiæ libro, quē nunc habemus. Cum igitur pleraque, aut omnia præcepta morum ex Salomone accepisset Iesus Sirach in causa hoc fuit, vt à pluribus Patribus eius sententiæ citentur nomine Salomonis. Hoc innuitur capite quinquagesimo Ecclesiastici, vbi dicitur, *qui sapientiam renouauit*, & in Prologo breuiori quem Tigurina præfert, & Græcè habetur, dum dicitur: *Iesus Sirach quidem fuit filius, sed cognominis sibi, Iesu nepos: vixit autem temporibus citerioribus captiuitatem & restitutionem secutis: adeoque post omnes ferè Prophetas. Porro auus eius, Iesus, vt & ipse testatur, industrius vir fuit inter Hebræos & prudentissimus, qui non solum aliorum ante se prudentium virorum sapienter dicta collegit: sed etiam ipse quadam priuatim multa, scientia sapientiáque plena pronuntiauit. Postquam igitur hoc libro ferè collectitio relicto primus ille Iesus de vita decessit, Sirach hic, post eum rursus acceptum, eundem filio suo Iesu reliquit.* Quæ certò adiecit de suo Iesus senior, fuêre sapientissima elogia antiquorum Sanctorum. Accedit his similitudo, & parilitas eloquij, vt ait Rabanus, & alicubi S. Augustinus notauit. Sic inuectiuæ Ciceronis in Antonium, subinde Antoninæ, sæpius Philippicæ vocantur: quia similes sunt Philippicis Demosthenis, quas ipse contra Philippum, Alexandri Magni patrem declamauit. Alij volunt propter eximiam Iesu Sirach sapientiam sui æui Salomonem habitum & vocitatum fuisse. Paulus de Palatio quidem in Præfatione existimat vocatum alio nomine Salomonem: aut (quod verosimilius est) quod Iesus hic titulum Salomonis suo libro præfixerit, vt quem Salomonis nomine faciebat, vti fecit Plato, qui nomine Socratis, Dialogos scripsit; & Cicero qui nomine Catonis, & Lælij quosdam libro intitulauit. Tandem credibile est, librarios huius libri nomen imposuisse: auctor quippe Hieronymus est, titulum Ecclesiastici apud Hebræos esse, *Misle*, id est, parabolas, seu prouerbia: quo titulo etiam insigniuntur Prouerbia Salomonis. Cum igitur Librarij incidissent in hunc titulum, putarunt esse Salomonis, & eum nomine illo venditarunt. Hæc Palacius.

Iesus autem Iunior duo præstitit in hoc libro. Primum ex Hebræo in Græcum vertit, alterum mutauit aliqua ab vno loco in alium, aut aliter digessit: nam in Prologo Tigurinæ & Athanasij dicitur: *Postquam igitur hoc libro ferè collectitio relicto primus ille Iesus de vita decessit, Sirach hic post eum rursus acceptum, eundem filio suo Iesu reliquit. Is tandem hunc nactus, concinnè totum coegit in vnum volumen, & sapientiam eum suo & paterno, adeóque aui nomine inscripsit: nempe vt ipso sapientiæ nomine auditorem ad ipsum librum maiori desiderio, meditationeque pertractandum alliceret.* Ob hæc verba repudiat Palaeius hoc proœmium; quoniam asserat Iesum iuniorem, siue nepotem, Ecclesiasticum à Iesu seniore & auo conscriptum concinnasse, & in ordinem redegisse: quo videtur nepoti arrogare librum, quasi ipse eius sit author, cum constet, auctorem esse Iesum auum, non nepotem. Posterius, quod præmium hoc asseueret, librum hunc ab auo relictum patri, & ab eo nepoti traditum, cum in vero nepotis prologo, qui in Latinis Biblijs extat, nepos ipse

ipſe dicat, ſe hunc librum inueniſſe in Ægypto, poſt diutinam ibidem commorationem: Ad hæc autem reſpondet noſter Cornelius, cùm hoc proœmium ſit S. Athanaſij, non magis de eius veritate & fide dubitare licet, quàm de proœmiis cæteris S. Hieronymi. Quare ad prius reſpondeo materias & ſententias omnes huius libri à Ieſu ſeniore eſſe conſcriptas, ideóque ipſum libri eſſe auctorem: eaſdem verò à Ieſu iuniore in Græcum eſſe conuerſas, & iuxta materias in ordinem digeſtas & in capita diſtributas: quocirca ipſe libri eſt interpres dumtaxat & digeſtor, non auctor: eum enim hæc non tantum interpretatum eſſe, ſed & digeſſiſſe ac concinnaſſe, vnumque ex iis codicem confeciſſe, cenſet S. Athanaſius præfationis Auctor: licèt ipſe Ieſus iunior in præfatione ſua aſſerat dumtaxat, ſe ea interpretatum eſſe, & vertiſſe in Græcum. Simili modo viri Ezechiæ tranſtulerunt, id eſt, in ordinem digeſſerunt Parabolas Salomonis poſt caput vigeſimum quartum: qui tamen Parabolarum non ſunt auctores ſed Salomon, vt ex Salazario magiſtro meo ſuprà notauimus. Ad poſteriorem Palacij ſcrupulum reſpondit idem Cornelius librum Eccleſiaſtici ab auo in Ægypto eſſe conſcriptum, relictúmque filio, qui eum in ſua, vel cognatorum & amicorum bibliotheca repoſuit, vbi inter cæteros aui, patriſque libros eum reperit nepos. Ideóque ei à patre hic liber traditus dicitur, quia Bibliothecam omnem, vti & hæreditatē cæteram, pater filio de more teſtamento reliquit: in Bibliotheca autē erat hic aui liber, aut certè pater librum reliquit amicis tradendum filio: ſed ipſi vel demortui, vel alio migrantes, vel obliti, eum tradere diſtulerunt, donec filius ſcrutando eorum libros, inter eos ipſum inuenit. Prologū autem longiorem qui incipit *Multorum nobis*, qui vulgaris Bibliis pręfigitur, ipſe Ieſus Sirach iunior compoſuit, & canonicum eſſe defendit Gretſerus: quoniam in editione Bibliorum Clementis Octaui præmittatur libro Eccleſiaſtici, & in eorūdem Bibliorum proœmio notetur in editione illa nihil non canonicum intexi: alij tamen tantam authoritatem illi inficiantur, quoniàm Ieſus ſolùm fuerit interpres, non conditor alicuius ſcripturæ. Verùm ſeptuaginta Interpretes iuxta plures Patres, inter canonicos ſcriptores videntur admitti; quoniam diuinus Spiritus illis affuit, & ex eiuſdem afflatu aliqua adieciſſe dicuntur: videtur autem mutaſſe aliqua Ieſus iunior, fortaſſe & adiecit interpretationi ſuæ: quapropter valde probandus eſt ſuus prologus.

CAPVT XI.

An duos libros ſcripſerit Tobias? An vterque Tobias vnum librum?

PAVLVS Phaſius negauit librum Tobiæ abipſo ſcriptum, dum eam hiſtoriam eius eſſe inficiatur, ſed drama, aut comœdiam, quemadmodum Cyropædia Xenophontis. Conſtat tamen veram eſſe narrationem ex circunſtantiis locorum, temporum, perſonarum, rerum geſtarum. Deinde non conſtare de authore Iſidorus & Rabanus aſſeuerant; verùm vterque Tobias videtur librum conſcripſiſſe, qui Tobiæ titulo inſignitur. Iuxta præceptum Raphaëlis Angeli, qui, vt Sixto Senenſi, Ioanni Benedicto, Bellarmino, Serario, Fabio, Iuſtiniano, & Tirino perplacet, vtriq; hiſtoriam illam mirandam ſcriptis facere publicam præcepit; Capite ſiquidem duodecimo dixit eis Angelus: *Narrate omnia.* Hæc narratio non fluxo, fugaciq́ue ſermone debuit fieri, ſed ſtabili & diuturno, per ſcriptionem ſcilicet, vt Hebræum, atque Græcum explanant, quæ ſic habent: *Scribite omnia hæc quæ contigerunt in libro.* Senior Tobias videtur vſque ad caput decimum tertium mandaſſe ſcriptis. Iunior autem deinceps, quoniam Hebraicè ita ſcriptum reperiatur: *In iſto tempore ſcripſit Tobias vltima verba hæc in gaudio.* Tobias filius intelligendus eſt, quandoquidem Pater ſoleat in Hebræo vocari *Tobi*, non *Tobias*; narratúrque ibi capite decimo quarto mors Tobiæ ſenioris, atque ideo eius ipſe ſcriptor non fuit, ſicut nec integri capitis extremi Tobias iunior, ſed vſque ad verſum decimum ſextum, vbi eius obitus ab Eſdra, aut alio hagiographo adiunctus fuit pro more aliarum ſacrarum hiſtoriarum, Deuteronomij, Ioſue, Samuelis, &c. Fertur quoque & Sixtus narrat ſe vidiſſe librum, Hebraicis literis & linguâ ſcriptum ex vrbe Conſtantinopolitana aduectum, in quo Tobias ipſe, de ſeipſo in prima perſona à principio vſque ad finem voluminis loquens, ſuam ipſius narrabat hiſtoriam, erátque eius initium huiuſmodi:

Ioann. Euſeb. de Orig. S. Script.

זה ספר טובי בן טוביאל בן חננאל בן אריאל בן גבאל בן עשאל :
id est, *Hic est liber Tobi filij Tobiel, filij Hannaneel, filij Ariel, filij Gabeel, filij Hasael.* Sed inueniuntur multa in eo redundare, quæ in nostro canonico Tobiæ libro non sunt, & longè plura in eo deesse, quæ apud nos habentur. Videtur Hebræus hic liber aliquam habere similitudinem cum Græco Tobiæ volumine, in quo Tobias de seipso rectà narratione loquens, per multa capita inducitur, & exordium historiæ eadem habet verba in hunc modum conscripta: Βίβλος λόγων τωβὶτ τοῦ τωβιὴλ, τοῦ ανανιὴλ, τοῦ ἀδιὴλ, τοῦ γαβαὴλ, τοῦ ἀσιὴλ, id est, *liber sermonum Tobi filij Tobielis*, &c. vt suprà. Cùm igitur præter Hebræam, & Græcã narrationem, quæ vulgati nostri versioni respondet, alia extet historia Hebræa, & Græca paulò fusior, & amplior, in qua Tobias semper *αὐτοπρόσωπος*, in prima scilicet persona eloquitur, putant aliqui, & meritò id nuper censuit Tirinus, Tobiam bis eandem historiam conscripsisse. Semel succinctè, iterum fusius, quę Græcè hactenus extat. Causa repetitæ scriptionis potuit esse Angeli pręceptum publicandi sua, & ipsius Angeli gesta, atq; maioris communicandæ notitię causa, vt ad diuersos eas historias mitteret: voluit non solũ inter Israelitas captiuos eam spargere, sed effundere vsque ad regnũ Iuda reliquum illætenus in Palæstina: fortasse ad Iudæos, qui minorem illorum mirabilium notitiam habebant longius eam historiam scriptã misit epistolari modo loquutus in prima persona. Mardocheus siquidem etiam per epistolam historicã Esther promulgasse videtur cum capite eius libri 9. dicatur: *Cuncta quæ gesta sunt epistolæ, id est, libri huius volumine continentur.* Incidit historia Tobiæ in tempus Prophetarum minorum Nahum, & Abacuc; quippe Tobias senior cum Tobia iuniore translatus fuit in ciuitatem Niniue à Rege Assyriorum Salmanasar, & perseuerauit vsque ad aliquot annos Sennacherib successoris eius. Contigit autem captiuitas illa anno sexto Ezechiæ Regis Iuda, qui fuit nonus Oseę Regis Israel, & ab orbe cõdito 3264. vt placet Bellarmino, cui etiam scriptus videtur liber anno mundi 3252. mortuo Sennacherib. Quæ autem in fine libri adduntur de morte Tobiæ iunioris, sine dubio ab aliquo alio addita sunt. Porrò liber Tobiæ scriptus est Chaldaicè, non Hebraicè, & ideò fortasse ab Hebræis non agnoscitur pro libro sacro. Transtulit eum in linguam Latinam S. Hieronymus, vt ipse testatur præfatione in Tobiam, & ab Ecclesia Catholica inter sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Concilio tertio Carthaginensi, ex Innocentio Primo in epistola ad Exuperium, ex Gelasio Primo in decreto de Scripturis sanctis, & Cypriano in sermone de Eleemosyna, ex Ambrosio in libro de Tobia, ex Basilio in oratione de auaritia, atque ex Tridentini Concilij sententia.

CAPVT XII.

Duo summi Synagogæ Pontifices fuère Ioachim nuncupati: Senior composuit librum Iudith.



VAMVIS sanctus Isidorus neget constare à quo fuerit liber Iudith editus, scriptorem eius historiæ probant Aben-Ezra, Sixtus Senensis, & Serarius, eum Ioachimum, quem assignauit Philo, seu quisquis author est Chronographiæ Philonis elogio insignitæ, vbi libro secundo dicitur: *Iesus Pontificatum primum vsque ad duodecimum annum Assueri prisci annis triginta sex. Ioachim verò filius eius in absentia annis octodecim, & Iudith gesta conscripsit, & anniuersariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit.* Et Rabbi Azarias libro tertio *Meorhenajim* capite trigesimo secundo, non Ioachim, sed patri eius Iesu videtur scriptionem Iudith imputare, dum ait: *Functus est Ieschuah* (Iesus nimirum) *sacerdotio suo magno annos triginta tres & hic scripsit gesta Iudith, & decreuit fieri memoriam liberationis huius anno quolibet.* Neuter fuit huius libri scriptor, sed antiquior alius Ioachim Pontifex quoque, siue Eliacim: nam idem prorsus sunt duo hęc nomina & vtroque nomine nuncupatur in ipsa historia Iudith summus eius temporis Sacerdos. Dico antiquiorem, quia tempore Iudith non fuit summus Sacerdos ille Ioachim filius Iesu, qui filius fuit Iosedech, & cũ Zorobabele reduxit Iudęos è Babylone Hierosolymam, sed alius vetustior Ioachim, siue Eliacim, qui floruit tẽpore Manassis Re-
Isai. 22. gis Iuda, cui Isaias Propheta promiserat Dei nomine summum Pontificatum: tunc tẽporis accidisse historiam Iudith placet Genebrardo, Pereiro, Cano, Bellarm. Christoph. à Castro, Saliano, Bonfrerio, Tirino, imò & Serario. At hunc eruditissimum scriptorem miror in

Prolegomeno

Prolegomeno altero ad librum Iudith plausisse narrationi Philonis, qui Ioacim filium Iesu pronuntiauit authorem libri Iudith, eúmque affirmari ab ipso Seratio interfuisse gestis Iudithicum tamen ad caput quartum eius libri quæstiunculâ secundâ eruditè probet & affirmet tempore Manassis gesta Iudith accidisse, & Sacerdotem Ioacim, seu Eliacim fuisse non filium Iesu, sed illum, cui Isaias fuit pollicitus Pontificias infulas: Quamuis enim vnus tantùm Ioacim in Hebræorum Pontificum catalogo nominetur à Iosepho, solidè tamen & eruditè probant Bellarminus & Serarius eum Ioacim, seu Eliacim, cuius apud Isaiam mentio fit, summum etiam Pontificem fuisse. Incertas aliquantulum Pontificias Iosephi recensiones ostendunt Serarius, & alij. At fortasse fuit Eliacim, qui à Iosepho, vel *Odeas*, vel *Saldumus* vocatur. Igitur cùm ij qui de authore Iudith censent, eum pronuntient eius historiæ scriptorem, qui tunc temporum Sacerdotio summo fungebatur iuxta Iosephi testimonium libro contra Appionem primo, memorantis in more positum fuisse apud Ægyptios & Babylonios, & potissimùm apud Hebræos, vt res gestæ publicè scribendæ committerentur Sacerdotibus magnis, quod nonnulli volunt comprobare ex Sobna antecessore Eliacim, qui scriba etiam dicitur ab Isaia, & eundem dicunt fuisse Sobnam scribam, & Sobnam Sacerdotem. Ij authores, qui ad tempus post captiuitatem Babylonicam referunt gesta Iudith Ioacimum filium Iesu eam historiam descripsisse asseuerant; cùm autem certius sit ante captiuitatem accidisse sub Manassis tempus, assignandus est eius libri scriptor antiquior, alter scilicet Ioacim seu Eliacim, qui eo tempore floruit: fortasse similitudo nominis impulit Philonem, vt eius libri scriptionem iuniori Ioacim addiceret.

CAPVT XIII.

An Ioachim iunior filius Iesu scripserit librum Esther? Affirmantur Mardochæus, & ipsa Regina Esther authores suæ historiæ.

IDEM Philo eidem Ioachim filio Iesu, tribuit librum Esther, quem sequitur Reineccius: illum tamen Rabbi Moyses Camius libro *Darche Ieschon Haacosedesch*, à viris magnæ Synagogæ profert scriptum. Sed sanctus Augustinus, & Isidorus Esdram malunt eius libri authorem. Hæc lis ex ipso Esther libro dirimi videtur, cùm ea parte nono dicatur: *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Iudæos.* Accedit ex diligentia Mardochæi argumentum, cùm insidias Eunuchorum etiam scripsisset, vt constat ex duodecimo capite, vbi dicitur: *Rex autem quod gestum erat scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam literis mandauit.* Idcirco Lyranus, Dionysius Carthusianus, Bellarminus, Feuardentius, Serarius, Sixtus Senensis, Fabianus, Iustinianus, Tirinus, Aben-Ezra, R. Moyses Hispanus, & Ioannes Drusius, Mardochæum fatentur eius libri scriptorem, cui aliqua inseruisse ipsam Esther notant Serarius, & Tirinus, satisque colligitur ex Græco textu capitis noni. Hæc ibi habentur: καὶ ἔγραψεν Ἐσθὴρ ἡ βασίλισσα θυγάτηρ Ἀμιναδάβ, καὶ Μαρδοχαῖος ὁ Ἰουδαῖος ὅσα ἐποίησαν, τό τε στερέωμα τῆς ἐπιστολῆς τῶν Φουραί. *Et scripsit Esther Regina filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus quæ fecissent, ipsamque confirmationem epistolæ ipsorum phurim.*

Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 36.

CAPVT XIV.

An præter Mardochæum & Esther fuerit tertius Author eius libri? An ex Iosepho eius lacinia sumpta?

QVÆRI etiam potest, an totum librum Esther Mardochæus, vnà cum Esther scripserit? De qua controuersia hanc Sixtus Senensis pronuntiauit non satis consultam

ſententiam: Scripſit Mardochæus omnia, quæ habentur à principio libri vſque ad ea verba quæ in principio decimi capitis ponuntur in hunc modum: *Mardochæus Iudaici generis fuit à Rege Aſſuero ſecundus, & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum quærens bona populo ſuo, & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.* Cætera verò ſex capitula vſque in finem libri ab incerto Græco ſcriptore addita ſunt ex diuerſis hiſtoriis, præcipuè verò ex vndecimo libro Antiquitatum Ioſephi; ex quo exemplum literarum Aman, & exemplum epiſtolæ Regis Artaxerxis, quæ tertio decimo, & ſexto decimo huius libri capite recitantur, ad verbum deſumptæ ſunt. Initium huius libri iuxta Hebraicam veritatem, & noſtram vulgatam editionem, ſic habet: *In diebus Aſſueri Regis, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam, &c.* In vulgata verò tranſlatione ſic: ἔτους δευτέρου, βασιλεύοντος Ἀρταξέρξου τοῦ μεγάλου, τῇ μιᾷ τοῦ Νισὰν, ἐνύπνιον εἶδε Μαρδοχαῖος, hoc eſt, *Anno ſecundo, regnante Artaxerxe magno, vnâ die menſis Niſan, ſomnium vidit Mardochæus, &c.* Quæ in noſtris codicibus toto vndecimo, & duodecimo capite continentur; poſt quæ ſtatim ſubnectuntur iam præmiſſa verba: *In diebus Aſſueri Regis, qui regnauit ab India.* Finis autem huius libri apud Hebræos concluditur in illa ſententia: *Quærens bona populo ſuo, & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.* Quæ quidem ſententia in exemplaribus noſtris principium decimi capitis eſt; apud Græcos verò finem accipit liber hic, vbi caput vndecimum noſtræ editionis incipit, videlicet, in verbis illis: *Anno quarto regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra, &c.* vſque *ad filiũ in Hieruſalem.* Noſtri autem codices ab hoc loco vſque ad finem voluminis ſex capitula interponunt. Accidit autem, vt propter has appendicum lacinias, hinc inde inſertas, liber hic, quamuis Hebraicus, & Hebræis receptus, ſerò admodum apud Chriſtianos canonicam auctoritatem receperit. Vnde nec ipſum Melito Sardenſis Epiſcopus, nec Gregorius Nazianzenus inter ſacros libros enumerarunt, & Athanaſius de Catalogo Canonicorum voluminum tanquam nothum nominatim abiecit, quem denique Concilium Carthaginenſe tertium, inter ſacra volumina computauit. Idem Senenſis poſteà reiecit inter apocryphas ſcripturas, eaſdem appendices, non maiorem eis tribuens authoritatem quàm orationi Regis Manaſſis, tertio & quarto Eſdræ libris, Appendici libri Iob, & Pſalterij, tertio & quarto Machabæorum libris. Et quidem hæc non tutò pronuntiauit poſt Concilium Tridentinum, cuius definitione totus Eſther liber, prout habemus, Canonicus habendus eſt, eiúſque authoritatem ſatis fulciunt Serarius, Bonfrerius, & Sancius, eáque colligitur ex his quæ docuit ſanctus Auguſtinus, Hilarius, Innocentius Primus, Alcimus, Concilium Laodicenum, Carthaginenſe tertium, & nouiſſimè Tridentinum: citanturque paſſim, vt canonica ab vtroque Ioſepho, & à ſanctis Patribus, quos recenſent Bellarminus, Serarius, & alij. Extant etiam in editione ſeptuaginta Interpretum: & olim etiam extabant in veteri vulgata, non ſeorſim, vt modò in noſtra Latina, ſed ſuis quæque locis inſerta ordine ſeruato hiſtoriæ. Nam ſanctus Hieronymus ſuo demum tempore, quòd illa Hebraicè non reperiret, ſeiunxit à reliquis, & ad calcem libri reiecit.

In eo quoque fallitur Senenſis, quod putet lacinias illas ex Ioſepho ſumptas à Græco ſcriptore; quoniam in Ioſepho reperiantur literæ Aman & exemplum epiſtolæ Regis Artaxerxis. At cur non Ioſephus illas potius accepiſſet ab alio libro? Planè ex Ioſepho non fuiſſe vſurpatas ſatis notat differentia; nec enim prorſus conueniunt quæ in vulgata, & quæ in Ioſepho dicuntur, & ne moras in aliis traham; ſat puto eſſe quòd legamus in epiſtola Artaxerxis Biblica Aman Macedonem eſſe, & coniurationem pro Macedonibus præparaſſe. Semel dicitur capite decimo ſexto: *Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienúſque à Perſarum ſanguine.* Et rurſus: *hoc cogitans, vt illis interfectis, inſidiaretur noſtræ ſolitudini, & regnum Perſarum transferret in Macedonas.* Ioſephus autem Amalecitam illum ſcribit, nec coniurationem Macedonum explicat, Biblijs tamen alter Ioſeph Gorionides ſuffragatur, dum ait: *Cùm ſederet Mardochæus in porta Regis, aduertit ſuſurrium duorum Eunuchorum cuſtodientium portam, & conſultantium quomodo leuarent manum contra Regem, & ablatum eius caput deferrent ad Regem Macedoniæ, qui iam bellum indixerat Regibus Perſarum; cùm autem Eunuchi ſuſpenſi eſſent in cruce, iratus eſt Aman valdè, quod conſiliarij ſui ſic acti eſſent in crucem, & conatus eſt exterminare omnes Iudæos.*

Multa alia in quibus diſſidet Ioſephus, obſeruauit diligentiſſimè noſter Lanſellius.

CAP. XV.

CAPVT XV.

An ex Annalibus Persarum sumptæ fuerint appendices libri Esther?

AT si non ex Iosepho, vt existimauit Sixtus Senensis, vnde laciniæ libri Esther acceptæ sunt? Doctissimus meus Magister Gasparus Sanctius censuit ex Annalibus potissimum Persarum Regum transcriptas, quippe magna apud Persas ratio suorum Annalium habita, vt ex libro ipso Esther colligi potest, cum dicatur capite 2. *Mandatumque est historiis & annalibus traditum coram Rege.* At nec isti ethnicorum annales authoritatem Spiritus sancti habuêre, nec verisimile esset impios homines deuotissimas orationes Mardochæi, & Esther sic integras expressisse, vt in iis additionibus continentur. Alia multa sunt in eis laciniis quæ Persæ non curarent memoriæ tradi: idcirco nonnullis visum est septuaginta interpretes eas adiecisse. At omnia non potuere ab iis esse addita: nam quod initio capitis vndecimi dicitur de Dositheo afferente epistolam Phurim regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra, quam epistolam interpretatus fuit Lysimachus multo post tempora septuaginta, accidit Olympiade centesima septuagesima prima, tunc enim regnarunt Ptolemæus, & Cleopatra: quamuis enim multi Ptolemæi, & Cleopatræ regnarunt in Ægypto, communiter siquidem Reges Ptolemæi dicebantur, & Reginæ Cleopatræ. Is Ptolemæus creditur nonnullis eius nominis decimus, qui aliter vocatus fuit Alexander, quem mater Cleopatra secum regnare fecit expulso filio Ptolomæo Physcone. Idcirco peculiaris mentio facta est Regni Cleopatræ, alioqui non erat opus, nec mos Reginæ vxoris meminisse. At à quocumque siue à septuaginta, siue ab alio Græco illæ appendices sint adiectæ dubitari potest vnde illas acceperit, Mihi verosimilius est desumptas ex scriptis ipsius Mardochæi, aut Estheris; sicut enim diximus duas historias à Tobia, vel Tobiis scriptas, vt publica sua gesta vbique tedderent iuxta Angeli præceptum: siue vnam ab vno Tobia, alteram ab altero, siue ab eodem bis; semel historice, & rursus epistolariter: Sic Mardochæus gesta Esther, vt nota omnibus faceret, diuersis eam historiam, siue bis scribere potuit, & epistolas mittere, vt festa Phurim innotescerent omnibus, cuius causam oportebat explanare, siue etiam præter epistolam Mardochæi, aliam ipsa Esther conscripsit. Ex his scriptis nimirum Mardochæi potuêre transcribi, quæ adiecta sunt historiæ Hebraicæ Esther. Quod plausibilius est quàm ex annalibus Persicis collecta fuisse. Tum maximè cum constet ex capite duodecimo coniurationem Eunuchorum, quæ publicis, & regiis annalibus scripta fuerat, Mardochæum pariter priuatis commentariis sibi commemoratam seruasse. Quod liquet ex illis verbis: *Rex autem quod gestum erat scripsit in Commentariis, sed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit.* Quare potius ex Ephemeridibus Mardochæi, quàm ex Commentariis publicis Persarum desumptas credi par est.

CAPVT XVI.

An Dositheus, & Ptolemæus scripserint initium capitis vndecimi Esther?

QVæri etiam potest, quis adiecerit quæ initio capitis vndecimi scripta sunt de Dositheo, & filio eius Ptolemæo afferentibus epistolam Phurim, quam fuerat interpretatus Lysimachus Ptolemæi filius. Serarius censet ab ipsis Dositheo, & Ptolemæo conscripta, vt & Iudæis prodessent; & isti filij sui, ille sui nepotis doctrinam & industriam commendarent; qui vertere illam potuisset; aut vero vt maiorem fidem facerent, cum esset ille notus, & ipsi eius quodammodo authores ratione illius viderentur. Verùm qui considerauerit verba eius narratio-

nis facile peruidebit nequaquam ab ipso Dositheo, & Ptolemæo factam. Cur Dositheus dubium se significaret proprij generis & officij? Sic enim narratio extat: *Anno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleopatra attulerunt Dositheus qui se sacerdotem & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc epistolam Phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Hierusalem.* Hic modus loquendi ab alio denotat hæc scripta cùm dicatur *ferebat*; & mox *dixerunt*; atque non ex propria fide hoc narrari constet, cum in propriis gestis, & dictis nôn sit cur alij eiusmodi allegentur. Quapropter ignoratur quis eam adiecerit annotatiunculam; sicut etiam quis fuerit hic Dositheus & Lysimachus. Sunt qui velint dicere fuisse eundem cum illo, cuius meminit Iosephus libro contra Appionem secundo tempore Ptolomæi Philometoris; hic enim Rex, vt notat Tirinus extremè fauebat, & addictus erat Iudæis; imo si Iosepho credimus, omne regnum suum commisit Iudæis administrandum: totius quoque militiæ suæ duces fecit Oniam & Dositheum Iudæos. Sed an hic Dositheus idem sit cum illo sacerdote qui hîc dicitur hanc epistolam attulisse, non ausim affirmare. Nam etiam sacerdotes rem bellicam administrasse, certissimum est, tum ex Banaia, primo Paralipomenon, vigesimo septimo. Tum ex Mathathia, eiusque filiis Iuda, Ionatha, Simone, & aliis Machabæis: inter nomina autem septuaginta interpretum Dosithæus accensetur. Quod Lysimachum attinet Alexander Alabarches, cuius etiam mentio est apud Iosephum libro decimo nono, capite quarto, quem alicubi prædiuitem ostendit, & Philonis illius doctissimi fratrem scribit, inuenitur etiam Lysimachus vocari. Dequo Serarius egit.

CAPVT XVII.

An rescriptum Artaxerxis Persarum Regis sit Canonicum?



TANDEM de epistola Artaxerxis Regis quam caput Esther vltimum continet, explanare oportet, sitne Canonica & infallibilis veritatis. Et quidem aliud sentiendum est de hac epistola, quàm de epistola Aman, quæ in decimo tertio capite habetur: Hæc quidem multa falsa continet, tam abest, vt eius dictata intemeratæ sint veritatis. Verissimum tamen est, & de fide, Aman eam scripsisse epistolam, sicut alia impiorum dicta, quæ in sacra scriptura narrantur, verum est ea illos dixisse, non tamen est verum dicta ab illis esse vera. Attamen Artaxerxis Persarum Monarchæ diploma, non tantùm est verum eius Regis fuisse decretum, sed etiam vera esse, quæ continet: quoniam Mardochæus illud dictauit, & cùm scribebatur ea epistola, ipse Artaxerxes conuersus fuit, & veri Dei cultor, vt liquet ex iis verbis: *Iudæos neci destinatos in nulla penitus culpa reperimus, sed è contrario iustis vtentes legibus, & filios Altissimi & maximi semperque viuentis Dei, cuius beneficio, & Patribus nostris, & nobis regnum est traditum, & vsque hodie custoditur.* Illud difficile quibusdam visum in hac epistola quod de Aman dicat Artaxerxes; *hoc cogitans vt illis* (Mardochæo & Esther) *interfectis insidiaretur nostræ solitudini, & Regnum Persarum transferret ad Macedonas.* Vnde tunc hic metus de Macedonibus, potentissimo Persarum Regi, vt plusculum videatur suspicionibus suis indulgere Artaxerxes, & verisimilia potius quàm certa testataque narrare. Huic obiecto satis respondent Serarius, & Tirinus, ac certa testataque fuisse nemo negare poterit, qui quæ de Eunuchorum Amânis perfamiliarium insidias capite secundo in fine dicta sunt: quæque suspenso Amâne, ex Chartis domi eius repertis, secretisque eiusdem consiliis per complices detectis, Regi innotuerunt, animo expenderit: simulque cogitarit, litterarum harum auctorem, qui id disertè affirmat, non esse solum Regem, licet iam ad Deum conuersum, vt ex contextu constat; sed ipsam quoque Estherem, & Mardochæum, mendacij hostes, & veritatis amantes; qui nunquam id affirmassent, ni certò compertum habuissent. Sed quis obsecro, metus sub Dario Hystaspis de regno ad Macedonas transferendo, cum hi sub tempora demum Philippi Patris Alexandri Magni elatescere, viribusque inualescere cœperint? Respondeo, falli egregiè, qui sic sentiunt: nam Græcos, quorum pars non minima erant Macedones, iam tum à tempore Darij Hysta-

spis

ſpis metuendos fuiſſe Perſis, deque iiſdem valdè malè meritos, teſtis eſt Herodotus. Et Iuſtinus ait Darium hunc bellum cum Athenienſibus geſſiſſe, in quo iam tum emicuit induſtria & gloria Themiſtoclis adoleſcentis. Et quis neſcit, Darium Hyſtaſpis quarto ante mortem anno pugnam illam apud Marathonem pugnaſſe, Græcis, Romaniſque hiſtoriis celeberrimam? De qua vide Sulpicium, & alios. Denique Diodorus Siculus ſcribit: *Xerxem olympiade ſeptuageſima quinta mouiſſe arma contra Græcos*, non iam recens, ſed ab antiquo, imò *perpetuos infeſtiſſimoſque Perſici nominis hoſtes*: additque: *Patrem Xerxis*, nempe Darium Hyſtaſpis, *magnam materiam ad claſſis aduerſus Græcos inſtructionem præparaſſe*, & filio reliquiſſe. Ex quibus clariſſimè patet, Dario Hyſtaſpis iure merito, ſi de vllis, certè de Græcis, metuendum fuiſſe. Iam verò ſi metuit transferendum Imperium ad Græcos, idque opera Amânis animo & gente Macedonis, qui ſceptrum ipſi ſibi vindicare ſtudebat; nonne potuit iuſtè affirmare mentem Amânis fuiſſe, transferre ſceptrum Perſicum ad Macedonas?

CAPVT XVIII.

Ioannes Hircanus, & Iudas Eſſenus videntur authores librorum Machabæorum?



MACHABÆORVM hiſtoria duplici canonico libro contenta non vno authore conſcripta eſt, ſed diuerſos eſſe duorum voluminum ſcriptores multis indiciis conſtat. Primum ex materia, quia poſterior liber non eadem quæ prior proſequitur, ſed prorſus aliter, nec tamen meminit vnquam alter alterius. Secundò ex Chronologia, ſeu annorum ſupputatione quæ in priore libro eſt Alexandrina, in poſteriore Chaldaica, differentes ferè ſemper integro ſeſquianno. Tertio ex ſtylo, & phraſi, quæ in priore libro Hebræum redolet, in poſteriore Græcum. Origenes & Sanctus Hieronymus dicunt vidiſſe ſe priorem Machabæorum librum Hebræum. Qui tamen fuerint iſti auctores, non liquet, vt ait Iſidorus. Tres putat Sixtus Senenſis duorum librorum authores. Qui fuerint non ſatis decernit: ſolum ait, primum eius librum eſſe Hebræi authoris & Hebraicè ſcriptum, phraſis ipſa indicat, & Hieronymus in præfatione Regum eum ſe Hebraica lingua ſcriptum legiſſe confirmat. Secundum librum quidempto primo eius capite, ac dimidio ſecundi, ſic incipit: *De Iuda Machabæo & fratribus eius &c.* Vſque in finem totius operis, Græcus ſcriptor ex quinque libris Iaſonis Cyrenæi in epitomen contraxit quod ipſemet in præfatione fatetur, inquiens: *Ab Iaſone Cyrenæo quinque comprehenſos libros tentauimus vno volumine breuiare.* Hunc abbreuiatorem Hieronymus in ſecundo aduerſus Pelagianos volumine Ioſephum Mathathiæ filium fuiſſe exiſtimat. Honorius verò Auguſtodunenſis Presbyter in libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus Philonem Iudæum arbitratur. Tertiam huius hiſtoriæ partem, quæ ab initio ſecundi libri vſque ad dimidium ſecundi capituli duabus epiniciis epiſtolis coarctatur, ſenatus Hieroſolymitanus conſcripſit, vna harum epiſtolarum ad Iudæos Ægypti incolas miſſa, altera ad Ariſtobulum Ægyptij Regis præceptorem: quæ quoniam victorias perſtringerent duobus Machabæorum libris deſcriptas, meritò à Patribus poſt finem prioris, & ante initium poſterioris voluminis collocatæ ſunt, tanquam ad vtrumque ex æquo ſpectantes. Nihilominus Bellarminus, Sanctius & alij prioris libri authorem Ioannem Hircanum pronuntiant, quoniam, vt non ſemel ex Ioſepho monuimus, apud Hebræos ſcribendarum rerum, & memoriæ conſeruandæ cura commiſſa fuit Sacerdotibus ſummis, & Prophetis, qui aut ipſi proderent ſuo ſtudio, ac manu monumenta, aut per alios ſcriptores idoneos ſcribenda curarent. Quarè cum Machabæi ipſi ſummi Sacerdotes eſſent, & ſuarum eſſe partium ſcirent illuſtrium rerum ad poſterorum doctrinam conſeruare memoriam, curaſſe videntur, ne vnquam illuſtris familiæ digna immortalitate facinora obrueret obliuio, & eò ſtudioſius, quo parentum ſuorum agebatur cauſa, & illorum conſulebatur immortali gloriæ. Qui autem opportunius ex Machabæis eam hiſtoriam potuit ſcribere eſt Ioannes Hircanus Simonis Magni ſacerdotis filius, cuius mentio fit in calce prioris eius libri, qui etiam ſummus ſacerdos fuit, & omnibus penè rebus interfuit, quæ in illo primo libro narrantur

rantur, hoc commodè præstare Ioannes potuit, quia maiori quàm pater Simon, & patruus Iudas abundauit otio; & prout testatur Iosephus triginta & vnum annos in potestate fuit. Nec leuis momenti est, quòd ipse Propheta fuerit, si Iosepho fides est, quo nomine illud sibi negotium assumere debuit. Accedit quod aliquid huic sententiæ affert momenti, quod omissis aliis, quæ minus ad Machabæorum, id est, ad suam familiam pertinebant à Mathathia auo narrationem exorsus est, & eò videtur maximè intentus, vt patruorum, & patris gesta narratione prosequeretur historica; & alia minus accuratè describeret, quæ fecit postea Iason Cyrenæus, qui plura & minutiora persecutus est.

Circa secundum Machabæorum librum non est dubium saltem posteriorem & longiorem partem sumptam fuisse ex scriptis Iasonis Cyrenæi, qui autem illum in compendium contraxit videtur Serario & Tirino esse Iudas non Machabæus, vt quidam censuere, sed Essenus, quem tunc temporis testatur, Iosephus magnæ authoritatis esse ob sapientiam, futurorumque prædicendorum scientiam infallibilem, quique Antigono Ioannis Hyrcani Pontificis secundo genito mortem prædixit, cuius mentio fit in primo secundi libri capite, tanquam præcipui auctoris eius epistolæ, adeoque & totius libri secundi.

Hos libros tam primum quàm secundum annis abhinc mille ducentis fuisse ab Ecclesia Dei in sacrum canonem receptos, asserit Augustinus in decimo octauo de ciuitate Dei. *Machabæorum, ait, libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis accipit, propter quorundam Martyrum passiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Christus venisset in carnem, vsque ad mortem pro lege Dei certauerunt, & mala grauissima, atque horribilia pertulerunt.* Hæc ille. Iosephus tamen in calce libri, quem de Machabæis inscripsit, constantissimè affirmat, Eleazari senis, & septem enim matre filiorum martyria, secundo huius historiæ volumine comprehensa, etiam apud Hebræos inter sacras literas haberi quod notauit Sixtus.

CAPVT XIX.

An Amasias auunculus Isaiæ composuerit Canticum vineæ, Isaiæ 5. Præmittuntur aliqua de Prophetis.

IN Prophetarum vaticiniis non est opus moram facere: constat ab vnoquoque suam Prophetiam editam, quamuis ex Rabbinorum sententia Moyses Kimhi dicat: *Viri Synagogæ maioris scripserunt librum Iehezekel, & librum duodecim, hoc est duodecim Prophetarum minorum, & librum Danelis.* At de prima scriptione eorum vaticiniorum nequit hoc intelligi; neque enim tot antea annos, nisi mandarentur literis permansissent; potuit tamen fieri, vt illius Synagogæ diligentia noua exemplaria Prophetarum fuerint scripta: nugatur quoque Rabbi Isaac Haruma præfatione in Cantica, dum ait Ezechiam & socios eius librum Isaiæ scripsisse, & quia multi multa de Prophetis scripsere, pauca de paucis ipse edisseram. De omnibus satis est monere eorum ordinem; quoniam etsi primo inter omnes Prophetas loco *Isaias* ponatur quòd tum in Synagoga Iudaica, tum in Ecclesia Christiana præ cæteris maximi semper habitus sit; non omnes tamen tempore præcessit. Nam, si Eusebio, & quibusdam aliis Chronologis credimus, & patet ex initiis prophetiæ singulorum, Prophetarum omnium primus fuit *Osee*. Secundus *Ioel*: tertius *Ionas*, quartus *Amos* quintus *Isaias*: qui secundum quosdam decimo septimo demum anno Oziæ, seu Azariæ Regis Iuda; sed verosimilius secundum Sanctum Hieronymum vigesimo quinto eiusdem Oziæ prophetare cœpit, cum Amos vigesimo tertio anno, alij sub initia eiusdem Regis cœpissent. Post hos tempore Ioathan filij Oziæ prophetare cœperunt, Sextus *Abdias*, & septimus *Michæas*. Hi enim septem synchroni fuerunt, inquit S. Hieronymus. Sub Ezechia floruit octauus *Nahum*, sub Manasse nonus *Sophonias*, sub Iosia decimus *Habacuc*, & vndecimus *Ieremias*: anno 5. transmigrationis Iechoniæ cœpit duodecimus Ezechiel, anno 5. ab euersa Ierosolyma, decimus tertius *Baruch* Prophetiam suam conscripsit, vti paulo post decimus quartus *Daniel*. Post solutam captiuitatẽ Babylonicã anno vndecimo prophetarunt decimus quintus *Aggæus*, decimus sextus *Zacharias*: denique *Malachias* decimus septimus & vltimus.

Circa

Circa scripta ab Isaia inquiri potest à quonam fuerit compositum canticum vineæ, quod capite quinto intrusit? Sunt qui velint à Propheta adductum tanquam alienum non à semetipso editum, quod placet Gaspari Sanctio, interpretanti caput Danielis tertium, & Iobi trigesimum sextum: & rursus super Isaiam dicit sibi esse verisimile adhibitam fuisse ab Isaia hoc loco familiarem, & penè prouerbialem cantilenam, quâ sponsi conqueruntur de infideli sponsa, quæ sponsalitiis donis onerata à coniugali fide defecit. Nisi malis hic communi quadam metaphorâ, siue parœmiâ significari longam, & sedulam operam frustrà esse susceptam, qualis est eorum, qui ex vinea diligenter exculta nullum referunt fructum. Quod autem hic prouerbiale aliquid sit, persuadet & modus loquendi, quo vtitur Isaias (neque enim tam ipse canit, quàm canticum repetit sæpius audiri solitum) & quod hoc aut certè non admodum dissimile canticum sæpius vsurpatur in simili querimonia à Prophetis. Moyses Deuteronomij trigesimo secundo, postquam numerauit plurima, & quædam his similia beneficia, addidit quod proprium est ingratæ vineæ: *Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus.* Ieremias capite 2. *Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum: Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea electa?* Lyra hæc interpretatus ait: *In Scriptura aliquando accipiuntur parabolæ, seu similitudines ex rebus gestis; & ideò dicunt aliqui, & satis probabiliter quidam patruelis Isaiæ, id est, filius patrui sui habuerat vineam cum magno sumptu & labore excultam, & acquisitam, & tamen fuit sterilis, propter quod de ipsa sicut de re insolita fecit dictamen, quod vocatur hic canticum, & quia Isaias similiter locutus est hic de populo Israel sub nomine vineæ, ideò subditur, vinea facta est, &c.* Similiter sanctus Thomas ait: *Aliquando enim Propheta ex istis rebus gestis assumunt similitudines ad suas prophetias, sicut patet Ieremiæ trigesimo secundo: Ecce Ananael filius Sellum patruelis tuus veniet ad te dicens: Eme tu agrum meum, qui est in Anatoth, tibi enim competit. Ita etiam potuit contingere, quod ad literam aliquis patruelis suus composuerit simile carmen de vinea sua.* Designant nonnulli eius cantici authorem patruum Isaiæ. Hæc enim præmittit Propheta: *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ, vinea facta est dilecto meo in cornu filio Olei.* Pro patrueli, alij vertunt patruum. In quæ verba hæc habet Forerius: *Quantum ego augurari possum, habuit Isaias Propheta patruum nobilem, quocum Prophetæ familiaritas intercesserat. Is dicterium hoc sæpè in ore habere solebat, vt cùm vellet significare quempiam oleum & operam perdidisse, & malè labores suos & studia collocasse, diceret: Amicus meus habuit vineam in loco vberi, &c. expectauit vt faceret vuas, fecit labruscas. Inquit ergo Isaias, volo canere dilecto meo canticum de vinea ipsius, quod patruus meus solebat canere.* Arias Montanus tametsi non ita clarè eidem suffragatur sententiæ, ait significare Prophetam se velle ea quæ de Deo cum Israelitico populo excepisset, carmine complecti, idque cantici genere allegorico, quemdam amicum suum inducens de vinea sua agentem, in cuius gratiam canticum ipse composuerit. Alij exprimunt Amasiam fuisse, qui hoc dicere canticum solitus esset, non patruum, sed auunculum Isaiæ. Hic verò patruum, siue patruelem sumi pro auunculo, seu cognato. Alij tamen hoc referunt ad Christum, vt ipse sit, qui canticum vineæ cantauerit iuxta sanctum Hieronymum, cùm fleuit super Hierusalem, & dixit: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas*: siue prout alij volunt, cùm vineæ locatæ parabolam dixit: negant pariter verba Isaiæ referenda esse ad vllum ex cognatis suis; quoniam ex Euangelio constet non historiam, sed parabolam esse. At quid obest dicterium siue prouerbium esse Amasiæ, aut patrui Isaiæ, quominus & parabola sit. Potest quidem parabola esse dicta ab homine, sed accommodata Deo ad significandum eum modum, quo Deus se gessit cum Israelitico populo. Nec video quid contra hoc sit magni ponderis; imò id quodammodò videtur indicare Isaias, mutans in suo sermone personas & tenorem orationis. Nam quæ patruo suo tribuit, in tertia persona eloquitur. Deinde accommodans illa Deo in eius iam persona, prima scilicet loquitur; Canticum siue dicterium, quo vti sueuerat cognatus Isaiæ, hoc erat: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio Olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Hanc igitur parabolam eius vineæ, quam fingebat esse amici sui cognatus Isaiæ, & idcirco dilecto suo, id est, ipsi amico decantabat, videtur Isaias de eo canere, & Christo accommodare; quasi qui præstiterit ea ipsa mysticè cum populo Israelitico. Quamobrem dicit se eam potiori iure adaptare Deo, quem proinde significat eodem vsus nomine dilecti, quo vtebatur Amasias, siue quicumque alius fuit ille cognatus Isaiæ, qui propterea ait: *Cantabo dilecto meo.* Sic posteà applicat parabolam Deo in eius persona

locutus dicens: *Nunc ego habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam, quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei*, &c. Itaque supponit Deum fecisse quod cognatus suus de amico dictabat. Hoc pacto videntur non malè omnia congruere, vt de Deo siue Christo intelligantur, quod de amico, & eius vinea cognatus Isaiæ pronuntiabat. Quod si velimus plurium expositioni hærere per patruelem etiam Christus intelligi posset. Et nihilominus prouerbiali, & vulgari parabolâ de vinea vsus Propheta, vt Sanctius exposuit.

CAPVT XX.

An caput duodecimum Isaiæ, & vigesimum sextum, & pars vigesimi septimi non fuerint composita ab Isaia?


DIICIT doctus & eruditus vir Gaspar Sanctius in Commentariis ad libros Iob, & Danielis alienum quoque canticum, siue fragmentum cantici inseruisse Isaiam suis vaticiniis, cùm capite vigesimo septimo dicit: *In die illa vineæ meri cantauit ei*. In Commentariis quoque super Isaiam hanc dicit esse alteram partem Cantici capitis quinti, quod censuit duas partes continere: vnam de vinea infrugifera, ingrata, & infideli, de qua agitur capite quinto; alteram de vinea fertili, grata, & fideli, capite vigesimo septimo. Sed hoc minori fundamento adstruitur. Nec in capite vigesimo septimo est vllum vestigium, cur alteri auctori quidquam tribuatur. Canticum etiam capitis vigesimi sexti voluit idem Sanctius super caput trigesimum sextum Iob non fuisse Isaiæ, sed antiquum; non tamen inuenio vnde passim illi suffragari. Idem suspicatur in caput Danielis tertium de cantico alio Isaiæ, quod capite duodecimo continetur. Sed neque in hoc video quidquam quod vrgeat affirmare antiquius esse ipso Isaia.

CAPVT XXI.

Vter, Ezechiásne, an Isaias composuerit Canticum gratulatorium pro sanitate Ezechiæ, capite 38. Isaiæ?


XTAT tamen in Isaiæ capite trigesimo octauo canticum alienum, nempe Ezechiæ Regis ab ipso Ezechia pronuntiatum, & scriptum, siue scribi præceptum, vt constat ex ipsa inscriptione: *Scriptura Ezechiæ Regis Iuda cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua.* Nihilominus censuit Sanctius hoc canticum non ab Ezechia compositum, sed ab Isaia Propheta, in persona tamen Ezechiæ, eidémque tributum, idque venatur ex stylo. Similiter Cornelio nostro nitor carminis videtur arguere Isaiam esse eius auctorem. At non satis hoc elucet, nec sufficeret, vt gloriam grati animi erga beneficium acceptum extenuemus, quod inscriptio tribuatur Ezechiæ, non Isaiæ, & communi sensu hoc sit confirmatum. Et ipsa Ezechiæ sanctitas merebatur, vt per eius os Spiritus sanctus loqueretur, quem propterea multi faciunt aliorum sacrorum voluminum scriptorem.

Igitur gratias Deo acturus Ezechias, & id canticum pronuntiauit, & scriptis promulgauit; ideò notantissimè inscribitur Scriptura Ezechiæ Regis. Arias Montanus arbitratur iussu Ezechiæ, istius carminis exemplaria plurima fuisse descripta, & per varias regni partes distributa, vt extaret accepti beneficij notitia & memoria. Equidem puto etiam inciso ære eam scripsisse in æternum monumentum, & anathema Deo dicasse, vt fecit Dauid iis in Psalmis, qui inscribuntur στηλογραφία, siue *tituli inscriptio*; quos vt notat eruditè Agellius, incidi ære fecit, eundémque titulum in iis legisse Septuaginta, ac inscriptum est Ezechiæ cantico, qui non מכתם *michtam*, quæ vox difficilis est, & controuersa Hebræis; sed similem legunt vocem מכתב *michtab*, quæ etiam reperitur in titulo cantici Ezechiani: *Scriptura Ezechiæ* מכתב לחזקיהו *Michtav le Hizkijjahu*. Simili formâ loquendi, atque dictum est מכתב לדויד *Michthab le-Dauid*, Tituli inscriptio Dauid.

Neque

Neque mouere debet si literam מ, pro נ, positam fuisse dicimus; id enim frequenter in Hebræis literis vsu venit, vt altera similis pro altera ponatur, neque modò figurâ similis, verùm etiam prolatione, quod hic accidit: labiis enim pressis vtraque pronuntiatur; quamuis illud ipsis quoque Hebræis non repugnantibus possimus dicere מכתם *Michtham*, etiam sine vlla mutatione literæ scripturam significare: namque נכתם *nichtham*, apud Ieremiam capite secundo, versu vigesimo primo, sic ipsi interpretantur רשם, *Rosem*, exaratum, signatum, descriptum, quod Beatus Hieronymus, & Septuaginta verterunt: *Maculata es in iniquitate tua.* Itaque Septuaginta in Psalmis non immeritò στηλογραφίαν transtulerunt: quorum interpretationem etiam is qui Chaldaicè vertit, comprobasse videtur: sic namque transtulit, sculptura recta Dauid; nam στηλογραφία non simpliciter scripturam significat, sed in solidiore aliqua materia, aut metalli, aut marmoris exaratam; ideòque optimè vertit Latinus interpres: *Tituli inscriptionem.* Sunt enim tituli ex marmore, aut metallo monumenta. Itaque hoc Hebræum nomen מכתב *Michthab*, ponitur ad edictum aliquod scriptum significandum, vt in extremo libro Paralipomenon, & ad initium Esdræ: Iussit, inquit, Cyrus prædicari in vniuerso regno suo etiam per scripturam, quod Septuaginta transtulerunt, ἐν γραπτῷ, *in scripto*, cuiusmodi edicta in tabulis æreis, aut marmoreis incidi solebant; quod Agellius obseruauit, & nos superiùs plura dedimus. Conscribi ergo fecit suum Canticum Eucharisticum pientissimus Rex Ezechias, imitatus vtique pietatem Dauidis, in ære, aut saxo, ac loco templi publico, vt constaret omnibus per miraculum accepisse sanitatem, & illâ memoriâ gratum se Deo ostenderet, qui mos etiam Gentibus vsitatus fuit; quapropter Tibullus elegiâ primâ ad Isidem canit:

Nunc Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Strabo loquens libro octauo de Epidauro ciuitate, scribit: *Hac autem non parum insignis est ciuitas, præsertim ex Æsculapij claritate nobilitata, quem varia morborum genera curasse somniati sunt homines. Erat verò templum ægrotantium multitudine vsquequaque refertum, pendentibusque tabellis, in quibus sanati languores erant scripti. Quemadmodum & in Coa fiebat insula, pariter & Trica.* Apud Ciceronem quoque libro secundo de natura Deorum: *Tu qui Deos putas humana negligere, non animaduertis ex tot tabulis pictis, quàm multi vim tempestatis effugerint, in portúmque salui aduenerint.* Similis monumentorum vsus apud Palæstinos Philisthæi eùm ab vlceribus illatis, & muribus eminentia viscera corrodentibus liberari vellent, fecerunt iuxta numerum quinque aureos mures, & totidem anos, quos iuxta arcam fœderis in capsula posuerunt. Alia anathemata in tabernaculo, vel templo dicata constat. Dauid occisi gigantis gladium in tabernaculo dedicauit. Similiter & Iudith conopæum Holophernis in anathema, & memoriam liberatæ patriæ Deo sacrauit.

CAPVT XXII.

An extremum caput Ieremiæ fuerit à Baruch adiectum? Qualis Lamentationum liber?



CIRCA vaticiniorum Ieremiæ librum illud dubitari potest, an extremum caput ab ipso fuerit compositum? negare id videtur noster Cornelius & Sixtus Senensis, cùm scribat à Baruch prophetiis Ieremiæ adiectum ex fine quarti libri Regum, iisdem penè verbis mutuatum, vt ex commemoratione cladis Hierosolymitanæ, quæ in eo capite refertur, viam sterneret lectoribus ad proximè sequentem איכה *Eca*, siue קינות *Kinoth*, hoc est, lamentationum librum, in quo Ieremias Propheta lamentabilem vrbis euersionem, & populi captiuitatem lugubri carmine defleuit. Mihi tamen certum est illud extremum caput ab ipso Ieremia compositum, quamuis fuerit à Baruch appensum prophetiæ Ieremiæ ex historia Regum: nam eam extremam historiæ partem à Ieremia compositam credo, de quo iam diximus; quapropter illud vltimum caput, siue ex prophetia Ieremiæ fuerit adiectum libro quarto Regum, siue ex libro quarto Regum fuerit additum prophetiæ, authore Ieremia constat. Quoad lamentationum librum Rabbi Salomon existimat eum esse, quem, vt habes apud

Ieremiam capite trigesimo sexto, profanus Rex Ioachim, lecto eius initio, proiecit in ignem,& in odium prophetiæ combussit. Ieremias verò iterùm,accito Baruch scribâ,iussu Dei dictauit, adiecitque quartum alphabetum, triplicatâ serie literarum,cùm in priori exemplari tria tantùm alphabeta simplicia collocasset. Quippe compositus est Lamentationum liber digestis in ordinem Alphabeticum versibus,eâ ratione, vt primus ab Aleph inciperet, secundus à Beth, tertius à Ghimel, & sic deinceps vsque in finem; imitatus in hoc Dauidem, ac Salomonem, quorum hic vltimam Prouerbiorum partem; ille verò Psalmos septem metricis alphabetis composuêre. Quem scribendi morem imitatus est Ben-Sira,de quo iam diximus,& adhuc inter Christianos in vsu est. Extantque eloquentissimi Gregorij Nazianzeni Alphabeticæ sententiæ, quæ latinitate donatæ sunt:

Agendorum initium sit & finis, Deus:
Beata lucra vita, quotidie mori:
Cognoscere hominum facta egregiorum stude:
Durum est egere; peius ditem esse improbè:
Eris si beneficus,imitaberis Deum:
Fac sis benignus,vt benignum habeas Deum:
Geras caue carni morem, sed eam doma:
Habenis retine iram, ne te occupet furor:
Inhibeto visum: quædam lingua norma sit:
Klauem auribus obde: risum lasciuum fuge:
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius:
Missam fac opinionem, rémque amplectere:
Noscenda cuncta putato; sed quæ fas,age:
Omnem exhibe hospitis honorem,quum hospes ipse sis:
Procella timeri cursu debet prospero:
Quæcumque dat Deus, animo grato accipe:
Rigor iusti potior est, quàm honos mali:
Sapientum mihi fores; non locupletum tere:
Tibine pusillum est, vnde quid ingens prouenit?
Vir magnus esse potes, frænans petulantiam:
Probè tibi caue: alterius lapsum haud riseris:
Gratum inuideri; ac inuidere, ingens probrum:
Præstat animum, quàm cætera offerri Deo.
O quàm beatus, hæc quisquis seruauerit!

Habentur autem in Ieremiæ lamentationibus quatuor alphabeta, quorum duo priora, vt testatur Hieronymus,conscripta sunt versu à metro Sapphico non multum dissimili;quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab vna litera incipiunt, heroici carminis comma concludit. Tertium verò alphabetum trimetro alphabeto contextum est,& à ternis literis, sed eisdem trini versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo & secundo.

CAPVT XXIII.

Quis Author præfationis in Threnos? An sit canonica?

ILLVD quoque circa Ieremiæ lamentationes obseruandum est, prooemium breuissimum,quod Latini codices in Threnorum initio præferunt, non extare apud Hebræos; qui librum hunc quadruplici alphabeto conscriptum ordiuntur à dictione איכה. *Eca* id est, Quomodo,incipiente ab א *Aleph* prima litera Hebraici Alphabeti, & ab hac dictione librum appellant איכה *Eca*, cætera vero quæ hanc vocem leguntur verba,vt à multis creditur,septuaginta interpretes addiderũt,volentes connectere Lamentationẽ deuastatæ vrbis,cum narratione deuastationis eiusdem vrbis, quæ in calce libri Ieremiæ describitur, sunt autem hæc verba præfationis huius apud septuaginta interpretes. Καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ, καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι, ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων, καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ, καὶ εἶπεν. hoc est, *Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est sedit Ieremias flens, & planxit lamentationem hanc super Hierusalem & dixit.* Hebræi hoc argumentum non recipiunt,quod non ipsis videatur verisimile, Ieremiam scripsisse in spiritu hos Threnos post destructionem Hierusalem, sed ante destructionem:Prophetia enim est. Vnde etiam tradunt,quod Rex Ioachim ante vrbis excidium hos Threnos legerit,& lectis ex his nonnullis

nullis versibus, librum in ignem abiecerit; quem propheta paulo post multo copiosius rescripsit, quemadmodum ipsemet testatur capite trigesimo sexto suæ Prophetiæ. Inter nostros autem magna controuersia est, in qua haud libenter me velim interponere: primam tamen vtriusque partis firmamenta. Qui negant eam esse canonicam, & sunt multi, his rationibus ducuntur. Primo, quia hæc Præfatiuncula non habetur in Hebræis codicibus, nec ab Hebræis agnoscitur, qui cum soleant libro nomen imponere à prima libri voce hunc librum nominant אֵיכָה *Echa* quæ significat *quomodo*, estque prima vox primi capitis. Secundo, quia in antiquis multis codicibus Latinis non habetur, & vt apparet, S. Hieronymus illam omnino non agnouit, qui solet omnia, quæ in editione septuaginta habentur in Hebræo diligenter notare. Tertio, quia omnes, qui has lamentationes commentati sunt, seu antiquioris æui, vt Hieronymus & Theodoretus; seu medij vt Paschasius Rabanus, Rupertus, Hugo de Sancto Victore, eius ne verbo quidem meminerunt: at recentioris æui omnes ferè reiiciunt, vt dictum est. Quarto, cum principium Lamentationū Hebdomada sancta in Ecclesia legatur, omittitur tamen hæc Præfatiuncula, & ab ipsis Lamentationibus incipitur: *Quomodo sedet*. Adde quinto, multos dubitare de tempore quo fuerunt hæ Lamentationes compositæ, & multos tam Rabbinos, quàm Catholicos velle, non excisa iam à Chaldęis Ierosolyma, sed antea admodum cuiusdam Prophetiæ, & excidij per reuelationem præuisi fuisse ab Ieremia compositas; quod si verum est, manifestè apparet, epigraphen hanc esse suppositítiam.

Nihilominus malunt eam scripturam canonicam esse Delrio initio Commentariorum in hos Threnos, & Gretserus libro primo Defensionis Bellarmini capite decimo quarto. Estque pro illa opinione ratio, quòd in correctis nostris Bibliis ea habeatur, in quibus nihil non esse Canonicum Præfatione ad Lectorem in Bibliis dicitur. Item quod eadem Præfatio neget vllas Præfationes sacris libris additas, extra videlicet ipsius sacræ scripturæ cōtextum. Accedit tertio, quod eodem charactere hæc Præfatiuncula excudatur, quo reliquum corpus librorum sacrorum: eadem autem Præfatione licet permittantur adiici quędam additamenta, vt argumenta librorum & capitum, marginales notæ &c. Id tamen permittitur, si modò alio charactere id fiat. At hæ rationes allatæ non videntur nostro Bonfrerio euincere. Non prima, siquidem Concilium Tridentinum recipit hos libros prout in Ecclesia legi solent: at hæc Præfatiuncula legi nō solet, esto Lamentationum initium legatur. Porrò Præfatio illa Bibliis præfixa non est summi Pontificis, vel eius qui habet potestatem de ea re decernendi, sed est eorum qui Biblia emendarunt: quorum fortè aliqua fuerit sententia, quod hæc Præfatiuncula sit Canonica non liquet: & videtur contrarium colligi, propterea quod ipsemet Agellius, qui huic Bibliorū correctioni, vt refert Serarius interfuit, multis hanc Præfatiunculam videtur impugnasse, ac tandem illud adiicit: *De hac re iudicium ad eos deferimus, quorum est de sacris literis censere, & à certis dubia secernere.* Non secunda, hoc enim tantūmodo volunt, nullas Præfationes ex se addidisse. Non tertia, quia hi Correctores, cum videantur de hac Præfatiuncula dubitasse, & passim ea tunc in Bibliis reperiretur, noluerunt ipsi sua auctoritate expungere, sed eam addiderunt, expectantes, donec aliquid certi à sede Apostolica, vel Concilio de ea re decerneretur.

CAPVT. XXIV.

An Ieremias dictauerit librum Baruch? An ab vtroque compositus?

MAIOR lis est circa librum Baruch, an eius author Ieremias fuerit, Baruch autem solum Amanuensis? Eusebius, & Theodoretus id affirmant, notantes idcirco inscriptionem Baruch præferre hunc librum; quia quæ Ieremias dictauit, ille scripsit, & captiuis apud Babylonem recitauit. Id ipsum suffulcit initium eius libri sic inchoantis, *Et hæc verba libri quæ scripsit Baruch*. Non vt alij Prophetæ, *visio Isaiæ*, aut, *verba Ieremiæ*, qui non profitentur scribere libri sermones, sed quæ audierunt à Deo, & viderunt. Eamdem existimationem fouent Clemens Alexandrinus, Hilarius, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, qui citant Ieremiam in iis sententiis, quæ reperiuntur in libris Baruch. Verum Athanasius, tum quæstione 36. ad Antiochum, tum in epistola de Nicenâ Synodo, tum sermone tertio cōtra Arrianos, & S. Hieronymus, S. Oresiesis S. Cyrillus Alexandrinus, Lyra, Dionysius, Titinus clarè fatentur libri sui auctorem esse Baruch, quod intelligendum est de quinque primis capitibus; nā sextum caput, quod continet epistolam Ieremiæ indubitatum est eius auctorē Hieremiam esse, Amanuensem Baruch. Cætera quinque capita auctorē ipsū Baruch habere ipse titulus suadet, quippe qui absolutè inscribatur liber Baruch; quo nomine

Florentino,& Tridentino conciliis Canonicorum numero accensetur. Libri autem non vindicat ab scribario nomina,sed ab auctore,& dictatore:alioqui & threni & prophetiæ Ieremiæ adscribi Baruch debuissent,cum eas dictauerit Ieremias,sed Baruch scripserit. Deinde Ieremias lapidibus à suis ciuibus obrutus occubuit, quia suis ac vniuersæ Ægypto cladem minabatur,quæ mox euenit per Nabucodonosorē:ita Tertullianus in Scorpiaco, Epiphanius de vita & morte Prophetarum,S.Hieronymus in Prologo Hieremiæ, & alij. Baruch autem scripsit librum suum anno 5.post dictam captiuitatem,sicuti patet ex cap.1. *Et hæc verba libri quæ scripsit Baruch,in anno 5. in die septima mensis,in tempore quo ceperūt Chaldæi Ierusalem.* At nonnulli respondent Baruch scripsisse in Ægypto viuente Ieremia, & postea illo mortuo iterū illum rescripsisse in Babylone, & ibi legisse.Sed vellem adferri antiquum vel probatum Auctorem, qui duplicis huius scriptionis meminerit,aut intelligere in quo loco scripturæ fundamentum suum collocare possint:sicuti quod dicunt Baruch quidem viuente Ieremia non scripsisse,sed tantùm memoriæ suæ infixisse, & postea in Babylone scripsisse,nullo testimonio nititur. Quod ad testimonia Patrū,qui librum hūc Ieremiæ attribuunt attinet. Dico Primò,multos etiā Patres sententiæ nostræ fauere,sicuti ante demonstrauimus. Secundò nullus negat Ecclesiasticum editum esse à Iesu Sirach,& tamen à multis Patribus citatur, vt Salomonis, quia in libro Ecclesiastici multæ sunt sententiæ Salomonis. Sic quia Baruch aliquot sententias Ieremiæ compilauit, quales videntur esse illæ de incarnatione Filij Dei:*Post hæc in terris visus est &c.* ideo Ieremiæ tribuerunt. Tertio,Constat Baruch fuisse discipulum Ieremiæ. Solent vero frequenter dicta discipuli tribui magistro,quia ex illo tanquam tradux ex flumine promanarunt:idcirco librū Baruch Ieremię inscripserunt. Quidam ex recentioribus opponit id quod iam notauimus, Baruch nō dixisse in principio libri:*Verba Baruch*, sicut ait Ieremias,*verba Ieremiæ*:sed posuit:*Et hæc verba libri,quæ scripsit Baruch.* Ergo tantùm descripsit,nō verò composuit. Respondeo,librum Ieremiæ,tantus quantus est,solum esse Ieremiæ,at in libro Baruch partem postremam,seu caput 6.esse Ieremiæ. Quare non debuit absolutè præfigere in titulo *verba Baruch*. Insolens autem est,duorū Auctorum nomina vni eidemque libro præponere. Adde Baruch totū librū scripsisse, ideoque verè scripsisse,*verba libri quæ scripsit Baruch*. Humilitatis autem gratia tacuisse sibi reuelationem à Deo factam eorum, quæ primis quinq; capitibus complexus est,sicuti Ioannes Euangelista subticuit suam personā,dum dixit:*Hic est Discipulus ille,quē diligebat IESVS, & scripsit hæc.* Hæc noster Lansellius. Porro Baruch ob humilitatē à multis prædicatur qui cum fuisset è nobili Iudæorum stirpe,vt pote fratre Saraiæ Principis,vsque eo se se dimisit,vt scribam se Ieremiæ faceret eiusq; discipulum,& omnium contemptionum,& afflictionū socium. Quapropter falsum reputo,quod Rabbi Salomō & Rabbi David in Commentariis ad cap.45. Ieremiæ versu tertio docent,Baruch apud Deum conquestum quod tamdiu ministrans Ieremiæ, adhuc non recepisset spiritū Prophetiæ,vti recepit Iosue minister Moysis,& Elisæus minister Eliæ. Quæ sententia etsi placeat Vatablo,neq; improbabilis Lyrano videatur,quia tamen ambitionē aliquā in Baruch viro sancto designat,nullo modo mihi probatur : quandoquidē ex sapientia,humilitate,patientia Ieremiæ præceptoris eius,cuius laborū,& tribulationū particeps fuit, facile sit conijcere,Baruch sapientem,humilem,patientem fuisse. Porro alia Ieremiæ scripta indicatur in sacra pagina,quæ nō habemus. Inde putant aliqui sumpsisse S.Matthęū c.27.illud vaticiniū:*Appenderūt mercedē meā triginta argenteis.* Quamuis Origen.& S.Hieron.ex apocrypho libro eiusdē Ieremię nomine delectum malint. De hoc tamē alio loco agemus.

CAPVT XXV.

Ex quibus Ezechielis scriptis mutuauerit Tertullianus illud de vacca quæ peperit, & non peperit?

li.6. etym. c.2.lib.1. de offic. cap.12. DE Ezechielis scriptis nonnihil dicamus. S.Isidorus libro etymologiarum 6.& 1. de officiis asseuerat librum Ezechielis compositum esse à viris Synagogæ. Idem habet Rabbi Moyses Kimhi,& Rabbi Isaac Harama. At ex Iosepho id nonnulli interpretantur, quoniam libro antiquitatum decimo cap.6 & Zonaras libro primo Annaliū,dicunt Ezechielem duos libros de captiuitate Babylonica scripsisse,ex iis dicūt viros Synagogæ librū cōflasse Prophetiæ,quam nunc habemus,verum hoc diuinare est. Id autē certū,Ezechielē

cap.14. fuisse suæ prophetiæ primum auctorem. Potuit præterea alium librum scribere, qui iam amissus sit,cuius meminit Iosephus. Planè Tertullianus libro de Carne Christi citat ex

Ezechiele

Ezechiele, quod in ea Prophetia quam habemus non inuenitur. Disputans aduersus Valentinianos ait: *Legimus apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit, & non peperit, sed videte ne vos iam tunc prouidens Spiritus Sanctus notarit hac voce disceptaturos super vterũ Mariæ.* Eundem locum velut ex scriptura citat contra Ebionitas S. Epiphanius: Καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τόπῳ λέγει· καὶ τέξεται ἡ δάμαλις, καὶ ἐροῦσιν, οὐ τέτοκεν. ἐπειδὴ γάρ τινες τῶν Μανιχαίων καὶ Μαρκιωνιστῶν λέγουσιν αὐτὸν τετέχθαι· διὰ τοῦτο τέξεται, καὶ ἐροῦσιν, οὐ τέτοκεν· ἐπειδὴ οὐ τέτοκεν ἡ Μαρία ἐκ σπέρματος ἀνδρός. καὶ οὗτοι μανέντες λέγουσι ψευδῶς, ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς αὐτὴν γεγεννηκέναι. γεγέννηκεν οὖν ἡ δάμαλις Θεόν, ἄνθρωπον ἐν ἀληθείᾳ. καὶ ὅτι μὲν δάμαλις ἡ παρθένος καλεῖται, καὶ τὸ ταύτης λείψανον καθαρισμὸν εἶναι τῶν κεκοινωμένων. *Ac rursum alio loco: & pariet vitula, & dicent non peperit. Nam cum Manichæorum, ac Marcionistarum quidam negent illum partu in lucem editum, ob id, pariet, inquit, & dicent non peperit: quoniam viri semine Maria non peperit. At furiosi isti de viri semine falso illam peperisse dictitant. Igitur vitula hominem eundem, ac Deũ vere illa quidem peperit: vitulæ porro nomine virginem nominari, eiusque reliquias ad eos qui impuri essent, expiandos adhiberi consueuisse.* Hæc Epiphanius aduersus hæreticos. Clemens verò Alexandrinus loquens de partu Virginis libro septimo stromatum ait: τέτοκεν καὶ οὐ τέτοκεν φησὶν ἡ γραφὴ ὡς ἂν ἐξ αὐτῆς οὐκ ἐκ συνδυασμοῦ συλλαβοῦσα. *Peperit & non peperit, inquit scriptum, vt quæ ex se, non ex coniunctione conceperit.* Eadem authoritate vtitur Gregorius de benedictionibus Propheticis. Sunt qui suspicentur hunc locum desumptum ex libro Ezechielis Iudaicarum tragœdiarũ, quem citat Clemens Alexandrinus in primo stromate, ex quo dicunt Ezechielem Iudaicas scripsisse Tragedias, & in his metro inclusisse tragico Moysis vitam: eo fortasse consilio vt Iudæorum consolaretur mœrentes animos, qui grauiter ferebant dominatum barbarum, & exilij Babylonici incommoda. Nam eum simi lia paterentur Patres in Ægypto, & per Moysem excusso iugo libertatem essent consecuti; accommodatum videbatur exemplum, quod ad fœturam eiusdem Gentis non dissimilem adhiberetur, quodque idem omnino à Dei benignitate toties explorata expectare iuberet. At Ezechiel qui Iudaicas tragœdias scripsit Græcus scriptor est valde diuersus à Propheta, atque vt Græcum scriptorē, notumque Græcis citat illum Clemens Alexandrinus, postquam citauit pro rebus Iudaicis & Mosayeis Græcos Eupolemum, & Artapanum, citat deinde Ezechielem, vt confirmaret ea, quæ de Moysis educatione tradiderat ex scriptura, dicens: *De Moysis autem educatione nobiscum quoque consentiet Ezechielus Iudaicarum tragœdiarum poëta in actu qui inscribitur ἐξαγωγή, id est eductio.* Vnde videtur aduocasse testimonium huius Ezechielis ad confirmãdas erga Græcos historias sacras, quare non ille sacer scriptor, sed Græcis notior fuit, quique Græcè scripserat. Tertullianus autem, & alij Patres citant illud de vacca quæ peperit, & non peperit, velut ex sacris scriptis, vt patet ex illis Tertulliani verbis: *Videte ne vos tum iam Spiritus sanctus prouidens* &c. Præterea eum suum Ezechielum designet Clemens Iudaicarum tragœdiarum poetam, satis videtur agnoscere eum diuersum à Propheta & id notare voluisse: Iosephus quoque nuper citatus indicat duos fuisse scriptores Ezechieles, cùm dicat: *Ezechiel primus de his duos libros conscribens populo reliquit.* Illud *primus*, non ad scriptionem videtur referre sed ad scriptorem eius nominis, quasi notaret fuisse Ezechielem secundum: dixerat quippe Ieremiam scripsisse de iisdem rebus; eum autem postea adiecerit Ezechielem quoque primum scripsisse, nec congruè, nec bene intelligi potest, vt primum scripserit, quoniam Ieremias id præstiterat, qui aliquantulum prior Ezechiele fuit, sed primus eius nominis. Quidquid de sensu Iosephi sit, id verius mihi videtur fuisse quemdam Iudæum nomine Ezechielẽ sacris in literis doctum, & Græca pariter lingua, & poësi peritissimum, qui historias Iudæorum Græcanico carmine scripserit, & Græcis subinde non incognitum, & hunc fuisse auctorem illius actus ἐξαγωγὴ inscripti.

CAPVT XXVI.

Ezechielis Poëma exhibetur.

VT autem hoc magis constet ex stylo, & quoniam multi desiderarunt hunc Ezechielis actum ἐξαγωγὴν appellatum, quem nec extare, nec esse, qui eius meminerit, scribit Gentianus Heruetus præter Clementem Alexandrinum, & ab eo citata. Tum vt aliqua inde scitu non indigna notemus, repræsentabo eum actũ ex collectaneis Grecis, ne eruditi alibi quærãt. Interlocutores eius actus sũt. *Moyses, Sephora, Chus, Raguel, Deus è rubo, Angelus,* hoc est, *Nuncius,* & *Explorator.* His positis sic incipit Moyses:

ΜΩΥΣΗΣ

nis facile peruidebit nequaquam ab ipso Dositheo, & Ptolemæo factam. Cur Dositheus dubium se significaret proprij generis & officij? Sic enim narratio extat: *Anno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleopatra attulerunt Dositheus qui se sacerdotem & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc epistolam Phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Hierusalem.* Hic modus loquendi ab alio denotat hæc scripta cùm dicatur *ferebat*; & mox *dixerunt*; atque non ex propria fide hoc narrari constet, cum in propriis gestis, & dictis non sit cur alij eiusmodi allegentur. Quapropter ignoratur quis eam adiecerit annotatiunculam; sicut etiam quis fuerit hic Dositheus & Lysimachus. Sunt qui velint dicere fuisse eundem cum illo, cuius meminit Iosephus libro contra Appionem secundo tempore Ptolomæi Philometoris; hic enim Rex, vt notat Tirinus extremè fauebat, & addictus erat Iudæis; imo si Iosepho credimus, omne regnum suum committit Iudæis administrandum: totius quoque militiæ suæ duces fecit Oniam & Dositheum Iudæos. Sed an hic Dositheus idem sit cum illo sacerdote qui hic dicitur hanc epistolam attulisse, non ausim affirmare. Nam etiam sacerdotes rem bellicam administrasse, certissimum est, tum ex Banaia, primo Paralipomenon, vigesimo septimo. Tum ex Mathathia, eiusque filiis Iuda, Ionatha, Simone, & aliis Machabæis: inter nomina autem septuaginta interpretum Dosithæus accensetur. Quod Lysimachum attinet Alexander Alabarches, cuius etiam mentio est apud Iosephum libro decimo nono, capite quarto, quem alicubi prædiuitem ostendit, & Philonis illius doctissimi fratrem scribit, inuenitur etiam Lysimachus vocari. Dequo Serarius egit.

CAPVT XVII.

An rescriptum Artaxerxis Persarum Regis sit Canonicum?



TANDEM de epistola Artaxerxis Regis quam caput Esther vltimum continet, explanare oportet, sitne Canonica & infallibilis veritatis. Et quidem aliud sentiendum est de hac epistola, quàm de epistola Aman, quæ in decimo tertio capite habetur: Hæc quidem multa falsa continet, tam abest, vt eius dictata intemeratæ sint veritatis. Verissimum tamen est, & de fide, Aman eam scripsisse epistolam, sicut alia impiorum dicta, quæ in sacra scriptura narrantur, verum est ea illos dixisse, non tamen est verum dicta ab illis esse vera. Attamen Artaxerxis Persarum Monarchæ diploma, non tantùm est verum eius Regis fuisse decretum, sed etiam vera esse, quæ continet: quoniam Mardochæus illud dictauit, & cùm scribebatur ea epistola, ipse Artaxerxes conuersus fuit, & veri Dei cultor, vt liquet ex iis verbis: *Iudæos necis destinatos in nulla penitus culpa reperimus, sed è contrario iustis vtentes legibus, & filios Altissimi & maximi semperque viuentis Dei, cuius beneficio, & Patribus nostris, & nobis regnum est traditum, & vsque hodie custoditur.* Illud difficile quibusdam visum in hac epistola quod de Aman dicat Artaxerxes; *hoc cogitans vt illis* (Mardochæo & Esther) *interfectis insidiaretur nostræ solitudini, & Regnum Persarum transferret ad Macedonas.* Vnde tunc hic metus de Macedonibus, potentissimo Persarum Regi, vt plusculum videatur suspicionibus suis indulgere Artaxerxes, & verisimilia potius quàm certa testataque narrare. Huic obiecto satis respondent Serarius, & Tirinus, ac certa testataque fuisse nemo negare poterit, qui quæ de Eunuchorum Amânis perfamiliarium insidias capite secundo in fine dicta sunt: quæque suspenso Amâne, ex Chartis domi eius repertis, secretisque eiusdem consiliis per complices detectis, Regi innotuerunt, animo expenderit: simulque cogitarit, litterarum harum auctorem, qui id disertè affirmat, non esse solum Regem, licet iam ad Deum conuersum, vt ex contextu constat; sed ipsam quoque Estherem, & Mardochæum, mendacij hostes, & veritatis amantes, qui nunquam id affirmassent, ni certò compertum habuissent. Sed quis obsecro, metus sub Dario Hystaspis de regno ad Macedonas transferendo, cum hi sub tempora demum Philippi Patris Alexandri Magni clarescere, viribusque inualescere cœperint? Respondeo, falli egregiè, qui sic sentiunt: nam Græcos, quorum pars non minima erant Macedones, iam tum à tempore Darij Hystaspis

ſpis metuendos fuiſſe Perſis, deque iiſdem valdè malè meritos, teſtis eſt Herodotus. Et Iuſtinus ait Darium hunc bellum cum Athenienſibus geſſiſſe, in quo iam tum emicuit induſtria & gloria Themiſtoclis adoleſcentis. Et quis neſcit, Darium Hyſtapis quarto ante mortem anno pugnam illam apud Marathonem pugnaſſe, Græcis, Romaniſque hiſtoriis celeberrimam? De qua vide Sulpicium, & alios. Denique Diodorus Siculus ſcribit: *Xerxem olympiade ſeptuageſima quinta mouiſſe arma contra Græcos*, non iam recens, ſed ab antiquo, imò *perpetuos infeſtiſſimoſque Perſici nominis hoſtes*: additque: *Patrem Xerxis*, nempe Darium Hyſtaſpis, *magnam materiam ad claſſis aduerſus Græcos inſtructionem præparaſſe*, & filio reliquiſſe. Ex quibus clariſſimè patet, Dario Hyſtaſpis iure merito, ſi de vllis, certè de Græcis, metuendum fuiſſe. Iam verò ſi metuit transferendum Imperium ad Græcos, idque opera Amânis animo & gente Macedonis, qui ſceptum ipſi ſibi vindicare ſtudebat; nonne potuit iuſtè affirmare mentem Amânis fuiſſe, transferre ſceptrum Perſicum ad Macedonas?

CAPVT XVIII.

Ioannes Hircanus, & Iudas Eſſenus videntur authores librorum Machabæorum?



MACHABÆORVM hiſtoria duplici canonico libro contenta non vno authore conſcripta eſt, ſed diuerſos eſſe duorum voluminum ſcriptores multis indiciis conſtat. Primum ex materia, quia poſterior liber non eadem quæ prior proſequitur, ſed prorſus aliter, nec tamen meminit vnquam alter alterius. Secundò ex Chronologia, ſeu annorum ſupputatione quæ in priore libro eſt Alexandrina, in poſteriore Chaldaica, differentes ferè ſemper integro ſeſquianno. Tertio ex ſtylo, & phraſi, quæ in priore libro Hebræum redolet, in poſteriore Græcum. Origenes & Sanctus Hieronymus dicunt vidiſſe ſe priorem Machabæorum librum Hebræum. Qui tamen fuerint iſti auctores, non liquet, vt ait Iſidorus. Tres putat Sixtus Senenſis duorum librorum authores. Qui fuerint non ſatis decernit: ſolum ait, primum eius librum eſſe Hebræi authoris & Hebraicè ſcriptum, phraſis ipſa indicat, & Hieronymus in præfatione Regum eum ſe Hebraica lingua ſcriptum legiſſe confirmat. Secundum librum qui dempto primo eius capite, ac dimidio ſecundi, ſic incipit: *De Iuda Machabæo & fratribus eius &c.* Vſque in finem totius operis, Græcus ſcriptor ex quinque libris Iaſonis Cyrenæi in epitomen contraxit quod ipſemet in præfatione fatetur, inquiens: *Ab Iaſone Cyrenæo quinque comprehenſos libros tentauimus vno volumine breuiare.* Hunc abbreuiatorem Hieronymus in ſecundo aduerſus Pelagianos volumine Ioſephum Mathathiæ filium fuiſſe exiſtimat. Honorius verò Auguſtodunenſis Presbyter in libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus Philonem Iudæum arbitratur. Tertiam huius hiſtoriæ partem, quæ ab initio ſecundi libri vſque ad dimidium ſecundi capituli duabus epiniciis epiſtolis coarctatur, ſenatus Hieroſolymitanus conſcripſit, vna harum epiſtolarum ad Iudæos Ægypti incolas miſſa, altera ad Ariſtobulum Ægyptij Regis præceptorem: quæ quoniam victorias perſtringerent duobus Machabæorum libris deſcriptas, meritò à Patribus poſt finem prioris, & ante initium poſterioris voluminis collocatæ ſunt, tanquam ad vtrumque ex æquo ſpectantes. Nihilominus Bellarminus, Sanctius & alij prioris libri authorem Ioannem Hircanum pronuntiant, quoniam, vt non ſemel ex Ioſepho monuimus, apud Hebræos ſcribendarum rerum, & memoriæ conſeruandæ cura commiſſa fuit Sacerdotibus ſummis, & Prophetis, qui aut ipſi proderent ſuo ſtudio, ac manu monumenta, aut per alios ſcriptores idoneos ſcribenda curarent. Quarè cum Machabæi ipſi ſummi Sacerdotes eſſent, & ſuarum eſſe partium ſcirent illuſtrium rerum ad poſterorum doctrinam conſeruare memoriam, curaſſe videntur, ne vnquam illuſtris familiæ digna immortalitate facinora obrueret obliuio, & eò ſtudioſius, quo parentum ſuorum agebatur cauſa, & illorum conſulebatur immortali gloriæ. Qui autem opportunius ex Machabæis eam hiſtoriam potuit ſcribere eſt Ioannes Hircanus Simonis Magni ſacerdotis filius, cuius mentio fit in calce prioris eius libri, qui etiam ſummus ſacerdos fuit, & omnibus penè rebus interfuit, quæ in illo primo libro narrantur

tantur, hoc commodè præstare Ioannes potuit, quia maiori quàm pater Simon, & patruus Iudas abundauit otio; & prout testatur Iosephus triginta & vnum annos in potestate fuit. Nec leuis momenti est, quòd ipse Propheta fuerit, si Iosepho fides est, quo nomine illud sibi negotium assumere debuit. Accedit quod aliquid huic sententiæ affert momenti, quod omissis aliis, quæ minus ad Machabæorum, id est, ad suam familiam pertinebant à Mathathia auo narrationem exorsus est, & eò videtur maximè intentus, vt patruorum, & patris gesta narratione prosequeretur historica, & alia minus accuratè describeret, quæ fecit postea Iason Cyrenæus, qui plura & minutiora persecutus est.

Circa secundum Machabæorum librum non est dubium saltem posteriorem & longiorem partem sumptam fuisse ex scriptis Iasonis Cyrenæi, qui autem illum in compendium contraxit videtur Serario & Tirino esse Iudas non Machabæus, vt quidam censuere, sed Essenus, quem tunc temporis testatur, Iosephus magnæ authoritatis esse ob sapientiam, futurorumque prædicendorum scientiam infallibilem, quique Antigono Ioannis Hyrcani Pontificis secundo genito mortem prædixit, cuius mentio fit in primo secundi libri capite, tanquam præcipui auctoris eius epistolæ, adeoque & totius libri secundi.

Hos libros tam primum quàm secundum annis abhinc mille ducentis fuisse ab Ecclesia Dei in sacrum canonem receptos, asserit Augustinus in decimo octauo de ciuitate Dei. *Machabæorum*, ait, *libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis accipit, propter quorundam Martyrum passiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Christus venisset in carnem, vsque ad mortem pro lege Dei certauerunt, & mala grauissima, atque horribilia pertulerunt.* Hæc ille. Iosephus tamen in calce libri, quem de Machabæis inscripsit, constantissimè affirmat, Eleazari senis, & septem cum matre filiorum martyria, secundo huius historiæ volumine comprehensa, etiam apud Hebræos inter sacras literas haberi quod notauit Sixtus.

CAPVT XIX.

An Amasias auunculus Isaiæ composuerit Canticum vineæ, Isaiæ 5. Præmittuntur aliqua de Prophetis.

IN Prophetarum vaticiniis non est opus moram facere: constat ab vnoquoque suam Prophetiam editam, quamuis ex Rabbinorum sententia Moyses Kimhi dicat: *Viri Synagogæ maioris scripserunt librum Iehezekel, & librum duodecim, hoc est duodecim Prophetarum minorum, & librum Danielis.* At de prima scriptione eorum vaticiniorum nequit hoc intelligi; neque enim tot antea annos, nisi mandarentur literis permansissent; potuit tamen fieri, vt illius Synagogæ diligentia noua exemplaria Prophetarum fuerint scripta: nugatur quoque Rabbi Isaac Haruma præfatione in Cantica, dum ait Ezechiam & socios eius librum Isaiæ scripsisse, & quia multi multa de Prophetis scripsere, pauca de paucis ipse edisseram. De omnibus satis est monere eorum ordinem; quoniam etsi primo inter omnes Prophetas loco *Isaias* ponatur quòd tum in Synagoga Iudaica, tum in Ecclesia Christiana præ cæteris maximi semper habitus sit; non omnes tamen tempore præcessit. Nam, si Eusebio, & quibusdam aliis Chronologis credimus, & patet ex initiis prophetiæ singulorum, Prophetarum omnium primus fuit *Osee*. Secundus *Ioel*: tertius *Ionas*, quartus *Amos* quintus *Isaias*: qui secundum quosdam decimo septimo demum anno Oziæ, seu Azariæ Regis Iuda; sed verosimilius secundum Sanctum Hieronymum vigesimo quinto eiusdem Oziæ prophetare cœpit, cum Amos vigesimo tertio anno, alij sub initia eiusdem Regis cœpissent. Post hos tempore Ioathan filij Oziæ prophetare cœperunt, Sextus *Abdias*, & septimus *Michæas*. Hi enim septem synchroni fuerunt, inquit S. Hieronymus. Sub Ezechia floruit octauus *Nahum*, sub Manasse nonus *Sophonias*, sub Iosia decimus *Habacuc*, & vndecimus *Ieremias*: anno 5. transmigrationis Iechoniæ cœpit duodecimus Ezechiel, anno 5. ab euersa Ierosolyma, decimus tertius *Baruch* Prophetiam suam conscripsit, vti paulo post decimus quartus *Daniel*. Post solutam captiuitatē Babylonicā anno vndecimo prophetarunt decimus quintus *Aggæus*, decimus sextus *Zacharias*: denique *Malachias* decimus septimus & vltimus.

Circa

Circa scripta ab Isaia inquiri potest à quonam fuerit compositum canticum vineæ, quod capite quinto inrrusit? Sunt qui velint à Propheta adductum tanquam alienum non à semet ipso editum, quod placet Gaspari Sanctio, inrerpreranti caput Danielis tertium, & Iobi trigesimum sextum: & rursus super Isaiam dicit sibi esse verisimile adhibitam fuisse ab Isaia hoc loco familiarem, & penè prouerbialem cantilenam, quâ sponsi conqueruntur de infideli sponsa, quæ sponsalitiis donis onerara à coniugali fide defecit. Nisi mauis hic communi quadam meraphorâ, siue patœmiâ significari longam, & sedulam operam frustrà esse susceptam, qualis est eorum, qui ex vinea diligenrer exculta nullum referunt fructum. Quod autem hic prou erbiale aliquid sit, persuader & modus loquendi, quo vtitur Isaias (neque enim ram ipse canir, quàm canticum repetit sæpius audiri solitum) & quod hoc aut certè non admodum dissimile canticum sæpius vsurpatur in simili querimonia à Prophetis. Moyses Deuteronomij rrigesimo secundo, postquam numerauit plurima, & quædam his similia beneficia, addidit quod proprium est ingratæ vineæ: *Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus.* Ieremias capite 2. *Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum: Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea electa?* Lyra hæc inrerpretatus ait: *In Scriptura aliquando accipiuntur parabola, seu similitudines ex rebus gestis; & ideò dicunt aliqui, & satis probabiliter quidam patruelis Isaiæ, id est, filius patrui sui habuerat vineam cum magno sumptu & labore excultam, & acquisitam, & tamen fuit sterilis, propter quod de ipsa sicut de re insolita fecit dictamen, quod vocatur hic canticum; & quia Isaias similiter locutus est hic de populo Israel sub nomine vineæ; ideò subditur, vinea facta est, &c.* Similiter sanctus Thomas ait: *Aliquando enim Propheta ex istis rebus gestis assumunt similitudines ad suas prophetias. sicut patet Ieremia trigesimo secundo: Ecce Ananael filius Sellum patruelis tuus venit ad te dicens: Eme tu agrum meum, qui est in Anatoth, tibi enim competit. Ita etiam potuit contingere, quod ad literam aliquis patruelis suus composuerit simile carmen de vinea sua.* Designant nonnulli eius cantici aurhorem patruum Isaiæ. Hæc enim præmittit Prophera: *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vinea sua, vinea facta est dilecto meo in cornu filio Olei.* Pro pattueli, alij vertunt patruum. In quæ verba hæc habet Forerius: *Quantum ego augurari possum, habait Isaias Propheta patruum nobilem, quocum Propheta familiaritas intercesserat. Is dicterium hoc sapè in ore habere solebat; vt cùm vellet significare quempiam oleum & operam perdidisse, & malè labores suos & studia collocasse, diceret: Amicus meus habuit vineam in loco vberi, &c, expectauit vt faceret vuas, fecit labruscas. Inquit ergo Isaias, volo canere dilecto meo canticum de vinea ipsius, quod patruus meus solebat canere.* Arias Montanus tametsi non ita clarè eidem suffragatur sententiæ, air significare Prophetam se velle ea quæ de Deo cum Israëlitico populo execpisset, carmine complecti, idque canrici genere allegorico, quemdam amicum suum inducens de vinea sua agenrem, in cuius gratiam canticum ipse composuerit. Alij exprimunt Amasiam fuisse, qui hoc dicere canticum solitus esset, non patruum, sed auunculum Isaiæ. Hic verò patruum, siue patruelem sumi pro auunculo, seu cognato. Alij ramen hoc referunt ad Christum, vt ipse sit, qui canticum vineæ cantauerit iuxta sanctum Hieronymum, cùm fleuit super Hierusalem, & dixit: *Ierusalem, Ierusalem, qua occidis Prophetas*: siue prout alij volunt, cùm vineæ locaræ parabolam dixit: negant pariter verba Isaiæ referenda esse ad vllum ex cognatis suis; quoniam ex Euangelio constet non historiam, sed parabolam esse. At quid obest dicterium siue prouerbium esse Amasiæ, aut patrui Isaiæ, quominus & parabola sit. Potest quidem parabola esse dicta ab homine, sed accommodata Deo ad significandum eum modum, quo Deus se gessit cum Israelitico populo. Nec video quid contra hoc sit magni ponderis; imò id quodammodò videtur indicare Isaias, mutans in suo sermone personas & renorem orationis. Nam quæ patruo suo tribuit, in tertia persona eloquitur. Deinde accommodans illa Deo in eius iam persona, prima scilicet loquirur; Canticum siue dicterium, quo vti sueuerat cognatus Isaiæ, hoc erat: *Vinea facta est dilecte meo in cornu filio Olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Hanc igitur parabolam eius vineæ, quam fingebat esse amici sui cognatus Isaiæ, & idcirco dilecto suo, id est, ipsi amico decantabat, videtur Isaias de eo canere, & Christo accommodare; quasi qui præstiterit ea ipsa mysticè cum populo Israelitico. Quamobrem dicit se eam poriori iure adaprare Deo, quem proinde significat eodem vsus nomine dilecti, quo vtebatur Amasias, siue quicumque alius fuit ille cognatus Isaiæ, qui propterea ait: *Cantabo dilecto meo.* Sic posteà applicat parabolam Deo in eius persona

locutus dicens: *Nunc ego habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam, quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei*, &c. Itaque supponit Deum fecisse quod cognatus suus de amico dictabat. Hoc pacto videntur non malè omnia congruere, vt de Deo siue Christo intelligantur, quod de amico, & eius vinea cognatus Isaiæ pronuntiabat. Quod si velimus plurium expositioni hærere per patruelem etiam Christus intelligi posset. Et nihilominus prouerbiali, & vulgati parabolâ de vinea vsus Propheta, vt Sanctius exposuit.

CAPVT XX.

An caput duodecimum Isaiæ, & vigesimum sextum, & pars vigesimi septimi non fuerint composita ab Isaia?

ADIICIT doctus & eruditus vir Gaspar Sanctius in Commentariis ad libros Iob, & Danielis alienum quoque canticum, siue fragmentum cantici inseruisse Isaiam suis vaticiniis, cùm capite vigesimo septimo dicit: *In die illa vineæ meri cantauit ei*. In Commentariis quoque super Isaiam hanc dicit esse alteram partem Cantici capitis quinti, quod censuit duas partes continere: vnam de vinea infrugifera, ingrata, & infideli, de qua agitur capite quinto; alteram de vinea fertili, grata, & fideli, capite vigesimo septimo. Sed hoc minori fundamento adstruitur. Nec in capite vigesimo septimo est vllum vestigium, cur alteri auctori quidquam tribuatur. Canticum etiam capitis vigesimi sexti voluit idem Sanctius super caput trigesimum sextum Iob non fuisse Isaiæ, sed antiquum; non tamen inuenio vnde passim illi suffragari. Idem suspicatur in caput Danielis tertium de cantico alio Isaiæ, quod capite duodecimo continetur. Sed neque in hoc video quidquam quod vrgeat affirmare antiquius esse ipso Isaia.

CAPVT XXI.

Vter, Ezechiásne, an Isaias composuerit Canticum gratulatorium pro sanitate Ezechiæ, capite 38. Isaiæ?

EXTAT tamen in Isaiæ capite trigesimo octauo canticum alienum, nempe Ezechiæ Regis ab ipso Ezechia pronuntiatum, & scriptum, siue scribi præceptum, vt constat ex ipsa inscriptione: *Scriptura Ezechiæ Regis Iuda cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua*. Nihilominus censuit Sanctius hoc canticum non ab Ezechia compositum, sed ab Isaia Propheta, in persona tamen Ezechiæ, eidémque tributum, idque venatur ex stylo. Similiter Cornelio nostro nitor carminis videtur arguere Isaiam esse eius auctorem. At non satis hoc elucet, nec sufficeret, vt gloriam grati animi erga beneficium acceptum extenuemus, quod inscriptio tribuatur Ezechiæ, non Isaiæ, & communi sensu hoc sit confirmatum. Et ipsa Ezechiæ sanctitas merebatur, vt per eius os Spiritus sanctus loqueretur, quem propterea multi faciunt aliorum sacrorum voluminum scriptorem.

Igitur gratias Deo acturus Ezechias, & id canticum pronuntiauit, & scriptis promulgauit; ideò notantissimè inscribitur scriptura Ezechiæ Regis. Arias Montanus arbitratur iussu Ezechiæ, istius carminis exemplaria plurima fuisse descripta, & per varias regni partes distributa, vt extaret accepti beneficij notitia & memoria. Equidem puto etiam inciso ære eam scripsisse in æternum monumentum, & anathema Deo dicasse, vt fecit Dauid iis in Psalmis, qui inscribuntur *στηλογραφία*, siue *tituli inscriptio*; quos vt notat eruditè Agellius, incidi ære fecit, eundémque titulum in iis legisse Septuaginta, ac inscriptum est Ezechiæ cantico, qui non מכתם *michtam*, quæ vox difficilis est, & controuersa Hebræis; sed similem legunt vocem מכתב *michtab*, quæ etiam reperitur in titulo cantici Ezechiani: *Scriptura Ezechiæ* מכתב לחזקיהו *Michtav le Hizkijjahu*. Simili formâ loquendi, atque dictum est מכתב לדויד *Michtkab le-Dauid*, Tituli inscriptio Dauid.

Neque

Neque mouere debet si literam ם, pro ב, positam fuisse dicimus; id enim frequenter in Hebræis literis vsu venit, vt altera similis pro altera ponatur, neque modò figurâ similis, verùm etiam prolatione, quod hic accidit: labiis enim pressis vtraque pronuntiatur: quamuis illud ipsis quoque Hebræis non repugnantibus possimus dicere מכתם *Michtham*, etiam sine vlla mutatione literæ scripturam significare: namque נכתם *nichtham*, apud Ieremiam capite secundo, versu vigesimo primo, sic ipsi interpretantur רשום, *Rosim*, exaratum, signatum, descriptum, quod Beatus Hieronymus,& Septuagintà verterunt: *Maculata es in iniquitate tua.* Itaque Septuaginta in Psalmis non immeritò στηλογραφίαν transtulerunt: quorum interpretationem etiam is qui Chaldaicè vertit, comprobasse videtur: sic namque transtulit, sculptura recta Dauid; nam στηλογραφία non simpliciter scripturam significat, sed in solidiore aliqua materia, aut metalli, aut marmoris exaratam: ideòque optimè vertit Latinus interpres: *Tituli inscriptionem.* Sunt enim tituli ex marmore, aut metallo monumenta. Itaque hoc Hebræum nomen מכתב *Michthab*, ponitur ad edictum aliquod scriptum significandum, vt in extremo libro Paralipomenon,& ad initium Esdræ: Iussit, inquit, Cyrus prædicari in vniuerso regno suo etiam per scripturam, quod Septuaginta transtulerunt, *ἐν γραπτῷ, in scripto*, cuiusmodi edicta in tabulis æreis, aut marmoreis incidi solebant; quod Agellius obseruauit, & nos superiùs plura dedimus. Conscribi ergo fecit suum Canticum Eucharisticum pientissimus Rex Ezechias, imitatus vtique pietatem Dauidis, in ære, aut saxo, ac loco templi publico, vt constaret omnibus per miraculum accepisse sanitatem, & illâ memoriâ gratum se Deo ostenderet, qui mos etiam Gentibus vsitatus fuit; quapropter Tibullus elegiâ primâ ad Isidem canit:

Nunc Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Strabo loquens libro octauo de Epidauro ciuitate, scribit: *Hæc autem non parum insignis est ciuitas, præsertim ex Æsculapij claritate nobilitata, quem varia morborum genera curasse somniati sunt homines. Erat verò templum ægrotantium multitudine vsquequaque refertum, pendentibusque tabellis, in quibus sanati languores erant scripti. Quemadmodum & in Coa fiebat insula, pariter & Trica.* Apud Ciceronem quoque libro secundo de natura Deorum: *Tu qui Deos putas humana negligere, non animaduertis ex tot tabulis pictis, quàm multi vim tempestatis effugerint, in portumque salui aduenerint.* Similis monumentorum vsus apud Palæstinos Philisthæi cùm ab vlceribus illatis, & muribus eminentia viscera corrodentibus liberari vellent, fecerunt iuxta numerum quinque aureos mures, & totidem anos, quos iuxta arcam fœderis in capsula posuerunt. Alia anathemata in tabernaculo, vel templo dicata constat. Dauid occisi gigantis gladium in tabernaculo dedicauit. Similiter & Iudith conopæum Holophernis in anathema, & memoriam libertatæ patriæ Deo sacrauit.

CAPVT XXII.

An extremum caput Ieremiæ fuerit à Baruch adiectum? Qualis Lamentationum liber?



IRCA vaticiniorum Ieremiæ librum illud dubitari potest, an extremum caput ab ipso fuerit compositum? negare id videtur noster Cornelius & Sixtus Senensis, cùm scribat à Baruch prophetiis Ieremiæ adiectum ex fine quarti libri Regum, iisdem penè verbis mutuatum, vt ex commemoratione cladis Hierosolymitanæ, quæ in eo capite refertur, viam sterneret lectoribus ad proximè sequentem איכה *Eca*, siue קינות *Kinoth*, hoc est, lamentationum librum, in quo Ieremias Propheta lamentabilem vrbis euersionem, & populi captiuitatem lugubri carmine defleuit. Mihi tamen certum est illud extremum caput ab ipso Ieremia compositum, quamuis fuerit à Baruch appensum prophetiæ Ieremiæ ex historia Regum: nam eam extremam historiæ partem à Ieremia compositam credo, de quo iam diximus; quapropter illud vltimum caput, siue ex prophetia Ieremiæ fuerit adiectum libro quarto Regum, siue ex libro quarto Regum fuerit additum prophetiæ, authore Ieremia constat. Quoad lamentationum librum Rabbi Salomon existimat eum esse, quem, vt habes apud

Ioann. Euseb. de Origine S. Script. AAa 2 Ieremiam

Ieremiam capite trigesimo sexto, profanus Rex Ioachim, lecto eius initio, proiecit in ignem, & in odium prophetiæ combussit. Ieremias verò iterum, accito Baruch scribâ, iussu Dei dictauit, adiecitque quartum alphabetum, triplicatâ serie literarum, cùm in priori exemplari tria tantùm alphabeta simplicia collocasset. Quippe compositus est Lamentationum liber digestis in ordinem Alphabeticum versibus, eâ ratione, vt primus ab Aleph inciperet, secundus à Beth, tertius à Ghimel, & sic deinceps vsque in finem, imitatus in hoc Dauidem, ac Salomonem, quorum hic vltimam Prouerbiorum partem; ille verò Psalmos septem metricis alphabetis composuêre. Quem scribendi morem imitatus est Ben-Sira, de quo iam diximus, & adhuc inter Christianos in vsu est. Extántque eloquentissimi Gregorij Nazianzeni Alphabetariæ sententiæ, quæ latinitate donatæ sunt:

Agendorum initium sit & finis, Deus:
Beata lucra vita, quotidie mori:
Cognoscere hominum facta egregiorum stude:
Durum est egere; peius ditem esse improbè:
Eris si beneficus, imitaberis Deum:
Fac sis benignus, vt benignum habeas Deum:
Geras caue carni morem, sed eam doma:
Habenis retine iram, ne te occupet furor:
Inhibeto visum: quædam lingua norma sit:
Klauem auribus obde: risum lasciuum fuge:
Lucerna sit ratio vitæ tibi totius:
Missam fac opinionem, rémque amplectere:
Noscenda cuncta putato; sed quæ fas, age:
Omnem exhibe hospiti honorem, quum hospes ipse sis:
Procella timere cursu debet prospero:
Quæcumque dat Deus, animo grato accipe:
Rigor iusti peior est, quàm honos mali:
Sapientum mihi fores; non locupletum tere:
Tibine pusillum est, vnde quid ingens prouenit?
Vir magnus esse potes, frænans petulantiam:
Probè tibi caue: alterius lapsum haud riseris:
Gratum inuideri; ac inuidere, ingens probrum:
Præstat animum, quàm cætera offerre Deo.
O quàm beatus, hæc quisquis seruauerit!

Habentur autem in Ieremiæ lamentationibus quatuor alphabeta, quorum duo priora, vt testatur Hieronymus, conscripta sunt versu à metro Sapphico non multum dissimili, quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab vna litera incipiunt, heroici carminis comma concludit. Tertium verò alphabetum trimetro alphabeto contextum est, & à ternis literis, sed eisdem trini versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo & secundo.

CAPVT XXIII.

Quis Author præfationis in Threnos? An sit canonica?

ILLVD quoque circa Ieremiæ lamentationes obseruandum est, procemium breuissimum, quod Latini codices in Threnorum initio præferunt, non extare apud Hebræos; qui librum hunc quadruplici alphabeto conscriptum ordiuntur à dictione איכה. *Eca* id est, Quomodo, incipiente ab א *Aleph* prima litera Hebraici Alphabeti, & ab hac dictione librum appellant איכה *Eca*, cætera vero quæ hanc vocem leguntur verba, vt à multis creditur, septuaginta interpretes addiderũt, volentes connectere Lamentationẽ deuastatæ vrbis, cum narratione deuastationis eiusdem vrbis, quæ in calce libri Ieremiæ describitur, sunt autem hæc verba præfationis huius apud septuaginta interpretes. Καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τ̄ ἰσραὴλ, καὶ ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι, ἐκάθισεν ἱερεμίας κλαίων, καὶ ἐθρήνησε τ̄ θρῆνον τοῦτον ἐπ' ἱερουσαλὴμ, καὶ εἶπεν. hoc est, *Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est sedit Ieremias flens, & planxit lamentationem hanc super Hierusalem & dixit.* Hebræi hoc argumentum non recipiunt, quod non ipsis videatur verisimile, Ieremiam scripsisse in spiritu hos Threnos post destructionem Hierusalem, sed ante destructionem: Prophetia enim est. Vnde etiam tradunt, quod Rex Ioachim ante vrbis excidium hos Threnos legerit, & lectis ex his non-

nullis

nullis verſibus, librum in ignem abiecerit; quem propheta paulo poſt multo copioſius reſcripſit, quemadmodum ipſemet teſtatur capite trigeſimo ſexto ſuæ Prophetiæ. Inter noſtros autem magna controuerſia eſt, in qua haud libenter me velim interponere, primam tamen vtriuſque partis firmamenta. Qui negant eam eſſe canonicam, & ſunt multi, his rationibus ducuntur. Primo, quia hæc Præfatiuncula non habetur in Hebræis codicibus, nec ab Hebræis agnoſcitur, qui cum ſoleant libro nomen imponere à prima libri voce hunc librum nominant אֵיכָה *Echa* quæ ſignificat *quomodo*, eſtque prima vox primi capitis. Secundo, quia in antiquis multis codicibus Latinis non habetur, & vt apparet, S. Hieronymus illam omnino non agnouit, qui ſolet omnia, quæ in editione ſeptuaginta habentur in Hebræo diligenter notare. Tertio, quia omnes, qui has lamentationes commentati ſunt, ſeu antiquioris æui, vt Hieronymus & Theodoretus; ſeu medij vt Paſchaſius Rabanus, Rupertus, Hugo de Sancto Victore, eius ne verbo quidem meminerunt at recentioris æui omnes ferè reiiciunt, vt dictum eſt; Quarto, cum principium Lamentationũ Hebdomada ſancta in Eccleſia legatur omittitur tamen hæc Præfatiuncula, & ab ipſis Lamentationibus incipitur: *Quomodo ſedet*. Adde quinto, multos dubitare de tempore quo fuerunt hæ Lamentationes compoſitæ, & multos tam Rabbinos, quàm Catholicos velle, non exciſa iam à Chaldęis Ieroſolyma, ſed antea ad modum cuiuſdam Prophetiæ, & excidij per reuelationem præuiſi fuiſſe ab Ieremia compoſitas; quod ſi verum eſt, manifeſtè apparet, epigraphen hanc eſſe ſuppoſititiam.

Nihilominus malunt eam ſcripturam canonicam eſſe Delrio initio Commentariorum in hos Threnos, & Gretſetus libro primo Defenſionis Bellarmini capite decimo quarto. Eſtque pro illa opinione ratio, quòd in correctis noſtris Biblijs ea habeatur, in quibus nihil non eſſe Canonicum Præfatione ad Lectorem in Biblijs dicitur. Item quod eadem Præfatio neget vllas Præfationes ſacris libris additas, extra videlicet ipſius ſacræ ſcripturæ cõtextum. Accedit tertio, quod eodem charactere hæc Præfatiuncula excudatur, quo reliquum corpus librorum ſacrorum: eadem autem Præfatione licet permittantur adiici quędam additamenta, vt argumenta librorum & capitum, marginales notæ &c. Id tamen permittitur, ſi modò alio charactere id fiat. At hæ rationes allatæ non videntur noſtro Bonfrerio euincere. Non prima, ſiquidem Concilium Tridentinum recipit hos libros prout in Eccleſia legi ſolent: at hæc Præfatiuncula legi nõ ſolet, eſto Lamentationum initium legatur. Porrò Præfatio illa Biblijs præfixa non eſt ſummi Pontificis, vel eius qui habet poteſtatem de ea re decernendi, ſed eſt eorum qui Biblia emendarunt: quorum fortè aliena fuerit ſententia, quod hæc Præfatiuncula ſit Canonica non liquet; & videtur contrarium colligi, propterea quod ipſemet Agellius, qui huic Bibliorũ correctioni, vt refert Serarius interfuit, multis hanc Præfatiunculam videtur impugnaſſe, ac tandem illud adiicit: *De hac re iudicium ad eos deferimus, quorum eſt de ſacris literis cenſere, & à certis dubia ſecernere*. Non ſecunda, hoc enim tantũmodo volunt, nullas Præfationes ex ſe addidiſſe. Non tertia, quia hi Correctores, cum videantur de hac Præfatiuncula dubitaſſe, & paſſim ea tunc in Biblijs reperiretur, noluerunt ipſi ſua auctoritate expungere, ſed eam addiderunt, expectantes, donec aliquid certi à ſede Apoſtolica, vel Concilio de ea re decerneretur.

CAPVT. XXIV.

An Ieremias dictauerit librum Baruch? An ab vtroque compoſitus?

MAIOR lis eſt circa librum Baruch, an eius author Ieremias fuerit, Baruch autem ſolum Amanuenſis? Euſebius, & Theodoretus id affirmant, notantes idcirco inſcriptionem Baruch præferre hunc librum; quia quæ Ieremias dictauit, ille ſcripſit, & captiuis apud Babylonem recitauit, Id ipſum ſuffulcit initium eius libri ſic inchoantis, *Et hæc verba libri quæ ſcripſit Baruch*. Non vt alij Prophetæ, *viſio Iſaiæ*, aut, *verba Ieremiæ*, qui non profitentur ſcribere libri ſermones, ſed quæ audierunt à Deo, & viderunt. Eamdem exiſtimationem fouent Clemens Alexandrinus, Hilarius, Baſilius, Nazianzenus, Ambroſius, qui citant Ieremiam in iis ſententiis, quæ reperiuntur in libris Baruch. Verum Athanaſius, tū quæſtione 36. ad Antiochum, tum in epiſtola de Nicenâ Synodo, tum ſermone tertio cõtra Arrianos, & S. Hieronymus, S. Orcſieſis S. Cyrillus Alexandrinus, Lyra, Dionyſius, Tirinus clarè fatentur libri ſui auctorem eſſe Baruch, quod intelligendum eſt de quinque primis capitibus; nã ſextum caput, quod continet epiſtolam Ieremiæ indubitatum eſt eius auctorē Hieremiam eſſe, Amanuenſem Baruch. Cætera quinque capita auctorē ipſũ Baruch habere ipſe titulus ſuadet, quippe qui abſolutè inſcribatur liber Baruch; quò nomine

Ezechiele, quod in ea Prophetia quam habemus non inuenitur. Disputans aduersus Valentinianos ait: *Legimus apud Ezechielem de vacca illa quæ peperit, & non peperit, sed videte ne vos iam tunc prouidens Spiritus Sanctus notarit hac voce disceptaturos super vterũ Mariæ.* Eundem locum velut ex scriptura citat contra Ebionitas S. Epiphanius: Καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τόπῳ λέγει, καὶ τέξεται ἡ δάμαλις, καὶ ἐροῦσιν, οὐ τέτοκεν. ἐπειδὴ γὰρ τινες τῶν Μανιχαίων καὶ Μαρκιωνιστῶν λέγουσιν αὐτὸν τετέχθαι, διὰ τοῦτο τέξεται, καὶ ἐροῦσιν, οὐ τέτοκεν· ἐπειδὴ οὐ τέτοκεν ἡ Μαρία ἐκ σπέρματος ἀνδρός. Καὶ οὗτοι μαινόμενοι λέγουσι ψευδῶς, ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς αὐτὴν γεγεννηκέναι. γεγέννηκεν οὖν ἡ δάμαλις Θεόν, ἄνθρωπον ἐν ἀληθείᾳ. καὶ ὅτι μὲν δάμαλις ἡ παρθένος καλεῖται, καὶ τὸ ταύτης λείψανον καθαρισμὸν ἦν τῶν κεκοινωμένων. *Ac rursum alio loco: & pariet vitula, & dicent non peperit. Nam cum Manichæorum, ac Marcionistarum quidam negent illum partu in lucem editum, ob id, pariet, inquit, & dicent non peperit: quoniam viri semine Maria non peperit. At furiosi isti de viri semine falso illam peperisse dictitant. Igitur vitula hominem eundem, ac Deũ vere illa quidem peperit: vitulæ porro nomine virginem nominari, eiusque reliquias ad eos qui impuri essent, expiandos adhiberi consueuisse.* Hæc Epiphanius aduersus hæreticos. Clemens verò Alexandrinus loquens de partu Virginis libro septimo stromatum ait: τέτοκεν καὶ οὐ τέτοκεν φησὶν ἡ γραφὴ ὡς ἂν ἐξ αὐτῆς οὐκ ἐκ συνδυασμοῦ συλλαβοῦσα. *Peperit & non peperit, inquit scriptum, vt quæ ex se, non ex coniunctione conceperit.* Eadem authoritate vtitur Gregētius de benedictionibus Propheticis. Sunt qui suspicentur hunc locum desumptum ex libro Ezechielis Iudaicarum tragœdiarũ, quem citat Clemens Alexandrinus in primo stromate, ex quo dicunt Ezechielem Iudaicas scripsisse Tragedias, & in his metro inclusisse tragico Moysis vitam: eo fortasse consilio vt Iudæorum consolaretur mœrentes animos, qui grauiter ferebant dominatum barbarum, & exilij Babylonici incommoda. Nam cum similia paterentur Patres in Ægypto, & per Moysem excusso iugo libertatem essent consecuti; accommodatum videbatur exemplum, quod ad fœturam eiusdem Gentis non dissimilem adhiberetur, quodque idem omnino à Dei benignitate toties explorata expectare iuberet. At Ezechiel qui Iudaicas tragœdias scripsit Græcus scriptor est valde diuersus à Propheta, atque vt Græcum scriptorē, notumque Græcis citat illum Clemens Alexandrinus, postquam citauit pro rebus Iudaicis & Mosaycis Græcos Eupolemum, & Artapanum, citat deinde Ezechielem, vt confirmaret ea, quæ de Moysis educatione tradiderat ex scriptura, dicens: *De Moysi autem educatione nobiscum quoque consentiet Ezechielus Iudaicarum tragœdiarum poeta in actu qui inscribitur* ἐξαγωγὴ, *id est eductio.* Vnde videtur aduocasse testimonium huius Ezechielis ad confirmãdas erga Græcos historias sacras, quare non ille sacer scriptor, sed Græcis notior fuit, quique Græcè scripserat. Tertullianus autem, & alij Patres citant illud de vacca quæ peperit, & non peperit, velut ex sacris scriptis, vt patet ex illis Tertulliani verbis: *Videte ne vos tum iam Spiritus sanctus prouidens* &c. Præterea eum suum Ezechielum designet Clemens Iudaicarum tragœdiarum poetam, satis videtur agnoscere eum diuersum à Propheta & id notare voluisse: Iosephus quoque nuper citatus indicat duos fuisse scriptores Ezechieles, cùm dicat: *Ezechiel primus de his duos libros conscribens populo reliquit.* Illud *primus*, non ad scriptionem videtur referre sed ad scriptorem eius nominis, quasi notaret fuisse Ezechielem secundum: dixerat quippe Ieremiam scripsisse de iisdem rebus; eum autem postea adiecerit Ezechielem quoque primum scripsisse, nec congruè, nec bene intelligi potest, vt primum scripserit, quoniam Ieremias id præstiterat, qui aliquantulum prior Ezechiele fuit, sed primus eius nominis. Quidquid de sensu Iosephi sit, id verius mihi videtur fuisse quemdam Iudæum nomine Ezechielē sacris in literis doctum, & Græca pariter lingua, & poësi peritissimum, qui historias Iudæorum Græcanico carmine scripserit, & Græcis subinde non incognitum, & hunc fuisse auctorem illius actus ἐξαγωγὴ inscripti.

CAPVT XXVI.

Ezechielis Poema exhibetur.

VT autem hoc magis constet ex stylo, & quoniam multi desiderarunt hunc Ezechielis actum ἐξαγωγὴν appellatum, quem nec extare, nec esse, qui eius meminerit, scribit Gentianus Heruetus præter Clementem Alexandrinum, & ab eo citata. Tum vt aliqua inde scitu non indigna noremus, repræsentabo eum actũ ex collectaneis Greçis, ne eruditi alibi quærãt. Interlocutores eius actus sũt. *Moyses, Sephora, Chus, Raguel, Deus è rubo, Angelus*, hoc est, *Nuncius*, & *Explorator*. His positis sic incipit Moyses:

ΜΩΥΣΗΣ

ΜΟΥΣΗΣ ΠΡΟΛΟΓΙΖΕΙ.

Ἀφ' οὗ Ἰακὼβ γῆν λιπὼν Χαναναίαν
Κατῆλθ' ἐς Αἴγυπτον, ἔχων ἑπτάκις δέκα,
Ψυχὰς σὺν αὐτῷ, καὶ ἐπεγέννησεν πολὺν
Λαὸν, κακῶς πράσσοντα καὶ τεθλιμμένον
Ἐς ἄχρι τούτων τῶν χρόνων κακούμενον
Κακῶν ὑπ' ἀνδρῶν καὶ δυναστείας χερός.
Ἰδὼν γὰρ ἡμῶν γένος ἄλις ηὐξημένον,
Δόλον καθ' ἡμῶν πολλὺν ἐμηχανήσατο
Βασιλεὺς Φαραὼ, τοὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν
Οἰκοδομίαις τε βάρεσιν αἰκίζων βροτοὺς,
Πολέσι τε πύργοις, σφῶν ἔκαμε δυσμόρων.
Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένος
Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύρροον.
Ἐνταῦθα μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ἔκρυπτέ με
Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν. οὐ λαθοῦσα δὲ,
Ὑπεξέθηκε, κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι,
Παρ' ὄχθην ποταμοῦ λάσιον εἰς ἕλος, δασύ.
Μαριὰμ δ' ἀδελφή μου κατώπτευεν πέλας
Κἄπειτα θυγάτηρ βασιλέως ἄβραις ὁμοῦ
Κατῆλθε λουτροῖς φαιδρῦναι τὸ ἑὸν δέμας
Νέον δ' ἰδοῦσα καὶ λαβοῦσ' ἀνείλετο
Ἔγνω δ' Ἑβραῖον ὄντα· καὶ λέγει τάδε
Μαριὰμ ἀδελφὴ προσδραμοῦσα βασιλίδι·
Θέλεις τροφόν σοι τῷδε παιδὶ εὕρω ταχὺ
Ἐκ τῶν Ἑβραίων; ἡ δὲ ἐπένευσεν κόρη.
Μολοῦσα δ' εἶπε μητρί· καὶ παρῆν ταχὺ
Αὐτή γε μήτηρ, καὶ ἔλαβέ μ' ἐς ἀγκάλας.
Εἶπεν δὲ θυγάτηρ βασιλέως, τοῦτον γύναι
Τρέφους, κἀγὼ μισθὸν ἀποδώσω σέθεν.
Ὄνομα δὲ Μωσῆν ὠνόμαζε, τοῦ χάριν
Ὑγρᾶς ἀνεῖλεν ποταμίας ἀπ' ἠόνος.
Ἐπεὶ δὲ καιρὸς νηπίων παρῆλθέ μοι,
Ἦγέν με μήτηρ βασιλίδος πρὸς δώματα,
Ἅπαντα μυθεύσασα, καὶ λέξασά μοι
Γένος πατρῷον, καὶ θεοῦ δωρήματα.
Ἕως μὲν οὖν τὸν παιδὸς εἴχομεν χρόνον,
Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ' ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἑῶν.
Ἐπεὶ δὲ πλήρης κόλπος ἡμερῶν παρῆν,
Ἐξῆλθον οἴκων βασιλικῶν. πρὸς ἔργα γὰρ
Θυμός μ' ἀνῶγε καὶ τέχνασμα βασιλέως.
Ὁρῶ δὲ πρῶτον ἄνδρας ἐν χειρῶν νόμῳ.
Τὸν μὲν γένος γ' Ἑβραῖον, τὸν δ' Αἰγύπτιον
Ἰδὼν δ' ἐρήμους, καὶ παρόντα μηδένα,
Ἐρρυσάμην μὲν ἀδελφὸν, τὸν δ' ἔκτειν' ἐγώ.
Ἔκρυψα δ' ἄμμῳ τοῦτον, ὥστε μὴ εἰσιδεῖν

MOSES PRÆFATVR.

Ex quo Iabob terram linquens Chananæam
Venit in Ægyptum habens septuaginta
Animas secum, & genuit insuper multum
Populum malè habentem, & afflictum,
In hæc vsque tempora malis oneratum
Malis à viris & potenti manu.
Videns enim nostrum genus satis amplificatum
Dolum in nos magnum excogitauit
Rex Pharao, alios lateritiis
Ædibus & grauibus lædens homines,
Vrbes & turres, ipsorum infelicium causâ
Deinde iussit, vt Hebræorum gens
Masculos iaceret in flumen profundum.
Ibi mater, quæ me peperit, abscondit me
Tres menses, vt dixit: cùm autem latere non posset,
Exposuit, habitum circumdans mihi
Iuxta littus fluuij herbosum, in vluam densam.
Maria autem soror mea speculata est prope.
Inde filia Regis pedissequis cum suis
Descendit, vt lauacro ablueret suum corpus,
Puellum autem videns, & accipiens sustulit,
Agnouitque quod Hebræus essem, & dicit hæc
Maria soror adcurrens ad Reginam:
Vis nutricem tibi puero inueniam statim,
Ex Hebræis? ipsa autem annuit puella.
Veniens autem dixit matri: & aderat statim.
Ipsa mater, & accepit me in vlnas.
Dixit autem filia Regis: Hunc mulier
Ale, & ego mercedem dabo tibi.
Nomine autem Mosen appellauit, eo quod
Humido sustulit fluuiali à littore.
Postquam autem tempus infantiæ abiit mihi,
Duxit me mater Reginæ ad ædes
Omnia narrans, & dicens mihi,
Genus paternum, & Dei dona.
Quandiu itaque puerilem egimus ætatem,
Victu regio, & institutione,
Omnia promittebat, tanquam de suis visceribus.
Postquam autem plenus sinus dierum aderat.
Exij regias ædes: Nam ad opus
Animus me adigebat, & artificium Regis.
Video igitur primum viros manus conserere:
Vnum Hebræum genere, alterum Ægyptium.
Videns autem solos, præsentem neminem,
Liberaui quidem fratrem, alterum autem occidi ego,
Et arenâ contexi, ne videret.

Ετερόν τιν᾽ ἡμᾶς, κἀπογυμνῶσαι φόνον
Τῇ δ᾽ αὔριον δὲ πάλιν ἰδὼν ἄνδρας δύο,
Μάλιστα δ᾽ αὐτὼ συγγενεῖς καχουμένους,
Λέγω· τί τύπτεις ἀσθενέστερον σέθεν;
Ο δ᾽ εἶπεν ἡμῖν· τίς σ᾽ ἀπέστειλε κριτὴν
Η 'πιστάτην ἐνταῦθα· μὴ κτενεῖς σύ με
Ωσπερ τὸν ἐχθὲς ἄνδρα; καὶ δείσας ἐγὼ
Ελεξα, πῶς ἐγένετο συμφανὲς τόδε;
Τίς πάντα βασιλεῖ ταῦτ᾽ ἀπήγγειλεν ταχύ;
Ζητεῖ δὲ Φαραὼ τὴν ἐμὴν ψυχὴν λαβεῖν.
Εγὼ δ᾽ ἀκούσας, ἐκποδὼν μεθίσταμαι,
Καὶ νῦν πλανῶμαι γῆν ἐπ᾽ ἀλλοτέρμονα.
Ορῶ δὲ ταύτας ἑπτὰ παρθένους τινάς.
Σεπφ. Λιβύη μὲν ἡ γῆ πᾶσα κλήζεται, ξένε
Οἰκοῦσι δ᾽ αὐτὴν φῦλα παντοίων γενῶν,
Αἰθίοπες ἄνδρες μέλανες. ἄρχων δ᾽ ἐστὶ γῆς
Εἷς, καὶ τύραννος, καὶ στρατηλάτης μόνος.
Αρχει δὲ πόλεως τῆσδε, καὶ κρίνει βροτοὺς
Ιερεὺς ὅς ἐστ᾽ ἐμοῦ τε καὶ τούτων πατήρ.
Χους. Ομως καλειπεῖν χρή σε Σεπφώρα τάδε.
Ξένῳ πατήρ με τῷδ᾽ ἔδωκεν σύνευνον.
Μωϋσ. Εδόκουν ὁρᾶν καὶ ἀκρώπου θρόνον μέγαν
Τιν᾽ εἶναι, μέχρις οὐρανοῦ βεβηκότα,
Εν ᾧ καθῆσθαι φῶτα γενναῖόν τινα,
Διάδημ᾽ ἔχοντα, καὶ μέγα σκῆπτρον χερὶ
Εὐωνύμῳ μάλιστα. δεξιᾷ δέ μοι
Ενευσε, κἀγὼ πρόσθεν ἐστάθην θρόνου.
Σκῆπτρον δέ μοι παρέδωκε, καὶ εἰς τὸν θρόνον
Μέγαν καθῆσθαι μ᾽ εἶπε. βασιλικὸν δέ μοι
Εδωκε διάδημα. καὶ αὐτὸς ἐκ θρόνου
Χωρίζεται. * * * * *
Εγὼ δ᾽ ἐσεῖδον γῆν ἅπασαν ἔγκυκλον
Καὶ ἔνερθε γαίας, κ᾽ ἐξύπερθεν οὐρανοῦ,
Καί μοί τι πλῆθος ἀστέρων πρὸς γούνατα
Επιπτ᾽, ἐγὼ δ᾽ ἅπαντας ἠριθμησάμην.
Κἀμοὶ παρῆγον ὡς παρεμβολὴ βροτῶν.
Εἶτ᾽ ἐν φοβηθεὶς ἐξανίσταμαι ἐξ ὕπνου.
Ραγυ. Ω ξεῖνε, καλόν σοι τοῦτ᾽ ἐσήμηνεν θεός·
Ζώην δ᾽ ὅταν σοι ταῦτα συμβαίνῃ ποτέ
Αρά γε μέγαν τιν᾽ ἐξαναστήσεις θρόνον
Κ᾽ αὐτὸς βραβεύσεις, καὶ καθηγήσει βροτῶν.
Τὸ δὲ σε τεθεᾶσθαι γῆν ὅλην οἰκουμένην,
Τά θ᾽ ὑπένερθε τά θ᾽ ὑπὲρ οὐρανὸν θεοῦ,
Οψῃ τά τ᾽ ὄντα, τά τε πρὸ τοῦ, τά θ᾽ ὕστερον.
Μωϋσ. Εα, τί μοι σημεῖον ἐκ βάτου τόδε,
Τεράστιόν τε καὶ βροτοῖς ἄπιστον ὄν;
Αφνω βάτος μὲν καίεται πολλῷ πυρί,
Αὐτοῦ δὲ χλωρὸν πᾶν μένει τὸ βλαστάνον.

Alius aliquis nos, & detegeret cædem.
Postridie autem rursus videns duos viros,
Maximè per meos fratres afflictos,
Dico, quid verberas imbecilliorem te?
Ille autem dixit nobis, quis te misit iudicem,
Aut inspectorem huc? num occides tu me
Sicut heri virum? & metuens ego
Dixi, quomodo apertum hoc factum est?
Quis omnia hæc regi nunciauit mox?
Quærebat autem Pharao animam meam capere
Ego autem audiens, è medio abibam
Et nunc erro in terra aliena
Video autem illas septem virgines quasdam.

Sephor. *Lybia vocatur tota terra, ô hospes,*
Habitant autem illam tribus variorum generum
Æthiopes nigri homines: Rex autem terræ est
Vnus & gubernator & dux solus.
Præsidet autem vrbi huic, & iudicat homines
Sacerdos, qui est meus, & harum pater:

Chus. *Tamen dicere oportet te Sepphora hæc.*

Sephor. *Hospiti pater me huic dedit coniugem.*

Mos. *Videbar videre in monte thronum magnum*
Quemdam esse, ad cælum tendentem.
In quo sederet vir quidam generosus
Diadema gerens, & magnum sceptrum in manu
Sinistra maximè: dextra autem me
Vocauit, & ego ante thronum constiti:
Sceptrum autem mihi dedit, & in throno
Magno me iussit sedere. Regium autem mihi
Dedit diadema, & ipse volens de throno
Cessit. * * * *
Ego vero intuitus sum terram vniuersam.
Rotundam, & infra terram & supra
Cælum & quædam multitudo stellarum
Ad pedes mihi cecidit; ego verò ordine omnes
Numeraui, & mihi adfuit tanquam
Exercitus hominum. Deinde territus experrectus sum somno

Rag. *O hospes, bona tibi prædixit Deus.*
Vtinam viuam, cum tibi accident hæc aliquando.
Nam magnum quemdam euertes thronum
Et ipse præmium auferes, & dux eris hominum:
Quod autem vidisti terram totam habitabilem,
Et quæ infra & supra cælum Dei sunt,
Videbis præsentia, præterita, & futura.

Mos. *Age, quodnam mihi signum ex rubo istud?*
Quod prodigiosum, & hominibus incredibile fuit?
Repentè rubus ardet multo igne,
Ipsius tamen viride manet omne germen.

Τί δή; προσελθὼν ὄψομαι τεράστιον
Μέγιστον· οὐ γὰρ πίστιν ἀνθρώποις φέρει.
Θεός. Ἐπίσχες ὦ φέριστε, μὴ προσεγγίσῃς
Μωσῆ, πρὶν ἢ τῶν ποδῶν λῦσαι δέσιν.
Ἁγία γὰρ ἡ γῆ, ὅπου σὺ ἐφέστηκας, πέλει
Ὁ δ' ἐκ βάτου σοι θεῖος ἐκλάμπει λόγος.
Θάρσησον ὦ παῖ, καὶ λόγων ἄκου' ἐμῶν.
Ἰδεῖν γὰρ ὄψιν τὴν ἐμὴν ἀμήχανον
Θνητὸν γεγῶτα· τῶν λόγων δ' ἔξεστί σοι
Ἐμῶν ἀκούειν, τῶν ἕνεκεν ἐλήλυθα.
Ἐγὼ θεὸς σῶν, ὧν λέγεις, γεννητόρων,
Ἀβραάμ τε καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβου τρίτου.
Μνησθεὶς δ' ἐκείνων, καὶ ἔτ' ἐμῶν δωρημάτων.
Πάρειμι σῶσαι λαὸν Ἑβραίων ἐμόν,
Ἰδὼν κάκωσιν, καὶ πόνον δούλων ἐμῶν.
Ἀλλ' ἕρπε, καὶ σήμαινε τοῖς ἐμοῖς λόγοις,
Πρῶτον μὲν αὐτοῖς πᾶσιν Ἑβραίοις ὁμοῦ.
Ἔπειτα βασιλεῖ, τὰ ὑπ' ἐμοῦ τεταγμένα,
Ὅπως σὺ λαὸν τὸν ἐμὸν ἐξάγῃς χθονός.
Μωϋσ. Οὐκ εὔλογος πέφυκα, γλῶσσα δ' ἐστί μοι
Δύσφραστος ἰσχνόφωνος, ὥστε μὴ λόγους
Ἐμοὺς γενέσθαι βασιλέως ἐναντίον.
Θεός. Ἀαρῶνα πέμψον σὸν κασίγνητον τάχυ,
Ὧ πάντα λέξεις τὰ ἐξ ἐμοῦ λελεγμένα,
Καὐτὸς λαλήσει βασιλέως ἐναντίον·
Σὺ μὲν πρὸς ἡμῶν, ὁ δὲ λαβὼν σέθεν πάρα.
Τί δ' ἐν χεροῖν σοῦ τοῦτ' ἔχεις, λέξον τάχυ.
Μωϋσ. Ῥάβδον τετραπόδων, καὶ βροτῶν κολαστείαν.
Θεός. Ῥίψον πρὸς οὖδας, καὶ ἀποχώρησον τάχυ.
Δράκων γὰρ ἔσται φοβερὸς. ὥστε θαυμάσαι.
Μωϋσ. Ἰδοὺ βέβληται. σὺ δέ μοι ἵλεως γενοῦ.
Ὡς φοβερὸς, ὡς πέλωρος· οἰκτείρησον σύ με.
Πέφρικ' ἰδὼν, μέλη δὲ σώματος τρέμει.
Θεός. Μηδὲν φοβηθῇς, χεῖρα δ' ἐκτείνας λάβε
Οὐρὰν, πάλιν δὲ ῥάβδος ἔσεθ' ἥπερ ἦν.
Ἔνθες δὲ χεῖρ' εἰς κόλπον, ἐξένεγκέ τε.
Μωϋσ. Ἰδοὺ τὸ ταχθέν· γέγονεν ὡσπερεὶ χιών.
Θεός. Ἔνθες πάλιν δ' εἰς κόλπον, ἔσται δ' ὥσπερ ἦν.
Ἐν τῇ δὲ ῥάβδῳ πάντα ποιήσεις κακά
Πρῶτον μὲν αἷμα ποτάμιον ῥυήσεται,
Πηγαί τε πᾶσαι καὶ ὑδάτων συστήματα·
Βατράχων τε πλῆθος, καὶ σκνίπας ἐμβαλῶ χθονί
Ἔπειτα τέφραν οἷον καμιναίαν σπερῶ.
Ἀναβλήσεται δὲ ἐν βροτοῖς ἕλκη πικρά.
Κυνόμυια δ' ἥξει, καὶ βροτοὺς Αἰγυπτίων
Πολλοὺς κακώσει. μετὰ δὲ ταῦτ' ἔσται πάλιν
Λοιμὸς, θανοῦσι δ' οἷς ἔνεστι καρδία
Σκληρά. πικρανῶ δ' οὐρανόν. χάλαζα νῦν

Quid

Quid tum? progressus videbo miraculum
Ingens, neque enim credibile hominibus est.
Deus. *Siste, ô bone, noli appropinquare*
Moses, priusquam tuorum pedum soluas calces:
Sancta enim terra, in qua stas, est.
Ex rubo verò tibi diuinus splendet sermo.
Confide ô fili, & sermones meos audi.
Videre enim faciem meam non potes
Cùm sis mortalis: verba autem mea licet tibi
Audire ob quæ huc veni.
Ego Deus tuorum, vt me vocas, patrum
Abrahami, & Isaaci, & Iacobi tertij.
Memor illorum & meorum donorum,
Adsum vt saluem populum meum Hebraicum
Videns afflictionem, & laborem seruorum meorum.
Sed abi, & significa meis verbis
Primò ipsis Hebræis omnibus simul,
Deinde Regi, mea mandata,
Vt tu populum meum educas de terra.
Mos. *Non sum promptus loquendo, lingua mihi est*
Impedita, gracilis, vt meus sermo
Non fieri possit coram Rege.
Deus. *Aaronem mittes tuum fratrem statim,*
Cui omnia dices à me dicta,
Et ipse loquetur coram Rege.
Tu quidem accipies à me, ille à te.
Quid autem in manibus habes, dic statim?
Mos. *Virgam, quâ quadrupedes, & homines abigo.*
Deus. *Abiice in terram, & recede statim,*
Serpens enim fiet terribilis, vt mireris.
Moses. *Ecce abieci, tu autem mihi propitius sis:*
Quàm terribilis, quàm magnus: miserere mei.
Horresco videns, membra corporis tremunt.
Deus. *Ne timeas, manum extendens accipe*
Caudam, rursúmque virga fiet, sicut fuit.
Mitte manum in sinum, & profer.
Moses. *Ecce quod iniunctum fuit: est tanquam nix.*
Deus. *Remitte rursus in sinum, erit sicut fuit.*
In hac virga omnia facies mala.
Primò sanguine fluuius fluet,
Fontesque omnes, & aquarum stagna
Ranarum autem multitudinem, & culices immittam terræ,
Deinde cinerem tanquam ex camino spargam,
Erumpéntque in hominibus vlcera mala.
Musca canina veniet, & homines Ægyptiorum
Multos affliget. Post hæc autem rursus
Pestis, morientur quibus inest cor
Durum, acerbum faciam cælum. Grando nunc

Σὺν πυρὶ πεσεῖται, καὶ νεκροὺς θήσει βροτούς.
Καρποί τ' ὀλοῦνται, τετραπόδων τε σώματα·
Σκότος δὲ θήσω τρεῖς ἐφ' ἡμέρας ὅλας,
Ἀκρίδας τε πέμψω, αἳ πέριξ τὰ βρώματα.
Ἅπαντα ἀναλώσουσι, καὶ καρποῦ χλόην.
Ἐπὶ πᾶσι τούτοις τέκν' ἀποκτενῶ βροτῶν
Πρωτόγονα παύσω δ' ὕβριν ἀνθρώπων κῶν.
Φαραὼ δὲ βασιλεὺς πείσετ' οὐδὲν ὧν λέγω.
Πλὴν τέκνον αὐτοῦ πρωτόγονον ἕξει νεκρόν·
Καὶ τότε φοβηθεὶς λαὸν ἐκπέμψει τάχυ.
Πρὸς τοῖς δε, λέξεις πᾶσιν Ἑβραίοις ὁμοῦ,
Ὁ μεὶς ὅδ' ὑμῖν πρῶτος ἐνιαυτοῦ πέλει·
Ἐν τῷδ' ἀπάξω λαὸν εἰς ἄλλην χθόνα,
Εἰς ἣν ὑπέστην πατράσιν Ἑβραίων γένους.
Λέξεις δὲ λαῷ παντὶ, μηνὸς οὗ λέγω
Διχομηνίᾳ τὸ πάσχα θύσαντας θεῷ
Τῇ πρόσθε νυκτὶ, αἵματι ψαῦσαι θύρας,
Ὅπως παρέλθῃ σῆμα δεινὸς ἄγγελος·
Ὑμεῖς δὲ νυκτὸς ὀπτὰ δαίσεσθε κρέα,
Σπουδῇ δὲ βασιλεὺς ἐκβαλεῖ πρόπαντ' ὄχλον.
Ὅταν δὲ μέλλητ' ἀποτρέχειν, δώσω χάριν
Λαῷ, γυνή τε παρὰ γυναικὸς λήψεται
Σκεύη, κόσμον τε πάνθ' ὃν ἄνθρωπος φέρει,
Χρυσόν τε κἄργυρον, ἰδὲ στολὰς, ἵνα
Ἀνθ' ὧν ἔπραξαν, μισθὸν ἀποδῶσι βροτοῖς,
Ὅταν δ' ἐς ἴδιον χῶρον εἰσέλθηθ' ὅπως
Ἀφ' ἧσπερ ἡμεῖς ἐφύγετ' Αἰγύπτου ἄπο,
Ἑπτὰ ὁδοὺς πορευθέντες ἡμερῶν ὁδὸν,
Πάντες τοσαύτας ἡμέρας ἔτος κατὰ
Ἄζυμα ἔδεσθε, καὶ θεῷ λατρεύσετε,
Τὰ τεπρωτότοκα ζῷα θύοντες θεῷ
Ὅσα τ' ἂν τίκτωσι παρθένοι πρώτως, τέκνα,
Τ' ἀρσενικὰ διανοίγοντα μήτρας μητέρων.
Ἀνδρῶν Ἑβραίων τοῦδε τοῦ μηνὸς λάβε
Κατὰ συγγενείας πρόβατα καὶ μόσχους βοῶν
Ἄμωμα δεκάτῃ· καὶ φυλαχθήτω μέχρι
Τετρὰς ἐπιλάμψει δεκάδι· καὶ πρὸς ἑσπέραν
Θύσαντες ὀπτὰ πάντα σὺν τοῖς ἔνδοθεν,
Οὕτω φάγεσθε ταῦτα περιεζωσμένοι,
Καὶ κοῖλα ποσσὶν ὑποδέδησθε, καὶ χερὶ,
Βακτηρίαν ἔχοντες. ἐν σπουδῇ τε γὰρ
Βασιλεὺς κελεύσει πάντας ἐκβαλεῖν χθονός.
Κεκλήσεται δὲ πᾶς· καὶ ὅταν θύσητε, δεῖ
Δέσμην λαβόντας χερσὶν ὑσσώπου κόμης,
Εἰς αἷμα βάψαι, καὶ θιγεῖν σταθμοῖν δυοῖν,
Ὅπως παρέλθῃ θάνατος Ἑβραίων ἄπο.
Ταύτην δ' ἑορτὴν δεσπότῃ τηρήσετε
Ἑφθ' ἡμέρας ἄζυμα. καὶ οὐ βρωθήσεται

Cum

Cum igne cadet, & mori faciet homines.
Fructusque peribunt, & quadrupedum corpora.
Tenebras autem ponam diebus tribus totis,
Locustasque mittam, quæ circumcirca frumenta
Omnia absument, & fructuum herbam,
Super hæc omnia filios occidam hominum
Primogenitos: deleboque iniuriam hominum malorum:
Pharao autem Rex patietur nihil eorum quæ dico,
Nisi quòd filius eius primogenitus morietur:
Et tunc perterritus populum dimittet statim,
Ad hæc, dices omnibus Hebræis simul.
Mensis hic vobis primus anni erit,
In quo abducam populum in aliam terram,
Quam promisi patribus vestris.
Dices autem populo omni, mensis quem dico
Nouilunio postquam pascha celebraueris Deo
Priore nocte sanguine tingite ianuas,
Vt transeat signum iratus Angelus.
Vos autem noctu assas comedetis carnes.
Libenter autem Rex emittet totum populum
Cumque iam aufugietis, dabo gratiam
Populo: & mulier à muliere petet
Vasa, ornatumque omnem, quem homo fert,
Aurum & argentum, & vestes, vt
Pro eis quæ fecerunt, mercedem eis soluant:
Cum autem in vestram terram ingrediemini,
A quo die aufugiebatis ex Ægypto,
Septem diebus iter facientes,
Omnes tot diebus morem quotannis
Azyma comedetis, & Deo seruietis,
Primogenita animantia sacrificantes Deo,
Quæcumque pepererint primitus virgines
Mascula aperientia ventres matrum
Virorum Hebræorum hoc mense accipe
Secundum cognationes oues & vitulos boum,
Integra decima, & seruentur vsque ad
Decimum quartum diem: & vesperi
Sacrificantes ossa omnia cum visceribus
Tum comedetis ea cincti.
Et calceos pedibus induetis, & magni
Baculum habentes. Nam ocyus,
Rex iubebit omnes eiicere è terra.
Vocabitur autem quisque, & postquam sacrificaueritis oportet
Fasciculum manibus accipere hyssopi frondis
Et sanguine tingere & tangere postes duos,
Vt transeat mors ab Hebræis,
Hoc festum Domino seruabitis
Septem diebus azyma, neque comedetur.

Ζύμη

Ζύμη· κακῶν γὰρ τῶν δ᾽ ἀπαλλαγὴ ἔσται,
Καὶ τοῦδε μηνὸς ἔξοδον δίδωσι θεός.
Ἀρχὴ δὲ μηνῶν καὶ χρόνων οὗτος πέλει.
Ὡς γὰρ σὺν ὄχλῳ τῷ δ᾽ ἀφώρμησεν δόμων, Ἄγγελος.
Βασιλεὺς Φαραὼ μυρίων ὅπλων μέτα
Ἵππου τε πάσης ἁρμάτων τε τετραόρων,
Καὶ προστάταισι καὶ παραστάταις ὁμοῦ,
Ἦν πᾶσι φρικτὸς ἐκτεταγμένων ὄχλος.
Πεζοὶ μὲν ἐν μέσοισι, καὶ φαλαγγικοὶ,
Διεκδρομῆς ἔχοντες ἅρμασιν πόροις.
Ἱππεῖς δ᾽ ἔταξε, τοὺς μὲν ἐξ εὐωνύμων,
Ἐκ δεξιῶν δὲ πάντας στρατοῦ Αἰγυπτίου.
Τὸν πάντα δ᾽ ἀριθμὸν αὐτοῦ ἠρόμην ἐγώ.
Στρατοῦ μυριάδες ἑκατὸν εὐάνδρου λεώς.
Ἐπεὶ δ᾽ Ἑβραίων ἡμῖν ἤντησεν στρατὸς,
Οἱ μὲν παρ᾽ ἀκτὴν πλησίον βεβλημένοι
Ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἧσαν ἠθροισμένοι.
Οἱ δὲ τέκνοισι νηπίοις δίδουν βορὰν,
Ὁμοῦ τε καὶ δάμαρσιν, ἔμπονοι κόπῳ,
Κτήνη τε πολλὰ, καὶ δόμων ἀποσκευή.
Αὐτοὶ δ᾽ ἄνοπλοι πάντες εἰς μάχην χερὸς,
Ἰδόντες ἡμᾶς, ἠλάλαξαν ἔνδακρυν
Φωνὴν, πρὸς αἰθέρα τ᾽ ἐστάθησαν ἀθρόοι
Θεὸν πατρῷον· πολὺς δ᾽ ἦν ἀνδρῶν ὄχλος.
Ἡμᾶς δὲ χάρμα πάντας εἶχεν ἐν μέρει.
Ἐπειθ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ θήκαμεν παρεμβολὴν,
Βεελζεφῶντις κλήζεται πόλις βροτεῖς.
Ἐπεὶ δὲ τιτὰν ἥλιος δυσμαῖς προσῆν,
Ἐπέσχομεν θέλοντες ὄρθριον μάχην,
Πεποιθότες λαοῖσι καὶ φρικτοῖς ὅπλοις.
Ἔπειτα θείων ἄρχεται τεραστίων,
Θαυματ᾽ ἰδέσθαι. καί τις ἐξαίφνης ἔγας,
Στῦλος νεφώδης ἐστάθη πρὸ γῆς μέγας,
Παρεμβολῆς ἡμῶν τε καὶ Ἑβραίων μέσος.
Κἄπειθ᾽ ὁ κείνων ἡγεμὼν Μωσῆς, λαβὼν
Ῥάβδον θεοῦ, τῇ δὴ πρὶν Αἰγύπτῳ κακὰ
Σημεῖα καὶ τέρατ᾽ ἐξεμηχανήσατο.
Ἔτυψ᾽ ἐρυθρᾶς νῶτα, καὶ ἔσχισεν μέσον
Βάθος θαλάσσης. οἱ δὲ συμπάντες σθένει
Ὥρμησαν, ὠκεῖς ἁλμυρᾶς δι᾽ ἀτραποῦ.
Ἡμεῖς δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῆς ᾠχόμεσθα συντόμως,
Κατ᾽ ἴχνος τ᾽ αὐτῶν νυκτὸς εἰσεδύσαμεν
Βοηδρομοῦντες. ἁρμάτων δ᾽ ἄφνω τροχοὶ
Οὐκ ἐστρέφοντο, δέσμιοι δ᾽ ὡς, ἡρμόσθην.
Ἀπ᾽ οὐρανοῦ δὲ φέγγος ὡς πυρὸς μέγα
Ὤφθη τι ἡμῖν· ὡς μὲν εἰκάζειν, παρῆν
Αὐτοῖς ἀρωγὸς ὁ θεός. ὡς δ᾽ ἤδη πέραν
Ἦσαν θαλάσσης, κῦμα δ᾽ ἐρροίβδει μέγα,

Fermentum:

Fermentum: nam liberamini ab his malis,
Ex hoc mense exitum dabit Deus:
Initium autem mensium, & temporum hîc erit.
Angelus. *Postquam enim cum turba ista prorupit ex ædibus*
Rex Pharao cum multis millibus armatorum,
Omnique equitatu & quadrigis,
Et ducibus & militibus simul
Omnibus metuenda erat acies exercitus.
Pedites quidem in medio, & Phalangitæ
Excursus habentes curruum spatium,
Equites autem locauit, alios à sinistra,
Alios autem à dextra, quosdam ex Ægyptio exercitu:
Omnium autem illorum numerum dican ego
Exercitus myriades centum erant, fortium virorum,
Postquam autem Hebræorum nobis obuiam factus exercitus
Alij iuxta littus, propè iacentes,
Rubri maris, erant congregati.
Alij liberis infantibus dabant cibum,
Simul & vxoribus, & fatigati labore,
Iumentáque simul, & domorum suppellex,
Ipsi autem inermes omnes ad pugnam,
Videntes nos exclamarunt lacrymabilem
Vocem, & ad cælum conuersi innumeri,
Deum paternum: multa autem & hominum turba.
Nos autem omnes gaudium cepit sigillatim,
Deinde contra illos fecimus castra,
BeeZephontis appellatur vrbs à mortalibus.
Postquam autem ingens Sol occidisset,
Quieuimus expectantes crastinam pugnam,
Confisi populo & horrendis armis.
Deinde diuinorum incipiunt miraculorum
Prodigia videri: & aliqua repentè magna
Columna nubis stetit in terra,
Inter nostra & Hebræorum castra.
Deinde illorum dux Moses, accipiens
Virgam Dei, quâ prius Ægypto mala
Monstra & signa machinatus fuerat,
Verberauit rubri terga, & diuisis medium
Profundum maris, ipsi verò omnes fortiter
Ruebant celeres per salsum vadum:
Nosque in ipsos sequebamur statim,
In vestigia ipsorum nocte ingressi,
Cum clamore currentes, curruum autem rotæ
Non vertebantur, tanquam vinculis illigatæ.
De cælo autem lumen tanquam ignis magnum
Videbatur nobis: vt conicere licet, aderat
Ipsis auxiliator Deus. Postquam autem vltra
Mare erant, fluctus illidebat magnus

Συνέργεις ἡμῖν· καί τις ὀλόλαξ ἰδὼν
Φευγομένη οἴκοι προσάθεν ὑψίστου χερός.
Τοῖς μὲν γὰρ ἐς σωτηρίας, ἡμῖν δ' ἀθλίοις
Ολεθρον ἔρδει· καὶ συνεκλύσθη πόρος
Ερυθρᾶς θαλάσσης, καὶ στρατὸν διώλεσε.
Σκοπός. Κράτιστε Μωσῆ προσέσχες οἷον εὕρομεν
Τόπον πρὸς αὐτῇ τῇδε εὐαεῖ νάπῃ.
Εστι γὰρ ὥσπερ καὶ σὺ τυγχάνεις ὁρῶν,
Εκεῖ. τόθεν δὲ φέγγος ἐξέλαμψέ νιν,
Καὶ εὐφροσύνης σημεῖον ὡς στῦλος πυρός.
Ενταῦθα λειμῶνα εὕρομεν κατάσκιον
Υγράς τε λιβάδας. δαψιλὴς χῶρος βαθύς,
Πηγὰς ἀφύσσων δώδεκ' ἐκ μιᾶς πέτρας.
Στελέχη δ' ἐρυμνὰ πολλὰ φοινίκων πέλει
Εὔκαρπα, δεκάκις ἑπτὰ, καὶ ἐπίρρυτος
Πέφυκε χλόη οἷς θρέμμασιν χορτάσματα.
Ετερον δὲ πρὸς τοῖς δ' εἴδομεν ζῶον ξένον,
Θαυμαστὸν, οἷον οὐδέπω ὥρακέ τις.
Διπλοῦν γὰρ ἦν τὸ μῆκος αἰετοῦ σχεδὸν,
Πτεροῖσι ποικίλοισιν, ἠδὲ χρώμασι.
Στῆθος μὲν αὐτοῦ πορφυροῦν ἐφαίνετο·
Σκέλη δὲ μιλτόχρωτα, καὶ κατ' αὐχένα,
Κροκωτίνοις μαλλοῖσι εὐπρεπίζετο,
Κάρα δὲ κοίτης, ἡμέροις παρεμφερὲς,
Καὶ μηλίνῃ μὲν τῇ κόρῃ προσέβλεπε
Κύκλῳ· κόρη δὲ κόκκος ὡς ἐφαίνετο.
Φωνὴν δὲ πάντων εἶχεν ἐκπρεπεστάτην.
Βασιλεὺς δὲ πάντων ὀρνέων ἐφαίνετο,
Ως ἦν νοῆσαι· πάντα γὰρ τὰ πτήν' ὁμοῦ.
Οπισθεν αὐτοῦ δειλιῶντ' ἐπέσσυτο,
Αὐτὸς δὲ πρόσθεν, ταῦρος ὡς γαυρούμενος,
Εβαινε κραιπνὸν βῆμα βαστάζων ποδός.

Λείπει τ' ἄλλα.

Hic vetus Dialogus Ezechielis ἐξαγωγὴ dictus, citatus à Clemente Alexandrino, à multis desideratus, nunc à nobis expendendus nonnihil.

CAPVT XXVII.

Consideratur Ezechielis Dialogus.

IN primis obseruandum est in eo fragmento, quod ex hoc Ezechielis actu transcripsit Clemens Alexandrinus in primo Stromate, nihil desiderari, integrè quippe mutuatum fuit, contra quàm Gentianus, Heruetus, & Gaspar Sanctius censuerunt. Error fuit in versione, & intellectu Gentiani, dum in ea parte, quæ de filia Pharaonis loquitur; sic tandem vnum versum appingit:

Cognouit Hebræum esse, verbaque hac ait.

Nihil

Iuxta nos: & aliquis clamauit videns,
Fugiamus domum ab omnipotenti manu,
Quæ his auxiliatrix est, nobis autem miseris
Perniciem affert. Et inundauit vadum
Rubri maris, & exercitum perdidit.
Explor. *Optime Moses attende, qualem locum*
Inueneri mus iuxta hunc salubrem campum
Vidine vnquam similem huius
Illic? Tunc lumen circumfulsit illum
Et lætitiæ, sicut columna ignis.
Illic campum inuenimus opacum
Humidosque fontes: liberalis locus profundus
Fontes ebulliens duodecim ex vna petra.
Arbores autem multæ palmarum sunt
Fructuosæ septuaginta, & abundans
Est herba iumentis in pabulum.
Aliud autem prætereà vidimus animal nouum
Mirabile, quale nunquam quisquam vidit.
Duplum enim erat longitudine ad aquilam,
Pennis variis & coloribus.
Pectus quidem ipsius purpureum erat
Crura millo similia & in ceruice
Crocea lanugine variatum erat,
Caput autem picæ mansuetæ simile,
Et mellina pupilla aspiciebat.
Circumcirca, pupilla autem sicut granum videbatur,
Vocem autem omnium habuit optimam,
Rexque videbatur omnium auium,
Quantum licebat intelligere, omnes enim volucres simul
Post ipsum timidæ incedebant:
Ipse autem primus tanquam taurus superbus
Ingrediebatur, celerem gressum gerens pedum.

Cætera desiderantur.

Hic vetus Dialogus Ezechielis Ἐξαγωγὴ dictus, citatus à Clemente Alexandrino, à multis desideratus, nunc à nobis expendendus nonnihil.

Nihil deinceps dicit, sed statim sermo transfertur ad Mariam Moysis sororem: quapropter notauit Sanctius, deesse verba filiæ Pharaonis. At reuerà nihil deest, vt constat ex ipso Dialogo; sed illud hemistichium, *verbáque hæc ait*, referendum est ad Mariam, quæ allocuta est filiam Pharaonis, cùm nondum illi filia Pharaonis locuta fuerat, vt consideranti totum contextum satis patebit. Consideratu quoque digna est reuelatio, quam narrat Ezechiel factam Moysi de principatu futuro. Et quidem ex S. Stephano in actis satis colligitur aliquam reuelationem habuisse Moysem, quâ tradita sibi fuit potestas ad vindicandos filios Israel de tyrannide Ægyptiaca; alioqui non excusaretur peccato homicidij, cùm Ægyptium rixantem cum Hebræo occidit. Explicat quoque Ezechiel quo titulo iussi sunt Hebræi spoliare Ægyptios.

Vt pro eis quæ fecerunt, mercedem eis soluant.

Instituendorum etiam septem dierum Azymorum, causam hanc explanat, dicens:

Cum autem in vestram terram ingrediemini,
A quo die aufugiebatis ex Ægypto,
Omnes tot diebus morem quotannis
Azyma comedetis, & Deo seruietis.

Posteà cùm subdat de vaccis:

Quæcumque pepererint primitus virgines.

Aliquando dubitaui, an ad hunc locum allusérit Tertullianus, cùm confirmaturus virginitatem Mariæ allegauit ex Ezechiéle illud de vacca seu vitula quæ peperit, & non peperit: quod proinde est ac Virgo peperit. Etenim non est absurdior hæc coniectura, quam ea in quam Pamelius incidit. Suspicatur siquidem citatum à Tertulliano locum Iobi, capite vigesimo primo, vbi ait: *Vacca peperit, & non est priuata fœtu suo.* Nam, inquit, posset legi ab aliquibus sine negatione, vel alio modo, qui testimonio Tertulliani congrueret. At eâdem licentiâ dicere possemus illa olim verba inserta Ezechieli, mox verò depravaren-tur. Quare Delrius noster in suis adagiis repulit opinationem Pamelij, aliam non ausus exhibere. Præstat dicere id desumpsisse Tertullianum ex simili Ezechielis libro, ac sanctus Matthæus capite vigesimo septimo sumpsit ex Ieremia id quod eiusmodi dictum non reperitur in vaticiniis Ieremiæ, quæ hactenus conseruantur. Explicat deinde Ezechiel centum millia fuisse in exercitu Pharaonico etiam sub transitum maris rubri, rotas Ægyptiorum curruum impeditas ne voluerentur:

Adag. 915 vet. Test.

Cum clamore currentes, curruum autem rotæ
Non vertebantur, tanquam vinculis illigatæ.

Illud animal siue auis, quam in fine describit inuentam in deserto, Auis Phœnix esse videtur, quam, si ita sit, poëtica fortasse licentia introducit sub persona exploratoris; eam autem auem vnicam non extare, in primo libro curiosæ Philosophiæ diximus. Quamuis sanctus Epiphanius in Physiologia, & ante illum Tertullianus libro de carne Christi, ex Psalmis videntur illam adstruere, legentes: *Iustus vt Phœnix, florebit.* & alij ex libro Iob. Hoc accidit propter æquiuocationem Græci nominis, significantis palmam, & auem Phœnicem, quam obseruauit Beda, siue Philippus Presbyter libro secundo expositionum in Iob, in illud: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* In quem locum ita ille: *Nidus eius exterior, homo eius intelligendus est, qui de fœnio carnis illius compositus à Deo fuerat, & constructus. Omnis enim caro fœnum. In hoc igitur nido semper se mori sub testificatione dicebat, dum vitijs mundi, & eius concupiscentiis non viuebat, odio illam habens, qua carnalis est, maculatam tunicam. Palma autem arbor secundum Græcos* Φοῖνιξ *dicitur: Auis quoque illa, quam multi, facilè quidem viuere autumant* Φοῖνιξ *eodem nihilominus vocabulo nuncupatur. Potuit fortasse de eodem hoc loco dixisse, vt sicut illa nidum sibi faciens, in ipso post multa tempora à semetipsa concremari, & rursus de eiusdem nidi cineribus fertur inter breue tempus resurgere, qua deinceps multis viuat temporibus. Fieri ergo potest vt Diuus Iob in similitudinem auis illius dicat se post mortem in carnis cinere, velut in nido pro tempore futurum, & inde resurrecturum in gloriam, atque hos æternos esse dies, quos multiplicandos sibi fidelis Dei cultor expectet: ita enim & superius est loquutus dicens: Et rursus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum.* Verùm fabulosam esse hanc auẽ vnicã sui indiuidui, disertè probauit S. Maximus Martyr lib. contra Seueri dogmata, cuius hæc verba: Εἰ γὰρ ἔστιν ὄρνις ὁ φοῖνιξ, καὶ ζῶον πάντως ἐστὶν· εἰ δὲ ζῶον, ἔστι τοῦτο μὲν οὐ πάντη μοναδικὸν, καθ' ὃ ζῶον, εἴπερ οὐδὲν ζῶον. ἔπειτα δὲ εἰ καὶ ζῶον, καὶ σῶμα ἔμψυχον αἰσθητικόν· εἰ δὲ σῶμα ἔμψυχον αἰσθητικόν ἐστιν ὁ φοῖνιξ, καὶ ὑπὸ γένεσιν ἔστι δηλονότι καὶ φθοράν. αὐτοὺς ἐρωτήσωμεν τοὺς τῆς θιάσωτας, εἰ δυνατόν ἐστι, τὸ τῇ ὑπὸ γένεσιν καὶ φθορὰν ἐμψύχων καὶ αἰσθητικῶν σωμάτων μοναδικῶς ὑπάρχειν καθ' ὑπόστασιν φύσεως, ὧν ἡ ἐξ ἀλλήλων κατ' εἶδος διαδοχὴ ἀΐδιος χαρακτήρ ἐστι, καὶ ὅρος ἐστὶ καθόλου καὶ ἡ θεία μαρτυρεῖ γραφὴ, τὸ βέβαιον δὲ ἑαυτῆς τοῦ λόγου παρεχομένη τῷ δικαίῳ Νῶε, Εἴσελθε σὺ καὶ πᾶς, &c. καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν, &c. (Genes. septimo) οἷς εἴπερ ὡς πλέον ζῶον ὁ φοῖνιξ ἐστὶν ἐναρίθμιος, μονάδι καθ' ὑπόστασιν φύσεως οὐκ ἔστι, κατὰ τὴν θείαν ἀπόφασιν. *Quòd si auis est Phœnix, etiam animal sit, omnino necesse est. Quòd si animal eam esse concedis; Primùm, non omnino potest illud esse singulare, quantum saltem animal est, nullum enim solum animal. Deinde si animal est, vtique corpus, animatum simul, & sensu præditum. Iam si corpus est animatum, & sensu præditum, certè etiam generationi, atque corruptioni obnoxium erit. Ipsos si libet sapientes consule, rerum quæ existunt inspectores, fierine possit, vt generationi quod obnoxium est, atque corruptioni corpus animatum item, ac sensu præditum singularis esse naturæ (ad existentiam quod attinet) possit: cum aliorum in his ex aliis successio, euidentissimum sit existendi indicium, certissimusque terminus. Quemadmodum in Scriptura sacra testatur iusto illi Noëmo*

huius

huius rei certitudinem exhibens, vbi Genesis septimo ait. Ingredere tu, & omnis &c. Itemque ex omnibus volatilibus &c. In quibus si Phœnix, quod alatum ille sit animal numerandus est, sane singularis, quoad existentiam, naturæ non est, vt Deus ipse pronuntiauit. Cumulatissimè aliquandò egimus de hac aue & aliis scriptoribus maturam suppeditauimus segetem.

CAPVT XXVIII.

Susannæ historia an à Daniele conscripta? Exponitur vsus paranomasiarum in sacra scriptura

DANIELIS librum Porphyrius olim, & nuper Anabaptistæ negarunt esse scriptum ab eo Daniele, cuius historia narratur & prophetiæ traduntur in eo libro. Verùm ab ipso authore libri, ipso inquam Daniel satis hæc opinatio refellitur, qui capite octauo ait: *Anno tertio Regni Balthasar Regis visio apparuit mihi.* Et rursus capite nono: *Anno vno Regni eius ego Daniel intellexi in libris numerum annorum.* Sæpius eodem modo loquitur, vbi scriptorem se eius libri profitetur. Nec obest aliquando de se ipso tanquam de tertia persona scripsisse: nam hic mos visitatus est Hebræis vt constat ex libris Mosis, Iosue, Samuelis, & aliis Prophetis. Lamech quoque, cum de se ipso loqueretur ait: *Audite vxores Lamech.* Et rursus: *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies.* Quod aliqui obiectant fuisse quemdam Danielem cuius mentio, & commendatio bis extat apud Ezechielem, tum à sanctimonia, tum à sapientia; hunc autem esse scriptorem eius libri, cui nequaquam competunt, quæ de eo cuius historia texitur narrantur: ille videtur induci pater filiorum; hic Eunuchus & puer, frigida sunt; nam qui puer fuit, potuit crescere. Deinde Eunuchus non natura sed officio fuit Daniel; aut saltem virtute, vt censuit Epiphanius, Dorotheus, & Chronici Alexandrini auctor Olympiade septuagesima, qui propter virginalem verecundiam, & corporis habitum ad honestatem compositum Eunuchum ab Hebræis dicunt appellari; quibus etiam suffragatur Damascenus, qui pariter affirmat ob reuerentiam castitatis leones illi pepercisse. Neque proinde alius est qui ab Ezechiele laudatur; neque enim negauit Danielem virginem fuisse. Duntaxat siquidem dixit: *Si fuerint tres viri isti Noë, Daniel, & Iob in medio populi istius, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: filios autem & filias suas non liberabunt.* At hæc verba satis commodè intelligi queunt subaudita hac conditione, etiamsi filios haberent Noë, Daniel & Iob, non tamen sufficerent parentum preces, vt indemnes euaderent liberi. Prætereà dici potest, quoniam duobus conueniebat habere filios, quasi de tribus id pronuntiasse per figuram quam Græci σύλληψιν vocant.

Cæterum alij fatentur ipsum Danielem suæ historiæ & prophetiæ fuisse scriptorem, non tamen omnium eius partium; quoniam aliquas canonicas negarunt: Excludunt potissimum historiam de Susanna propter illam paranomasiam; quæ tantum esse potuit in Græca lingua; in qua certum est non scripsisse Danielem. Vbi enim nos habemus, *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi? qui ait, sub schino. Dixit autem Daniel, rectè mentitus es in caput tuum: Ecce enim Angelus Domini scindet te medium.* Allusio est ab arbore, ad diuisionem, & sectionem. Est etenim similitudo magna inter σχῖνος arborem, & σχίζω, quod scindere valet, seu diuidere: & inter πρῖνον, quod statim additur, & πρίσει, quod scindere item, & serrare significat. Hæc verò allusio in vna lingua Græca repetitur. Hoc ipsum obiecerat olim Iulius Africanus Origeni; cui respondet Origenes adhibuisse quidem Danielem vocem aliquam siue Hebraicam, siue Chaldaicam, in qua similis esset, & elegans allusio. Quod vt magis illustret Gaspar Sanctius obseruat frequentes in Scriptura sacra esse paranomasias, id est, agnominationes, seu allusiones ad ambiguam, seu similem vocem, quam si tollas, & lepor perit, & quod dicitur videri potest absonum, absurdum, & abs re. Ex quo fit, vt Sacer interpres in sensum potius intentus quàm in verba, aliud interdum verbum assumat, quàm habuit in fonte. Sic in Ieremia capite primo vox שקד *Saked* nucem aut amygdalum significat; item vigiliam, maluit Hieronymus vigilantem vertere, quam nuceam, vel amygdalinam, cum statim sequeretur verbum שקד quod *vigilare* valet. Quæ enim esset consecutio, aut lepos, si diceret: *Virgam nuceam ego video,* & responde-

tet Deus *Bene vidiſti, quia vigilabo ego.* Quid nuci, aut amygdalæ cum vigilante commune? At eſt conſecutio, & lepos non inelegans in dictione Hebraica, quæ nucem, & quæ vigilare ſignificat. Ac ſi dicat, vidi ego virgam שקד *ſacked* & reſpondeat Deus: Ego שקד *ſaked*. Item idem Hieronymus Iſaiæ vigeſimo quarto ne periret agnominatio, quæ erat in vocum ſimilitudine, vbi Hebræus הבלה נבלה *habelah nabelah*, id eſt, *luxit, & cecidit*, ipſe reddidit, *luxit, & defluxit.*

Hinc fit vt quædam abſurda videantur & obſcura, quia voces originales aliquid habent, quod verba non poſſunt exprimere Latina, qualia ſunt quæ modò de virga nucea, ſeu amygdalina dicebamus, & illud Pauli epiſtolæ ad Philemonem de Oneſimo: *Qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem, & mihi, & tibi vtilis.* Oneſimus *vtilem* ſignificat: cum fugit Oneſimus ſeruus à Philemone, non fuit illi vtilis, quod ſonabat nomen, ſed inutilis. Iam vero Apoſtoli doctrinâ mutatus, & meliora cogitans vtilis erit. Ait ergo Apoſtolus: Qui tibi ô Philemon, Oneſimus non fuit, deinceps & tibi & mihi erit Oneſimus. Quid magis abſurdum, aut à prudenti coniectura alienum, quàm ex *pane*, ſi vocem intuearis Latinam, coniectare gladium, cum nihil videatur aduerſari magis ferro, ac cædi quàm panis, qui non adimit, aut debilitat, ſed potius alit, & corroborat vitam. At ex pane, quem ſocius in ſomnis viderat Iudicum ſeptimo, coniectauit Madianita ferrum inſtare: *Non eſt*, inquit, *hod aliud niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian.* Coniectauit autem optimè Madianita, ex ambigua nominis ſignificatione: nam לחם *lechem* panem ſignificat, & bellum, ex ea coniunctione non naturæ, ſed vocis, & ſoni, quæ vtrumque valet, coniectauit inſtare Madianitis cædem, & gladium à Gedeone. Si quod eſſet Latinum nomen, quod panem, aut cibum & ferrum, aut cædem modico flexu ſignificaret, illud, credo adhibuiſſet interpres: ſed cum non occurriſſet, vſus eſt ea voce Latina, quæ magis adæquabat Hebraicam, ſi pro *pane hordeaceo*, panem adhibuiſſet *farreum* ex vocis ſimilitudine magis appareret coniecturæ ratio: à farre enim ad ferrum non eſt magna diſſimilitudo. Hæc optimè Sanctius, & propterea putat Græcum interpretem voces adhibuiſſe, non quæ omnino Hebraicis, aut Chaldaicis reſponderent; ſed quarum in alio idiomate ſenſus eſſet non diſſimilis, & ſimilis alluſio. Nam cum Hebraicè, aut Chaldaicè (vtraque enim lingua in hoc libro vſus eſt Daniel) alluſio eſſet ad arbores, quæ durum aliquod mortis genus indicant. Græcus interpres ſumpſit *Schinum*, & *prinum*, quæ, teſte Hieronymo, præfatione in Danielem lentiſcum ſignificant, & ilicem, quæ alluſio neſcientibus Græcè obſcura eſt. Quod ſi Latinus interpres, quod fortaſſe poſſet, arborum adhibuiſſet nomina, quæ aliquid durum, atque horribile portenderent, res eſſet manifeſta magis; & aliquid dixiſſe videretur Daniel, quod cum duorum ſenum reſponſione congrueret: neque exiſtimaretur ab his, qui Græci ſermonis imperiti ſunt, abſurdè, & ſine vlla rerum connexione locutus: quemadmodum ſi *malum* poſuiſſet, & *prunum*. Tunc enim accommodatè ad nominum communem ſonum intuliſſet, dixiſſetque ſenum alteri, *malè peribis*, alteri vero, *prunis concremaberis*. Verum quia hæc reſponſio videtur nonnihil obſtare ſimplicitati veritatis in Græca & Latina verſione, in quibus arbor pro arbore ad libitum transferretur, præſtat dicere, quod Cornelius à Lapide, & Tirinus, licet nullam nunc agnoſcamus Hebraicam alluſionem, cum paucas habemus voces Hebraicas, neque alias quam quæ in Bibliis extant: potuit tamen olim fuiſſe, cum hæc primùm ſcriberentur, cum multo plures extarent voces Hebreæ iam nobis prorſus ignotæ. Deinde, eſto non fuerit in Hebræo eiuſmodi vocum alluſio, vti nec iam eſt in Latino inter *prinum* & *ſecare*: potuit tamen Græcus interpres Hebræa fideliter, & ad verbum conuertens, eiuſmodi paronomaſiam in Græcis vocabulis inuenire, vti inuenit Latinus in *Schino* & *ſcindet*. Non eſt opus moras nectere de authoritate huius hiſtoriæ, & cæteris ſupplementis Danielis, vt de oratione Azariæ, de Cantico trium puerorum, de Dracone occiſo, de Sacerdotibus Bel, & de Abacuch ad lacum Leonum ex Iudæa tranſportato. Canonica conſtat eſſe ex concilij Tridentini ſeſſione quarta. Porrò non reperiri ea capita in Hebræo parum obſtat, quominus Hebraicè ſcripta à Daniele dicamus; multa quippe Hebraica volumina amiſſa ſunt. Clariſſimè conſtat Eccleſiaſticum Hebraicè ſcriptum eſſe: at vbi eſt, neſcimus, Græcum poſſidemus.

CAPVT

CAPVT XXIX.

An Belis historia fuerit composita ab Abacuch, non à Daniele? An diuersus Daniel, & diuersus Abacuch fuerint & cur Daniel vocetur sacerdos?

Circa historiam Belis potest esse difficultas, an à Daniele, vel Abacuch Propheta fuerit scripta? Eusebius, & Apollinarius iunior arbitrantur ad prophetiam, & gesta Danielis Prophetæ de tribu Iuda, quæ in sacro canone habentur, nihil prorsus pertinere, sed partem esse cuiusdam historiæ seu Prophetiæ, quam de alio quodam Daniele sacerdote, filio Abdæ, scripsit Abacuch filius Iuda de tribu Leui diuersus ab eo, qui inter duodecim Prophetas anoumeratur. Quam rem confirmant ex titulo & initio historiæ Belis, quod apud septuagiota interpretes ponitur ad eum, qui sequitur modum. Προφητεία τοῦ Ἀββακοὺμ υἱοῦ τοῦ Ἰησοῦ, ἐκ φυλῆς Λευί. id est. *Prophetia Abbacum filij Iuda de tribu Leui.* Post quem titulum libri exordium sic incipit Ἄνθρωπός τις ἦν ἱερεὺς ὀνόματι Δανιὴλ, υἱὸς τοῦ Ἀβδᾶ, συμπότης τοῦ Βασιλέως τῆς Βαβυλῶνος. *Homo quidam fuit sacerdos nomine Daniel filius Abda conuiua Regis Babylonis.* Hæc refert Hieronymus in Proœmio Danielis, & ex illo alij. Ex quo constat & Abacuch istum non esse è Prophetarum numero, cum ille dicatur ab Isidoro, Dorotheo, & Epiphanio, ex tribu Simeonis; hic verò de tribu Leui: & cum Daniel iste fuerit filius Sabaæ, vt docet Epiphanius, & ex tribu Iuda, hic tamen filios dicitur fuisse Abdæ; & ex tribu Leui, quandoquidem sacerdos. Sed huic obiectioni satis, vt credo, facit communis auctoritas, quæ contra sentit. Hieronymus, & com eo alij plures respoodent, ideo ab Ecclesia pro translatione Septuaginta, Theodotionis translationem esse receptam. Certè cuiuscunque titulus ille sit, in nostris Biblis non reperitur. Verum tametsi admitteremus verba illa Septuaginta, congruerent omnia: quoniam dici posset patrem Danielis duo nomina habuisse pro more plurium Hebræorum. Deinde Danielem vocari Sacerdotem: quia præcipuus Princeps fuit in aula Regia. Inuenimus siquidem in scriptura aulicos Principes Sacerdotes vocari: capite octauo secundi Regum dicitur: *Filij autem Dauid Sacerdotes erant*; cum tamen essent ex tribu Iuda, dicebantur tamen Sacerdotes; non quia sacra operarentur, sed quia præcipui in aula erant, vt notant interpretes: sic etiam capite vigesimo: *Ira autem Iairites erat Sacerdos Dauid.* Chaldaicè est *erat Princeps.* Quippe erat inter primos maximè familiares Regi Dauid, & in quarto capite tertij Regum dicitur *Zabud filius Natham Sacerdos amicus Regis.* Sumitur quippe Sacerdos pro præcipuo ex aula, qui familiaris Regi est, cuique velut ad latus adest; idcirco vbi in secundo Regum dicuntur filij Dauid Sacerdotes, in primo Paralipomenon, capite decimo octauo dicitur magis explicatè *filij Dauid erant primi à manu Regis.* Causam cur Principes aulæ vocentur Sacerdotes hanc reddit Forerios: *Quia Reges pro Diis habentur in terris, & ita in scripturis appellantur, factum est, vt transferretur hoc Sacerdotis nomē ad eos qui Regi erant à secretis, & familiares per quos Regis voluntas aliis manifestabatur & Rex consulebatur.* Hoc præstitit Daniel in aula Chaldaica, in qua quantum Principatum habuerit, postea exhibebimus. Itaque non propterea quod Sacerdos appelletur diuersi Danieles sunt fingendi. Quoad Habacuch attinet, an idem fuisset, an diuersus, qui inter minores Prophetas accensetur, & qui Danielem in Leonum Laco visitauit, parum refert ad nostrum institutum, cum non sit necesse eum affirmare authorem huius historiæ; quandoquidem idem Daniel non diuersus fuerit. Imò quamuis diuersus fuisset Daniel, non erat opus Belis historiam Abacuch adscribi. Nec maior ratio est, cur hoic potius quam alteri Danieli tribueretur. Verum ne nihil de illo dicamus, quamuis Sanctus Hieronymos Dorotheus, & Epiphanius, Pererios, Hector Pintus, & Tirinus putent vnum tantum fuisse Abacuch: nihilominus Genebrardus, Ribera, Torniellus, & Sanctius duos esse dicont eiusdem quidem nominis; at ætatis diuersæ, vtrumque Prophetam, non eiusdem vtrumque tribus. Ille enim qui inter duodecim numeratur, mortuus est biennio antequam captiuus populus ab exilio rediret, vt putant Epiphanius, Dorotheus, Isidorus, & Chronicum Alexandrinum: hic vero licet Propheta

fuerit

fuerit, fuit tamen longè poſt, nempe aliquot annos poſt captiuitatem, quo tempore acciderunt, quæ capite decimo tertio Danielis ſcribuntur. Cæterum quæ olim circumlata fuere Danielis Prophetæ ſomnialia, hoc eſt ſcripta, in quibus traditur ſuperſtitioſa ſomniorum interpretatio, qualis ea eſt, quam Artemidorus Græcus author, ſcripſit, Chriſtianis interdicuntur in decretis Pontificiis cauſa vigeſima ſexta, quæſtione ſeptima, capite: *Ne obſeruetis.* Diuus Athanaſius in Synopſi Danielis Prophetæ Apocryphum librum ſine nomine reprobat: quem alij hanc ipſam ſomniorum interpretandi artem eſſe putant: alij verò Danielis ſupplementum, hoc eſt, hymnum trium puerorum, Suſannæ hiſtoriam & Draconis Belei narrationem, reclamante tamen ipſo Athanaſio, qui auctarium illud inter canonicas ſcripturas collocat, ac nominatim recenſet, vt Sixtus Senenſis notat, & conſtat ex Tridentino decreto. Alterius libri Danieli adſcripti ſic meminit Luitprandus in legatione ſua: *Habent Græci & Sacraceni libros quos ὁράσεις ſiue viſiones Danielis vocant; ego autem Sibyllinos, in quibus ſcriptum reperitur quot annos Imperator quiſque viuat, quæ ſint futura eo imperante tempora, pax an ſimultas, ſecundæ Saracenorum res, an aduerſæ.*

CAPVT XXX.

An Præfectura Prætorij donatus fuerit Daniel? Eius Præfecturæ auctor Ioſeph Patriarcha exhibetur?

DVBIVS iſte ſermo inſtituendus eſt de principatu Danielis in aula Chaldæa & Perſica, vt inde amplius explicatum linquamus, cur Sacerdos ob poteſtatem politicam ſit dictus. Quoniam ſi Præfecturam Prætorij ageret, eam Sacerdotium vocauit Caſſiodorus in ſexto ſuarũ variarum libro, formula tertia dicens, *quoddam Sacerdotium eſt Præfectura Prætoriana competenter agere dignitatem.* Summa quidem hæc poteſtas, & principatus erat: videtur quidem eadem dignitate donatus Daniel à Balthaſare aut Dario, & Cyro, ac Ioſeph fuerat à Pharaone decoratus ac fortaſſe poſtea Aman ab Aſſuero elatus, vt ſecundus poſt Regem fuerit, totiuſque imperij adminiſtrandi arbiter. Porro Principatus Ioſephi ſimillimus fuit illi dignitati, quę poſtea apud Romanos dicta fuit Pręfectura Prætorij, vt propterea eius Præfecturæ auctorem Ioſephum prædicarit Caſſiodorus: eius verba, quibus omnem huius Principatus potius quam Magiſtratus poteſtatem explicuit, hæc ſunt: *Si honoris alicuius eſt origo laudabilis, ſi bonum initium ſequentibus re-*
lib 6. var. form. 3. *bus poteſt dare præconium, tali auctore Præfectura Prætoriana gloriatur, qui & mundo prudentiſſimus, & diuinitati maxime probatur acceptus. Nam cum Pharao Rex Ægyptius de periculo futuræ famis inauditis ſomniis vrgeretur, nec viſionem tantam humanum poſſet releuare conſilium, Ioſeph, vir beatus, inuentus eſt, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentiſſimè ſubueniret. Ipſe primum huius dignitatis infulas conſecrauit: ipſe carpentum reuerendus aſcendit, ad hoc gloriæ culmen euectus, vt per ſapientiam conferret populis, quod præſtare non potuerat potentia dominantis. Ab illo namque Patriacha, & nunc pater appellatur Imperij. Ipſum hodiéque reſonat vox præconis inſtruens iudicem, ne ſe patiatur eſſe diſſimilem. Merito, vt cui tanta poteſtas potuit dari, videretur ſemper ſubtiliter admoneri. Quædam enim huic dignitati, & nobiſcum iura communia ſunt. Exhibet enim ſine præſcriptione longinquos, magna quantitate mulctat errantes, fiſcum pro ſua deliberatione diſtribuit, euectiones ſimili poteſtate largitur, vacantia bona proſcribit, delicta prouinciarum Iudicum punit, verbo ſententiam dicit. Quid eſt, quod non habeat commiſſum, cuius eſt vel ipſe ſermo Iudicium? Pene eſt, vt leges poßit condere, quando eius reuerentia poteſt negotia ſine appellatione finire. Ingreſſus palatium noſtra conſuetudine frequenter adoratur: & tale officium morem videtur ſoluere, quod alios potuit accuſare. Poteſtate igitur nulla dignitas eſt æqualis. Vice ſacra vbique iudicat. Nullus ei miles de fori ſui auctoritate præſcribit, excepto officiali Magiſtri Militum: credo vt vel illis aliquid antiquitas cederet, qui videbantur pro Republica bella tractare. Curiales etiam verberat, qui appellati ſunt legibus Minor Senatus. In Officio ſuo ius retinet ſingulare, & talibus, tantiſque noſcitur iubere, quos etiam Prouinciarum non audeant iudices in aliqua parte contemnere. Officium plane genitatum, efficax, inſtructum, & tota animi firmitate præualidum: qui ſic peragent iuſſa, vt nullis morentur di-*

lationibus

lationibus imperata. Militia perfunctis Tribunorum, & Notariorum honorem tribuit, & milites suos illis exæquat, qui inter proceres mixti, nostris conspectibus obsecundant. Gratanter implemus, quæ ille constituit, cuius reuerentia & nos ita constringimur vt sine dubitatione facta mus, quæ illum decreuisse cognoscimus. Non immeritò quando palatium suâ prouisione sustentat, seruientibus nobis procurat annonas, humanitates quoque iudicibus ipsis facit. Legatos gentium veraces explet ordinationibus suis. Et licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab ista totum penè geritur, quicquid in imperio nostro æquabili moderatione tractatur. Eundem Principatum mox vocat sacerdotium: *& curarum omnium pulcherrimam molem.* Eâdem fermè authoritate videtur vsus Nestor apud Agamēnonem, illū propterea vocauit Dion Chrysostomus oratione quinquagesima sexta: *Principatus procuratorem*, seu *tutorem virum*. Eadem dignitas nuncupatur à Zozimo: ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα, *altera post sceptra*, siue *secunda post Imperatorem*, Sicut & Abbas Cellensis dixit, *secundum post Regem*, Herodianus locutus de Prætorij Præfecto libro tertio ait: *ad potentiam magnam euexit in immensum, locupletauit tantum, non imperio quoque participato.* Eunapius in Prohæresij vita loquens de Anatolio: *Cùm in Præfectum Prætorio euexit, éstque ea Præfectura Principatus, & imperium sine purpura.* Procopius libro tertio de bello Persico, illum vocat ὕπαρχον τῆς αὐλῆς, *Præpositum aulæ*: Ideo dictus est Præfectus Prætorij, quia erat super domum Principis, quæ sola Prætorium dicebatur in vrbe, de quo videri potest Alciatus de verborum significatione. Hæc dignitas sapientissimo, prudentissimóque concedebatur, vt testatur Arcad. Charisius libro de officio Præfecti Prætorij dicens: *Credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam explorata etiam fide & grauitate ad eius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia & luce dignitatis suæ quam ipse.* Quam sententiam trāscripsit Iustinianus ad titulum vndecimum libri primi Digestorum. Quæ omnia quantoperè congruant dignitati, qua Iosephus à Pharaone donatus est consideranti, quæ in quinquagesimo primo Genesis capite dicuntur, patebit. *Dixit ergo ad Ioseph, quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es. Numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Vno tantum Regni solio te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Iosephum: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem aureum circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genua flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.* Ecce Præfecturam domus Regiæ, secundum esse post Pharaonem arbitrum publicæ totius Regni administrationis, omnia inquam Prætorianæ sæculis posterioribus apud Romanos Præfecturæ in vno Iosepho pridem collata. Ipse quoque Iosephus carpento, hoc est, curru Regio vectus. Alij enim magistratus sella curuli vehebantur. Præfecti tamen Prætorij carpento: de his Iustinianus nouella septuagesima ait: *magno promeriti honore, & in carpentis vecti, & in clamores præconum audientes.* Confirmant summum insigne Prætorianæ Præfecturæ esse carpentum Suetonius, & Xiphilinus in Claudio, cuius honorem promissum Messalinæ sic scribit Dio libro quinquagesimo octauo: *Sedes primas, quas & Liuia quondam tenuerat, & carpento vehi Messalinæ promiserant.* Vopiscus illud vocauit iudiciale carpentum; idcirco Imperatores lege prima de officio Vicarij dixerunt: *Iudicationis nostræ soleat repræsentare reuerentiam.* Eundem honorem innuit Herodianus libro tertio dicens: *Ensem præterea gestabat, cæteraque omnia supremæ dignitatis insignia solus.* Quæ Dauid Psalmo centesimo quarto cecinit de Iosepho, in Præfectura Prætoriana elucent: *Constituet eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum.* Quibus verbis videtur etiam ipsemet Pharao, quodammodo fieri Iosepho subiectus, quod prorsus præstiterunt insignes Imperatores Prætoriano Præfecto, qui erat velut ipsius Principis pater, & instructor, imo & animaduersor. Dionis verba quæ Zonaras & Xiphilinus in Traiano transcribunt, hæc sunt: *Traianus Suram Liuinium ad Præfecturam Prætorianam promoturus gladiumque quo eum ob dignitatem accingi oportuit præbiturus vagina eduxit, atque ipsi porrigens: accipe, inquit, gladium, vt eo si bene imperauero, pro me; si male in me vtaris.* Hoc factum videtur respexisse Plinius in Panegyrico, vbi introducit Trajanum sic loquentem: *Ego quidem in me, si omnium vtilitas ita posceret, Præfecti manum armaui.* Quidam apud Herodianum Philosophus dixit in scena Commodo Imperatori:

Ceruicibus tuis imminet gladius perennis.

CAPVT XXXI.

Pater Pharaonis dictus fuit Iosephus, quia Præfectus Prætorij, qui idem erat, ac Pater Regis.



B hanc latissimam potestatem etiam in Principem quasi animaduertendi non immeritò pater Regis & Imperatoris, seu Imperij dictus est Præfectus Prætorij, quod genus officij non semel indicatur in sacris literis, & ex Iosepho deductam hanc appellationem vsque ad regnum Gothorum in Italia notat Cassiodorus, dum de Præfecto Prætorij ait: *Ab illo namque Patriarcha, & nunc pater appellatur Imperij.* Hoc patris nomen sibi tribuit Ioseph capite quadragesimo quinto, cùm dixit: *Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac Principem in omni terra Ægypti.* In capite etiam quadragesimo primo, vbi dicitur: *Clamante Pracone, vt omnes coram eo genu flecterent.* In Hebræo est: *Clamauerunt ante eum Abrech.* Quæ vox, pater Regis significari dicitur à multis. Sic habet vterque Paraphrastes Chaldæus, & Hierosolymitanus. *Ab* enim pater est, *Rech*, lingua Syriaca, vel Ægyptia, Rex significari fertur, & *Richa* in Syro-Chaldaico dictionario pro Rege ponitur. Alij volunt significare patrem tenerum; quod probat sanctus Hieronymus in traditionibus Hebraicis, cuius ad hunc locum verba sunt: *Aquila transfert, & clamauit in conspectu eius adgeniculationem. Symmachus ipsa Hebraica verba retinens, ait, & clamauit ante eum Abrech. Vnde mihi videtur, non tam adgeniculatio, quæ in salutando, vel adorando Iosepho accipi potest, intelligenda, quàm id quod Hebræi tradunt, dicentes: Patrem tenerum ex hoc sermone transferri. Ab quippe pater dicitur, Rech delicatus, siue tenerrimus significante Scriptura, quod iuxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, sed iuxta ætatem tenerrimus & puer.* At non videtur hoc tollere, quin nomen Pater appellet supra Regem, quemadmodum notat Thargum Hierosolymitanum vtramque significationem complexum. Sic ait: *Et ecce præconizabant coram Ioseph, & dicebant: Viuat Pater Regis, qui est Princeps in sapientia, & tener in annis.* Inuenimus quoque apud Persas eum qui similem principatum obtinuit patrem Regis vocari. Ipse Rex Artaxerxes in epistola missa ad Principes Prouinciarum, super cæde Iudæorum ait: *Aman qui omnibus prouinciis præpositus est, & secundus à Rege, & quem Patris loco colimus.* Quapropter nomen officij erat, vt qui postea Prætorij Præfectus dictus fuit, antè diceretur Pater Regis, imò videtur penè eadem nomina olim apud Ægyptios & Orientales, ac mox apud Romanos, & Occidentales retinuisse. Olim Ioseph factus fuit super domum Regis, hoc autem est Præfectum Prætorij esse. Prætorium siquidem est domus Regis. Idem administer dictus, posteà fuit pater Imperij, vt testatur Cassiodorus. At hocidem est quod olim pater Regis. Hoc omne confirmat Alexander Imperator scribens ad Sabinum, cuius verba extant in lege *ex Diui Antonini* codice de locato, vbi ait de Præside Prouinciæ locutus: *Si maiorem animaduersionem exigere rem deprehenderit, ad Domitium Vlpianum Præfectum Prætorio, & parentem meum reos remittere curabit.* Clarissimè Præfectum Prætorij vocat Imperator patrem suum. An autem Hiram hoc officio functus fuisset apud Salomonem dubitari potest; nam in secundo Paralipomenon, capite quarto dicitur pater Salomonis. Suspicor honoris causa huiusmodi appellatum; quoniam apud Regem Tyri aliquod officium eiusmodi appellatum haberet; nam capite secundo eiusdem libri scribit Rex Tyri Salomoni: *Misi tibi virum prudentem, & scientissimum Hiram patrem meum.*

CAPVT

CAPVT XXXII.

Qualem Principatum obtinuit Daniel apud Balthasarem & Darium.

An Darij epistola capite 6. Danielis, canonica sit?



HÆc quæ de Iosephi principatu præmisimus, sternunt viam, vt quid simile de Daniele cogitemus, similem nimirum Prætorianæ Præfecturæ magistratum & dignitatem gessisse, de quo scribitur quinto capite: *Iubente Rege indutus est Daniel purpurâ, & circumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno eius*; cum honoris morem pridem Ægyptij, deinde Babylonij, Medi, & Persi habuêre. Dan. 5. Cornelius nepos in vita Datamis ait: *Optimâ veste texit Thyam, quam Satrapæ Regij gerere consueuerant, ornauit etiam torque, atque armillis aureis, cæteróque Regio cultu.* Pronuntiatur Daniel tertius in Regno, proximus scilicet à Rege & Regina, hoc est, *secundus post sceptra*, vt Zozimus loquitur. Quòd si tertius in Regno dictus Daniel fuerit, vt sancto Hieronymo placet, quoniam Tristata, seu triumvir designatus fuerit, hoc est, vnus ex tribus primis Regni Principibus eius Imperij, nihilominus secundum à Rege, & super omnes Regni Satrapas & Principes constitutum credo à Dario, vt nihil minus haberet Prætoriana Præfectura: quippe initio capitis sexti Danielis dicitur: *Placuit Dario, & constituit super Regnum Satrapas centum viginti, vt essent in toto Regno suo, & super eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt Satrapæ illis redderent rationem, & Rex non sustineret molestiam. Igitur Daniel superabat omnes Principes & Satrapas; quia Spiritus Dei amplior erat in illo. Porrò Rex cogitabat constituere eum super omne Regnum.* Hanc cogitationem Regis dubio procul executioni mandatam censeo. Cùm enim Satrapæ malis dolis conarentur ab auctoritate sua, & Darij gratiâ Danielem deiicere, atque captioso Regis edicto extorsissent in lacum leonum mitti, eòque manente inter leones illæso ipsi in eundem lacum coniicerentur. Non est ambigendum tunc amplioribus honoribus auctum à Rege fuisse Danielem, atque tunc fecisse quod anteà cogitarat Darius. Indicium huius gratiæ est decretum ipsius Darij Regis, vt omnes agnoscerent, & timerent Deum Danielis; quam epistolam, ipsum puto Danielem dictasse, aut scripsisse, & magno iam apud Darium principatu & honore supremo donatum misisse; idem enim de hac Darij epistola dicendum est, ac de epistola Artaxerxis dictata etiam, aut scripta à Mardochæo. Par ratio est de edicto Cyri in regressu captiuitatis.

Hunc supremum Danielis honorem apud Regem indicant quoque illa capitis decimi quarti verba: *Erat autem Daniel conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius.* Fateor controuersum esse. Quis fuerit iste Rex? Sanctus Athanasius sermone contra Arrianos quarto, videtur velle Astiagen esse. Verùm Astiages nunquam Babylone regnauit. Probabilius S. Irenæus & Theodoretus malunt esse Cyrum aut Darium. Hanc sententiam aliqui reiiciunt; quoniam Principes Persæ Solem colebant, non Belum; quapropter Xerxes sepulchrum Beli prorsus destruxit, vt Strabo tradit At non mirum si in Beli adorationem Strab. lib. traxissent Babylonij Sacerdotes Darium tot fraudibus, quibus vitam Dei sui simularunt: 16. tum etiam vt voluntatem Babyloniorum sibi conciliaret initio sui principatus potuit in hac Religionis parte annuere illis, inductus ratione aliquâ politicâ. Magis mihi difficile videtur, quod ausi fuissent Babylonij à Dario & Cyro subacti mortem illis intentare. Verùm Religionis vires & audaciam addit. Quod nisi hoc placeat, posset dici hunc Regem fuisse Euilmerodach, qui magno illo honore ob eximiam virtutem & sapientiam habuit pridem Danielem. Porrò, quòd dicatur super omnes amicos Regis honoratus Daniel, intelligendum est super alios Consiliarios, & maximos Imperij ministros. Amicus Regis nomen officij erat, vt colligitur ex officiis aulæ Dauid. In primo Paralipomenon, capite vigesimo septimo dicitur *Chusai Arachites amicus Regis.* & in quarto capite tertij Regum numeratur *Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis.* Neque nomen Sacerdotis hîc notat, vt iam obseruauimus, ministerium sacrum, sed officium, & dignitatem aulicam. Siquidem pater Zabud Nathan non erat Sacerdos, nec de genere Leuitico. Sic etiam Daniel à

Ioann. Ensc̄b. de Orig. S. Script.

Septuaginta dictus est Sacerdos, qui & amicus Regis erat honoratus super alios eius amicos, & magistratus Imperij ob dignitatem politicam, quâ donatus fuerat. Fortasse etiam socer Ioseph Putiphar, proinde dictus fuit Sacerdos ob Præfecturam, & Præsidentiam in magistratus Heliopoleos, vt nonnullis placuit, indignum existimantibus duxisse Iosephum hominem sanctissimum vxorem filiam Putiphar superstitioni paternæ assuetam, si idolorum Sacerdos Putiphar fuisset.

CAPVT XXXIII.

Vtrùm tres Pueri memoriter recitarint Canticum ab alio compositum?

Memorantur plura cantica à multis pariter repentè prolata.



CIRCA trium Puerorum canticum illud explorari oportet, à quo fuerit compositum, an posterius, vel antiquius Daniele, & ipsis tribus pueris. Gaspar Sanctius primùm visus est hanc quæstionem mouisse, sed olim eam video tactam, in qua Polychronius inficiatur à tribus pueris esse compositum, qui ad verba illa: *Benedicite omnia opera*, hæc scribit: *Sciendum est, hunc hymnum non haberi in Hebraicis, aut Syriacis libris; fertur autem ex iis, quæ dicta sunt, à quibusdam posteà compositum esse.* Itaque docere videtur, hymnum istum incerti esse Auctoris, & tempore tribus pueris posteriori, ex versibus præcedentibus, hoc est à versu quinquagesimo secundo ad quinquagesimum septimum pertextum fuisse, & sigillatim magis creaturas ad Dei laudes prouocatas. Verùm hæc sententia probanda non est, cùm canonicus scriptor Daniel coæuus eorumdem trium puerorum narret illum hymnum à pueris decantatum; & à veritate deficeret, si ab alio posteriori authore editus fuisset. Plus fulcit Sanctius contrarium prorsus placitum. Verisimilius quidem, mihi autem non certum dicit, canticum istud iam antè à Iudæis cantari solitum in gratiarum actionibus, sicut à nobis plerumque fit, cùm te feliciter gesta, quasi legitimè cantamus illud Augustini, atque Ambrosij canticum: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* In quam cogitationem idcirco inducitur, quia multa, inquit, video apud Hebræos antiquos carmina, quæ tamen in ordinem redacta non sunt, quæ planè iacerent nunc in obliuione, nisi à quibusdam certis in locis essent repetita. Duo cantica videmus ab Esaia repetita, quæ tamen ab eo composita non sunt, seu potius vnius cantici duas partes, alterum capite quinto, vbi ipse docet alienum esse canticum: *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ suæ*, &c. Quod canticum est contra vineam infidelem, & ingratam. Alterum de grata, atque fideli vinea capite vigesimo septimo: *In die illa vineæ meri cantabit ei: ego Dominus, qui seruo eam.* Neque est incredibile canticum illud, quod habetur Isaiæ capite duodecimo, ab alio quàm ab Isaia fuisse compositum ad laudandum Deum pro singulari aliquo beneficio. Esse solemne aliquod & quasi legitimum canticum ad agendas gratias, argumento est Psalmus centesimus decimus septimus, seu Psalmus centesimus trigesimus sextus, aut alij qui idem habent initium, quem cecinerunt captiui, Esdræ libro primo, capite tertio: *Et concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam in æternum misericordia eius.* Et clarius secundo Paralipomenon quinto: *Ita vt cùm Deum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, impleretur domus Dei nube.* Quod etiam fecêre tres hi pueri, vt habes in fine Cantici. Sic videtur habuisse olim alia cantica Hebræos, quæ in agendis gratiis in templo concinerent: quale videtur Sanctio esse, quod in fornace pueri modulati sunt, quod quia Hebræis fuerat familiare, memoriter ab his saltem, qui bono essent ingenio, & ad pietatem exculto tenebatur. Adicit Sanctius aliam coniecturam suo iudicio non leuẽ, quia eodem filo, & eodem, vt apparet, concentu cecinerunt Pueri quosdam alios versus, qui in Ecclesia à trium Puerorum hymno distrahuntur, quotum aliqui illi tempori, atque statui, in quo tunc erat res Iudaica, opportuni non erant. Nam cùm loca numerarentur, vbi diuinæ personabant laudes, numeratur templum, quod tunc euersum erat; neque in eo audiri poterant exultantium, atque laudantium voces: deinde quia sedere dicitur super Cherubim, quod simili dicendi genere sæpius arcam indicat,

dicat, propitiatorium, & duos Cherubim, inter quos sedere dicitur Deus, & reddere responsa, Ita putat Theodoretus, & Dionysius dicit ita aliquibus placuisse. Quod verò eo in loco templum Solymitanum sit, docet Euthymius, & Theodoretus; & Dionysius ex aliorum sententia. Obseruat postea idem Sanctus plurima, eorum, quæ in hoc Cantico scripta sunt in Dauidicis Psalmis, licet alio ordine, ac modo, variè esse dispersa, & eo fortasse ordine ab his adolescentibus carptim esse collecta, quo deinde à Daniele prodita sunt. Quod si ita est, illud etiam videtur non improbabile ab aliis etiam tam in templo, quàm extra in agendis gratiis solere cantari.

Censeo nihilominus id Canticum ab ipsis pueris fuisse simul compositum, & iisdem pariter inspiratum, non memoriter recitatum, non tantum, quia eorum nuncupetur, inscribatutque nomine, sed quia notantissimè obseruet textus sacer, tanquam rem notatu, & miratu dignam, tres pueros quasi ex vno ore illud protulisse. *Tunc*, inquit, *hi tres quasi ex vno ore laudabant.* Quoniam si memoriter Canticum vulgare, & notissimum protulissent, quid erat opus hoc notare, & quid mirum esset, cum passim hoc accidat, plures qui didicerunt idē Canticū vno ore illud decantare, nec est necesse obseruare vno ore à multis profundi. Odoratus Sanctus hanc difficultatem, eius solutionem præuenit, dicens, quasi vno ore cecinisse Carmen hoc Eucharisticum tres adolescentes id est, iisdem verbis, iisdē numeris, eodē concentu. Quod sanè sine miraculo non videtur fieri potuisse: miraculū verò, vbi res ipsa non vrget, ponere necesse non est. Cur autē hîc debeant multiplicari miracula, quando ad laudandum Dominum satis est vnum ex antiquis Canticis adhibere? Verùm cum Deus tam admirandus voluit ostendi immunes ab ignibus seruans adolescentulos, non est mirum miracula credere, cum indicentur à sacro textu, cum maximè similia miracula, & aliqua minori cum occasione in sacra repræsentantut pagina: nam iuxta Sanctum Augustinum, vniuersus Israel vno ore inspiratus à Deo concinuit Canticum Eucharisticum post transitum maris Rubri, quod in Exodo continetur. Moyses quoque & Iosue videntur simul, vnôque ore pronuntiasse pari spiritu acti Canticum *Audite*, quod in Deuteronomio habemus. Saul quoque & milites eius in Choro Prophetarum vno ore meinuêre diuinas laudes, quod indubitatum est. Barach quoque, & Debbora pariter videntur cecinisse Canticum illud, quod in quinto Iudicum capite habetur, tempore quoque Dauidis in cantu Psalmorum hoc videtur accidisse, & fortasse filij Core hoc modo composuêre aliquot Psalmos, de quo iam egimus. Nec mirificentius hoc est, quàm quod accidit septuaginta interpretibus qui vno calamo, vno spiritu sacram scripturam verterunt. Quapropter non est opus innouare aliquid circa authoritatem Cantici trium Puerorum, nec eorumdem extenuare affectum, & spiritum, cum sanctissimi fuerint. Accedit his authoritas aliquorum Patrum, & potissimum Chrysostomi Sermone de tribus pueris, quem cum aliis non male notatis producit noster Lanselius. Is Sanctus Doctor, postquam elegantissimè ostendit, quomodo singula horum puerorum membra, ob peculiares singulorum membrorum operâ præstitas virtutes, ab igne, qui Chaldæos vicinos combussit, illæsa perstiterint, à nobis stare videtur, quando dicit. Ἐντεῦθεν λοιπὸν ἀγγελικὴν χορείαν ὡς ἀληθῶς συνεστήσαντο, καὶ τὸν Θεὸν ὑμνεῖν οἱ τρισμακάριοι παῖδες καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν, τήν τε ὑπερκόσμιον, καὶ τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς θεωρουμένην, εἰς ἕνα χορὸν ὑμνῳδίας συνήγαγον. verto: *Hinc postea Angelicam choream verissime constituerunt, Deinque beatissimi pueri decantarunt, & omnem creaturam, tum eam, quæ supra mundum sita est, tum eam quæ oculis cernitur, ad vnū chorum decantationis hymni congregarunt.* Quibus sanè verbis docere videtur hoc Canticum ab ipsis tribus pueris in ipsa fornace compositum fuisse. Aliud argumentum ex ipsamet scriptura eruitur: nam inferius versu octogesimo octauo: *Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino &c.* Quem versum exponens Sanctus Chrysostomus in sermone nominato, quærit: Cur quandoquidem hi tres pueri comprehensi fuerint in ordinibus creaturarum ad Dei laudes per hoc Canticum excitatis, siquidem ipsi erant *filij Israel*, erant *serui Domini*, erant *sancti & humiles corde*, sibi ipsis dixerint *Benedicite Domino.* Respondet, causam fuisse, ne ob miraculum quod contigerat, dum illi in medio fornacis adeo accensæ illæsi ignem conculcarunt, aliqui ex Chaldæis ipsos Deos appellare auderent, quinimo adorare potius quàm ignem, quo superiores euaserant. Idcirco inquit μηνύουσι τὴν ἑαυτῶν δουλείαν, καὶ ὁμολογοῦσι τὴν προσκύνησιν, λέγοντες· Εὐλογεῖτε Ἀνανία, &c. *Declarant suam seruitutem, & confitentur adorationem dicentes: Benedicite Anania &c.* Qui integrum huius Sancti Patris, ac Doctoris de tribus Pueris Sermonem considerarit, aduertet illum interpretationem suam ex præsente rerum statu, id est, Chaldæorum idololatria, & trium puerorum fortitudine, ac grati in Deum animi significa-

tione confirmare. Eadem fuit Sancti Hieronymi, & Augustini sententia. Existimo igitur, ex sola Versuum inter se connexione, manifestum esse tres pueros in ipsa fornace Hymnum hunc ὑμνῳδικὸν composuisse, etsi pluribus aliis rationibus idem euinci possit, nimirum ex communi Ecclesiæ sensu, & Doctorum opinione. Non ibo tamen infitias, hemistychia aliqua ex Psalmis accepta: sed numquam mihi persuadebo, alium esse Cantici totius Auctorem præter illos tres pueros, inquit Lansellius, qui adiicit alia vt contraria diluat obiecta, sed opus non est protrahere moras.

CAPVT XXXIV.

An Daniel, & tres Pueri Martyres fuerint?

OPPORTVNE nunc quærendum est, an Daniel & tres pueri Martyrij illuxerint aureola, vt obiter arrepta hinc occasione quibusdam criminatoribus faciam satis, qui aduersum nos inuecti sunt; quoniam ad Martyrij gloriam violentiam mortis reipsa toleratæ necessariam non censuimus. Hoc quippe contra Danielis Martyrium iactatur, scilicet, non constare violentum exitum pro Dei honore passum: eadem de tribus pueris ratio est. Nihilominus multi eos Patres ob Martyrij gloriam commendant: Tertullianus Scorpiaci capite octauo, hæc de tribus pueris habet: *O Martyrium, & sine passione perfectum. Satis passi, satis exusti sunt, quos propterea Deus texit, ne potestatem eius mentiri viderentur. Nam & Danielem, nullius præter Dei supplicem, & idcirco à Chaldæis delatum, ac depostulatum, statim vtique conclusa & vsitata feritas Leonum deuorasset, si Darij digna præsumptio de Deo falli debuisset.* Similiter Sanctus Cyprianus epistola quinquagesima octaua: *Non in tribus pueris minor fuit martyrij dignitas, quia morte frustrata de camino ignis incolumes exierunt: aut non consummatus Daniel extitit in suis laudibus, quia qui in leonibus missus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confessoribus Christi dilata martyria, non meritum confessionis minuunt, sed magnalia diuinæ protectionis ostendunt.* Egregiè quoque Sanctus Augustinus adiungens exemplum Ioannis Euangelistæ in sermone quodam ait: *Non quia Ioanni Apostolo passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit. Non est passus, sed potuit pati. Præparationem eius Deus nouerat: quemadmodum tres pueri arsuri missi sunt, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos vrere non potuit? Interroga ignes, passi non sunt. Interroga voluntatem, coronati sunt. Potens est enim Dominus (dixerunt) eruere nos de manibus tuis. Sed etsi non: sunt ibi certa pectora, & stabilis fides, vbi virtus inconcussa, ibi victoria secura, sed etsi non: notum tibi sit Rex, quoniam statuam quam statuisti, non adorabimus: Aliud Deo placuit: Non arserunt, sed ignem idololatriæ in animo Regis extinxerunt.* Quoad Danielem attinet initio eius vitæ pronuntiauit Tirinus: *Laurea Martyrij ipsi deneganda non est qui ob eximiam pietatem & zelum honoris Dei, bis missus est in lacum leonum etsi miraculo inde illæsus euaserit.* Hoc idem confirmatur Scholasticorum suffragiis qui mortis violentiam ad Martyrum aureolam haudquaquam necessariam expetunt, sed id mortis periculum vnde non naturali, non humana vi eripi patiens queat, quamuis diuina euaserit potentia incolumis. Noster Franciscus Suarez tomo tertio in tertiam partem sic docet: *Etiamsi homo posset vti ratione & libertate vsque ad instans mortis, verisimile est per gratiam Martyrij in eadem gratia confirmari, ita vt vel peccare non possit, vel infallibiliter amplius non peccet, quod perinde est quantum spectat ad effectam gloriæ consequendæ. Dices: ergo si talis homo aliqua via mortem euaderet, maneret confirmatus in gratia toto tempore vitæ. Respondetur, causam esse naturaliter impossibilem, quia supponimus gratiam non dari, donec mors est naturaliter ineuitabilis. Si autem miraculosè Deus vellet hominem conseruare, postquam ad illum statim peruenit dici potest, tunc non dari illi homini effectum Martyrij, quia Deus præuidet non fore Martyrium in illo homine consummandum. Quod tamen mihi non admodum placet. Tum quia non est mihi verisimile Deum priuare hominem effectu gratiæ suæ propter miraculum, quod in eo vult operari. Tum etiam, quia non est, cur dicamus de ratione Martyrij esse, vt mors nullo modo impediatur, & non satis esse pati vsque ad mortem naturaliter ineuitabilem: nam per huiusmodi passionem æquale testimonium fidei redditur. Quod si miraculum intercedat, adauget testimonium, non minuit. Virtutes etiam fidei, fortitudinis, & aliæ æqualiter exercentur. Concedo ergo tunc etiam dari gratiam homini ratione illius passionis, & confirmari in illa saltem pro ea occasione, aut*

serm.106. de diuers. cap.4.

pro

pro eo tempore, quo naturaliter posset viuere. An vero pro reliquo vitæ tempore maneret etiam in gratia confirmatus incerta res est. Nam cum hoc sit præter legem, non videtur comprehensum sub communi priuilegio Martyrij: Nihilominus tamen piè credi potest nunquã Deum esse miraculosè liberaturum Martyrem ab huiusmodi morte, quin illũ in gratia confirmet: quia & hoc donum est valde consentaneum dignitati martyrij; & quia cum Deus tunc miraculosè reuocet (vt sic dicam) illum hominem à paradisi ianua, illumque detineat, nec beatitudinem accipiat, quam statim esset infallibiliter consecuturus, valde consentaneum est prouidentiæ eius vt eum confirmet in acquisito iure Beatitudinis. Idem censuit Viguerius quoad necessitatem violentæ mortis, quam necessariam indicat, cuius hanc exhibet rationem capite decimo quarto institutionum Theologicarum: *Præseruatio autem Dei non abstulit meritum, & per consequens nec præmium mortis. Aureola Martyrij datur perfectissima victoria de impugnatione exteriori à mundo, quæ est quando quis obtinet victoriam de morte, & præparatis ad mortem.* Non dixit dumtaxat *de morte*, sed addidit etiam *præparatis ad mortem*, quoniam si iam morte ita præparata sit naturalibus & humanis causis, vt dubio procul secututa sit, tametsi re ipsa ob miraculum non accidat, sed impediatur, Martyrij gloriam in hac præparatione consummari putauit. Idem capite sexto de Martyrio in initio pro eadẽ sententia alios laudat, *quia vt dicunt specialis Dei præseruatio non tollit meritum, neque præmium.* Nunnus Cabezudo in tertiam partem postquam definierat Martyrij gratiam ante mortem concedi, hæc sibi obiicit: *Deus potest miraculosè conseruare vitam, ergo tunc non erit Martyrium, siquidem non sequitur mors, atque adeo non iustificatur. Respondetur, Probabile esse, quod tunc sit Martyrium atque adeo quod homo sit iustificatus etiam cum sola attritione.* Rutilius Benzonius libro secundo in Magnificat capite vigesimo secundo dubio octauo post medium: *Sufficit ad Martyrium vulnera accepisse lethalia, ex quibus naturaliter mors sequeretur, nisi miraculum vel alia quacumque ratio obstet.* Henriquez libro vltimo de fine hominis, capite similiter vltimo: *Vbi est gloriosius Martyrium & præstantior aureola: hac debetur ei, qui pro Christo recipit valnus, aut tormentum, quod de se sufficiens sit occidere, si eam gratiam conseruet vsque ad mortem, quamuis diligentissima curatione, aut per miraculum euaserit, vt Ioannes Apostolus in dolio olei ardentis missus fuit Martyr.* Sotus in quarto: *Si manifestè constaret solo supernaturali miraculo fuisse post tale vulnus seruatum si cuim hoc euidens esset fortasse haberetur pro Martyre; postquam illa tanquam mors naturalis reputaretur.* Lessius de fortitudine Martyrij gradus enarrans: *Secundus* inquit: *Cum Martyrium completum est ex parte causæ proximæ*, & subdit: *hoc enim censendum verum Martyrium, etiam si contingat mortem diuinitus impediri.* Tannerus tomo quarto, disputatione quarta, quæstione tertia: *ad Martyrium omne requiritur, tum vt mors, vel re ipsa inferatur, vel certe quantum est ex vi tormentorum naturaliter ac necessario sequutura fuisset, nisi diuinitus fuisset inhibita, quia beneuolentia Dei eripientis miraculosè hominẽ à morte, nemini nocere debet.* Theophilus Raynaudus parte secunda de Martyrio per pestem cap. I. *Si tamen tormenta & ærumnæ ad inferendam de facto mortẽ naturaliter sufficissent, tantumq, diuina manus miraculo hominem exemisset à morte, non deberet censeri abesse Martyrij decor; quandoquidem tum demum perspicuè proditur, non stetisse per hominem, quominus Christo pro nobis mortem passo mortem rependeret.* Postea addit: *Omnes igitur, qui admotis naturalibus mortis causis, sunt seruati diuinitus, neque Martyrio defuerunt ipsi, neque propriè ipsis defuit Martyriũ, quamuis mortis consecutio præter naturæ leges diuinitus fuerit impedita.*

tom. 3. in 3 p. disp. 29. sect. 3. in fine.

In eadem existimatione est noster Spinellus, capite vndecimo de Beata Virgine: Meratius tractatu de Baptismo disputatione vndecima, sectione duodecima sub finem, confulciens sententiam Francisci Suarez: idem supponit Vvendelinus Stambacchus, siue Gabriel in supplemento, plurimique Beatam Virginem Martyrem affirmantes: namque per violentam mortem à Tyranno inflictam sublata non fuit Beatissima Deigenitrix. Nihilominus eam Martyrem pronuntiant Sanctus Antoninus, supplementum Gabrielis, Viguerius, Rutilius Benzonius, Spinellus locis citaris. Quoniam Virgo Maria eum dolorem in morte filij sui passa est, vt nisi diuinitus seruaretur dubio procul expiraret, quemadmodum Sanctus Anselmus obseruauit libro de excellentiis Virginis capite quinto, ibi considerans illud Simeonis vaticinium: *Tuam ipsius animam pertransiuit doloris gladius*, sic effatur: *qui maior fuit omnibus doloribus. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum leue fuit aut potius nihil comparatione tuæ passionis. Quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et vtique pia Domina, non crediderim te potuisse vllo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse spiritus vitæ dulcissimi filij tui, pro quo moriente conquerebaris, & tantopere torquebaris, te confortaret.* Idcirco, vocat Virginem Mariam Martyrem, quo eodem honore,

nore, & nomine celebratur à Sancto Hieronymo Serm. de Assumptione, Sancto Bernardo sermone signum magnum, Sancto Ildephonso sermone secundo de Assumptione. Quam similiter Sanctus Ephrem vocauit *decus Martyrum.*

Eadem ratione vtitur Tannerus ad Sanctæ Teclæ Martyrium comprobandum: Eadem quoque probat Lessius Sanctum Ioannem Euangelistam Martyrem, quod eleganter disseruit Sanctus Gregorius libro tertio Dialogorum, vbi ait: *Duo sunt Martyrij genera, vnum in occulto, alterum quoque in publico. Nam & si persecutio desit exterius, martyrij meritum in occulto est, cum virtus ad passionem prompta, flagrat in animo. Quod enim esse possit, & sine aperta passione Martyrium, testatur in Euangelio Dominus qui Zebedæi filiis adhuc præ infirmitate mentis, maiora sessionis loca quærentibus, dicit: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Cui videlicet cum responderent, possumus; ait vtrisque: calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis. Quid autem calicis nomen, nisi passionis poculum signat? Et cum nimirum constet, quia Iacobus in passione occubuit, Ioannes vero in pace Ecclesia quieuit: incunctanter colligitur esse & sine aperta passione Martyrium quando & ille calicem Domini bibere dictus, est, qui ex persecutione mortuus non est.* Porro Sancti Ioannis martyrium colligitur ex capite vigesimo Matthæi, vbi promisit Christus: *Calicem meum bibetis* prout ad eundem locum confirmant Lyra, Hugo, & Sanctus Thomas, in Catena, à quo & Hieronymus citatur. Beda in caput decimū Marci, S. Chrysostomus homilia prima in Ioannem, Petrus Damianus Sermone de S. Ioanne, S. Bernardus sermone quodam de festis post Natiuitatem Domini. S. Gregorius homilia in Euangelia præter locum Dialogorum nuper productum, Eusebius libro tertio historiæ. Denique Ecclesia in festo Sancti Ioannis ante portam Latinam id confirmat, & Martyris officio hunc Euangelistam concelebrat.

Sanctus Felix similiter Nolanus Episcopus in Breuiario Romano Martyr habetur, & vocatur, & Ecclesia ipsi assignauit Martyris officium, tametsi per violentam mortem ereptus non fuerit, vt constat ex Martyrologio Romano decima quarta Ianuarij die, vbi dicitur: *Cessante persecutione cum vita exemplo ac doctrina multos ad fidem Christi conuertisset clarus miraculis in pace quieuit.* Nihilominus propter ineuitabilia mortis pericula vnde nisi per miraculum euasit, Martyrij gloria donatur. Semel enim per Angelum liberatus fuit, & iterum eo modo quo in Breuiario narratur: *Cùm is iterum idolorum cultores impietatis argueret, facto in ipsum impetu, fugiens, in angusto duorum parietum interuallo se occultauit, qui aditus cum repente aranearum telis prætextus visus esset, nemini recentis latebræ suspicionem reliquit.* Hoc scilicet miraculo elapsus morte fuit, & postea in pace quieuit. Nihilo secius Martyr est habitus.

Hæc satis ne nos temerè aliquid pronunciasse liqueat, sed quod à Patribus pronuntiatum pridem, ab Scholasticisque admissum, quorum non pauci laxius quàm nos de Martyrio censuêre: quippe etiamsi aliis causis quàm per miraculum eripiatur morte, qui Christum confitetur iudicarunt Martyrem. Sic Rutilius Benzonius, & noster Enriquez locis iā citatis: quæ sententia videtur probari auctoritate Ecclesiastica, propter nonnullos, qui nec mortem passi fuerunt; nec è morte per miraculum asserti, & tamen Martyres habentur, vt S. Hyginius, qui in Martyrologio Martyr prædicatur, talisq; habetur à Baronio, cum autem pacificè obiisse auctoritate S. Damasi probant Onuphrius & alij. Latior quoq; quam nostra opinio est sententia Angelici Doctoris, qui nec requirit ad Martyrij gloriam mortem violentam, nec miraculū per quod Martyr euadat incolumis, nec mortale vulnus, nec eudens periculum vitæ. Eius verba in quarto sententiarū distinct. 4. quæst 95. articulo 5. hæc sunt: *Si ex vulnere mortali suscepto non moriatur aliquo casu contingenti, vel etiam vulnera non mortalia susceperit, & adhuc carcerē sustinens moriatur, adhuc aureolā meretur. Vnde & quorumdā sanctorū Martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt aliquibus verberibus longè ante susceptis, sicut patet de Marcello Papa. Qualitercumq; igitur afflictio propter Christum illata vsq; ad mortē continuetur, siue mors inde sequatur, siue non, aliquis Martyr efficitur, & aureolam meretur.* Notari debent illa verba *qualitercumq; afflictio.* Item: *Siue mors inde sequatur, siue non.* Consideranda quoq; est ratio, quæ S. Doctorē impulit ad hoc assertum, vt scilicet sensui Ecclesiæ se accommodaret, quæ nonnullos Martyres iis dumtaxat vt videtur conditionibus percelebrat. Tum illa ratio Diuū Thomam potuit mouere, quæ alios mouit Scholasticos; quoniā per ipsos non fterit violentā morte nō esse sublatos, quod non minus quadrat iis, qui per miraculū euidens mortis periculū euaserūt. Magis quoq; nostra constringitur sentētia, quàm qui Martyres per miraculū morte liberatos cēsuēre in gratia cōfirmari ad reliquū vitę tēpus, quod censuerūt Suarez, Meratius & alij. Nō itaq; absurde, nō laxè, nō singulariter nostrā de Martyrib. sententiā pronūtiauimus.

IOANNIS



IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII DE ORIGINE SACRÆ SCRIPTVRÆ, LIBER VNDECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

An Christus Dominus scripserit in terra? Et quid scripserit?

Explicatur locus Ioann. 8.



DICTVRI nonnihil de codicibus Testamenti noui, inquiramus prius quid author ipsius Testamenti scripserit, Deus & homo Christus IESVS? Quatenus Deus, iam diximus tabulas legis scripsisse; præterea tota natura liber quidam à Deo conscriptus estitum & diuinus Spiritus per omnes hagiographos & Prophetas conscripsit: ipse quoque Dei Filius, qui Sapientia & Verbum Patris est ab Apostolo Ioanne dicitur liber scriptus intùs & foris; quippe in illo legantur, id est, videantur, quæ in Deo sunt, & quæ extra Deum, hoc est, Creatorem, & creaturas. Rectè quoque aliqui interpretantur hunc librum incomprehensibilem Dei memoriam, quam & Propheta Dauid, & Moses præsignarunt, ille quidem cùm diceret: *In libro tuo omnes scribentur.* Hic autem, cùm ait: *Aut parce populo, aut dele me de libro, quem scripsisti.* Portò intus & foris scriptum est, ita vt intus quidem scripti dicantur, qui sunt ex Hierosolymis, tanquam Dei cultores; foris autem, siue à tergo, & à deteriori parte, qui ex gentibus. Sanctus Thomas: Liber, inquit, est diuina scientia, siue Dei notitia de his quæ facere disposuit Deus; vnde & in dextera ponitur, quia per dexteram operamur. Scriptus est intus, quoad Dei notitiam; cui totus liber plenè cognitus est; Foris prout hominibus dispositio diuini ordinis statuto tempore componenda reuelatur. Potest aptè quidem Verbum Dei liber significari, quia permanet; quoniam non est vt verbum humanum, quod transit voce tenus probatum, seu vt scriptura, quæ perdurat, atque in hoc potius est simile verbo scripto, quàm pronuntiato; quatenus hominē quoque in Euangelio Ioannis legimus in terra scripsisse Filium Dei, scilicet in pauimento Hierosolymitani templi non calamo, aut stylo, sed suo ipso digito, qui olim diuina præcepta lapideis tabulis inscripserat. Huius scripturæ occasionem Ioannes in octauo sui Euangelij capite refert his verbis: *Adduxerunt ad IESVM Scribæ, & Pharisæi mulierem, in adulterio deprehensam, & statuentes eam in medio, dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit huiusmodi lapidare. Tu verò quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. IESVS autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cùm autem perseuerarent interrogantes, erexit se, &*

dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat: & iterum se inclinans, scribebat in terram. Hæc S. Ioannes. Quærendum in primis est, an aliquid reuerà Christus scripserit quod alphabetarijs literis significarit. Euthymius, qui solus de Græcis mulieris adulteræ historiam explanauit, nihil arbitratur scriptum à Christo, sed duntaxat ab eo simulatum scribentis gestum & actionem, quod frequenter facere solent, qui respondere nolunt importuna, indignáque rogantibus. Cognitâ enim illorum machinatione, fingebat se in terra scribere, nec his attendere, quæ dicebantur; vt dum ipse illos non respiceret, erubescerent lenius redarguti; vtque ita in scribendo occupato, liceret eis sensim abscedere antequàm manifestius condemnarentur: nam suâ summa benignitate etiam ipsis parcebat. Rabanus ait voluisse Christum hoc scribendi gestu significare eos, qui feminam accusabant, dignos esse, vt in terra scriberentur vnà cum his, de quibus dicit Ieremias capite decimo septimo: *Domine, omnes à te recedentes, in terra scribentur.* Impij enim non scribuntur in cælo scripturâ sempiternâ, sed in puluere pauimenti, vt citò sculptura, & memoria ipsorum pedibus prætereuntium, protrita euanescat. Potest hæc sententia inde fulciri, quod pauimentum templi incapax scripturæ esset totum lapidibus stratum. At cùm Euangelista clarè dicat scripsisse Christum, non est cur veram scripturam inficiemur exactam; poterat quippe in marmoreo pauimento Christus scribere, quamuis non efformando characteres, dum scribendo aliquid significaret. Quemadmodum visi sunt nonnulli muti, qui docti fuêre legere & scribere in aëre quæ dicturi erant, si loqui possent. Vicissimque qui cum illis loquuntur, digito scribendo se explicant illis, manente quidem sensu, quamuis characteribus euanescentibus. Deinde potuit Christus in puluere pauimenti marmorei scribere, imò in ipso saxo exprimere literas; confirmat veram Dei scriptionem, quod in nonnullis Græcis codicibus habetur, digito scribebat in terra μὴ προσποιούμενος, hoc est, *non fingens*, quoniam verè scribebat, & significabat aliqua. Cæterum hoc ipso quod Christus in saxo pauimento scripserit, mysterium agnouit Augustinus tractatu trigesimo tertio in Ioannem, vt significaretur legem Moysis, quam illi produxerant, digito Dei scriptam fuisse, sed in lapideis cordibus Iudæorum. In quarto de consensu Euangelistarum libro, cap. 10 alias affert causas, inter eas, vt significaret illos in terra scribendos, non in cælo, sicut Discipulis dixerat, nomina vestra scripta sunt in cælis.

Verùm quid primò se in terram inclinans scripserit, & quid secundò neque Euangelista aperit, neque promptū est cuiquam definire. Ambrosius tamen in duabus ad Studium epistolis suspicatur, Christum primò inclinatum exarasse in pauimento sententiam quandam Ieremiæ, videlicet, *Terra scribe hos viros abdicatos*, vt his verbis ostenderet tentatores illos iam esse à Deo abiectos, & inter reprobos, quorum nomina non in cælo, sed in terra scribuntur computata. In secunda verò inclinatione conijcit Christum scripsisse illam à se aliàs prædicatam sententiam: *Festucam quæ in oculo est fratris tui, vides; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides.* Beda putat eum semel, atque iterum scripsisse eandem illam sententiam, quam tunc ore protulerat; nempe, *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat*, ac si diceret: Puniatur peccatrix, sed non à præuaricatoribus legis. Haymo existimat eum notas quasdam in solo delineasse, quibus quisque accusantium suis oculis propria conspiciebat scelera, & menti obiecta cernebat. Et S. Hieronymus libro secundo contra Pelagianos, ait: *IESVS inclinans se, digito scribebat in terra, eorum videlicet, qui accusabant, & omnium peccata mortalium secundum quod scriptum est in Propheta, recedentes à te in terra scribentur.* Noster Iacobus Tirinus putat scripsisse Christum sententiam aliquam, quæ peccata eorum argueret; verbi gratiâ: VOS ADVLTERAM AD MORTEM EXPETITIS, ET IPSI MAIORA SCELERA PATRATIS. Hæc placita sunt circa IESV Christi scriptionem.

Illud tandem quæri potest, vt meum sensum aperiam, an Pharisæi diffugerint ob id quod Christus scripserat. Cardinalis Toletus ait id certè negari non posse, nempe illos non propter ea quæ scripta erant, aufugisse, sed propter verbum dictum eis: nam Euangelista subiunxit, *Audientes hæc vnus post alium, abijt*, quod probat, non propter scripturam, quæ non auditur, sed propter verbum recessisse. Verùm si propter solum verbum IESV Christi recessissent, cur vnus post vnum recedebant, & non omnes statim, ac audierunt illud? Præterea cur opus erat iterum se inclinare, & scribere? Postquam enim dixit illud: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat*, addit Euangelista: *Et iterum se inclinans scribebat in terra.* Post hæc tamen, hoc est, dum secundâ vice Christus scribebat, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, qui scilicet proximius Christo aderant, & priùs viderant scripturam illam. Igitur postquam Christus primâ vice scripsit,

scripsit, quæ prima scriptura fortasse fuit idem quod postea pronuntiauit: *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Cùm huic scriptioni non attendissent Pharisæi instanter interrogantes, eam Christus pronuntiauit. Deinde rursus se inclinauit, & scripsit iterum, quod credo sic miraculosè, vt diuersi diuersa legerint quæ cuique congruebant; velut enim Apostoli aliquando diuersis linguis sic prædicarunt; vt eadem Apostolica vox diuersè diuersis insideret pro diuersitate nationum. Et quemadmodum de sancto Francisco Xauerio Indiæ Apostolo proditum est, vno responso diuersissimis quæstionibus Brachmanorum faciebat satis; aut sicut Hostia miraculosa quæ seruatur in populo Santaren, cùm eadem sit, diuersas figuras obiectat. Sic scriptura Christi singulis potuit repræsentare singulorum peccata, quorum multitudine, & magnitudine pudefacti, cùm iam audissent, *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat;* prout accedebant ad legendam scriptionem Christi, in illam oculos mittentes, recedebant vnus post vnum. Tandem non pigebit hìc apponere, quænam fuerit hæc mulier adultera, ex Iuliani Presbyteri aduersariis, vbi hæc habet: *Ex annalibus Hispanorum Hebræorum collegi, mulierem illam deprehensam in adulterio, coniugem fuisse sento confecti Manasse Hierosolymitani, & vocatam esse Susannam, cuius meminit Epiphanius hæresi septuagesima nona, fuisse feminam sanctissimam Claudiam, & Diuum Iacobum venientem in Hispaniam, secutam esse, ibique remansisse, ac demum iam senem ad Dominum migrasse.* Hactenus ille.

CAPVT II.

An aliud scripserit Christus Dominus?



Testatvr præterea Eusebius libro primo historiæ Ecclesiasticæ, se in publicis Edessenæ vrbis archiuis reperisse epistolam IESV Christi respondentis ad Abgarum, siue Agabarum Regem, vna cum epistola ipsius Abagari Syriacè conscriptam, cuius exemplum hoc est: IESVS NAZARÆNVS, *Abgaro Toparchæ: Beatus es, quia credidisti in me, cùm ipse non videris. Scriptum est enim de me, quia hi qui me vident, non credent in me; & qui non vident me, ipsi credent, & viuent. De eo autem quod scripsisti mihi, vt veniam ad te: oportet me omnia, propter quæ missus sum, hic explere: & posteaquam compleuero, recipi me ad eum, à quo missus sum. Cum ergo fuero assumptus, mittam tibi aliquem ex discipulis meis, vt curet ægritudinem tuam, & vitam tibi, atque his qui tecum sunt, præstet.* Verùm quoniam hæ literæ non reperiantur ab Euangelistis conscriptæ, idcirco Gelasius Papa inter scripta apocrypha adnumerauit; non tamen vt eas omnino proscribat, sicut nec complures alios libros, quos proximè recensuit: fuisse verò absque aliqua dubitatione ab antiquioribus receptas, euidenter testatur epistola Darij Comitis ad sanctum Augustinum, & ante Augustini tempora egregiam de illis habuit mētionem sanctus Ephrem, ipsiusmet ciuitatis Edessæ Diaconus, in eo opusculo, cuius est titulus, *Testamentum Ephrem:* agitque de iisdem Theodorus Studita in epistola ad Paschalem Papam: sed & eandem ipsam, quæ scripta est à Domino ad Abgarum, adhuc temporibus Michaelis Paphlagonis, qui imperium auspicatus est anno Domini millesimo trigesimo quarto, extitisse integram, & in honore habitam, Cedrenus est auctor. Tradit quoque Imperator Constantius Porphyrogeneta in oratione, quam habuit de sacra Christi imagine translatam Edessa Constantinopolim ipsam epistolam, quam Christus Dominus manu propriâ scriptam ad Abgarum misit. Plures ab hæreticis & impostoribus libros sub titulo Seruatoris nostri IESV fuisse editos, non solum Hieronymus in 13. Ezechielis commentario testis est, sed & Augustinus in primo libro de consensu Euangelistarum, affirmat fuisse Gentiles quosdam temporibus suis, qui iactarent se vidisse, ac legisse libros aliquot Christi ad Petrū & Paulum, quos optimè refellit S. August. inter alia ait: *Stultè credis Christum composuisse libros, qui nihil vnquam scripserit, sed tantùm aliis de se scribenda reliquerit, ita exigente ipsius doctrina præstantissimâ sublimitate:* quam nō decebat atramento delebili in caducis chartarum foliis, vel in tabulis sensu carentibus scribi, sed in viuis & sempiternis discipulorum suorum mentibus stylo diuini Spiritus perpetuò duraturam insculpi. Vnde etiam apud Ethnicos nobilissimi Philosophi Pythagoras & Socrates nihil literarum monumentis mandarunt, existimantes inuenisse se perfectissimum docendi modum, si præcepta benè, beatéque viuendi non in paginis scripta, sed in animis auditorum suorum impressa relinquerent. Contra alios Paganos, qui

Cap. 15.

Ioann. Euseb. de Origine S. Script.

exagitabant, quod Christus nihil ad doctrinam attinens scripsisset, idem Augustinus libro primo de consensu Euangelistarum, capite septimo scribit: *Cùm ergo quærunt, quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alij de illo pro suo arbitrio prædicassent. A quibus quæro cur de quibusdam nobilissimis Philosophis suis hoc crediderunt, quod de illis eorum discipuli scriptum memoriæ reliquerunt, cùm de se ipsi nihil scripsissent? Nam Pythagoras quo in illa contemplatiua virtute nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantum de se, sed nec de vlla re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem, quem rursus in actiua, quâ mores informantur, omnibus, ita vt testimonio quoque Dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Æsopi fabulas pauculis versibus prosecutus est, verba & numeros suos adhibens rebus alterius, vsqueadeo nihil scribere voluit, vt hoc se coactum imperio sui dæmonis fecisse dixerit, sicut nobilissimus discipulorum eius Plato commemorat. In quo tamen opere maluit alienas quàm suas exornare sententias. Quid igitur causæ est, cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum literis commendarunt, & de Christo noluit credere, quod eius de illo discipuli conscripserunt? præsertim cùm ab eo cæteros homines sapientiâ superatos esse fateantur, quamuis eum fateri Deum nolint. An verò illi quos isto multo inferiores fuisse non dubitant veraces de se discipulos facere potuerunt, & iste non potuit. Quod si absurdissimè dicitur, credant de illo quem sapientem fatentur, non quod ipsi volunt, sed quod apud eos legunt, qui ea quæ scripserunt, ab illo Sapiente didicerunt.*

CAPVT III.

Quæ sui vestigia descripta reliquerit Christus Dominus?



VONIAM autem genus scripturæ sit pictura, obiter commemorandum est, quod etiam sanctus Ioannes Damascenus libro quarto de Orthodoxa fide, testatum reliquit: *Cùm Abagarus Edessæ Rex, eo nomine pictorem misisset, vt Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem, consequi potuisset, Dominum diuinæ suæ, ac viuificæ faciei pallium admouisse, imaginémque suam ei impressisse.* Cui historiæ adstipulatur etiam Augustinus libro de doctrina Christiana, Nicephorus libro secundo, capite septimo. Et Euagrius libro quarto historiæ Ecclesiasticæ, narrat Edessam vrbem huius sacræ imaginis virtute ab oppugnatione Persarum, & incendio flammarum per eos excitato, mirum in modum liberatam. Idem quoque refertur in quinta actione secundi Concilij Niceni. Adrianus quoque Primus in quadam ad Carolum Magnum epistola scribit huius imaginis historiam receptam fuisse ab Stephano Papa in quodam Concilio Romano, eiusdémque meminêre Vincentius, Baronius, Gualterus, Bothius, & alij. Addit Curopalates Edessenos obsidione grauiter oppressos, eius solutionem ab Imperatore petijsse, pollicitos pretium daturos sanctam Christi effigiem (illam videlicet famosissimam miraculo expressam ipso Christo viuente, & ad Abagarum missam, de qua dictum est) solutâque obsidione traditam esse imaginem, & Constantinopolim maximâ pompâ perductam. Cuius quidem translationis prolixam narrationem Constantinus ipse Porphyrogenitus Imperator (non pater, sed filius eiusdem cum patre nominis, atque etiam cognominis: omnes enim qui nati, purpurâ induebantur, vel in Porphyro palatio nascebantur, Porphyrogeniti dicebantur) contexuit in orationem, quam postea habuit de eadem sacra imagine: quam orationem penè transcripsit noster Gretserus in syntagmate de imaginibus non manu factis. Cum ea icone testatur idem Imperator etiam translatam epistolam ipsam, quam vna cum imagine Christus Dominus propriâ manu scriptam, ad eundem Abagarum misisset. Sed & miraculo Dei voluntatem de eiusdem Constantinopolim translatione declaratam esse, ingentiaque alia miracula ad easdem sacratissimas Reliquias edita, tam in itinere, quàm in vrbe Constantinopolitana, quò delatæ sunt decimo septimo Calendas Septembris: quæ dies ex eo tempore fuit apud Græcos perpetuâ solemnitate consecrata. Denique contigit sub eodem Constantino Porphyrogenito, vt cùm S. Paulus in Latro (à monte, in cuius vertice habitabat, ita nominatus summæ sanctitatis anachoreta) à Photio Patricio ad ipsum ab Imperatore misso, petiisset, vt eidem sanctæ imagini æquale velum lineum applicaret, & ad se mitteret; eo tactu Christi effigies in eo linteo ad amussim expressa fuerit; quod tradit fidelissimus auctor vitæ ipsius sancti Pauli. Cæterùm postea bellis ingruentibus, ipsâque ciuitate

Constantino

Constantinopolitanâ sæpe captâ, & ab hostibus direpta, ac primùm à Catholica communione discissâ; Dei prouidentiâ factum est, vt eadem veneranda imago Romam perlata fuerit, vbi hactenus colitur in titulo sancti Syluestri, quod testantur Spondanus, & Petrus Martyr, Felini, & alij. A nonnullis quoque proditum memoriæ extat ex quibus Carduchius septimo id collegit Dialogo eam imaginem à Christo Domino ad Abagarum missam per Ananiam in itinere iuxta tabulam locatam, ex contactu alteram ipsi tabulæ miraculosè communicasse præuio id significante splendore cum totius cubiculi illustratione. Deinde ipsissimam Christi imaginem iussu Abagari in aditu Edessæ constitutam, vsq; ad nepotem ipsius Regis idololatriæ tabe infectum: is iussit Christi effigiem inde tolli, cuius præcepti conscius Edessenus Episcopus, opposito illam occlusit latere, postque quingentos annos reperta, alteram quoque sui similem effigiem in ipsum transfudisse laterem visa est. Postea iussu Photij Patriarchæ contactum quoddam linteum ipsi Iconi Dominicæ, alteram pariter eius similitudinem contraxit. Porrò & sudarium à Berenice faciei Domini sanguine, & sudore aspersæ admotum, eiusdem Dominici vultus effigiem in se retinuit, sicut habet Christiana traditio, & testatur libellus manuscriptus de translatione eius Romam facta, qui asseruatur in Vaticana Bibliotheca: de qua etiam Berenice, quæ & *Veronica* dicta habetur, deque eadem Christi imagine velo excepta, meminit Methodius Episcopus antiquus Chronographus. Permansit pariter hactenus integra sanctissima Sindon illa, quæ corporis Domini delibuta vnguento in sepulchro posita fuit. Veluti opetimentum & stratum, quæ & in se imaginem in sepulchro Domini iacentis expressit; asseruaturque summo honore in Ecclesia Taurinensi.

Præterea pedum suorum vestigia expressa nobis reliquit Saluator mundi eo loco quo è monte Oliueti eleuatus est in cœlum: Adeo vt cum ea terra quotidie à fidelibus deuotionis ergò hauriretur, nihilominus eadem vestigia pristinum statum continuò reciperent. Denique cum Ecclesia eo loco conderetur, summum tantum cacumen propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi potuit, sed transitus eius à terra ad cœlum vsque patuit semper apertus: & locus vestigiorum continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcumque applicabantur insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora operantium sæpe marmoribus. Habentur quidem hæc egregiè testata apud Hieronymum, Paulinum & Sulpitium Seuerum: atque eodem statu perseuerasse tempore Bedæ post septingentos fermè annos à morte Christi, ipse est testis additque anniuersario die Ascensionis Dominicæ Missa peracta validi flaminis procellam desursùm venire consueuisse, & omnes qui essent terræ prosternere: sed & illa tota nocte lucernas ardere, vt non illustrari tantum, sed & ardere mons & supposita loca viderentur. Meminit etiam de iisdem Christi vestigiis Optatus Mileuitanus. De quibus olim Zacharias prophetasse videtur cum dixit: *Stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Secundum cuius modi situs rationem, eam consuetudinem ad posteros esse dilapsam, vt Christiani ad Orientem conuersi precarentur: sanctus Athanasius testatur quæstione decima quarta.

In littore quoque Galilææ eo loco, vbi post resurrectionem suam apparuit discipulis Dominus; & rete iussit ad dexteram nauigij partem mitti, tria à Christo Domino impressa lapidi veluti ceræ vestigia multis sæculis esse visa testatur Adrichomius in Neptalim, quem lapidem paucis abhinc annis à Sarracenis ablatum tradit Salignatius in suo libello. Maius sui monumentum reliquit Christus in eo monte, qui nunc saltus Domini appellatur. Tradunt Fretellus Archidiaconus Antiochenus, Salignatius, Ioannes de Montevilla, & Adrichomius in Zabulon in eum montem transiisse Dominum, cum eum Iudæi præcipitare cupiebant, atque ad tactum vestis ipsius saxum subterfugiens quemdam efformasse sinum, quo Christus protegeretur tantæ capacitatis, quanta erat quantitas Dominici corporis, in quo vniuersa lineamenta & rugæ vestis, quæ à tergo Domini erant, pedúmque eius vestigia veluti sculptoria arte expressa videntur, atque ad suum vsque tempus perstare asseuerant.

Hæc omnia Christi Domini signa instar scriptionis hieraticæ sunt.

CAPVT IV.

Cur Christus potiùs depictam à se reliquerit suam imaginem, quàm scriptam doctrinam?

Quæ sit vera Christi Epistola?

Explicatur locus secundæ ad Corinthios, cap. 3. vers. 3.



ILLVD considerari potest Testamenti veteris institutorem inuentorem fuisse litterarum, pluráque scripsisse; noui autem Testamenti auctorem nihil ad nos scriptum transmisisse. In illo quippe litera fuit, ex hoc spiritus; illud in tabulis scriptum, hoc in cordibus impressum. Nec illud satis erat ad reformandum hominem, restituendúmque decorem diuinæ imaginis: Hoc enim præstitit noui Testamenti institutor Christus IESVS; idcirco scripturã de se relictã nobis non habemus, sed imaginem sui, quam multis modis expressit; potissimè sacratissimorum pedum suorum, vt hoc pacto indicaret per similitudinem, & imaginem sui reformari nos posse, & conformes reddi imagini diuinæ, ipsúmque Christum imaginem esse Patris, & figuram substantiæ eius, per cuius imitationem sequendo Christum, insistendóque eius vestigiis imaginem diuinam in nobis restaurabimus spiritu gratiæ suæ viuam. Hæc quidem pulcherrima Christi scriptura, quam propterea vocauit Apostolus Epistolam Christi. Sic enim Corinthios in posteriore ad ipsos Epistola alloquitur: *Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Qua sententia Paulus Corinthios vocat Epistolam Christi quos proximè præcedentibus verbis suam ipsius Epistolam nuncupauerat inquiens: *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris*, quæ scitur, & legitur ab omnibus. Appellat autem eos Paulus & suam & Christi epistolam, quia sicut epistolæ cõmendatitiæ, quæ in commendationem alicuius scribi solent, virtutem ac dignitatem eius cuius gratia scriptæ sunt, verbis manifestant: ita Corinthij sinceritate fidei, & vitâ verè Euangelicâ & Christianâ, Christi gloriam illustrabant, & Pauli magisterium, qui eos in Christo instruxerat declarabant: & quemadmodum in literis commendatitiis, qui eas legunt agnoscunt virtutem eorum, qui in eis commendantur: ita qui Corinthiorum vitam intuebantur, statim cognoscebant Christi, quem illi profitebantur, præstantiam sublimem, & Apostolatus Pauli, qui eos ad Christum adduxerat, dignitatem. Vsus est autem Paulus hac epistolæ metaphora, vt ostenderet sibi non esse opus commendatitiis epistolis, quas circumferebant Pseudo-Apostoli, vel ab aliis ad Corinthios vel à Corinthiis ad alios impetratis, quod & ipse apertè indicauit inquiens: *Numquid egemus sicut quidam commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?* ac si diceret. Quid opus epistolarum commendatione, vbi res ipsa commendat hominem: epistola enim viua, & efficax commendatio nostra estis vos, qui ex sublimitate virtutis vestræ cunctis hominibus commendabilem redditis ministerij nostri dignitatem, quidquid illud est, quod fecissent epistolæ nos commendantes nobísque reuerentiam conciliantes, hoc vos facitis dum & vident vos, & de vobis audiunt omnes propterea, quod discipulorum virtus præceptorem ornare solet, & commendare plus quàm vlla possit epistola: *Vos* igitur, inquit, *estis epistola nostra, scripta in cordibus nostris*: Quia pietatem, & charitatem vestram semper in animo habemus, corde gestamus, vbique nobiscum circumferimus & apud omnes vestra benefacta celebramus. Estis item non nostra tantùm, sed Christi quoque Epistola, cùm per vitæ vestræ sanctimoniam authorem salutis vestræ Christum omnibus gentibus suscipiendum exhibetis, & per vitæ sanctimoniam imitamini. Tunc enim vera estis ac viua Christi epistola ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio: scripta verò non atramento delebili, quales sunt, quas Pseudo-Apostoli ad vos emendicatas afferunt; neque rursus inscripta saxeis tabulis, quemadmodum lex illa vetus, de qua tantopere gloriantur Iudæi, sed in tabulis cordis carneis ac mollibus; corda enim vestra, quibus Christi doctrinam impressimus, nobis membranæ vice fuerunt. Lingua nostra calamus, sed Christus ipse per Spiritum dictauit, quæ in cordibus vestris scriberemus. Quod bene Sixtus annotauit. Neque prætermittenda sunt

quæ

quę Origenes ſcribit homilia quadã in Geneſim: *Vnicuique dicitur: accipe litteras tuas. Vnde conſtat noſtras eſſe literas peccati: literas autem iuſtitia Deus ſcribit: ita enim dicit Apoſtolus:* hom.13. *Vos enim eſtis epiſtola ſcripta non atram ento, ſed ſpiritu Dei viui. Habes ergo in te literas Dei & literas Spiritus ſancti. Si vero delinquas ipſe tibi conſcribis peccati chirographum.*

CAPVT V.

An Beata Virgo aliquid ſcripſerit?



VAMVIS Chriſtophorus à Caſtro velit Beatam Virginem imitatam filium ſuum nihil ſcripſiſſe: at nobiles authores video probare quaſdam Beatæ Mariæ epiſtolas, & nuper noſter Melchior Inchofer in ſuo libro pro epiſtola ad Meſſanẽſes reſpondet Caſtro & alijs id inficiantibus. Et quidẽ Marcus Michael Catnotenſis in libro de viris illuſtribus teſtatur in hunc modũ: *Scripſit Ignatius ad diuerſos epiſtolas quatuor: primam ad Epheſios, ſecundam ad Magneſios, tertiam ad Coloſſenſes, quartam ad Romanos. Extant & epiſtola eius ad Ioannem Euangeliſtam, præceptorem ſuum, & ad Mariam Beatiſſimam Virginem, & Domini noſtri Saluatoris humillimam Matrem, ad quem & ipſa reſponſiuam, & breuem epiſtolam reddere humiliter non dedignata eſt.* Ante hunc Lucius Flauius Dexter ad annum quadringenteſimum vigeſimum ſextum: *Epiſtola Beata Virginis ad Sanctum Ignatium, & eiuſdem ad Sanctiſſimam Virginem manibus fidelium nunc teruntur.* Meminit Ignatij epiſtolæ Diuus Bernardus in Pſalmum nonageſimum, ſermone ſeptimo his verbis: *Magnus ille Ignatius, auditor Diſcipuli, quem diligebat IESVS, Matyr noſter cuius pretioſis reliquiis noſtra eſt ditata paupertas, Mariam quidem in pluribus quas ad eam ſcripſit epiſtolis Chriſtiferam conſalutat.* Egregius planè titulus dignitatis, id eſt, commendatio honoris immenſi. Dionyſius Carthuſianus in commentariis, quos edidit in librum Dionyſij Areopagitæ de Diuinis nominibus, ita ſcribir de epiſtola Ignatij: *Sanctus Ignatius in vna epiſtolarum ſuarum ad ſacratiſſimam Virginem feruidè rogat eandem, vt pro conſolatione, & confortatione ſui, & plurium neophytorum dignetur venire ad ſe.* Lucius Dexter non vnam, ſed plures fuiſſe epiſtolas Ignatij cum Sancto Bernardo memorat, dicens in ſuo Chronico ad annum centeſimum, & decimum ſextum: *Epiſtola Sancti Ignatij ad Beatam Virginem celebres habentur.* Sixtus Senenſis etiam ſic teſtatur: *Maria Virgo, Beatiſſima Domini, ac Dei noſtri IESV Chriſti Mater, ſcripſiſſe fertur breuiſſimam quandam epiſtolam ad Ignatium Martyrem Ioannis Apoſtoli diſcipulum, & tertium poſt Petrum Antiochena Eccleſia Epiſcopum: is enim cum ardore incredibili teneretur viſendi, & coram alloquendi matrem Domini, ſcripſit ad illam ſatis breuem epiſtolam.* Idem confirmant Æneas Syluius, Marianus Victorinus, Symphorianus, Camplerius, Ioannes Viguerius, Franciſcus Arias, aliique complures. Epiſtola Beatæ Virginis reſpondentis ad Sanctum Ignatium hæc eſt:

Ignatio dilecto Diſcipulo, humilis ancilla Chriſti IESV. D: IESV quæ à Ioanne audiſti, ac didiciſti, vera ſunt, illa credas, illis inhæreas & Chriſtianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem vnà cum Ioanne, te, & qui tecum ſunt, videre. Sta, & in fide viriliter age: nec te commoueat perſecutionis auſteritas; ſed valeat, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo. Amen.

Præter hanc epiſtolam aliam ad ciuitatem Meſſanenſem ſcriptam per auitam traditionem prædicant ipſi Meſſanenſes, & reuerenter ſcriniis ſuis aſſeruant, quibus multi authores conteſtantur. Conſtantinus Laſcaris, Mutius Iuſtinopolitanus, Petrus Caniſius, Martinus Nauarrus, Ioannes Maria Tarſia, Chriſtophorus Verruchinus, Ioannes Bonifacius, Alfonſus Villegas, Ioannes Carthagena, Petrus Antonius Spinellus, Petrus Odeſcalcus, Franciſcus Faſanus, & locupletiſſimè integro volumine eam probat noſter Melchior Inchofer, plures adducens auctores, quos inter promit antiquiſſimum manuſcriptum, vbi cauſa eius ſcribendæ epiſtolæ traditur, cuius hæc etant verba pene corroſa: *Cùm Beatus Paulus Apoſtolus eſſet in Calabria, Rhegij feruenter euangelizans, fuit à populo Meſſanenſi* mirabili

mirabili deuotione vocatus. Vnde venit, & prædicauit prima die de Christi Saluatoris Passione, secunda verò de Beatæ Mariæ Virginitate, & incarnati Verbi mysterio, quibus auditis ipsa vniuersitas Messanæ, vbi hæc Deipara Virgo resideret, instanter interrogauit. Cui Beatus Paulus respondens dixit, Hierosolymis morari, & adhuc viuere. Repleti itaque gaudio magno Messanenses, instituerant Legatos, qui vna cum ipso Apostolo Hierosolymam tandem nauigio se contulerunt. Vbi facta prius oratione Beatam Virginem in Dominam susceperant quæ sanctissimis manibus propriis, Hebraicis literis rescripsit in quodam Chirographo. Eadem habet Constantinus Lascaris, paulo aliter Mutius & Villegas hanc historiam contestantur. Tradunt Pauli Apostoli Rhegij Calabrûm prædicantis fama excitos Messanenses, continuò misisse, qui rogatum, Euangelij gratia Messanam adducerent; venisse illum facile exoratum, quippe cui nihil erat antiquius, quàm sedulo quærere, nedum arripere libenter oblatam disseminandi verbi occasionem, atque inter alia de Incarnationis mysterio verba facientem, crebra Mariæ Virginis Hierosolymis commorantis appellatione, eò procliues ad Religionem permouisse animas, vt ardenti studio prouinciam tantæ Virginis adeundæ, lectis ex præcipuo gradu viris demandarent, vrbisque suæ, ac Ciuium tutelam singulari Patronæ demissâ imploratione commendarent: annuisse Virginem, animo statim ad Messanenses inflexam, exaratisque propria manu lingua Hebræa, suam in eos propensionem, ac voluntatem benigne testatam fecisse. Hæc ferè Villegas vulgari idiomate. Multo ante omnes hos auctores Lucius Dexter Coætaneus Diui Hieronymi in Chronico suo scripsit ad annum Christi octogesimum sextum: *Apud Messanenses celebris est memoria Beatæ Virginis Mariæ missa ipsis ab eadem dulci epistola.* Rursus ad annum quadrigentesimũ vigesimum sextum: *Eodem tempore, in tabulario Messanensi reperta est quædam epistola Hebraicè exarata à B. Virgine ad eosdem ciues Messanenses, & maximi ducitur.* Epistola B. Virginis hæc est:

Maria Virgo Ioachim filia, ancilla Dei humillima, Christi IESV Crucifixi Mater, ex tribu Iuda, stirpe Dauid: Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem.

Vos omnes fide magnâ legatos ac nuncios per publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum, Dei genitum, Deum, & hominem esse fatemini, & in cælum post suam resurrectionem ascendisse; Pauli Apostoli electi prædicatione mediante, viam veritatis agnoscentes. Ob quod vos & ipsam ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam protectricem nos esse volumus. Anno Filij nostri quadragesimo secundo indictione prima, tertio Nonas Iunij, Luna vigesima septima, feria quinta.

Ex Hierosolymis MARIA VIRGO quæ suprà, hoc Chirographum approbauit.

Hanc epistolam è Syriaco in Græcum versam esse à Sancto Paulo, & deinde in Latinum à Constantino Lascari testantur aliqui.

Gloriantur quoque Florentini, quod epistolam à Deipara missam acceperint, quam Hieronymus Ferrariensis pro concionibus explicare non dubitauit, & noster Petrus Canisius contestatur. Tum Ioannes Bonifacius, Franciscus Viuarius, Ioannes Catthagena, & Melchior Inchofer, eamque adducit Canisius libro quinto de Deipara capite primo quæ sic se habet:

Florentia Deo & Domino IESV Christo Filio meo, & mihi dilecta: tene fidem, insta orationibus, roborare patientiâ, his enim sempiternam salutem apud Deum, & apud homines gloriam consequeris.

Plures scripsisse epistolas Beatam Virginem asserunt Verruchinus, & alij, ille in deuotis suis commentationibus, vbi primum egisset de illo Dionysij ad aspectum Deiparæ Virginis excessu, quo vix humanitatis in illa memor, Deum esse cogitasset, pronusque summam Religionem, nisi fides animum direxisset, deuouisset: Hinc (subdit) factum, vt cum omnibus adeundæ Hierosolymæ copia non suppeteret, interdum Virgo per literas requireretur, in vota flecteretur, nec esset, qui summè benignum ab ea responsum non ferret; quemadmodum nonnulli contigisse narrant Ioanni, Ignatio, Ciuitatibus Messanæ, Florentiæ. In eandem Verruchini mentem Ioannes Viguerius venit in suis institutionibus

institutionibus de Beata Virgine verba faciens: *Tempore* (inquit) *vitæ suæ non eguerunt Apostoli congregatione Concilij, quia eius resolutioni omnes in omnibus assentiebantur: qui poterant ad illam accedere, accedebant, & instituebantur, & per eos etiam alij per literas, vnde legimus literas D. Ignatij ad eam.* Porrò duas ad S. Ioannem à B. Virgine scriptas epistolas tradunt Benzonius, & alij.

CAPVT VI.

Eximium donum condendi sacram Scripturam habuit Beata Virgo.

Quæritur, an obliuio alicuius rei cadere in illam posset?



QVIDQVID de his epistolis sit, id certum habuisse Beatam Virginem donum canonici scriptoris, condendi nimirum scripturas, quod probat noster Suarez, idque priuilegij exercuit cùm canticum *Magnificat* intonuit; quoniam Spiritus sanctus singula verba Mariæ dictauit: sicut enim nullum peccatū habere decuit in voluntate; sic nec vllum in intellectu errorem; atque adeò omnia eius dicta, scriptáque infallibilem habuêre veritatem, quod in rebus fidei, non nisi inspirante Spiritu sancto fieri potuit: quapropter si omnino constaret Ecclesiæ scriptum aliquid fuisse Virginis, inter canonicas scripturas, illud accenseret. Rupertus Abbas in Commentariis super Cantica, inter cæteras laudes, quas Beatæ Virgini tribuit, illam etiam annectit, quòd cùm fuerit Apostolorum Magistra omnium dubiorum Enucleatrix, & Dissolutrix, primo Apostolorum concilio Hierosolymis habito adfuerit, illámque Iudaicarum cæremoniarum perdifficilem & obscurissimam quæstionem suo verbo ac definitione dissoluerit. *Horum* (inquit) *discernendorum, vtique Magistram te esse oportebat, ô B. Virgo, & Magistram Magistrorum, id est, Apostolorum iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. An quia Spiritus sanctus illos docuit; Idcirco tuæ vocis magisterio non illis opus fuit, imo vox tua, vox illis fuit Spiritus sancti; quidquid supplementi opus erat eisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant ab eodem spiritu diuidente singulis, vt vult ex religioso ore tuo perceperant instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum. An quia loco supra memorato de actibus Apostolorum, vbi factâ seditione propter cæremonias Iudaicas conuenerunt Apostoli, & seniores videre de hoc verbo, nullam tui mentionem scriptura fecit; idcirco putandum est, quod conuentus ille te omiserit, & sanctum de tuo pectore, & de tuo ore spiritum non consuluerit? Imo & illic, & in cæteris agendis, tu Princeps omnem soluisti quæstionem; ita tamen, vt non clamares, neque contenderes, neque audiretur vox tua foris; quia (sicut ante nos dictum est) tu sola es Virgo, quæ vniuersam hæreticam prauitatem interemisti.* At quidem, ne hoc non commemoremus, videtur Rutilio Benzonio non solum dixisse, sed scripsisse aliquid canonicum Beatam Virginem; quoniam ab Augustino & Bernardo appellatur credentium Mater, ab Ignatio Christianæ Religionis Magistra, ab Athanasio hæresum interemptrix. Hæc autem non videntur Rutilio conuenire Virgini, nisi non modo præsentes, sed absentes etiam ipsa cōfortasset, quod scriptis fit canonicis. Deinde quoniam de B. Virgine dicatur conseruasse omnia Christi mysteria prout accidebant: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* videntur eidem auctori verba hæc indicare non memoriâ tantū, sed scriptis cōseruasse facta & dicta in infantia & pueritia Saluatoris. Eodem refert illud Canticorum cùm surrexit, vt aperiret dilecto: *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Ad quæ verba addit ille: *Neque enim melius aperiuntur Sponso à Virgine corda hominū quàm scribendo, neque melius manus & digiti stillāt myrrham, eaque implentur probatissima, quàm dum eloquia Domini exarantur, & quia probatissimè exarauit canonicum quid necesse est scripsisse.* Piè hæc dicta, non tamen omnia euincunt rem Illud prorsus haud mihi placet, quod de conseruatione mysteriorum Christi per scripta affirmat: nam videtur Beatissimæ Virgini obliuionem, lapsúmque memoriæ adscribere; ac proinde ignorantiæ priuatiuæ capacem eam fingere. Existimo enim ob perfectissimam naturæ compositionem B. Virginis, tum ob immunitatem ab originali macula nullius rei

3. p. t. 2. q. 20.

Lib 1. c. 1. ferè in medio.

Matrem Dei oblitam fuisse earum, quæ semel mente conceperat. Scimus enim adeò liberaliter erogasse naturam aliquibus memoriam, vt ad prodigium omnia quæ didicerant semper retinerent. Vniuersa autem dona naturalia, quæ Virginis personam decebant perfectissima habuit Mater Dei, & toto suæ vitæ tempore omnium rerum cognitionem possedit, quæ pro suistatus ratione congruebat. Hoc enim illius dignitatem, & perfectionem decuit: quapropter nec ignorantiam priuatiuam, nec obliuionem habuit, quæ huic opponuntur cognitioni. Præterea in innocentiæ statu non fuisset imperfectio erroris, nec eiusmodi ignorantiæ aut obliuionis. Beatæ autem Virgini communicata fuit omnis illius status perfectio iis exceptis, quæ corpori mortali & possibili repugnant. Tum error, ignorantia priuatiua, & eiusmodi pœnæ sunt per peccatum introductæ; at sicut Beata Virgo fuit præseruata à culpa; ita & ab illis pœnis, quæ magnam aliquam indecentiam, & spiritualem imperfectionem continent.

CAPVT VII.

Origo scripturarum noui Testamenti potissimè Euangeliorum ex Beata Virgine deducta.

PORRO etsi nomine Beatæ Virginis nullum possideamus Scripturæ librum, fons, illa, limpidissimus & origo nobilissima fuit noui Testamenti. Ipsa fons hortorum, & puteus aquarum viuentium. Inde Ioannes, inde Lucas, inde alij Euangelistæ, & Apostoli purissimos latices hauserunt. Credo quidem aut ex dictatione, aut scripto Beatæ Virginis multa in Euangeliis commendata esse literis, aut excipiendo verba ex ore Virginis, aut transcribendo ex suis scriptis; huiusmodi nobis tradita fuêre canticum *Magnificat*, & Zachariæ, & Simeonis, & alia infantiæ Christi mysteria. Meritò propterea dixit sanctus Bernardus de Beatissima Virgine Euangelistas illuminasse iuxta sui nominis etymologiam. Quippe Maria idem est ac illuminatrix secundùm expositionem S. Hieronymi. Quamobrem à sancto Ildephonso, sermone secundo de Assumptione, vocatur Beatissima Virgo *Euangelista*, & à sancto Bonauentura in hymno, *Te Matrem*, dicitur *Magistra Euangelistarum*. Eusebius Emissenus sermone quodam ait: *Quædam Apostoli, & Euangelista à Matre Domini audierunt, quemadmodum ista, & cætera quæ de Saluatoris infantia scripta sunt*. Sigillatim de sancto Ioanne Euangelista testatur Ambrosius libro primo de institutione Virginis, capite septimo: *Mirum non esse præ cæteris fuisse locutum mysteria, cùm ei præstò esset aula cælestium Sacramentorum*. Huiusmodi vocat Virginem, quâcum Ioannes Euangelista vixit, & assiduo contubernio multa ab illa diuinissima didicit & scripsit: nec expers virginalis doctrinæ sanctus Matthæus, quippe Rupertus secundo libro de gloria filij hominis, vbi ait: labia eius post Resurrectionem instillasse Apostolis fauum, addit: *Per fauum humanitatem Christi intelligo, quam ex Virginis dictatione, vel literis Matthæus capite primo & secundo sui Euangelij explicat*. Idem accidit sancto Lucæ, & testatur Idiota libro contemplationum Beatæ Virginis, capite tertio, vbi scribit sanctum Lucam à Virgine Maria Euangelium didicisse, sic Virginem alloquitur: *Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum. Vnde & Beatus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur; Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur*. Dionysius Carthusianus in primo sententiarum, distinctione decimâ sextâ, quæstione secundâ: *Ipsa* (inquit) *diuinissima Virgo non solum habuit sapientiam, & scientiam, prout sunt dona gratiæ gratis data secundum habitum, sed etiam secundum actum, ipsaque docuit multas vtriusque sexus personas per verba, & scripta, id est, epistolas, sicut sanctum Ignatium, imo & Beatum Lucam Euangelistam de multis secretis, & incarnationis mysteriis, quæ ipse præ cæteris descripsit, Euangelistis, creditur instruxisse*. Ideirco non falsò à nonnullis dictus est sanctus Lucas Notarius Beatæ Virginis vt Canisius testatur. Neque enim dictante seu docente solo S. Paulo, Euangelium suum scripsit S. Lucas, vt Maldonatus probat in procemio ad eius Euangelium. Et ipse sanctus Lucas significat, atque ex Eusebio, & sancto Hieronymo colligitur, cùmque dicat se diligenter omnia de Christo assecurum, tanta diligentia non esset, nisi Matrem Saluatoris examinaret, cum qua magnâ familiaritate vsus videtur. Quapropter illam depingere accurate potuit cum filio infante, quippe de circunstantiis Christi Saluatoris plura illâ rogauit. Quapropter Suarez, Maldonatus, & alij pronuntiant didicisse

didicisse sanctum Lucam à Beatissima Virgine multa de Saluatoris infantia. Neque sancti Marci Euangelium debuit magna ex parte carere nobilissima hac origine Marianæ doctrinæ; quippe si non per se, saltem per Apostolorum Principem Petrum Virginis discipulus fuit, quippe sancto Petro, & aliis Apostolis plura cælestia mysteria communicauit scribenda Dei Mater, vt non solùm Euangelia, sed epistolaris pars noui Testamenti ex Virginis magisterio instructa fuerit, quod iam confirmabimus.

CAPVT VIII.

Reliqua noui Testamenti pars etiam ex Beata Virgine sumpsit auspicia, quæ multa dedit scribenda canonicis epistolis.



NON solum Euangelistis, sed Apostolis aliis multam scribendi materiem suggessisse Beatam Virginem plurium potest testimoniis firmari. Sancti Anselmi verba sunt libro de excellentia Virginis, capite septimo: *Licet ipsi* Apostoli *per reuelationem Spiritus sancti edocti fuerunt in omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientiâ, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat.* Et sanctus Bernardus idcirco prædicat in sacris edoctam Mariam, *vt rerum Euangelicarum tempus & ordinem tenens, melius postmodum scriptoribus, ac prædicatoribus Euangelij veritatem reseraret, quæ & plenè de omnibus à principio cælitus fuerat instructa mysteriis.* Locupletissimè idem sanctus Bernardus in quodam sermone de Beata Virgine: *Maria* (inquit) *sanctissima, quæ Saluatorem genuit, peperit, & aluit, quæ iugiter eius adhæsit lateri, quæ comes indiuidua nullo ferè abfuit itinere, quæ intenta præ cæteris inuigilauit verbo, & operi eius, sola Saluatoris actuum insignia operum opera, melliflua prædicationis genera, inaudita contra mundum & peccatum, & tartareum zabulum diuina seueritatis acerrima eloquia, quo eis diu interfuit, specialius vidit, secretius audiuit, citius agnouit, propensius retinuit, & Apostolis, aliisque Discipulis locupletius edidit, diligentius retulit, melius indidit, fidelius tradidit: hinc est, quod de ea legitur in Euangelio: Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Hinc in eius laudibus legitur: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas: licet enim in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret vt amicis; quædam tamen credendum est præ cæteris matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudisse, quædam ei secretius intimasse, frequenter eam ad montem myrrhæ, & ad colles thuris sublimasse, in cellam vinariam occultasse, sui prout nouit, & voluit gloriam Deificam, & supercælestem reuelasse notitiam: vnde Ioannes in Apocalypsi; De throno, ait, procedebant fulgura, voces, & tonitrua, quia Mater filij IESV Christi parabolas, ænigmata, legalia, & mirificâ gesta, dicta, opera auidius ebibit, fidelius credidit, syncerius, luculentiusque aliis edidit.* Hactenus Bernardus. Deuotè quoque Rupertus in caput secundum Matthæi: *Quandiu* (inquit) *Filius hominis manere debuit minoratus paulò minus ab Angelis, ferè tandiu fuit Beatæ Virgini tempus tacendi, & tamdiu tacuit, tamdiu in silentio fuit, velut hortus conclusus. Vbi autem gloriâ & honore coronatus est Filius hominis resurgendo, & in cælos ascendendo, vbi sedet ad dexteram Patris, tunc eidem Beatæ Virgini tempus fuit loquendi, & hoc amicis, id est, sanctis Apostolis, & talia loquendi qualia prius portare non potuissent. Vbi venit Spiritus veritatis, primus quidem & princeps ipse illos omnem veritatem docuit, sed & ipsa Beata Virgo testimonium suæ vocis adhibuit, & taliter locuta est auribus fidelibus, vt proinde rectè dicat dilectus eius Deus: Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cyprus cum nardo, nardus & Crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Optimè quoque Eusebius Emissenus notauit Mariam, vt sapientissimam Matrem, omnia verba in corde suo contulisse, nobisque conseruasse & memoriæ

Tom. 2. in serm. de B. Virg.

De festo Assumpt.

Ioann. Euseb. de Origine S. Script. FFf 2 commen

commendasse, vt tandem ipsâ docente, narrante, atque nuntiante scriberentur, & vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus communicarentur. Moxque subiungit: *Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, & ipsâ dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt. Quis igitur Euangelijs non credat? Quis eis contradicere præsumat, quæ aut Matris, aut Filij authoritate muniuntur? Quædam enim Apostoli & Euangelistæ à Matre Domini audierunt, quemadmodum ista & cætera quæ de Saluatoris nostri infantia scripta sunt: plurima verò visu & auditu ab ipso Domino didicerant.* Sophronius in eadem mente fuit sermone de Assumptione, dicens: *Eximius ille Apostolorum Chorus post Domini assumptionem non deseruit eam, inter quos ipsa post Resurrectionem intrans & exiens, familiarius contulit de incarnatione. Tanto siquidem verius, quanto ab initio plenius per Spiritum sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa.* Sanctus Antoninus pariter: *Ascendente*, inquit, *Christo, remansit Magistra Magistrorum Ecclesiæ, Apostolorum, & Euangelistarum.* Et mox: *Ipsa de multis mysterijs informauit Apostolos & Euangelistas.* Sancta Brigitta in sermone Angelico sic consentit: *Ascendente Filio ad suum Regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, & errantium correctionem, remanere permissa est. Erat enim Magistra Apostolorum, Confortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, Consolatrix viduarum, in coniugio viuentium saluberrima monitrix, atque omnium in fide Catholica perfectissima Roboratrix. Apostolis namque ad se venientibus, omnia quæ de suo Filio perfectè non nouerant, reuelabat, & rationabiliter declarabat.* Hinc fit vt vetustus & doctus Theologus Auctor supplementi Gabrielis dixerit, B. Virginem Doctorum Aureolâ plus alijs esse coronandam; quoniam Doctrix fuit Apostolorum, & magnorum Theologorum, atque adeò Ecclesiæ Rectores, Patres & Magistros suâ sapientiâ illuminauit, & ita totum mundum: *Et ob hoc* (inquit Auctor supplementi) *Christo ascendente in cælum, ipsa ad tempus in terris pro fidelium consolatione, & magisterio est derelicta, & piè tenendum est, quod ipsa Diaboli suggestiones plus omnibus alijs detexit, & enarrauit, discipulos Domini, & Ecclesiæ Magistros informando & erudiendo, & sacratissimis morum disciplinis instituendo, veritate Euangelicâ illustrando, & fidei secreta pandendo.* Cùm igitur fuerint ita docti à Beata Virgine Apostoli, haud dubium est cælestem doctrinam redundasse ad canonicas conscribendas Epistolas.

CAPVT IX.

Ad conscribendas suas Epistolas doctus fuit sanctus Paulus à Virgine MARIA.



HOc ipsum B. Amadæus confirmat potissimè in persona sancti Pauli, quorum Epistolæ magnam implent noui Testamenti partem. Etenim diuina illa documenta, illa sublimia arcana, illa profunda mysteria, quibus suas ditat Apostolus literas, ex Virginalis sapientiæ thesauro, & Mariæ Matris Dei doctrina instillata etiam fuerunt. Quod si Paulus, qui serò Virginem nouit, qui cum ea non habitauit, qui nullâ cognatione illi coniunctus erat, tot è Maria didicit; quo pacto sanctus Iacobus, sanctus Ioannes, sanctus Thaddæus, qui cognati erant Virginis, & vt ferunt aliqui S. Petrus affinis, atque maiori omnes, diuturniorique familiaritate cum illa vsi fuerunt; quo inquam, pacto iuxta ipsa fluenta non haurirent aquas de fontibus Matris Saluatoris? Quantum igitur profecerit Apostolus diuinarum rerum scientia ex Mariæ Virginis alloquijs, imo quantum cæteri profecerint Apostoli ex B. Amadæo audiamus, qui in extremo suæ Apocalypsis raptu hæc habet: *Virgo illa electissima verbis, atque literis suis Apostolos confortabat, & alios credentes, quæ vt accepit Paulum vas electionis, ad ipsum Lucam misit, qui antequam iuisset in Arabiam, voluit Dei genitricem videre, quam cùm sapientissimè Filij sui mysteria propalantem audiret; & veteris Testamenti, omniúmque dubiorum nodos dissoluere videret; prostratus in terram, Christum Dominum & Matrem eius adorauit: Dixitque: vsque nunc à die conuersionis meæ Christum filium Dei credidi, nunc ex diuinitate Matris diuinitatem Filij cognoui. Benedictus sit Dominus IESVS Christus, qui me minis sibi spirantem illustrauit, & ad se cor meum aduersum attraxit. Benedicta sit tu Mater Domini Dei mei, & Regis omnium, quia in te omnes thesauros sapientiæ, ac scientiæ Dei reconditos*

reconditos video. Instructus ergo ab ea de omnibus secretis abiit in Arabiam diuini amoris flamma totus ardens, & totus succensus incendebat omnes, & plus fructus ipse solus, laboribus suis, Ecclesiæ Christi attulit, quàm quicumque alius Apostolorum, & hoc est, quod ipse de se ait: plus omnibus laboraui; non quidem omnibus simul collectis, sed plus quocumque aliorum seorsum sumpto. Et dum Paulus conuertisset Dionysium Philosophum egregium, & ei tam bene credenti, secreta quæ à Matre Domini audiuerat, reserasset; Ille promotus desiderio eam videndi, licentia à Paulo obtenta, tandem ad ipsam peruenit; & illico vt vidit faciem eius, immutatum est, atque exhilaratum cor eius, & gaudio atque exultatione plenus in hæc verba prorupit. Vere Dei genitrix es Maria, quia tota diuinitate plena es. Si te videre tam bonum est, tanquam res iocunda est, quid erit videre ipsum Deum bonum omnis boni? & prostratus in terram dixit: Deum trinum & vnum, quem Paulus me docuit in te ô Virgo purissima adoro, & te tanquam veram Dei genitricem colo. Tunc ait Maria: antequam tibi Paulus prædicaret, & vocem tuam audiui, quando dixisti, sole obtenebrato præter solitum: Aut Deus totius naturæ conditor patitur, aut machina mundi dissoluetur, & altare etiam à vobis Ignoto Deo constructum vidi; neque tamen vnquam corpore in Græcia fui. Et locuta est secum disertissimè lingua Græca; ita vt stupore, & admiratione nimia repleretur. Et post longam, & Trinitatis sanctissimæ, & Filij sui incarnationis, & aliorum mysteriorum instructionem, remisit eum ad Paulum, perfectum fide, perfectumque non solum in humana (cuius partim etiam inde conuersionem habuerat) sapientia, sed etiam diuina. Ignatius quoque feruentissimus zelator Euangelicæ legis, & præcipuus Ioannis Euangelistæ discipulus, nimio desiderio accensus fuit videre Genitricem Dei Mariam, ad quam pluries scripsit & ab eadem plures epistolas accepit, quæ sunt cum magna veneratione legendæ: latet in eis diuinæ virtutis operatio. Ioannes frequenter ad eam veniebat, & Ignatius eum comitabatur, quia non poterat aliud cogitare, quam IESVM filium Dei, & Mariæ; ita vt in corde eius sculptum nomen IESV repertum fuit. Vir erat sanctissimus, & Matri Dei acceptissimus, Doctorque & eruditor plebis Dei nominatissimus, qui gloriosa morte Martyr, seu testis meruit fieri ineffabilis veritatis. Ad Virginem ergo Dei genitricem, & Apostoli sæpius veniebant, & discipuli eorum, & ab ea ignotis dubiis docebantur, in dubiis certi reddebantur, in certis firmiores, & solidiores, & certiores agnoscebantur. Multum ergo profuit Apostolis, & aliis credentibus vita Matris Dei prolixior, multum profuit toti Ecclesiæ. Idem Amadæus paulo antea dixerat: *Maria enim erat omnibus cum ea conuenientibus, tanquam quidam ignis acutus penetrans diuino amore corda omnium, inflāmans, & incendens, purificans, abstergens, illuminans, omnia mala consumens, & omnia in Deum aliquo modo conuertens. O quantum profuit Marthæ, Magdalenæ, & Lazaro, Lucæ, & Ignatio, atque Beato Dionysio, & omnibus qui cum ea conuersabantur! Ignitum erat eloquium eius vehementer, sermo pretiosus erat in ore suo, imitabilem se præbebat omnibus, speculum nitidum erat, in quo cuncti se inspiciebant, vox eius dulcis super mel, & fauum; pedes eius graues, & omnino gressus eius modesti, gressus maturi, nil reprehensibile, omnia diuina erant. Commendat ergo Dominus ipsis matrē suam, vt vestigiis eius inhærerent, & eius exempla sequerētur, & pauca tribuentes plurima reciperēt.*

CAPVT X.

Quid Angeli scripserint in sacris litteris? Exponitur locus Ezechielis.



VT noui Testamenti nobiliorem originem indagemus, ista quoque est quæstio præmittenda, an Angeli aliquid scripserint? Hoc negari non potest in veteri testamento, cum apud Danielem, legamus: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra Candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Cap. 5. Quam scriptionem explicans Daniel, dicit: *Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti. Idcirco ab eo missus est articulus manus, qua scripsit hoc, quod exaratum est. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares.* Notantissimè dictum quasi manus hominis, quippe non humana manus erat, sed similis: Angelica scilicet opera ex aëre fabrefacta, & ab Angelo per eam exscribente in pariete assumpta. Quoniam autem de hac Angeli scriptione satis in superioribus dictum sit, eius nunc longiori supersedemus explanationi, vt ad alia properemus.

Apud Ezechielem capite nono alium scriptorem Angelum reperimus: *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius, & ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum, & gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, quæ erat super eum ad limen domus, & vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eũ: transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Tau super frontes virorum gementiũ, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Viri illi erant sex Angeli iuxta numerum sex archiduceum Chaldæorum, qui primi vrbem Ierosolymam obtinuerunt, teste Ieremia & Iosepho. Porro hi sex Angeli sex Duces prædictos dirigebant, vt signatis signo *Thau* parcerent, non signatos occiderent. *Hi veniebant de via portæ*, id est, incedebant per viam portæ templi, seu quæ ducit ad portam intimi atrij sacerdotalis. *Superiorem*, quia gradibus ascendendum erat ad atrium Sacerdotum. *Ad Aquilonem*, id est, ad latus atrij Aquilonare, vbi maximè peccarant idololatræ. Qua enim porta peccator Deum eliminat, eadem lictores Dei mox subintrant iuxta illud: *Si malè egeris, nonne statim in foribus peccatum,* id est, pœna peccati, *aderit?* Pradus notat hic signari plagam Aquilonatem, eo quod hæc respiceret Babylonem: & quia ex ea parte, *raptus est murus* à Chaldæis, vt & postea ab Antiocho, & à Tito: nam ea sola parte poterat murus arietibus quati, cum reliquæ præruptis, & altissimis rupibus cingerentur, teste Iosepho. *Vir quoque vnus*, nempe septimus Angelus, *vestitus erat lineis*. Septuaginta *podêre*, seu vt insiù vertunt, *Stola sancta*. Toga erat linea talaris, quali vtebantur Sacerdotes, maxime in sacris. *Et atramentarium scriptoris ad renes eius*. Septuaginta: Zona sapphiri super lumbos eius: Et ex zona pendebant instrumenta notarij. Hic Angelus repræsentabat allegoricè Christum, verum Sacerdotem, & vnicum sequestrum inter diuinam iustitiam, & homines, inquit sanctus Hieronymus & Theodoretus. Hi septem simul omnes ingressi sunt in atrium interius Sacerdotum: *Et steterunt iuxta altare æreum* holocaustorum: ibi gloria Domini, id est, gloriosa Dei persona, vt exponit Tirinus secutus Emanuelem de Sà & alios adumbrata imagine electrina, quæ capite primo insidebat curruі & throno Cherubino. *Assumpta*, id est sublata, *est*: Septuaginta, *ascendit* de medio Cherubinorum: nempe Deus quasi iratus, & moræ impatiens prosilit è solio suo, *in limen Domus*, seu templi, scilicet, in atrium Sacerdotum, vbi stabant septem Angeli prædicti, quibus tanquam lictoribus suis ac militibus vti cœpit ad vindictam de Iudæis sumendam. Ex hoc eodem limine templi rursus egressus est Deus in solium suum Cherubinicum. Et iussit Angelum qui atramentarium gestabat, *signa Thau*. Hæc vox *Thau* potest tam pro extrema litera Hebraici alphabeti accipi, quam pro quocumque signo. Vnde cum apud Ezechielem non ipsius literæ *Thau* sola figura ת separatim scripta sit, sed tota ipsa dictio תו, *Thau* quam ferè omnes signum interpretantur: incertum videtur, an verba Prophetæ, vel de ipsa litera *Thau* vel de quopiam alio signo intelligenda sint. Theodotion per *Thau* extremam alphabeti literam intellexit; & pro eo, quod Septuaginta, Aquila, & Symmachus verterunt *signum*; posuit ipsum תו Hebraicum. Hanc literam Deus idcirco voluit frontibus saluandorum inscribi, vt ostenderet se tales meritò ex tanta totius populi clade eripere, quia soli in tota vrbe Dei legem seruassent, cuius primam literam in fronte præferebant. Est enim *Thau* litera, à qua incipit Hebraica dictio תורה *thorah* quæ diuinam legem significat, est item *Thau* omnium Hebraicarum literarum vltima, complementum, finis, & consummatio totius Iudaici alphabeti: ex cuius nota voluit Deus eos discerni, qui totius legis voluntatem, quantum patitur humana fragilitas, consummassent, & à prima vsque ad vltimam literam omnia diuinæ scripturæ præcepta complessent. Atque hinc aliqui arbitrantur emanasse morem illum discernendi viuos à mortuis apud Ethnicos priscæ militiæ notarios, qui cum in breuiculis, quibus militum nomina propria continebantur, demonstrare vellent, quot ex militibus superessent, & quot in bello cecidissent; *T*, τοῦ notâ, in capite versiculi positâ, superstitem designabant: Θ *Thita* verò, quòd per medium telo, hoc est mortis signo trãsfixum est, ad vniuscuiusque defuncti nomen apponebant, & iudices eandem literam Θ *Thita* præponebant eorum nominibus, quos supplicio afficiebant: idipsum quoque pictores, & sculptores in epitaphiis sepulchrorum scribebant: propterea quod ipsa sit litera capitalis verbi Græci Θνήσκω, quod significat *Morior*, vel Θάνατος, quod significat *Mortem*. Ad quod Hetruscus Poeta Persius non inuenustè allusit cum vitij cædem persuaderet eo versu:

Et potis est vitio nigrum præfigere Thita.

Et

Geneſ.4.

Et rursus alius Poeta:

O multùm ante alias infelix littera Thita.

At sicut damnandis à Iudice præfigebatur Θ *thita*, sic & liberandis τ, *ταυ* apponebatur teste Asconio, Pediano, Rufino, Socrate, Sozomeno, & aliis apud Gretserum, Lipsium & Pradum. Simili ergo modo, saluandi hic & gladio Chaldæorum subtrahendi iubentur signari signo *Thau* nempe *gementes & dolentes* super abominandis impiorum sceleribus. Qui pauci admodum erant, verbi gratia, Ieremias, Baruch, Vrias, Rechabitæ, & quidam alij. His signum salutis imprimitur in fronte, ad morem fidelium seruorum, qui nomen vel stigma heri sui gestare solebant, fronti, vel plurimum inustum teste Rhodigino. Et tempore Anti-Christi signabunt Angeli Apocalypsis septimo electos Christi seruos signo & stigmate eiusdem Christi, nempe signo crucis. Origenes quidem homiliâ de Epiphania scribit *Tau* literam fuisse ipsam crucis figuram, de quo iam egimus in hoc eodem opere. Cuius quidem inscriptione mysticè significabatur, neminem effugere sempiternæ mortis supplicium, qui non fuerit signaculo crucis insignitus: hoc est, qui non habuerit interius impressam fidem Crucis, Passionis, ac mortis Christi, quique exteriùs in fronte, quæ interioris fiduciæ, audaciæ, & constantiæ index est, non gestauerit crucem Christi: hoc est, nuda, & aperta fronte Christi crucem intrepidè prædicans, & omnem gloriam suam in ea reponens: atque vna cum Paulo dicens: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* In cruce inquam illius, qui milites suos his verbis compellat. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Indicans hac voce neminem posse ingredi in vitam æternam cum Christo, nisi prius in hoc sæculo per viam tribulationum, Christi præeuntis vestigia sequatur, signum crucis Christi, corde, ore, manuque præseferens. Hoc est illud signum Dei viui, de quo Angelus in Apocalypsi exclamat ad Angelos deuastantes: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Signum certæ victoriæ, ac triumphi: quo quicumque protectus fuerit, inuisibilium, ac visibilium omnium hostium conatus franget: neque peccatum, neque mors, neque mundus, neque Sathanas, neque portæ inferi præualebunt aduersus eum. Hæc ex Sixto Senensi, & probatis interpretibus excerpta sunt.

CAPVT XI.

Angeli scripserunt legem veterem.

PRÆTER hanc frontium scripturam lex vetus, & Decalogus Angelica manu prius scriptus, & deinde traditus Moysi per Angelos fuit, vt sanctus Stephanus, & Apostolus satis significant. Sic Iudæos alloquitur Stephanus in Actibus: *Accepistis legem in dispositione Angelorum,* cui congruit sancti Pauli senten- Act.
tia scribentis ad Galatas: *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret se-* Gal.5.
men, cui promiserat ordinata per Angelos. & alibi instruens Hebræos ait: *qui per Angelos di-* Heb.2.
ctus est sermo, factus est firmus. Clariùs sanctus Stephanus dixerat locutus de Moyse, cui scripta lex tradita est: *Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum Patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis,* nimirum Decalogum, vt nobiles interpretes accipiunt lapideis scriptum tabulis. Paulò ante idem Stephanus ait: *Expletis annis quadraginta apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Itaque Angelis tribuunt Stephanus & Paulus totam dispensationem scriptæ legis, ac propterea ipsam Scripturam legis, & Decalogi, quæ ab Angelo scripta fuit in saxo, & tradita Israelitico populo in persona Moysis. Nec enim arridet interpretamentum Chrysostomi, Primasij, Ambrosij Theophylacti, Oecumenij, Lombardi, Arbotei, qui Angelos per quos ordinata lex, & disposita dicitur, inter nuncios Dei Moysem & Aaronem, & Iosue intelligunt: namque si S. Stephani contextus consideretur, non de hominibus, sed de Angelis sermonem clarè instituit, cum dixerat apparuisse Angelum Moysi, ab eoque accepisse verba vitæ, hoc est, Decalogum. Præterea cum ait: *Accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis,* mentionem Angelorum fecit, vt exprobraret Iudæis transgressionem legis, eius venerationem commendat, quod tradita & ordinata fuerit per Angelos: nec tantam reuerentiam debitam moneret, si per Angelos intelligeret homines. Quapropter

propter penè omnes ij auctores citati excepto Ambrosio, admittunt quoque nostrum sensum de dispositione, ordinationeque legis per spiritus Angelicos. Neque magis perplacet Philo in vita Moysis, qui censuit eum, qui apparuit fuisse Deum: nominatum tamen esse Angelum, quoniam futura prænuntiauit: nam hic loquendi de Deo mos haud visitatus est scripturæ, & cum numero plurali Angelos dicat sanctus Stephanus, nequaquam Deū eiusmodi significauit. Verosimilius Hilarius, Theodoretus, Iustinus, Ambrosius, & alij Patres sententiam Philonis explicarunt, vt Angelus dictus fuerit Deus, non Pater, qui à nullo mittitur, non Spiritus sanctus, qui nunquam Angelus alibi vocatus sit, sed Filius, qui mitti potuit, & alias vocetur Angelus, vt apud Malachiam: *Angelus testamenti*, & apud Isaiam secundum Septuaginta *magni consilij Angelus*. Verum semper cum additamento Angelus vocatur, non absolutè. At verum Angelum tradidisse legem stabilit sententia Areopagitæ in quarto capite de cœlesti Hierarchia, qui vult non Deum per seipsum in veteri testamento apparuisse, sed loco Dei Angelum, qui personam Dei repræsentaret. Hinc factum vt quod Deo sæpe tribuitur, Angelis quoque imputetur: capite vigesimo secundo Genesis dicitur, Deum vocasse Abraham ad sacrificandum filium, mox tamen explicatur persona Angeli in persona Dei loquentis: capite decimo octauo dicitur apparuisse Deus eidem Abrahamo, qui tamen scribitur à sancto Paulo Angelos excepisse hospitio. Et vt ad Moysem veniamus nemini Deus immediatius apparuisse videtur, cùm ore ad os locutus Deo dicatur, & vidisse illum, non per figuras & ænigmata: at in visione ardentis rubi constat ex sancto Stephano non Deum per seipsum sed per Angelum apparuisse sustinentem personam Dei, & eius auctoritate & nomine loquentem, quod etiam in Hebræo satis exprimitur: nam quem *Angelum* vocauit Stephanus in Actibus, & Moyses iuxta vulgatam versionem *Dominum*, dicens: *apparuitque ei Dominus*. In Hebræo est: *Et visus est ei Angelus Domini*. Eodem modo in Chaldæo est: *Et apparuit ei Angelus Domini*. At nihilominus licet Angelus apparebat, tanquam Deus loquebatur. Sic dixit Patriarcha Iacob trigesimo primo Genesis capite in somnis Angelum Domini sibi apparuisse, ac dixisse: *Ego sum Deus Bethel*, quoniam Dei personam præferebat: apposite sanctus Augustinus in tertio de Trinitate dixit: *Cum verba Iudicis præco pronūtiat, non scribitur in gestis ille præco dixit, sed ille Iudex*. Aliam causam affert S. Gregorius locutus de apparitione Moysi in rubo facta: *Angelus qui apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur; Angelus videlicet propter hoc, quod exterius loquendo seruiebat. Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur*. Idem explicans sanctus Augustinus libro contra Adimantum ait: *Quemadmodum verbum Dei, quod est Christus in Propheta loquitur veritatem, sic & in Angelo ipso loquitur, quando veritatem Angelus annuntiat, & rectè dicitur, Deus dixit, & Deus apparuit, & item rectè, Angelus dixit, & Angelus apparuit, cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creaturæ*. Audiendus quoque est sanctus Hieronymus in caput tertium ad Galatas: *Quod autem ait Apostolus, lex ordinata per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri testamento, vbi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur. Angelus quidem verè ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo mediator loquatur, qui dicat: ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Nec mirum si Deus loquatur in Angelis, cum etiam per Angelos, qui in hominibus sunt, loquatur Deus in Prophetis dicente Zacharia: & ait Angelus, qui loquebatur in me, ac deinceps inferente, hæc dicit Dominus omnipotens. Neque enim Angelus qui esse dictus fuerat in Propheta ex sua persona audebat loqui. Hæc dicit Dominus omnipotens*. Cum igitur eius quod Deo tribuitur eiusdem Angeli immediati auctores, siue executores fuerint, & sic legis priscæ dispositio, & traditio facta fuerit, id potissimum intelligendum est de scriptione Decalogi, cuius scriptura licet Deo imputetur, immediatus scriptor Angelus aliquis fuit.

Cap. 11.

Præfat. in lib. Mor. c. 1. & lib. 28. c. 2.

Cap. 9.

CAPVT XII.

Cur Angeli ter in veteri Testamento scripserunt, in nouo nunquam?



ITAQVE in veteri testamento ter reperimus Angelos scripsisse, cum scilicet legem tradiderunt Israelitis: Deinde quoniam duobus potissimum præsidiis lex obseruetur,

tur, pœnâ aduersùs malos, & bonorum præmio ac prouidentiâ, duabus aliis vicibus duos Angelos scribentes legimus. Vnum pronuntiantem sententiam aduersus impium Balthasarem, qui naturalem, & diuinam legem contempserat. Alterum bonis, & obseruatoribus legis propitium designantem eos, vt immunes essent pœnis & calamitatibus quæ transgressoribus imminebant, moxque acciderunt. Nouum autem testamentum nusquam introducit Angelos scribentes. Nec enim sine arcano congruunt aliquæ actiones Angelicæ statui hominum. In lege scripta scripserunt Angeli, in lege non scripta non scripserunt, & solum iusserunt scribere. Quippe Euangelista Ioannes audiuit vocem de cœlo dicentem sibi: *Scribe: Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Cumque designare prædestinatos opus fuit, non atramento, non scriptione vsus est Angelus huic ministerio deputatus, sed sigillo: valde enim diuerso habitu vidit Ezechiel Angelum designantem in veteri Testamento, ac Ioannes vidit in nouo. Angelus quem vidit Ezechiel atramentarium gestabat, & literam *Thau* dicitur scripsisse. At S. Ioannes sine atramentario, sine vllo scribendi instrumento, & solùm cum sigillo: *Et vidi*, inquit, *alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui.* Græcè σφραγῖδα, hoc est, *sigillum*, quo signa imprimuntur. Nobilior res impressio est, quàm scriptio: hæc facilè deleri potest, & rudior est. At qui figuram sigilli insculpit, indelebilius signat, profundius, exornatius. Ita lex gratiæ non scribitur, sed imprimitur, intimè hæret, pulcherrimámque animam reddit ad imaginem Filij Dei: idcirco Angelus noui Testamẽti non scripsit frontes Sanctorũ literâ mortuâ, sed sigillo Dei viui vsus est: neque enim in lege Gratiæ est quidquam quod occidat, sed quod viuificet. Apocal. 7.

CAPVT XIII.

Qualem scripturam è manu Domini acceperit Dauid?

NON computaui inter scripta Angelica eam scripturam, quam accepisse Dauid de manu Domini in Paralipomenis traditur: *Omnia*, inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris*: quoniam non sit explicatum, an operâ Angelicâ fuerit exarata, multique teneantur à Samuele illam accepisse Dauidem; & alij censeant nullam fuisse scriptionem, sed solùm reuelationem: alij non fuisse scripturam alphabetariarum literarum, sed delineationem figurarum, quibus partes & ornamenta templi explicabantur oculis: quamuis ego non prorsus inficier aliquam Scripturam comitari delineamenta: ita vt illa Scriptura, sicut ait Abulensis, contineret duo, scilicet scripturam & figuram, ita vt describerentur omnes partes templi & atriorum, & omnia vasa, & de qua materia essent singula, & quanti ponderis & magnitudinis, & de modo fabricationis; & præter hoc poneretur cuiuslibet rei vna figura depicta, vel totius templi, & omnium rerum quæ erant in eo. Ista duo videbantur necessaria: nam figura omnium istorum, quæ oculis videretur, erat necessaria, eo quod licet essent omnia ista scripta, si non videretur figura eorum in quibusdam, fortè non bene conciperetur, sicut circa quædam illarum dubitamus. Vt ergo nullus esset error in opere debuit apparere figura omnium istarum rerum: vt melius indicaretur de eis: præter figuram etiam fuit necessaria scriptura, quia in scriptura poterant poni aliqua documenta de materia, & quantitate, & pondere quarumlibet rerum, & de modo fabricationis, quæ non poterant cognosci visa sola figura rei. Hic etiam videtur vtrumque significari, cum dicitur: *Scripta manu Dei*, significatur scriptura omnium istorum: cum autem subditur, *vt intelligerem vniuersa opera exemplaris*: innuitur quod fuit ostensa aliqua figura omnium istorum ipsi Dauid, & illa vocabatur exemplar, quia ad similitudinem illius fabricandum erat templum, & quia Dauid per illud solum exemplar non poterat intelligere omnia; quæ fieri debebant in templo; ideo Deus dedit ei in scriptis omnia, vt posset intelligere, per scripturam omnia opera exemplaris, quæ non poterat intelligere per ipsum exemplar. Sic etiam factum est, quando Moyses debuit ædificare Tabernaculum. Nam ostendit ei Deus figuram totius Tabernaculi, vt non erraret, & etiam dedit similitudinem omnium vasorum ostendens figuram ipsorum, vt patet Exodi vigesimo quinto, scilicet, Faciẽt mihi sanctuarium iuxta omnium similitudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultu eius. Sic facietis illud. & iterum dicitur: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et sic esset hîc exemplar ostensum Dauid, sicut hîc. 1. Paral. 28

CAPVT XIV.

Sicut lex ordinata per Angelos fuit; sic scriptura noui Testamenti per Beatam Virginem.



ÆTERVM vt ad originem Scripturæ recurramus, non habemus in nouo Testamento legem Angelicâ scriptam manu, non fuit Euangelium ordinatum per Angelos, gratia siquidem per Christũ, & scriprio noui Testamenti per Mariam. Hæc enim est inter alias noui Testamenti excellentia, vt non fuerit in dispositione Angelorum, sed in eorũdem Angelorum Regina ordinatione, ipsa docuit scripturos Euangelistas, & Apostolos, ipsa putissimus fons noui scribendi Testamenti, vt sicut lex tradita per Angelum fuerat, sic per Mariam transmissa ad nos sunt gratiæ mysteria: nã præterquam quod omnes Euangelistas, & Apostolos docuerit, plurimaque cælestia mysteria, ac documenta Beatissima Virgo Maria tradiderit scribenda suis historiis & epistolis, vt iam vidimus, priores scriptores præcipuarum noui Testamenti partium singularius videtur instruxisse, & sic prima noui Testamenti scriptura specialiter videtur à Virgine emanasse, siue hæc fuerit Euangelium Matthæi, siue aliqua Pauli epistola, siue epistola S. Iacobi. Inter has scripturas poterit esse dubium, vtra omnium in nouo Testamento fuerit prima; & quidem in Euangelio suo sanctum Matthæum, qui prior aliis Euangelistis scripsit, à Virgine plura accepisse ex Ruperto iam notauimus. S. Paulum edoctum quoque à Virgine ex Beato Amadæo similiter roborabimus. Idem credendum est de S. Iacobo, cuius epistola prima est tempore inter canonicas: nam si author eius epistolæ fuit Iacobus Maior, de quo postea agemus, is magnam familiaritatem, imo contubernium, quippe frater sancti Ioannis, habuit cum Beata Virgine, & credo eo ipso tempore, cùm epistolam illam scripsit: nam de eo sic Flauius Dexter testatur ad annum quadragesimum primum: *Vt sui Apostolatus aliquod præberet specimen Ioannes Theologus, comitante Beatá Virgine, Ephesum proficiscitur, comite quoque Beato Iacobo, qui & Ephesi ad tempus prædicat: comitantur Virginem Lazarus, Martha, Maria, vbi etiam præsentia sua consolatur Beata Virgo Ignatium. Inde reuerso Ioanne cum Beata Virgine, quandiu illa vixit, nunquam Ioannes deseruit. Etiam reuertitur sanctus Iacobus, qui prædicans acerrime Iudæis, prius interfuit hoc anno consecrationi ædis sacræ Nazareth, in qua Virgo Deum concepit; præsentibus nonnullis Apostolorum. Succiso capite ab Herode, recèns Hierosolymam reuersus, nobile martyrium vigesimo quinto die Martij gloriosè pertulit. Discipuli sancti Iacobi Dei monitu Virginisque consilio, corpus Magistri Ioppe in naui deponentes, Iriam Flauiam Gallæciæ ciuitatem felici nauigatione peruenerunt.* Fuit quippe addictissimus hic Apostolus Virgini Mariæ, ac proinde multis illa gratiis eum prosecuta est, vt existentem procul in Hispania viseret cum sancto Ioanne; quod ipse Dexter testatur: *Beata Virgo Iacobo preces fundenti, Cæsaraugustæ in columna apparet in spiritu, veniente quoque Ioanne Theologo.* Hæc omnia pleniùs narrauit Iulianus Petrus in aduersariis suis, vbi ait: *Transtuli de Latino in Hispanum quandam historiam, quæ scripta prius Arabicè, mox facta fuerat Latina, quæ erat in tabulario sanctæ Mariæ Cæsaraugustanæ de Pilari, quod post reditum ab Hispania, vbi prædicauit, vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, venit Ephesum B. Iacobus, quum Beatam Virginem Hierosolymis est comitatus cum fratre Ioanne & aliis. Soluens autem Ioppe anno trigesimo sexto à Christo nato venit recta nauigiis in Hispaniam missus à sancto Petro cum benedictione sanctæ Virginis: creditur soluisse in portu Tarraconensi: alij dicunt alibi, nihil refert. Venit more Apostolico cum multis discipulis, quorum duodecim erant semper præcipui, alij comites: inde venit Cæsaraugustam, vbi vidente, & iubente B. Virgine, quæ se videndam obtulit super columna recta, magno spirituum cælestium contubernio, apparuit Diuo Iacobo ad ripam fluminis Orbæ preces fundenti, iussitque illic templum ædificare, & in illo sacram columnam collocare. Hoc templum primùm erectum est Beatæ Virgini in toto terrarum Orbe: post reuersionem ab Hispania celebratum est, & dicatum ab Apostolis Nazarenum, vbi fecit sacrũ Iacobus frater Domini.* Cùm igitur sic propitiam habuerit Matrem Dei hic Apostolus, & frater Ioannis fuisset eadem habitantis domo cum Virgine, nõ est verisimile, cũ eam scripsit epistolam, si Hierosolymis fuisset vbi erat Virgo, cum qua habitaret in eodem domicilio propter Ioannis fraternitatẽ, quin eam vniuersalẽ epistolam, & maximi momẽti cõmunicaret cum Matre Dei, eiusq; consilio vteretur in ea scribenda.

scribenda. At si aliunde scripsisset, etiam ope Virginis vteretur, siquidem etiam absens præsentem S. Iacobo se constituebat. Quòd si eius epistolæ scriptor alter Iacobus fuerit Hierosolymorum Episcopus, etiam hic cognatus Virginis fuit, & eius familiaritate vsus, vt eam, dum Virgo Hierosolymis habitauit, consuleret de rebus grauioribus, dubitari non potest. Facit ad hæc quod Iulianus in aduersariis scribit: *Iacobus frater Domini, primus Episcopus Hierosolymitanus, ex commissione sancti Petri Principis Apostolorum, & Christi successoris in Ecclesiæ regimine, curabat res Ecclesiarum, præsertim Hispanarum, cui creditur id iniunxisse B. Virginem, ob amorem quo prosequebatur Ecclesiam Hispanorum in Occidente primogenitam.* Quapropter ea epistola scripta ad Iudæos dispersos in Hispania ab vtrolibet Iacobo scripta fuerit, ope & auspiciis Beatæ Virginis missa videtur.

CAPVT XV.

Quæ fuerit prima noui Testamenti scriptura?



VT autem exploremus quæ fuerit noui Testamenti prima scriptura, ex scriptis Apostoli inchoemus. Epistolam ad Thessalonicenses priorem omnium Pauli epistolarum ordine esse primam, habet omnium consensus Doctorum, quemadmodũ & liquere poterit per singulas Pauli epistolas discurrenti. Scripta autem est hæc à Paulo epistola post primum in Macedoniam aduentum, qui Actorum decimo sexto, & decimo septimo describitur, postquam iam Paulus relicta Macedonia, & Thessalonica eius Metropoli, in Achaia, vel Athenis, vel Corinthi versaretur, cuius in hisce locis res gestas habes Actorum 17. & 18. Quocirca & ex harum alterutra vrbe datam omnes hanc epistolam consentiunt. Paulò tamen verisimilius ij censent, qui Corintho datam volunt primo illo ad eam vrbem Pauli aduentu: siquidẽ non est data hæc epistola nisi postquam Timotheus, quem Paulus Thessalonicam miserat ad eius vrbis Ecclesiam confirmandam, ad Paulum reuertisset, vt manifestè indicat illius epistolę caput tertium. At Timotheum Thessalonica, & è Macedonia redeuntem, offendisse Paulum Corinthi, disertè habetur Actorum decimo octauo, versu quinto. Quod ad rationem verò temporis attinet, videtur ea data anno Christi quinquagesimo secundo, Claudij decimo: eo enim anno contigisse Pauli Athenas, & Corinthum aduentum probat argumento duplici Baronius: vno quo Paulus Corinthum veniens, vt habetur Actorum decimo octauo, inuenerit ibi Aquilã & Priscillam, qui nuper ex Italiã venerant occasione edicti Claudij, quo iusserat Iudæos omnes vrbe secedere: at edictum illud anno nono Claudij factũ erat, vt idem Baronius ad annum Claudij nonum probat. Altero, quod Dionysius Areopagita isto Pauli Athenas aduentu conuersus sit, vt habetur in fine capitis decimi septimi Actorum. At passim traditur Dionysius anno decimo nono à passione Christi, fuisse ad fidem conuersus: si autem à passione Christi numeres, decimus nonus in eum annum, quem dixi, incidet.

Prius tamen scriptum fuit Euangelium sancti Matthæi; quamuis enim quo præcisè tempore scripserit certum non sit; multa tamen sunt, quæ Nicephori sententiam libro secundo Ecclesiasticæ historiæ, capite quadragesimo quinto, statuentis id factum anno post Christi ascensionem decimo quinto, omnésque item illas sententias, quæ post diuisionem Apostolorum factam in varias orbis terræ regiones Euangelium hoc conscriptum asserunt, falsitatis reuincant. Omnium ea verissima à Baronio ad annum Christi quadragesimum primum, aliisque pluribus habetur opinio, quæ huius Euangelij scriptionem refert ad annum Caj tertium, Christi quadragesimum primum, qui idem est à Christi Ascẽsione octauus. Ita Eusebius Pontaci in Chronico, Euthymius Prologo in Matthæum, Theophylactus Præfatione in Matthæum. Sub Caij Imperio scriptum etiam censent Isidorus libro 5. Originum, cap. 39. Beda libro de sex ætatibus mundi, in Caio, Ado in Chronico. Nec ab his dissentiunt plurimi qui ante diuisionem Apostolorum id factum volunt: quam diuisionem non ante Claudij annum secundum, Christi quadragesimum quartum, qui idẽ est ab Ascensione Christi vndecimus, contigisse; neq; diutius differri posse probat Baron. ad annum Christi 44. Et hanc sententiam probant multæ, variæque circunstantiæ; vt quod in Iudæa scripserit, quod passim omnes asserunt, Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, & Procemio in Comment. in Matth. & Præfatione in quatuor Euangelia ad Damasum, Athanas. in Synopsi, Euseb. Pontaci in Chronico, Beda in Martyrologio die 21.

Septembris, & libro de sex ætatibus mundi, Ado in Chronico, Isidorus Hispalensis libro nono Originum, capite secundo, Baronius, & alij. Item quod Iudæis recens ad fidem conuersis, Hebraicè scripserit, quod asserit Hieronymus, Chrysostomus homiliâ primâ in Matthæum. Item quod occasione dispersionis Apostolorum mox futuræ, dicatur ea scriptio facta, quod asserit Eusebius libro tertio Historiæ, capite decimo octauo, Nicephorus libro secundo Historiæ, capite quadragesimo quinto. Idem probant ea, quæ de sancto Bartholomæo ad Indos profecturo referunt historiæ, eum nimirum eò proficiscentem, Matthæi Euangelium secum detulisse, illisque reliquisse; cuius rei meminerunt Eusebius libro quinto Historiæ, capite decimo, Nicephorus libro quarto Historiæ, capite trigesimo secundo, Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis in Pantæno. Similiter quæ de Barnabæ refosso corpore sub Zenone habet Nicephorus libro decimo sexto Historiæ, capite trigesimo septimo, super cuius pectus inuentum est Matthæi Euangelium Hebraicè conscriptum. Hæc ex Bonfrerio excerpta sunt.

Consentit Flauius Dexter scriptum Euangelium Matthęi anno Christi quadragesimo primo, sed adiicit alterum antè annum scripsisse sanctum Iacobum Maiorem epistolam canonicam. Hæc est Dextri sententia ad annum Christi quadragesimum primum: *Iacobus interest profectioni ad prædicandum nonnullorum Apostolorum, scilicet Matthæi, Thomæ, Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Simonis, Iudæ, & etiam Matthiæ, qui Deo duce profecti sunt hoc anno, cùm eo simul etiam anno scripsisset is Euangelium Hebraicè. Anno verò quadragesimo Iacobus epistolam.* Similiter & Iulianus Toletanus in aduersariis suis, cuius posteà producemus verba, primam omnium scripturam noui Testamenti eandem Iacobi epistolam vocat. Et quidem si Iacobus Maior huius epistolæ canonicæ author est, cùm prius fuerit passus martyrium quàm alij Apostoli, excepto Matthæo, scripserint, reliquorum scriptis præcessisse dicendum est: comparatione quoque factâ ait eruditus Biuarius huius epistolæ cum cæteris scripturis noui Testamenti, hæc videtur prima ordine temporis; nam hoc solum videtur in causa fuisse, cur inter cæteras canonicas primum locum hactenus in Ecclesia obtinuerit; id quod non solum in Bibliis recens cusis reperitur, sed etiam in antiquis manuscriptis, imo in Catalogo librorum edito in Concilio Laodiceni, anno Domini ter centesimo sexagesimo quarto, vbi sic legimus: *Canonicæ Epistolæ septem: Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna.* Nequit autem intelligi, quare præponatur epistolis Petri, nisi quia prius tempore scripta fuerit. Præcedunt verò quatuor Euangelia, Acta Apostolorum, & quatuordecim Pauli epistolæ, quia sunt potiores noui Testamenti partes: non quia ea omnia priùs scripta sint quàm septem canonicæ epistolæ. Accedit quod in hac epistola promulgatum est sacramentum Extremæ Vnctionis; non videtur autem ab aliis sacris scriptoribus omitti potuisse, nisi iam scriptum extaret. Denique quando hæc epistola scripta fuit, nulla adhuc hæresis emerserat, quia nullam eius temporis impugnat; in aliis autem Epistolis & Euangeliis id non videmus: quare solum continet moralem institutionem & ad virtutes omnes commonitionem, præsertim ad patientiam, ad orationem, ad misericordiam, ad fidem operibus coniunctam, ad totius diuinæ legis obseruationem, ad moderationem linguæ; disputat contra personarum acceptionem, contra itam, luxuriam, concupiscentias vniuersas, contra diuites superbos, contra detractores: Commendat denique Extremam Vnctionem, Confessionem peccatorum, & de suffragiorum communione edisserit. Quod enim Cardinalis Baronius anno Christi sexagesimo tertio, numero vndecimo obiicit, sanctum Iacobum multum esse in hac epistola, vt conterat hæresim Magi iam ortam, qui solam fidem, & spem sine operibus aiebat ad salutem sufficere, atque adeò epistolam esse Alphæi filij, non verò Zebedæi, solidum non est. Tum quia Simon errores suos vno vt minimum anno ante discessum sancti Iacobi Zebedæi à Palæstina prædicauerat, videlicet anno Christi trigesimo quinto. paulò post necem sancti Stephani; Iacobus verò anno trigesimo sexto accessit ad Hispanias, & (vt diximus) vsque ad annum quadragesimum non scripsit epistolam: vt videas satis potuisse contra illum errorem scribere. Tum etiam quia non ex eo, quòd Iacobus moneret necessitatem bonorum operum cum fide, sequitur necessariò impugnasse ibi aliquam hæresim, quasi nihil docere posset, nisi contra hæreses iam exortas. Certè Apostoli cæteri cùm hæreses oppugnant suis scriptis, authores quoque illarum notare consueuerunt, vt est illud Pauli secundæ ad Timotheum secundo: *Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes, Resurrectionem esse iam factam.* Et illud Petri epistolâ secundâ, capite secundo: *Audaces, sibi placentes sectas non metuunt introducere, blasphemantes.* Et illud Ioannis epistolâ primâ, cap. secundo: *Nunc Antichristi multi facti sunt ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Et denique illud

Iudæ:

Iudæ: *Subintroierant enim quidam homines impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam,* &c. Solúsne ergo Iacobus hæreticis parceret contentus simpliciter veritatem suis erroribus oppositam docere? Absit, imò verò cùm eos non notet, minimè contra hæreticos disputasse docemur. Adde Simonem Magum non docuisse fidem ac spem in Deum ad salutem sufficere, sed spem & fidem, quam in se, & eius pellicem Helenem homines haberent; arrogans sibi Christi dignitatem. Quamuis autem ex hoc illud quoque sequeretur, adhuc nescimus quid de Deo diceret: quia hæretici non semper sibi constant.

Quod si canonicæ huius epistolæ author Iacobus Minor fuit, idem videtur dicendum hanc epistolam omnium scripturarum noui Testamenti primam esse, quippe scripsit Iacobus, vt epistolæ titulus præsefert duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione. Huius occasione tituli nonnulli suspicantur non diu post Christi passionem, epistolam hanc scriptam: nempe cùm occiso sancto Stephano altero à Christi passione anno concitata esset grauior in Iudæos fideles Ierosolymæ persecutio, cuius meminerunt Acta Apostolorum capite octauo, quæ causa fuerit vt Iudæi Christiani quàm plurimi huc, illucque vitandæ persecutionis gratiâ diffugerint, ac dilapsi sint: in quorum numero erant ex omnibus tribubus aliqui, etsi è decem tribubus pauciores. Ad hos itaque Iacobum Ierosolymorum, & Iudæorum peculiarem Episcopum, hanc epistolam scribere, quâ illos ad constantiam animet, nonnullorum opinio est. Ita censuit Primasius, D. Thomas, Titelmannus, Gagnæus. Eòdem inclinant alij, vel certè circa illa tempora, occasione alterius argumenti, quod sanctus Iacobus capite secundo epistolæ suæ pertractat, videlicet fidem cassam, & inanem esse sine operibus; quam doctrinam censent à Iacobo proferri ad refutandam hæresim Simonis Magi sub illud tempus persecutionis exortam, qui inter cætera asserebat fidem sine operibus sufficere, vt Irenæus, & Theodoretus adstruunt. Quapropter non est opus assignare eam scribendi huius epistolæ occasionem, quam afferunt nonnulli ex Augustino, natam ex obscuritate sententiarum Diui Pauli, cõmendantis virtutem fidei. Vnde aliqui arbitrati fuerunt solam fidem sufficere quod Iacobus dicunt declarasse, vt fides sine operibus non sufficeret. Potuit quidem Iacobus hanc veritatem dicere, quantumuis controuersa non esset.

Lib. de fide & operib. c. 14.

CAPVT XVI.

Vter Iacobus, Alphæine, an Zebedæi, scripserit Epistolam Canonicam?

Exhibetur testimonium Missæ Gotthicæ.



CIRCA scriptores noui Testamenti exigua inter Catholicos difficultas est, & pauca à nobis notari possunt, ab aliis non inculcata: quapropter nec morabor in iis quæ certa & notissima sunt. Potissima tamen paucis abhinc annis nata, siue renata dissensio est in auctore primæ canonicæ epistolæ, quæ Beato Iacobo Apostolo tribuitur, cùm duplex fuerit Iacobus Apostolus: dubium est vter illam scripserit. Eusebius, quem secutus est sanctus Hieronymus, & alij, censuerunt Iacobum Alphæi, siue Minorem: quoniam diu vixit. Alter autem Iacobus non videbatur istempus eius scribendæ epistolæ habuisse, imò nec prædicationis, immaturâ præoccupatus passione. Deinde quoniam ea epistola scripta est ad Iudæos dispersionis, & Iacobus Minor fuerit Episcopus Iudæorum, id est, Hierosolymitanus, visus est is esse, qui illas scripsit literas. His accedit Concilium Tridentinum capite primo sessionis decimæ quartæ, auctorem huius epistolæ Iacobum fratrem Domini nuncupans, quo scilicet agnomine Iacobus Minor & Alphæi notabatur. Re autem diligentiùs consideratâ, & grauissimis testimoniis productis, eam epistolam canonicam fuisse Iacobi Maioris eruditissimè probant noster Didacus Daza in prolegomenis ad epistolam sancti Iacobi, Ioannes de Salazar in Apologetico, tractatu de Aduentu sancti Iacobi Maioris ad Hispaniam, Thomas Tamaio in Apologia pro Dextro, & in notis ad Chronicon Luitprandi, Antonius Honcala Commentariis in Genesin, Franciscus Viuarius in Commentariis ad Chronicon Dextri, ad annum Christi trigesimum septimum. Idipsum censent Philippus Bergomensis in suo

Chronicorum supplemento, libro octauo ad annum Domini quadragesimum tertium qui postquam Iacobi Maioris vitam, & martyrium tradidisset, ad extremum addit: *Hic vnam è septem canonicis breuem scripsit epistolam.* Præterea Sebastianus de Forra ex ordine item Augustiniano, in secunda parte discursuum prædicabilium, folio vigesimo, columna secunda, idipsum non minus disertis verbis docuit. Quin etiam Dantes Ahiglerius Poëta celeberrimus, & eruditionis opinione præcipuus, in paradiso, quem librum Toscaniâ linguâ scripsit, cantu vigesimo, hanc planè sententiam tradidit; eandémque est amplexus Chrystophorus Landinus in eum locum, quem commentariis illustrauit, pro eadem citatur à Thoma Tamaio Antonius Caracciolus controuersiâ primâ de accessu S. Iacobi ad Hispanias, vt vel hinc appareat, non modò apud Hispanos & Gallos, sed etiam apud Italos hanc viguisse opinionem; imo & apud Germanos siquidem illam, vt communem inter Catholicos oppugnandam suscepit Lutherus præfatione in hanc epistolam, vt tradit noster Serarius Prolegomeno illo tertio. Hanc eandem sententiam probabilem pronuntiauit Magister meus GASPAR SANCTIVS tractatu tertio de prædicatione sancti Iacobi, capite duodecimo: necnon ex Mariana in Commentariis.

Nunc quæ istam sententiam fulciunt, proferamus; & primùm in Missa Gotthica Missalis sancti Isidori, non semel explicatur sanctus Iacobus Maior eius epistolæ auctor, ibi dicitur à Sacerdote hæc oratio: *Vocantem nos ad se IESVM, fratres dilectissimi, agnoscentes, qui Beatissimum Iacobum Apostolum suum retia componentem in naui ad se vocans, eius nos postmodum spiritualibus doctrinis admonet, atque docet, vt postulantes in fide nihil hæsitemus: omni mentis deuotione cum lacrymis eundem Dominum flagitemus, vt postulatio nostra apud Deum, ea nobis obtineat adimplere, quæ ipso Apostolo docente, cognouimus.* Et inferiùs: *Oremus: Apostolo Iacobo edocente præmonemur, vt si quis nostrûm indiget sapientiâ, postulet à te, qui das omnibus affluenter, & non improperas*, &c. Et infrà: *Christus Deus, Dei Patris filius, quem Iacobus relicto patre in naui, totâ secutus est intentione cordis, indesinenter vos faciat sui inhærere vestigiis. Amen.* Et in alia oratione S. Iacobi Zebedæi inquit: *Viuant in nobis, Domine IESV, Apostoli tui Iacobi prædicamenta doctrinæ* (scilicet quæ nobis prædicauit & dedit) *quibus docemur beatum illum esse, qui omnes tentationis valuit æquanimiter supportare.* Tot laudamus ex hac Missa auctores, quotquot illam approbarunt: hæc enim Missa Gotthica seu Muzarabica olim simul cum precandi ratione ex Gotthico ritu tota Hispania vtebatur, & Gallia Narbonensis sanctorum Hispaniæ Præsulum Iuliani, Leandri, Ildephonsi, & aliorum ducta authoritate, fuitque ea sacrorum ratio operâ Diui Isidori recognita, & approbata in Concilio quarto Toletano, cui ipse Isidorus interfuit (vnde Isidoriana item est appellata) regnante in Hispania Sisenando Gotthorum Rege, Præsule Toletanæ Ecclesiæ Iusto, annis ab hinc circiter mille, nempe salutis sexcentesimo trigesimo quarto, & Romanæ Ecclesiæ authoritate confirmata est à Gregorio Septimo, Ioanne Octauo, siue Decimo, ab Alexandro Secundo, & tandem à Paulo Tertio, imo per miraculum videtur comprobata: tempore siquidem Gregorij Septimi, cùm erepta Mauris ciuitas Toletana fuerat, Romana precandi ratio in Hispania recepta est, Gothica consuetudo aliquot locis retenta, eò quòd ignis iudicio permissa causa, cùm neutrum volumen flamma violasset, vtramque sacrorum rationem Deo gratam probauit, vt noster Mariana testatur libri noni capite octauo, nunc etiam eiusdem Missalis vsus est in Ecclesia Toletana, Hispalensi & Salmantina.

Fatetur idipsum expressè Iulianus in Chronico ad annum sexagesimum sextum, his verbis: *Duodecim tribubus in Hispania constitutis, vt docet Sophronius, prædicauit, & epistolam canonicam scripsit, vt docent Isidorus, & ante eum alij celebres scriptores Hispani, quorum fuit eo sæculo communis opinio, vt Missa sancti Iacobi ab Isidoro expurgata, à Melantio addita, aucta verò à sancto Serrano Asturio manifestè testantur & alij.* Clarissima quoque illa Iuliani verba sunt in suis aduersariis: *Missam sancti Iacobi acceptam ab eius Discipulis auxit Eugenius epistolâ, Euangelioque. Post D. Isidorus, & alij, vbi ponuntur nonnulla epistolæ illius, vt in Hispania traditione certum est. Missam cœpit perficere sanctus Melantus Episcopus: epistolam Honoratus, Pelagius, Adauctus, Olympius, & Gregorius Toletani Pontifices, tanquam Maioris Iacobi censuerunt exhibendam, & multis commentariis insigniter illustrarunt.* Idem Iulianus ait: *Ego vtpote Archidiaconus prius nunc Archipresbyter sanctæ Iustæ, defendi libris editis officium Muzarabum, vel sancti Isidori Missale, Breuiarium, Manuale, & Antiphonarium, quod primus reformauit sanctus Melantinus Episcopus Toletanus, vir sanctus; perfecerunt illud Olympius, Gregorius, Asturius, Audentius, & alter Olympius, Montanus, Leander, Isidorus, Ildephonsus, Iulianus Toletani Archiepiscopi, & multas Missas composuerunt, sed sancti Iacobi*

Maioris

Maioris à Discipulis sancti Iacobi inceptam, ferè perfecit, vt modò est sanctus Melantius Confessor, Archiepiscopus Toletanus. Hic idem sanctus Apostolus, sic dicitur Hispanè antonomasice, scripsit primam epistolam, & scripturam noui Testamenti Hispanis ex itinere, quum rediit in Hierosolymam, misitque ex Hibernia portu Dubmiensi, vbi rediens ex Hispania, prædicauit, & Hispani melius hoc scire potuerunt, quàm Eusebius Cæsariensis dissitus ab Hispanis terris. Penè eadem habet Luitprandus in Chronico, affirmans multorum testimoniis, Iacobum Maiorem auctorem esse epistolæ Catholicæ, & addit: *Habetur in Missa sancti Iacobi ab eius discipulis incepta, à Melanthio & aliis aucta: vbi citantur testimonia huius epistolæ tanquam Iacobi Zebedæi. Quæ Missa toti Hispaniæ & Galliæ Narbonensi communis fuit; quum videre non potuit Eusebius Cæsariensis, & ideò Hierosolymitano Iacobo, vt notiori illam attribuit.* Quibus verbis respondet obiectioni, quam ex testimonio Eusebij opponunt nonnulli. Paulò antè Iulianus in iisdem aduersariis notatum habet: *Sancto Iacobo Maiori Beatissimo Apostolo seruiuit vt Diaconus S. Stephanus (vt ait S. Ignatius Episcopus Antiochenus in epistola ad Trallianos) vocantque eum Toletana Concilia nominibus honorificis, scilicet Beatissimi Apostoli, & aliis eiusce modi, tanquam suum etiam patrem, & patronum venerandum: vtpote qui illis prædicauit, scilicet de Gentilibus profectus, & duodecim tribubus per totas Hispanias à captiuitate Hierusalem longè, latéque dispersis, vt docent sanctissimi viri Sophronius, & Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, aliique ex antiquis Patribus. Audiuique à Magistro meo, & Domino, Domino Paschali Toletano Archiepiscopo, dixisse sanctum Leandrum Gregorio: Epistolam, quæ sub nomine sancti Iacobi circumfertur, esse Iacobi Maioris, & quum sanctus Gregorius Papa legisset nescio quæ apud sanctum Hieronymum, quem meritò multum reueretur Ecclesia sancta Romana (quæ legerat etiam sanctus Leander) sed intelligebat sanctum Doctorem eius rei non plenam habuisse cognitionem, sed secutus erat quæ legerat apud Eusebium Cæsariensem (cui ille nimis addictus fuit) sanctum Gregorium reliquisse fecit in medio, & nunquam illum vocat in epistolæ citatione, Iacobum fratrem Domini, aut Minorem, nec Maiorem, sed sicut scriptum est, dicit.* Quod Paschalis obseruauit in sancto Gregorio verum est, nisi in libro septimo, capite decimo septimo, vbi ait: *per Iacobum dicitur.* Quod cùm semel fecerit, facilè Paschalem latere potuit. Neque huic sententiæ incommodat, cùm nudum Iacobi nomen ad vtrumlibet verti possit, vel ad nostrum potiori ratione trahi. An vt nomine Gregorij, si absolutè ponatur, Gregorius Magnus intelligendus venit: sicut nomine Plinij ille, qui senior dicitur: sic etiam Iacobi nomine, Iacobus Maior intelligi debet, vt obseruauit Daza. Neque hoc prætermittamus ex eodem Iuliano, vt Missæ Gotthicæ, quam toties laudauimus, auctoritas amplietur ex miraculo, quod suprà indicatum est. Ad annum Domini millesimum octogesimum sextum hæc habet: *Magna lis inter Muzarabes Toletanos, & Francos milites orta est super Missali Gotthico, volente Rege, vt mutaretur pro Romano. Res ad pugnam deducta est, pugnante pro Missali Gotthico Ioanne Roderici à Matienzo, & Ordonio Inachi pro altera parte, sub Iudicibus Petro Gomesano, Barroso, Petro Aluari Muniosio Adefonsi, Petro Iuliani de Domo Toletanorum Equitum Muzarabum. Pugnatum est ad Palatium sanctæ Leocadiæ suburbanæ in prætorio extra vrbem: vterque se fortiter gessit totâ ciuitate & Rege, & Regina, & Electo spectantibus. Tandem vicit Ioannes Roderici, & cum gloria, plausúque laureatus recipitur in Cathedrali sanctæ Iustæ antiqua, quem ego Iulianus Peccator Archipresbyter obuiis vlnis & lachrymabundus excepi, acclamantibus vniuersis Muzarabibus: Vicit Christus, & sacrum officium Isidorianum, adiuuat Christus precibus Sanctorum Muzarabum. Nec Rex hoc prodigio voluit acquiescere. Sed reducta est ad vulgarem probationem. Nam eiectis in ignem Missalibus, prosilyt Romanum, & discompaginatum sparsis volat quaternionibus, & Isidorianum mansit illæsum in mediis flammis, quo significatum est manifestè placere Deo, vt Romanum dispergeretur per totum Orbem, & Gotthicum maneret Toleti. Sic decretum est, vt maneret in sex Ecclesiis Gotthicis, quæ semper Deum coluerunt omni tempore. Hæc vulgaris probatio facta est ante fores sanctæ Mariæ Maioris, quod probauit Papa. Nam in æde sanctæ Iustæ conuenientibus Muzarabibus, super quemdam descendit Columba, & sedit super caput eius, vnde vocatus Columbanus, vel Palomeque vulgo, & hic cum aliis iuit Romam.*

CAPVT

CAPVT XVII.

Testimoniis etiam Isidori Hispalensis, Alphonsi Sapientis, Maximi, & Heleca Cæsaraugustani, Lucij Dextri, Clementis Romani, Luitprandi Ticinensis, Bernardi Toletani, Iuliani quoque Toletani, & Syrorum tribuitur Epistola Canonica sancto Jacobo Maiori.

PLVRIBVS idipsum testimoniis firmemus. Sanctus Isidorus in libro de ortu & obitu Patrum, capite septuagesimo primo hæc habet: *Iacobus filius Zebedæi, frater Ioannis, quartus in ordine* (cui scilicet præcedunt in Catalogo Apostolorum, Petrus, Paulus, & Andreas) *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione Gentium, scripsit, atque Hispaniæ Occidentalium locorum gentibus Euangelium prædicauit, & in occasu mundi lucem prædicationis infudit.* Huius testimonij auctoritatem aliqui conati sunt eneruare, quibus tamen Daza & Viuarius faciunt satis. Alphonsus Rex Castellæ, cognomento Sapiens, idem censuit ipsis sancti Isidori verbis vsus in libro Thesauri, capite septimo, sic habet veteri linguâ Hispanâ, quâ scripsit: *Santiago hyo del Zebedeo, hermano de san Iuan, fue el quarto en orden de los Discipulos. Escriuio la epistola a los doze linajes, que son en el departimiento de las gentes, e predico el Euangelio en las partidas del Occidente.* Præterea Heleca Episcopus Cæsaraugustanus (qui circa annum Domini octingentesimum doctrinâ & virtute claruit) in additionibus suis ad Marcum Maximum, vbi loquens de suo æuo, quo scilicet miserabili seruitute Maurorum Hispania premebatur, hæc ait: *Sacra Scriptura Arabicè translata à Presbyteris Catholicis habentur, & cum scholiis circumferuntur: præcipuè nouum Testamentum, Euangelium, Epistolæ Pauli, Epistola Iacobi Zebedæi, Missa ad Hispanos ex dispersione Iudæos iam conuersos, Epistola Petri, Pauli, & Iudæ, quæ scilicet missa fuit ad omnes, ex Iudaismo, præcipuè tamen ad Hispanos ex duodecim tribubus collectos: Apocalypsis sancti Ioannis, & liber de vitis Patrum.* Ante hos Flauius Lucius dixerat ad annum trigesimum septimum: *Duodecim tribubus migrationis è Babylonia, quibus prædicauit, Canonicam misit epistolam, quæ sic incipit, Iacobus &c. Domini nostri seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione.* Accedat testimonium Luitprandi Ticinensis hominis Itali, qui pro eadem sententia allegat Maximum inter alios iam laudatos. Ille igitur in Chronico æra 856. ita ait: *In honore præcipuo habetur per Hispanias epistola Catholica sancti Iacobi Zebedæi filij, quam scripsit duodecim tribubus per Hispaniam dispersis, quod ex Apostoli Iacobi discipulis acceperunt posteri, ab iis sanctus Melanthius vsque ad hæc tempora. Hinc Dexter, Maximus, Isidorus collegerunt.* Laudat quoque Iulianus Bernardum Toletanum eiusdem sententiæ defensorem, dicens: *Dominus Bernardus Archiepiscopus Toletanus illustrauit epistolam sancti Iacobi, quam probauit compositam esse à sancto Iacobo Zebedæi filio, transmissam verò Iudæis conuersis ex duodecim tribubus dispersis per Hispaniam.* Hæc ille in aduersariis. Suffragantur Syri Hispanis Authoribus, vt constat ex Syriaca inscriptione huic epistolæ simul cum aliis canonicis præfixa, & inuenitur apud Witmanstadium, atque à nostro Serario recitatur in Prolegomenis Bibliacis, Prolegom. tertio peculiari in hanc epistolam, habétque in hunc modum: *In nomine Domini nostri IESV Meschiæ sigillamus tres epistolas, Iacobi, Petri, Ioannis. Isti sunt qui testes fuerunt super reuelatione Domini nostri, quando immutauit se ipsum coram oculis ipsorum in monte Thabor.* Porrò Iacobus, qui vnà cum Petro, & Ioanne, interfuit Christi transmigrationi, sanè fuit Iacobus Zebedæi filius, & Ioannis frater, vt constat Matthæi decimo septimo. Ergo cùm de his tribus epistolarum authoribus nullo discrimine Syriaca inscriptio profiteatur, testes fuisse transfigurationis Dominicæ, dubium non est, quin Syrorum opinione Iacobus Maior fuerit huiusce author epistolæ. Quod apertius adhuc liquet ex alia inscriptione Syriaca, quæ apud Tremellium inuenitur, & ab eodem Serario citatur: *Tres epistolæ trium Apostolorum, ante quorum oculos Dominus noster sese transformauit.* Facit ad hæc quod Franciscus Viuarius rectè considerauit, Sanctus Clemens Papa, qui dum secundam epistolam scribit ad Iacobum fratrem Domini,

Domini, & Hierosolymorum Episcopum in confirmationem doctrinæ suæ affert verba illa capitis quarti huius epistolæ: *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex: vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* Tam longam epistolæ periodum in medium adducit, cũ ad illum scribit. Quod si eius Apostoli esset, haud dubium quin præmitteret, rectè ipsum dixisse: *Humiliamini, &c.* Nunc autem nihil tale asserit, quin imo affert sententiam illam, quasi Scripturam sacram alterius longè authoris. Quædam etiam sunt in ipsa epistola quæ Iacobo Minori conuenire nequeunt, sed Maiori præsertim exordium illud, Iacobus Dei & Domini nostri IESV Christi seruus duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. (vt omittam Apostolum ibi interdicere bella, capite quarto: *Vnde bella & lites in vobis?* quæ satis redolent belligerum spiritum Hispanorum) Ex quo infertur illum Iacobum authorem fuisse, qui duodecim Tribubus in dispersione constitutis prædicauit: Ad illos enim Apostoli litteras dabant, qui suæ prædicationis Prouinciæ incolæ erant, vt quæ verbo eos docuerant, scripto tenerent. De his vero quæ suæ Prouinciæ non erant, nemo Apostolorum ita curabat, ne falcem in alterius messem mittere videretur: satis arbitratus fecisse, si de sibi specialiter commissis ouibus rationem redderet. Cæterum qui duodecim Tribubus in dispersione constitutis prædicauit, Iacobus Maior fuit, non autem Minor, vt ex Sophronio, Dorotheo, & Isidoro palàm fiet. Sophronius quidem de Scriptor. Ecclesiast. ait: *Iacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus, quæ erant in dispersione, omnibus prædicauit Euangelium.* Dorotheus in Synopsi titulo de duodecim Apostolis capite tertio: *Iacobus filius Zebedæi piscator duodecim Tribubus in dispersione constitutis prædicauit.* Isidorus libro de ortu, & obitu Patrum scribit eadem verba quæ supra retulimus. Et idem ait Iulianus in Chronico anni sexagesimi sexti. At vero de Iacobo Alphæi nemo est, qui vel leuiter id dicat, imo neque alibi quàm Hierosolymis prædicasse, vbi non agebat cum dispersis, sed cum ciuibus. Quod sibi voluit D. Iulianus Archiepiscopus Toletanus super caput primum Naum, ad illa verba: *Et nebulæ puluis pedum eius,* dum de cæteris Apostolis hac phrasi vsus fuit: *Petrus detulit eum Romam, Ioannes Asiam, Andreas Achaiam, Iacobus Hispaniam, &c.* De Iacobo autem Alphæi non ait *detulit* Dominũ huc vel illuc, sed *Iacobus* (ait) *Alphæi eum retinuit Hierosolymis,* nimirum, quia sors eius propria, ciuitas illa fuitque sola, Iacobo autem Zebedæi Hispania in sortem obtigit, vbi duodecim Tribuum dispersio degebat.

CAPVT XVIII.

Vter Iacobus vocatus fuit à Tridentino Concilio frater Domini.



Vod ex Concilio Tridentino obiicitur vocante auctorem epistolæ Canonicæ Iacobum fratrem Domini, non arduum exitum habet, si dicamus cum Daza & Biuario etiam Iacobum Maiorem eiusmodi fuisse vocatum, quod testatur Iulianus Presbyter, imo addit sub eo quoque nomine celebratum in Hispania festum Translationis ipsius trigesima die Decembris: verba huius Authoris, ad annum sexagesimum sextum sunt hæc: *Eius festiuitas est sub nomine Iacobi fratris Domini, quod nomen etiam conuenit Iacobo Maiori.* Nec mirum cum in Euangelio non solũ Iacobus Alphæi, sed etiam eius fratres Simon, & Thadæus, & præter hos Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, nuncupentur fratres Domini, & ita vulgo nuncupatos docent Matthæus duodecimo capite, Marcus tertio, Lucas octauo illis verbis: *Adhuc eo loquente ad Turbas, ecce Mater eius, & fratres stabant foris,* Super quem locum agens Hieronymus contra Heluidium: *Restat* (inquit) *vt fratres eos intelligas appellatos, cognatione.* Et super Matthæũ ait: *Quidam vero fratres Domini, de alia vxore Ioseph filios suspicantur, deliramenta sequentes Apocryphorum, & quandam Escã mulierculã confingentes* (eius vxorem) *Nos autem fratres Domini, non filios Ioseph, sed Cõsobrinos Saluatoris intelligimus.* Similiter Beda: *Fratres Domini* (a it) *non filij sẽper Virginis Mariæ, iuxta Heluidiũ, nec filij Ioseph ex alia vxore, iuxta quosdã putãdi sunt, sed eius potius intelligendi sunt esse cognati.* Expressiùs sanctus Chrysost. Iacobũ Zebedæi filium, & Ioannem ipsius fratrẽ germanũ, pronuntiat fratres quoq; Domini fuisse appellatos. Verba Chrysost. seipsũ interrogãtis, ea sunt: *Vnde igitur, inquies, fratres eius dicũtur Iacobus, & Ioannes?* Qua interrogatione plane supponit Chrysost. vulgò sic dictos. hom. 5. in c. 1. Matth.

Ioann. Euseb. de Origine S. Script. HHh Neque

Neque obstat Paulus in epistola ad Galatas: ibi enim non ait Iacobum Minorem cognominari peculiariter inter omnes Apostolos fratrem Domini, sed esse: quod tamen verissimum est. Ignatius autem solum ait, se magnopere desiderare conspectum Iacobi Minoris, quia erat facie Christo simillimus. Quod verò similitudo hæc in causa eius cognitionis esset, prorsus non meminit: *Similiter*, (inquit, desidero videre) *illum venerabilem Iacobum, qui cognominatur Iustus, quem referunt Christo Iesu simillimum facie.* Quapropter non colligitur ex loco Pauli eam fuisse Iacobo Minori peculiarem propriam appellationem: nam alia esse poterant, quæ illum potius, quàm nostrum intelligi cogerent, vt quod hic absens, aut mortuus esset, quod multi quidem sentiunt iuxta veriorem temporum rationē, licet alij aliter sentiant. Sicuti cum Iudas in ipso suæ epistolæ ingressu inquit: *Iudas IESV Christi seruus, frater autem Iacobi.* de Minore Iacobo intelligendus venit, quamuis Iacobi appellatio in Maiorem etiam conueniat. Atque adeo posset de Minori Iacobo speciatim intelligi, quod Paulus ait, licet *fratrem Domini* non addidisset: neque enim ad distinctionis notam cognomen hoc ipsi attributum videtur, sed honorificam quandam esse appellationem, quæ illi quidem ab Apostolo adhibita est, cum de ipso incideret mentio, sed alteri eodem iure tribui posset, vt certè tribuitur: tametsi Minori Iacobo frequentius indita reperiatur, quod alter Iacobus Zebedæi filius vulgò appellari soleat, & plura addere cognomina opus non esset, vt noster Daza obseruauit, qui etiam auctoritati Tridentini respondet ad institutum Concilij eo in loco prorsus referre nihil, huiusne, an illius Iacobi sit hæc epistola, neque de ea Concilium laborare: id vnum ad rem, de qua agebat, pertinere, vt sacra sit Scriptura. Vnde firmum suæ definitionis fundamētum posset accipere. Itaque quod de Iacobo fratre Domini dixit, obiter, & ex transcursu dixit, non ex instituto & data opera, vbi autem sacros libros, & eorum authores ex professo recensetnempe sessione quarta Canone 1. nil aliud ait quàm epistolam hanc esse Iacobi Apostoli neutrū certò designans.

CAPVT · XIX.

An Siluanus, Timotheus, Sosthenes, & Tertius aliquid canonicum scripserint?



CIRCA epistolas sancti Pauli illud annotandum videtur aliquarum authores, siue coadiutores Siluanum, & Timotheum conscribi, qui simul cum Apostolo prænotantur initio duarum epistolarum ad Thessalonicenses, quæ sic inscribuntur: *Paulus & Siluanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium.* Pluries nominatur Timotheus cum sancto Paulo: secunda ad Corinthios ita incipit: *Paulus Apostolus IESV Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi.* Epistola ad Philippēses sic: *Paulus & Timotheus serui IESV Christi omnibus sanctis in Christo IESV, qui sunt Philippis.* Ad Colossenses sic: *Paulus Apostolus IESV Christi per voluntatem Dei & Timotheus frater, eis, qui sunt Colossis sanctis.* Ad Philemonem sic: *Paulus vinctus Christi IESV, & Timotheus frater Philemoni.* Epistola etiam ad Corinthios prima Sosthenem præscriptum fert huiusmodi: *Paulus vocatus Apostolus IESV Christi, & Sosthenes frater Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi.* In epistola quoque ad Romanos scribenda videtur Paulus coadiutorem habuisse sanctum Tertium. Verum Ecclesiæ traditio est has omnes esse Pauli epistolas scribentis vel dictantis illas, quod satis esset, vt omne dubium tolleret. Præterquam quod incommodè vna epistola à pluribus scribi potest, nisi quis fingeret vnā partem ab vno, & alteram ab altero dictatā. Præterea Pauli nomē primo præfixum loco has indicat epistolas ipsius esse; alios verò secundo loco adiectos honoris causa, & ex humilitate Apostoli qui aliorum etiam nomine suas literas dictare, scribere, & mittere voluit, vt Photius Constantinopolitanus obseruauit: fortasse nonnulla peculiaris ratio in Siluano, & Sosthene fuit, quippe Dorotheus notat Siluanum, quem sanctus Lucas vocat Silam, Episcopum Thessalonicæ fuisse. Atque ideo ad Thessalonicenses scribens eius etiā nomine misit Apostolus duas epistolas. In litteris autem ad Corinthios Sosthenis nomen Colophoniadis Episcopi iuxta eūdem Dorotheum adiecit, vt epistolam suam firmiorem, acceptioremq; faceret Corinthiis, apud quos erat Sostheuis Archisynagogi celebre nomē & auctoritas. Porro Tertius Iconij Episcopus, Pauli Discipulus, & Amanuensis scripsit dictante Apostolo, eam, quæ est ad Romanos, epistolam: in cuius fine salutationem quoque

suam

suam apponens, ait: *Saluto vos ego Tertius qui scripsi epistolam hanc in Domino.* Is cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quæ propter multitudinem, ac sublimitatem quæstionum cæteris Pauli epistolis obscurior est, longe reddidit obscurissimam, dum sensus, & cogitationes Pauli, elocutionibus interdum confusis, & in absolutis sententiis, ac transposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare. Diodorus, Tarsensis Episcopus, in expositione epistolæ ad Romanos, huius rei testis est. Theodolus Celesyriæ Presbyter, in expositione epistolæ ad Romanos, pro Tertio, Terentium legit, quod Sixtus annotauit. Timotheus autem ideirco nominari videtur in secunda ad Corinthios, quia iis notus erat, non Paulus: ideo Caietanus scribit: *Timotheus fuit vnus ex illis, per quos Paulus priorem epistolam misit è Philippis ad Corinthios, & aliquanto tempore conuersatus in Ecclesia Corinthiorum, retulit Paulo tum querimoniam, quod Paulus non iuisset personaliter ad Corinthios, vt promiserat, tũ ob locutiones de Paulo, &c. Et propterea Timotheus non tanquam delator, sed tanquam constructor illorum in principio epistolæ nominatur.*

Quærunt nonnulli cur Paulus constanter suis scriptis proprium nomẽ præfixerit, quod non ita præstiterit Moyses, & alij scriptores sacri veteris Testamenti. Deinde cur vnam epistolam ad Hebræos sine nomine euulgauerit. Ad primum sic Chrysostomus homilia prima in epistolam ad Romanos respondet: *Moyses libris quinque à se scriptis nusquam nomen suum addidit, neque qui illum subsecuti, quæ post illum gesta sunt, scripsere. At Beatus Paulus vbique epistolarum suarum nomen suum præponit. Quid ita? quod illi quidem præsentibus scribebant, ac supervacanea illis erat præsentia sua declaratio: hic autem è longinquo litteras mittebat, & sub epistolari figura; ideoque necessaria erat nominis additio.* Anselmus quoque ait: *Et nomen suum celebre, & omnibus cognitum proponit in hac epistola: vt Romani audito tãti viri nomine, attendant, quid eis vellet persuadere, quid dignetur præcipere, vt ad audiendum solliciti, & ad obediendum existant parati.* Subdit idem Anselmus: *qui personam suam & officium primo commendat vt sermonibus suis & correctionibus Romani facilius acquiescant.* Porro in epistola ad Philippenses Apostolatus noo meminit, vt Ambrosius & Anselmus notant, quia *ad Philippenses, vbi non erat tanta auctoritas necessaria serui ambo ponuntur.* Nimirum, Paulus, & Timotheus.

Ad alterum quæsitum de suppresso Pauli nomine in epistola ad Hebræos satis respondit Clemens Alexandrinus, cuius sententiam referens Eusebius libro sexto Historiæ capite vndecimo hæc habet: *Epistolam item ad Hebræos scriptam Pauli esse affirmat, & Hebraico sermone ad Hebræos ab eo editam. Lucam autem eam accuratè in Græcum, vt Græcis traderet, conuertisse: Illudque planè ex interpretatione ipsa facile intelligi posse, quod epistola, & Acta Apostolorum idem orationis stilum habeant, atque hanc inscriptionem Paulus Apostolus, non sine causa in epistolæ principio fuisse prætermissam: Nam cum Paulus ad Hebræos epistolam scriberet, quia illi præiudicatam animus sententiam & suspectam opinionem contra eum, eiusque doctrinam combiberant, nomen consultò admodum non inscripsisse: ne inipso exordio animos illorum prorsus ab epistolæ lectione auerteret. Deinde longius aliquanto in oratione progressus, addit ista: Iam vero sicut Beatus quidam Presbyter dicebat: quoniam Dominus ipse Apostolus patris fuit omnipotentis ad Hebræos missus fuit. Paulus, quia erat ad gentes missus, modestè quidem, cum ad Hebræos scriberet, se Apostolum Hebræorum non inscripsit, partim propter honorem, quem Domino Hebræorum Apostolo tribuebat: partim, ne cum gentium præco & Apostolus esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur.*

fert,nimirum in voce illa *Corpus* momentum ponit Apostolus,subdens statim: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis IESV Christi semel.*

Illud etiam quæri potest,an similiter aliqua ex Hebræo citent Apostoli,quæ in Septuaginta nequaquam reperiantur. Quoniam sanctus Hieronymus aliquando,vt Septuaginta interpretum versionis auctoritatem extenuaret quinque loca producit in nouo Testamento citata, quæ dumtaxat inuenirentur in Hebræo: Præfatione in Pentateuchum sic scribit: *In codicibus Hebræis,multa de veteri Testamento legimus, quæ in nostris Codicibus non habentur,vt est illud,ex Ægypto vocaui filium meum.Et,quoniam Nazarenus vocabitur,& videbunt in quem confixerunt.Et,flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.Et,quæ nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis ascenderunt,&c. Et multa alia, quæ proprium σύνταγμα desiderant.Interrogemus ergo eos,vbi hæc scripta sunt,& cum dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus.* Similia habet Præfatio in Iosue,in Paralipomena, in Esdram,& Nehemiam,in caput sextum Esaiæ,proœmio quæst.in Genesim,& alibi sæpius. Quamuis autem præfatione in Pentateuchum multa pronuntiet eiusmodi loca esse in Hebraicis Codicibus non in Septuaginta,nullibi tamen præter ea quinque ostendit, quæ tamen si examinentur,vix vllus locus erit,qui in Hebræo palam reperiatur,nisi primus ille: *ex Ægypto vocaui filium meum*, quem ex antiqua Scriptura refert sanctus Matthæus capite secundo,& sanctus Hieronymus ait ex capite vndecimo Oseæ allegatum esse,vbi codex Hebræus eodem modo habet: *Ex Ægypto vocaui filium meum:* Septuaginta vero: *Ex Ægypto vocaui filios eius.* At quantula ista differentia est,totius discriminis cardo vnam super literulam apud Hebræos vertitur:Legit enim sanctus Euangelista בני *beni filium meum*: Septuaginta בניו *benau filios eius.* Hi literam ו adsciscendam iudicauerunt,ille reiiciendam. Sensus tamen idem est,eúmque locum allegauit sanctus Matthæus qui Græcè non scripsit,sed Hebraicè. Quapropter non mirum patum hæsisse versioni Græcæ; præterquam quod in numero plurali singularis includitur,& qui dixit filios,etiam dicit filium:quapropter non absolutè deest iste locus à versione Septuaginta; id saltem verum, magis deesse cætera testimonia in Hebræo,quam istud in Septuaginta,vt patebit consideranti rem maturius. Nam illud: *quoniam Nazaræus vocabitur*, nequaquam huiusmodi pronunciatum in Hebræo reperitur:imo ipse sanctus Hieronymus testimonium capitis vndecimi Isaiæ, vbi dicunt extare locū allegatum à sancto Matthæo,vertit iisdem quibus septuaginta verbis: *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos* (non autem Nazaræus) *de radice eius ascendet,* nec hoc contentus,aliter verti non debere confirmat Commentario in hunc locum. Sed ipsum Hieronymum audiamus: *Illud quod in Euangelio Matthæi omnes quærunt Ecclesiastici,& non inueniunt vbi scriptum sit: Quoniam Nazaræus vocabitur,eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant. Sed sciendum quod hic* נצר *per* צ *literam scribatur, cuius proprietatem,& sonum inter Z. & S. Latinus sermo non exprimit,&c. Porrò Nazaræi quos Septuaginta sanctificatos,Symmachus separatos transtulerunt per* ז *semper scribuntur elementum.* Imò licet verteretur hic locus prout alibi,vt videtur,in diuersa sententia existens,vertit sanctus Hieronymus in caput Matthæi secundum,& in tractatu de optimo genere interpretandi: *Exiet virga de radice Iesse,& Nazaræus de radice eius ascendet.* Non videtur hunc locum citasse Matthæus,cuius verba sunt: *Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* Hæc autem verba in nullo Prophetarum libro,qui nunc extet,reperiuntur. Diuersum quippe est: *Nazaræus de radice eius ascendet* ab hoc vaticinio, *quoniam Nazaræus vocabitur.* Porrò alter locus,quem Ioannes capite septimo scribit Christum allegasse: *& flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Nec à sancto Hieronymo declaratur, vbi sit in Hebræo. Nec hactenus inuentus est in toto veteri Testamento: quod si dicatur sumptus ex capite decimo octauo Prouerbiorum, vbi dicitur: *Aqua profunda ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ.* Cur non etiam ex Septuaginta, qui sic vertunt: *Aqua profunda sermo in corde viri,flumen autem scaturit & fons vitæ.* Idem dici potest de alio loco citato ab Apostolo in primæ ad Corinthios capite secundo: *Oculus non vidit, nec auris audiuit,nec in cor hominis ascendit,quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.* Hoc planè testimonium,vt iacet,in Hebræo non est:id satis perspexit idem Hieronymus:atque idcirco dicit paraphrasticè allegatum ab Apostolo ex capite sexagesimo quarto Isaiæ. At conferamus eius loci ex Hebræo,& Septuaginta versiones. Vtra quadrabit plus Apostolo? Hebraicè ita vertit: *A sæculo non audierunt,neque auribus perceperunt. Oculus non vidit, Deus absque te,quæ præparasti expectantibus te.* Septuaginta autem sic: *A sæculo non audiuimus,neque oculi nostri viderunt Deum absque te,& opera tua quæ facies expectantibus misericordiam.* Cur igitur dicendum ex Hebræo potius, quam ex Septuaginta hoc testimonium

 allegasse

allegasse sanctum Paulum. Denique locum illum: *Videbunt in quem transfixerunt*, quem ex veteris Testamenti Scriptura citat sanctus Ioannes capite decimo nono, nec clarè est in Hebrǽo, nec prorsus abest à Grǽco Septuaginta, capite duodecimo Prophetæ Zachariæ. In Hebræo siquidem dumtaxat est, *compunxerunt*, at in multis Septuaginta codicibus non solum est *insultauerunt*, sed *compunxerunt*, vt in Hebræo, sicut doctissimi notarunt viri ad illum Zachariæ locum in scholiis editionis Sixtinæ Septuaginta Interpretum, ita scribunt, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, sic quoque est in quibusdam aliis libris; in quibusdam antecedit, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Est qui habeat, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, nec habeat ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, quæ duplex videtur esse interpretatio. Deinde ex sancto Cypriano confirmatur, qui aduersus Iudæos agens libro secundo legit, *in quem transfixerunt*. Tertullianus consimiliter scribẽs aduersus eosdem capite decimo quarto legit, *quem pupugerunt*. Ex æquo tamen alia lectio scopo ipsorum conducebat. Alibi Tertullianus non aliter legit, vt libro de Resurrectione carnis capite vigesimo secundo, & libro tertio contra Marcionem capite septimo, quanquam sola translatione Septuaginta Latinè reddita vterentur. Itaque lectionem *insultauerunt*, prorsus ignorasse videntur, vt Ioannes Morinus diligenter obseruat. At licèt in nullis Septuaginta codicibus reperiretur ἐξεκέντησαν, id est, *cõpunxerunt* sed ὠρχήσαντο *saltauerunt*, siue *insultauerunt*, non viderentur multo plus dissonare citationi Apostoli, quam Hebræus textus, sed diuersimodè vertisse Euangelistam, & Septuaginta, & vulgatam, siue sanctum Hieronymum: vt idem sanctus Doctor notauit in tractatu de optimo genere interpretandi, enarrato hoc loco colligit. *Discrepat Euangelista, Septuaginta Interpretum, nostraque translatio, & tamen sermonum varietas spiritus vnitate concordat.* Tunc dissidium hoc verbis non rebus inesse existimabat, longissimèque aberat illius animus à dicta illa sententia, quam Commentario in Zachariam postea pronuntiauit, vbi ait: hoc erroris interpretatione accidisse: *Si enim legatur* דקרו ἐξεκέντησαν, *id est, compunxerunt, siue confixerunt accipitur. Sin autem contrario ordine literis commutatis* רקדו ὠρχήσαντο, *id est, saltauerunt, intelligitur, & ob similitudinem literarum error est natus. Ioannes autem Euangelista, qui de pectore Domini hausit sapientiam, Hebræus ex Hebræis, quem Saluator amabat plurimum non magnopere curauit quid Græca litera continerent; sed verbum è verbo interpretatus est, vt in Hebræo legerat, & tempore Dominicæ passionis dixit esse complementum. Quod si quis non recipit, det testimonium, de quo sanctarum Scripturarum loco, Ioannes ista protulerit, & quum non repererit, cogetur ingratus suscipere veritatem.*

CAPVT II.

An Septuaginta interpretes condiderint Scripturam.

ITAQVE ex Septuaginta potissimum versione Apostoli citarunt Scripturæ testimonia, imo illa quæ in Hebræo non reperiuntur. At vnde ista Septuaginta illi viri acceperunt, cum absint originali Hebraico? An ne & ipsi condiderunt Scripturam? Hoc quidem opportunè differemus, nec abs re erit explorando sacræ Scripturæ originem, Cur interdum aliter legerint Septuaginta, quam iacet in Hebræo, cur etiam nonnulla aliquando addiderint. Huic quæsito facile respondent prisci Patres, dum in Septuaginta interpretibus diuinum afflatum & Propheticum spiritum agnoscunt, imprimisque D. Augustinus libro secũdo de doctrina Christiana capite decimo quinto, & libro decimo octauo de ciuitate Dei capite quadragesimo secundo, multoque magis adhuc capite quadragesimo tertio. Vbi totus est in demonstranda huius versionis auctoritate, refellendisque, quæ contra obiiciuntur, vbi hæc inter cætera. *Quamuis*, inquit, *non defuerit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas conuerterit. Sed eius tam literatum laborem, quamuis Iudæi fateantur esse veracem, Septuaginta vero interpretes in multis errasse contendant, tamen Ecclesia Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice, ad hoc tantum opus electorum, neminem iudicant præferendum: quia etsi non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus, sed inter se verba interpretationis suæ Septuaginta docti more hominum contulissent, vt quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi. Cum vero tantum in eis signum Diuinitatis apparuit, profectò quisquis alius illarum scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut*

congruit

congruit illis Septuaginta interpretibus, aut si congruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat, etiam in Septuaginta viris, quando illa interpretati sunt. Qui profectò auctoritate diuina, & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille vtrumque dixisset, quia vtramque idem spiritus diceret, & hoc ipsum aliter, vt si non eadem verba, idem tamen sensus bene intelligentibus dilucesceret: & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam vt hinc ostëderetur non humanam fuisse in illo opere seruitutem, quam verbis debebat interpres, sed diuinam potius potestatem, quæ mentem replebat, & regebat interpretis. Et paulo post: *Si igitur, vt oportet, nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quid per homines dixerit Dei spiritus, quidquid est in Hebrais codicibus, & non est apud interpretes Septuaginta, noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas Dei spiritus dicere. Quidquid vero est apud Septuaginta, in Hebrais autem Codicibus non est, per istos maluit, quam per illos idem spiritus dicere, sic ostendens vtrosque fuisse Prophetas. Illo enim modo alia per Isaiam, alia per Ieremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit, vt voluit. Quidquid porrò apud vtrosque inuenitur, per vtrosque dicere voluit vnus atque idem spiritus: sed ista, vt illi præcederent prophetando, isti sequerentur prophetice illos interpretando: quia sicut in illis vera & concordantia dicentibus vnus pacis spiritus fuit, sic & in istis non secum conferentibus, & tamen tanquam vno ore cuncta interpretantibus, idem spiritus vnus apparuit.* Eadem mente Clemens Alexandrinus libro stromatum primo: *Neque verò,* (inquit) *ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, vt interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret prophetiam.* Vult itaque hanc translationem futuram gentibus, velut alteram prophetiam & subiicit exemplum Esdræ renouantis legem: similiter Theodoretus præfatione in Psalmos de Esdra loquens: *Si diuino numine afflatus horum librorum memoriam illis hominibus renouauit, etiam hi Septuaginta viri non sine sancto Spiritu hæc opera in Græcum sermonem conuerterunt.* Cyrillus quoque Hierosolymitanus Catechesi quarta eam diuinarum scripturarum interpretationem ab Spiritu sancto profectam prædicat. Id ipsum confirmat Iustinianus Imperator in nouella quadam de Septuaginta interpretibus loquens: ait: *Quis non illud in illis viris admiretur quod longo tempore Epparitionem magni Dei, & Seruatoris nostri IESV Christi præcesserunt, tamen illam futuram quasi præsentem cernentes oculis prophetica quodammodo gratia ipsos circumfulgente sacrorum illi librorum interpretationem accommodauerunt.* His omnibus præluxit Irenæus, qui libro tertio pronuntiauit id spiritu prophetico factum esse & confert Septuaginta Interpretes cum Esdra, nimirum per aspirationem Dei interpretatas esse scripturas à Septuaginta, quemadmodum in captiuitate Babylonica corruptis scripturis per Esdram omnes rememorari sermones. & restitura populo ea lex, quæ data erat per Moysem. Philo quoque Iudæus libro secundo de vita Moysis scribit Septuaginta *tanquam numine correptos prophetasse.*

Denique ipse sanctus Hieronymus, qui alioqui acerbus fuit versioni Septuaginta in præfatione altera in Paralipomena de iisdem Septuaginta dixit: *Spiritu sancto pleni ea, quæ vera fuerunt transtulerant.* Ex ipsius sancti Hieronymi scriptis colligitur antequam Rabbinis præceptoribus vsus esset, prædicasse, vt diuinam interpretationem Septuaginta, qui rursus iam senex emolliit, & excusauit, quæ aduersus eandem translationem aliquando pronuntiauerat, nolens à se quidquam dictum, quod illorum versioni detraheret. Fermè iuuenis erat Hieronymus, cum ad Damasum scripsit, quoniam circiter triginta tres annos illi superuixit. Hoc igitur pacto ad Damasum scribit præfatione in quatuor Euangelia, & consequenter ante Barrabani magisterium multo tempore: *Neque verò ego de veteri disputo instrumento, quod à Septuaginta Senioribus in Græcam linguam versum, tertio gradu ad nos vsque peruenit. Nō quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant, quare Theodotion inter nouos, & veteres medius incedat. Sit illa vera interpretatio quam Apostoli probauerunt. De nouo nunc loquor,* &c. Tertio gradu ait, eo quod vetus instrumentum primò Hebraicè scriptum est, deinde Græcè translatum, denique è Græco Latinè redditum, vt rectè explicat Marianus Victorius. Post hæc verba addit: *Prætermitto eos codices, quos à Luciano, & Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit peruersa contentio; quibus vtique nec in toto veteri instrumento post Septuaginta Interpretes emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis Scriptura ante translata, doceat falsa esse, quæ addita sunt.* Affirmat igitur Septuaginta translationem ab Apostolis esse approbatam, omnibus translationibus præferendam, Luciano, & Hesychio emendare illam non licuisse, quæ adduntur ei falsa esse, æqualis denique cum nouo Testamento Græco esse auctoritatis. Postea iam senex cum accusaretur à multis quod Septuaginta versioni minus concederet, sic se excusat

sat in secunda Apologia: *Egone contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissimè emendatos, meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in Conuentu Fratrum edissero, quorum Psalmos iugi meditatione decanto? Tam stultus eram, vt quod in pueritia didici, senex obliuisci vellem? Vniuersi tractatus mei horum testimoniis texti sunt. Commentarij in duodecim Prophetas, & meam & Septuaginta editionem edisserunt. O labores hominum semper incerti! ô mortalium studia contrarios interdum fines habentia! Vnde me putabam benè mereri de Latinis meis, &c. inde in culpam vocor.* Eiusmodi autem animum sibi semper fuisse ex multis præfationum suarum locis demonstrat. Omnes præfatiunculę veteris Testamenti huic rei testes sunt. Et superfluum est quod in illis dictum est, aliter quàm ibi dictum est, scribere. Testimonia de verbis suis multa congerit, vt ex præfatione in Pētateuchum: *Periculosum opus certè, & obtrectatorum latratibus patens, qui me asserunt in Septuaginta Interpretum sugillationem noua pro veteribus cudere, &c. Cùm ego sæpissimè testatus sim me pro virili portione in tabernaculo Dei offerre quæ possim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari.* Et ad finem: *Quid igitur? damnamus veteres? minimè. Sed post priorum studia in domo Domini, quod possumus, laboramus.*

CAPVT III.

An Septuaginta Interpretes separatis cellulis scribentes, in eadem ipsissima verba conspirauerint?



MAGNAM septuaginta Interpretum versioni authoritatem conciliauit vnanimis eorum, tametsi cellulis separati conscriberent, in eadem verba consensio. Quam historiam confirmant prisci Patres, quamuis eam neget sanctus Hieronymus in Apologetico aduersus Rufinum, & Præfatione in Pentateuchum, & epistola centesima quarta, & centesima septima, Septuaginta illas cellulas videtur fabulæ loco habere. *Nescio* (inquit) *quis primus author Septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, cùm Aristæas eiusdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς & multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in vna Basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud enim est vatem esse, aliud esse interpretem, ibi spiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborum copia ea quæ intelligit, transfert.* Et præfatione primâ in Paralipomenon, ait, huiusmodi Septuaginta cellulas vulgò sine auctore iactari. At cæteri scriptores prisci contra Hieronymum stant, nec vnus præponendus omnibus est, quippe hoc de cellulis miraculū ferè omnes Patres tradunt. Luculenter sanctus Iustinus Martyr oratione parænetica ad Gentes, & cellulas, asseuerat, & earum vestigia se propriis oculis vidisse testatur non longe ab Alexandria, séque certissimè didicisse ab incolis illius loci se traditione quadam à maioribus acceptâ, ita rem habere compertissimam. Et hanc opinionem confirmare videntur quotquot scripserunt, singulatim singulos, & seorsim ab inuicem collocatos sacros libros vertisse, vt Philo libro secundo de vita Mosis, Clemens Alexandrinus libro primo στρωμάτων. Irenæus libro tertio, capite vigesimo quinto, & Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quartâ, scribit Ptolemæum singulis interpretibus singulas domos distribuisse, & vnicuique, vt separatim omnes scripturas interpretaretur mandasse. Epiphanius libro de mensuris & ponderibus, non quidem cellulas septuaginta duas, at triginta sex constituit in qualibet domuncula binos constitueus. Epiphanio adhęret Iustinianus Imperator nouellâ centesimâ quadragesimasextâ, capite primo, vbi ait: *Hi qui Græcam legunt, Septuaginta vtantur traditione, quæ omnibus certior est, & præ aliis melior iudicata, præcipuè propter quod circa interpretationem contigit, quia & per duos diuisi, & per diuersa interpretantes loca, tamen vnam tradiderunt omnes compositionem.* Sanctus Augustinus Iustinum videtur secutus, & egregiè ex hoc miraculo huius traditionis auctoritatem prædicat, vt libro secundo de doctrina Christiana, capite decimo quinto dixerit: *Septuaginta Interpretum, quod ad vetus Testamentum attinet, excellit authoritas, qui iam per omnes peritiores Ecclesias tantâ præsentiâ Spiritus sancti interpretati esse dicuntur, vt os vnum tot hominum fuerit. Qui si vt fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam separatis, cùm interpretati essent nihil in alicuius eorum codice inuentum est, quod non iisdem verbis, eodémque verborum ordine inueniretur in cæteris, quis huic authoritati conferre aliquid,*

aliquid, nedum præferre audeat? Et rursus capite quadragesimo secundo libri decimi octaui de Ciuitate, ait: *Tam mirabilem, ac stupendum, planeque diuinum in eorum verbis fuisse consensum, vt cum ad hoc opus separatim singuli sederint (ita enim eorum fidem Ptolemæo Regi placuit explorare) in nullo verbo, quod idem significaret, & tantundem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet: sed tanquam si vnus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt, vnum erat: quoniam re vera spiritus erat vnus in omnibus. Et ideo tam mirabile Dei munus acceperant, vel illarum scripturarum non tanquam humanarum, sed sicut erant, tanquam diuinarum, etiam isto modo commendaretur authoritas, credituris quandoque gentibus profutura, quod iam videmus effectum.* Quin apud Gentiles eo nomine versio Septuaginta veneranda fuit. *Quos interpretes* (inquit Tertullianus capite decimo octauo Apologetici) *Menedemus quoque Philosophus prouidentiæ vindex, de sententiæ communione suspexit.* Imo Hebræi ipsi magnâ prosequuntur reuerentiâ ob hoc miraculum Græcam Septuaginta translationem. Iosephus scriptor Hebræus capite decimo septimo sui operis sic narrat eam historiam: *Misit igitur ad eum* (Ptolemæum) *septuaginta seniores Sacerdotes sapientes, & Eleazarum Sacerdotem, vt esset eorum Princeps. Sapiens iste Eleazar ille est, qui probatus fuit, & tentatus tentationibus mortis per manus Philippi impij in diebus Antiochi Regis crudelis, & occisus propter sanctificationem legis Domini* (hoc est quod dicimus, martyrio coronatus) *vt scriptum est libro quarto: Postquam autem venit Eleazar Sacerdos memoratus cum septuaginta senioribus Sacerdotibus sapientibus interpretibus in Ægyptum, excepit eos Rex admodum honorificè, deditque eis Ptolemæus Rex septuaginta domos, & alterum ab altero separauit: vnicuique ex iis scribas dedit Græcos, lingua & scriptura Græca peritos, artisque & sapientiæ conuenientis. Deinde præcepit eis dicens: Scribite in libris iuxta omnia quæ docuerunt vos Sacerdotes, neque declinetis ab interpretatione verborum eorum ad dextram, aut ad sinistram. Explicauerunt igitur Sacerdotes libros legis, & reliquos libros Scripturæ, viginti quatuor libros, & transtulerunt eos de lingua sancta in linguam Græcam, obtuleruntque eos Regi: Eleazar autem Dux eorum erat. Tunc præcepit Rex, vt in auribus eius legeretur id quod vnusquisque interpretatus fuerat: Ecce autem interpretatio vna erat omnibus, sententia vna, explicatio vna.* In Thalmude Babylonico capite 1. tractatu Megillah, hęc habentur: *Dixit R. Iuda cum etiam permiserunt Magistri nostri linguam Græcam, non permiserunt nisi pro libro Regis, atque inde ortum est opus Ptolemæi Regis, quod sic traditur. Congregauit septuaginta duos seniores, & introduxit eos in septuaginta duas domunculas, sed non aperuit eis propter quid eos conuocauerat. Ad vnũquemque autẽ seorsim ingressus dixit illis: Scribite mihi legem Mosis Magistri vestri. Dedit Deus vniuscuiusque cordi consilium, conuenerunt omnes in vnam sententiam,* (nunc sequuntur tredecim loca, quæ vnanimi consensu aliter interpretati sunt) *Et scripserunt ei, Deus creauit in principio: faciam hominem ad imaginem & similitudinem; & perfecit die sextâ, requieuit autem die septimâ; masculum & feminam creauit eum; non enim scripserunt, creauit eos: age descendam, & confundam ibi labium eorum: & arrisit Sara propinquis sibi; quoniam in ira sua occiderunt bouẽ, & in voluntate sua diruerunt præsepe; & accepit Moses vxorem suam & filios suos, & equitare fecit eos super id quod gestat filios hominum, & habitatio filiorum Israel qua habitauerunt in Ægypto, & in reliquis terris annorũ fuit quadringẽtorum; & misit minimos filiorũ Israel, & ad minimos filiorum Israel, non misit manũ suam; nihil desiderabile ab iis accepi, quæ dedit Dominus Deus tuus, vt lucerent omnibus hominibus: & iuit, & seruiuit Diis alienis, quibus non præceperã seruire. Scripserunt etiam ei paruam pedibus; non enim scripserunt ei leporẽ, eo quod vxor Ptolemæi vocabatur lepus, ne diceret, irrident me Iudæi: ideo posuerunt nomen vxoris meæ in lege.* Eadẽ penè habentur in Thalmude Ierosolymitano in eodem tractatu: dicit tamen matrẽ Ptolemæi Arnebram seu Leporem vocatam fuisse, non id vxori tribuit. Idem miraculum narrat tractatus Sophrim cap. 1. & Abraham Leuita in libro Cabbalæ, vbi historiam texit Regum, qui post captiuitatem Iudæis imperarunt: miraculũ ille non tantum miratur, sed omnes illas differentias breuiter explicat. Nonnullas difficultates inde emergentes fusiùs explicat R. Aser in additionibus ad tractatum Megillah R. Salomon Iarki commẽtario in hunc locum Talmudis, R. Iacob in libro עין ישראל folio 145. columnâ 4. & seq. omnium fusissimè de his disputat Samuel Iaphe in libro יפה מראה folio 198. Historiam illam magna cum laude commemorat Abraham Zacuth in libro *Iachasin*, & alij Rabbini, quos diligenter collegit Ioannes Morinus in suis exercitationibus; qui etiam rationes ab Hebræis traditas, earum differentiarum iure contemnit & ridet. Neque coniectura sancti Hieronymi maius pondus habet, quam tot scriptorum testimonia; licet enim Aristeas & Iosephus id miraculi non explicarint, non tamen negarunt. Nec mirum, nam

Aristæas homo Ethnicus nollet eam auctoritatem fidei, veri & vnici Dei addere. Sicut alij scriptores profani,& Ethnici, cùm de historiis Iudæorum, aut Christianorum agunt, miracula solent præterire:siue quoniam mentem ad ea non aduertant, siue quia non credant,& irrideant. Nec maioris momenti est silentium Iosephi, cùm ipse testetur se Aristæam sequi:neque Alexandriæ vixerit,vbi notior ea res fuit. Philo autem cùm Alexandrinus esset,vt notissimam non narrat, sed supponit: *In eo,inquit,secessu cum consedissent solitarij, nemine interueniente arbitro præter naturæ partes, terram, aquam, aerem, cælum, de quibus proximum proditur i erant mysteria(nam mundi opificium legum est exordium)tanquam numine correpti prophetabant,non alia alij,sed omnes ad verbum eadem,quasi quodam dictante singulis inuisibiliter.*

CAPVT IV.

An propter translationem Septuaginta Interpretum ieiunium indictum,& tenebræ triduo factæ fuerint?



ALIVD argumentum, quo illius fides miraculi labefieri posset, sumitur ex fastis Iudæorum,& quibusdam Rabbinis,qui ieiunium celebrari notant propter translationem legis. Addunt aliqui tenebras propterea factas tribus diebus. Et quidem in Calendario Iudæorum octaua mensis Tebeth ieiunium indicitur propter legem Græcè translatam iussu Ptolemæi. In aliis est secundâ die, quæ sic notatur: *Ieiunium quod in illo die lex in Græcum versa sit tempore Ptolemæi Regis, & tenebræ occuparint mundum triduo.* Rabbi Iacob Auctor *Arba turim*, primâ parte in decretis ieiuniorum, scribit etiam, *octauâ Tebeth ieiunium esse, eo quod in ea lex scripta est Græcè in diebus Ptolemæi Regis, tenebræque venerunt super terram tribus diebus.* Tractatus Sophrin addit: *Fuit autem dies ille durus Israeli, sicut dies, quo factus est vitulus, eo quod lex non potest interpretari iuxta omnem ipsius necessitatem.* At re verâ non ieiunium, sed festiua, & grata commemoratio facta fuit propter eam legis translationem Philo siquidem testatur libro secundo de vita Moysis ad suam vsque ætatem solemni festiuitate Iudæos insulam Pharum accedere, & venerari locum in quo Septuaginta interpretatio facta est. Philonis verba hæc sunt: *Hodièque solemnis celebritas renouatur in Pharo, Insula ad quam non tantum Iudæi, sed & alij plurimi traiciunt, locum veneraturi, in quo primùm visa est hæc interpretatio, & pro tanto beneficio, quasi recenti acturi Deo gratias. Post vota autem, & gratiarum actiones, alij tentoriis fixis in littore, alij discumbentes in ipsa arena, sub diuo epulantur cum amicis & domesticis, præferendo tunc littus palatiis Regiis.* Iosephus etiam scribit, Regem Ptolemæum constituisse festos dies aduentus Septuaginta virorum, qui per omne vitæ tempus quotannis celebrarentur; quod eo etiam die victoriam ex Antigono nauali prælio retulerit; tantùs autem Rex ob illorum priuatorum hominum aduentum eam celebritatem non instituisset nisi ob felicem & mirandum exitum eorundem translationis. Haud rectè quidem annotatur in Calendario Iudæorum edito cum commentariis Genebrardi in Psalmos illud ieiunium pro translatione legis esse eam festiuitatem quã narrat Philo,quasi qui confirmet,quod in Calendario indicitur:nam festum Philonis non erat ieiunium,sed festiuum & lætum,& epularetum si ieiunium fuisset, non esse commune Iudæis, & Ethnicis, eam autem solemnem festiuitatem celebrasse etiam Gentes adstruit Philo, & annuit Iosephus.

Quapropter Rabbinica fabula videtur ieiunium illud propter translationem legis indictum; neque enim immeritò Moses Ægyptius ieiunia gentis suæ enarrans, istud, totámque illius historiam præterit, licet nonnullorum aliorum causas fabulosas, & euidentissimis historiis contrarias eodem loco persequatur. Alij verò ex Hebræis ne fabulæ damnent illius ieiunij causam, neque auctoritati Septuaginta derogent variis modis respondent. Gedalias in Catena Cabbalistica, sic ab ea difficultate se exemit: *Videtur mihi, quod hoc vult dicere* (scilicet tractatus Sophrim) *quod propter vehementiam timoris Iudæorum ieiunia fecerunt, & orationes, & obscurata est facies eorum sicut fecerunt in diebus Haman.* Rabbi Azarias locupletius ait: *Videtur mihi omnibus consideratis, horum alterum esse dicendum. Aut quod ipsi sapientes delectis ad profectionem istam*

istâ indixerũt ieiunium vniuersæ congregationi, vt fecit Esther, cùm profecta est ad Regem, fecit quoque Philo Alexandr. cùm profectus est orator pro populo suo apud C. Cæsarem propter idolũ, vt manifestũ est ex libro eius. Et propterea dicitur, quòd tenebræ tunc operuerunt faciẽ Iudæorũ, timentiũ scilicet, ne pudore cõfunderentur. Legati eorũ, peccatique & infamia rei deprehenderentur. Adiicit solutionẽ alterã: *Aut dicendum est, quod timebant, ne iustitia, & misericordia, quã in hoc præstabat Ptolemæus, similis esset ei, de qua loquuntur sapientes nostri in Cantico Cãticorum magno, quæ facta est peccatũ Israeli. Sicut etiam dixerunt quartâ sectione Sanhedrin, cùm explicant hæc verba: & obtulit eum in holocaustũ, fuitque indignatio.* Aliter hoc excusat auctor Additamentorum Talmudicorum, & Salomon Iarki, Ptolemæum scilicet irridendæ & traducendæ legis occasionem quæsiuisse, ideo ista mutasse sapientes ne exulcerato iam animo fictum, & fucatum crimen facilè insideret; reformidasse præterea Iudæos hæreticorum odium, qui recèns ab iis sese separauerant, Samaritanis se coniunxerant, templúmque sibi in monte Garizim ædificauerant. Ne igitur istis de causis sinistri aliquid iis accideret, dies istos lugubres duxisse, atque ab eo tempore octauum diem mensis Tebeth ieiunio consecratum esse. Hæc sententia cùm Iudæorum animos inuasisset, in Calendariũ ipsorum inuoluit, & postea qui ipsorum Euchologia, siue preces annuas digesserunt, orationem composuerunt pro illo ieiunij die, qua angustia Iudaici spiritus propter legem Græcè translatam describitur, vt videre est in libro קמחא דאבישונא, cui titulus est, *Farina ex frumento tosto*, Quod Ioannes Morinus notauit, & refutatis Hebræorum suspicionibus Talmudicum commentum illas tenebras, & ieiunij causam tandem pronuntiat.

CAPVT V.

An Demetrius Philosophus fuerit causa vertendi sacram Scripturam Græcè?

POSSET quoque dubitari an quæ in historia Septuaginta proferuntur de Demetrio Phaleræo Præside Bibliothecæ Alexandrinæ vera sint. Quippe Aristæas, Iosephus, & alij Patres tradunt Demetrium Phaleræum Bibliothecæ Regiæ Præfectum, ingentem pecuniæ summam accepisse, vt omnis generis volumina componeret. Et cùm de numero librorum Rex interrogasset, quingenta millia, sed Græca iam reposita respondisse. Longè plura fore, si aliarum quoque gentium scripta congererentur, præsertim Iudæorum, quorum libros hactenus non comparasset, quod propriâ linguâ & charactere conscripti essent. Demetrium posteà adiuisse Regem per epistolam, quâ petiit scribi ad Iudæos de hac librorum interpretatione. Demetrium igitur Phaleræum Alexandrinæ Bibliothecę Præfectum, totum negotium interpretationis curasse, eiusque instinctu Regem Ptolemæum illud suscepisse. Non nemo recens Auctor hanc historiam aduersus omnes Ecclesiasticos scriptores negat; quoniam alij antiqui Auctores qui Demetrij Phaleræi vitam conscripserunt, aut alioquin mentionem eius scriptis suis inseruerunt, ne verbo quidem hoc attingunt. Decẽ annorum spatio Atheniensi Reipublicæ præfuisse memorant, tanta cum laude, & bono ciuium, vt trecẽta sexaginta statuę illi locatæ sint. Conuersis deinde rebus, patriâ pulsum, plebem Atheniensem statuas, & imagines deiecisse, & cum inuidia inimicorũ absens capitis damnatus esset, confugisse ad Ptolemæum Lagiden σωτῆρα, inter amicos Regis Principem, & omni copiâ rerũ abundãtem, à successore vero eius filio Ptolemæo Philadelpho in carcerem inclusum, aspidis morsu interiisse: Hæc ferè Plutarchus, & Diogenes Laërtius. Quanquam Cicero oratione pro Rabirio, aspide ad corpus admota vita priuatum Demetrium scribat. Videri idem Cicero potest tertio Officiorum, & quinto de finibus. Suidas ad Ptolemæum, cui cognomen Σωτῆρ, transfugisse, & morsu aspidis interiisse scribit. Ælianus variæ Historiæ, libro duodecimo, præ aliis iuuasse Ptolemæum in legibus constituendis ait. Diogenes Laërtius refert ex Hermippo auctore, Demetrium metu Antigoni, ad Ptolemæum Σωτῆρα confugisse, Regique consuluisse, vt filios ex Euripide natos, regni participes faceret. Hoc consilium cùm Rex repudiasset, & illum, quem ex Berenice susceperat, regni successorem constituisset, ab isto post patris mortẽ, in prouinciam relegatum, in eâque asseruatũ, vt asperius puniretur. Hinc illum mœstum ægritudine animi in soporem lapsum, morsu aspidis interiisse. Ptolemæus autem, qui postea Philadelphus dictus, ex Berenice natus, Ptolemæo Lagidi

Patri regni hæres ſucceſſit. Si igitur tanto odio in Demetrium flagrauit Philadelphus, vt ſtatim à morte patris in exilium eum pelleret, quâ ratione Bibliothecæ præfuit? Imò verò ſi ſtatim ab exceſſu Lagidis mortuus, quomodo hanc interpretationem curare potuit?

Hæc quidem rem non conuincunt cùm omnia potuerint componi poſtquam aliquandiu vſus fuiſſet Ptolomæus Philadelphus Demetrij opera, ſiue quia diſſimulauit odium aduerſus eum,& initio ſui principatus ſanguinarius noluit exhiberi,ſiue quia exploratum ſatis non erat vnde in ipſum animaduertere poſſet. Præterea non eſt cur maior fides Hermippo ſit adhibenda, quam Ariſteæ, conteſtantibus aut probantibus hunc plurimis, & nobiliſſimis Auctoribus.

Nec obeſt eiuſdem hiſtoriæ fidei, quod Ioannes Wouerius in Tertulliano notat, qui in Apologetico, vbi de hac interpretatione Bibliorum agit, Ptolemæum ex ſuggeſtu Demetrij Phalerei Grammaticorum tunc peritiſſimi libros à Iudæis poſtulaſſe ſcribit quaſi Demetrium Grammaticum eâ ætate notum, & fama celebrem narraret. Quomodo, quæſo, illa Demetrio conueniant Peripatetico Philoſopho, ſummis honoribus functo,& maximâ potentiâ celebri, niſi alium Grammaticum Demetrium quæramus? Sed Tertullianus parum curioſus Demetrium noſſe, cùm apud alios Demetrium Phaleræum Præfectum Bibliothecæ legerat, Grammaticum appellauit. Nam libros inquirere, & inſtruere Bibliothecas erat proprium Grammaticorum, quod de Tyranione, & Epaphrodito, aliiſque multis eſt proditum eſt. Ideò in auctores, & eorum opera diligenter inquirebant, & indices librorum publicabant. Callimachus Grammaticus compoſuerat πίνακα παντοδαπῶν συγγραμμάτων. Et Telephus vulgarat libros βιβλιακῆς ἐμπειρίας ἐν οἷς διδάσκει τὰ κτήσεως ἄξια βιβλία. In quibus docet, qui libri comparatu digni. Ob hanc igitur multiplicem librorum peritiam Grammatici Bibliothecis Præfecti. Ita apud Suetonium legimus C. Meliſſum Grammaticum curam ordinandæ Bibliothecæ, quæ in Octauiæ porticu, ſuſcepiſſe, & Hyginum Grammaticum Palatinæ Bibliothecæ præfuiſſe. Hæc quidem cauſa fuit, cur illum alioqui Philoſophum Grammaticum nuncupauit. Accedit non ignarum Grammaticæ artis fuiſſe Demetrium, cùm Rhetoricem conſtet ſcripſiſſe quo nomine eum titulum potuit poſſidere.

CAPVT VI.

Vnde acceperit Plato, & alij Philoſophi, quæ ex ſacra Scriptura vſurpant?

An ante verſionem Septuaginta fuerint pridem libri ſacri in Græcum tranſlati?



DVBITARI quoque poteſt, an hæc Septuaginta verſio fuerit omnium prima, vt nunquam anteà in alienam Hebræis Dialectum ſacra fuerint oracula tradita. A multis quippe prædicatur prior omnium tranſlatio Septuaginta: nam Ariſtæas & Ioſephus narrant Demetrium Phalereum interroganti Ptolemæo reſpondiſſe neminem auſum quicquam legum ſacrarum transferre, & alio idiomate inuulgare, cùm eſſent ſanctæ & diuinæ. Vnde & nonnullis infelicius ceſſit, qui hoc conati eſſent. Ita Theopompum, cùm hiſtoriæ ſuæ quædam ex iis miſcuiſſet, mente captum, poſt triginta dies furere deſiiſſe. Theodecten verò Tragicum oculis ob eandem cauſam orbatum fuiſſe aiunt. Quod Cedrenus in compendio hiſtoriarum conteſtatur. At certum eſt plurima Moſaicæ doctrinæ traducta à Philoſophis, quæ niſi ipſi à Chaldæis, aut Hebræis, in eorum regione, ſiue ab aliis qui traditione acceperant, hauſerunt, certè libris eſſe vulgata oportuit. Infinita ex ſacris tranſtuliſſe Philoſophos multis docet Euſebius li-
Cap. 3. bro nono Euangelicæ Præparationis, & Clemens Alexandrinus libro Stromatum primo. Ambroſius etiam non pauca Platonem tranſtuliſſe ex Salomonicis Canticis tradit. Iuſtinus quoque notat ſcripturæ loca à Platone ex Pentateucho vſurpata. Cùm igitur pluribus Philoſophis innotuerit multò ante Septuaginta ſacra eruditio, non mirum eſſet, ſi partem ſcripturæ curioſitas Græca in ſuum pridem vſurparet eloquium, quod Clemens Alexandrinus primo Stromatum, & Euſebius Cæſarienſis libro decimotertio de Præparatione

ratione capite septimo contestantur,& auctorem Aristobulum laudant. Aristobuli verba ex libro quem scripsit ad Ptolemæum Philometorem hæc sunt: *Apertissimum est leges, & disciplinam nostram diligenter fuisse Platonem secutum. Non enim latet, si quis attentius eum legat,perlectam ab eo,& quidem diligenter Scripturam fuisse. Scimus etiam omnes ante Demetrij Phalerei tempora;imo vero ante Alexandrum & Persarum Imperium quinque Moysi libros in Græcam linguam; quamuis non commode traductos fuisse. Tota vero Scriptura nostra Demetry Phalerei opera & Philadelphi Regis tui progenitoris iussu aptissimè translata est.* Multis deinde argumentis confirmat sacram scripturam Græcos legisse vt nulla fuerint ratione tot annis intactæ Iudæorum literæ,nec gentibus notæ, cum Græcorum tam curiosa felicitas, vt nihil omnino Barbaræ Philosophiæ intactum reliquerint, quo nomine longinquæ illis cum grauissimo periculo susceptæ peregrinationes,vt ritus, & sacra peregrina,aut si quæ alia recondita sapientiæ,vel è quouis fonte haurirent. Pentateuchū saltem translatum fuisse,vt Aristobulus notat verisimilius est:hocenim volumen vt Wouetius obseruat:quærebant Græci,vt initia rerum,in quibus mirificè laborabant, ritus gentium, & leges varias addiscerent, quibus omnibus scientiæ illa auiditas in ipsis extingui poterat,quam nunquam ad Prophetarum oracula emiserunt: In quibus planè nihil quod illos capere poterat,aut quod scire magnopere desiderarent auersi enim stomachi ab istiusmodi erant. Nam quod Ambrosius existimat plurima ex Salomonis Canticis à Platone translata,non video quæ intelligat præter illa,quæ Plato in Symposio.Phędro,& Alcibiade disputat de amore. At verò quàm dissimile hoc plumbum isti auro? Nec omnino videtur (si facta fuisset vulgata totius sacræ Scripturæ editio)illam inter tot volumina Alexandrinæ Bibliothecæ repositam non fuisse,cum variarum gentium monumenta Græcè trāslata in ea recondita constet:& priusquam interpretatio instituta iam viginti millia, vt Iosephus,seu vt Epiphanius quinquaginta quatuor millia voluminum reposita. Et si vera sunt,quæ de liberalitate Ptolomęi,& sumptibus huic interpretationi erogatis antiqui narrant(quibus tamen veritatis studiosi ægrè assentiuntur) nunquam putarim tanta impensa hoc redempturum Regem;si Scripturæ sacræ editio Græca iam publicata fuisset.Ideoque notare videtur Epiphanius,Demetrium Phalereum, seu quisquis fuerit eius Bibliothecæ pręfectus,vt facilius Regem ad hoc opus suscipiendum induceret,& desiderium concitare ta dicecisse: ὡς δὴ τοῖς ἱεροσολύμοις καὶ ἐν τῇ ἰουδαίᾳ ὑπάρχουσι βίβλοι θεῖαι ἐκ τῶν προφητῶν διηγούμεναι περὶ θεοῦ, καὶ τῆς κοσμοποιίας καὶ τῆς ἄλλης πάσης κοινωφελοῦς διδασκαλίας. Prophetarum recenser libros varia & vtili doctrina plenos. Nam si solos Mosis libros retulisset,non poterat laudabile institutum regi probare : ij enim haud dubiè in Bibliotheca repositi fuissent. Neque enim opinioni Iosephi & Aristeæ, quam sanctus Hieronymus ad Ezechielis caput quintum, & decimum quintum, & Michęæ caput secundum amplecti videtur, assentior: qui solos Mosis libros ab interpretibus Septuaginta conuersos affirmant. Quippe contra stent præter Aristobulum Clemens Alexandrinus, Iustinus, Epiphanius,Chrysostomus.Eadem opinio est insignium Hebræorum,& Rabbi Azarias libro sermonum intelligentiæ ad finem capitis septimi optimè interpretatus Aristeam, eam sic confirmat: *Qui enim percurrerit omnia verba Aristea supradicti, vt simpliciter sonare videntur,inducet in cor suum,quod perpetuo loquitur de interpretatione legis solius. Verum quidem est quod ex vna parte,& iuxta intentionem qua refertur,ad hac pertrahi possunt, vt nomine legis intelligatur significari vniuersa Scriptura sacra. Præsertim verò cum consideratur causa,qua mouerit Ptolomaum, vt quareret interpretationem legis Mosis qua pariter mouit eum;vt quareret interpretationem omnium Prophetarum,& Hagiographorum, vt scilicet extolleret,& perficeret eum iis Bibliothecam suam,ne vllus liber in ea esset. Praterea apud Sapientes nostros F. M. multi loci reperiuntur in quibus nomen legis complectitur etiam Prophetas,& Hagiographa.* Porro tametsi prisci nonnulli Philosophi aliqua vsurparunt ex aliis Scripturæ locis,quàm ex Pentateucho,pauciores hi sunt, & ad hoc poterant vti alicuius Hebræi opera, quemadmodum fecisse videtur Aristoteles, vt ex Salomonis libris de animalibus vteretur. Clearchus enim Peripateticus Clemente Alexandrino teste dicit se quemdam nosse Iudæum, cum quo versatus est Aristoteles.

CAPVT VII.

An Chaldaicè fuerit Scriptura translata ante versionem Græcam Septuaginta?

DVBIVM potest esse, an fuerit alia Scripturæ translatio præter Græcam ante Septuaginta Interpretes. Mihi verisimile est in Chaldæum idioma fuisse traditam: id fatentur docti Hebræi. Rabbi Azarias in *Imre Binah* capite quinto hæc habet: *Tempore domus secũdæ fuerunt Iudæis duæ leges scriptæ; videlicet liber legis vnus Scripturæ Assyriacæ, & linguæ sanctæ, non secus ac libri recti qui penes nos habentur. Ille autem est, quem recensuit, & correxit Esdras scriba, cum videret perturbata exemplaria, siue propter peccatum, & negligentiam Patrum nostrorum in domo prima, sicut dictum fuerat de iis, Et oblitus eris legem Dei tui; siue propter situm, & corrosiones quæ irrepserant in eum in captiuitate Babylonica. Hunc autem sincerum librum quem scripsit dedit Sacerdotibus, & Sanhedrin, qui legem tractant, vt nos edoceant. Alius autem liber mutatus pauxillum hic publicatus est, & communicatus multitudini scripturæ Hebraicæ, literis scilicet transfluuialibus, quæ Idiotis relicta sunt, & lingua Chaldaica translatus, quæ tunc erat lingua eorum vernacula, siue penes eos deprehensus fuerit ante Esdram, tempore captiuitatis Babylonicæ exaratus, siue factus fuerit in diebus Esdræ.* Postea subdit: *Certe dubium non est, quoniam ex eo, quod translatio ista in manu eorum fuerit, vt vrbs disruptis muris sine Masora, quæ est sepes legis, quin cœperit post Esdram perturbari, sicque de generatione in generationem, & ex ore in os exemplar istud Chaldaicum longius ac longius recesserit ab eo, quod scriptum erat in libris sanctis, donec venit Onkelos proselytus, qui reperiens deprauationes multas, interpretatus est legem de nouo cum assensu illustrium Rabbinorum Eliezeris, & Iehosuæ, vt declaratur capite primo Meghillæ. Quare Onkelos ille non incepit transferre verba legis in linguam Chaldaicam, sed diligenter animaduertit, & emendauit confusiones, quæ olim irrepserant.* Illud falso censuit Azarias Septuaginta Interpretes suam confecisse translationem ex Chaldaico prauè intelligens Philonem. Siquidem Philo vt superius ostendimus nomine Chaldaico Hebræũ intellexit. Quapropter ex auctoritate Philonis nihil probari potest. Iosephus autem satis ostendit ex Hebræo factam interpretationem Septuaginta. Sic narrat Demetrium Phalereum Ptolomæo regi hæc verba facientem, Iudæorum libros esse scriptos ipsorum lingua & literis, & exhibituros negotium his qui velint eos in Græcum sermonem vertere. Videri quidem quandam cum Syrorum lingua & charactere similitudinem habere, peculiarem tamen iis inesse dialectum: ὧν φωνὴν ὁμοίαν αὐτοῖς εἶναι (δοκεῖ) ἰδιότροπον δὲ αὐτῶν εἶναι συμβέβηκεν. Quæ vera sunt de lingua Hebræa Syriacæ comparata. Idem Demetrius Ptolemæo scribens: *Scire te velim inter eos quos adhuc desideramus, esse Iudæorum legis codices. Hebraicis enim characteribus, & gentili ipsorum lingua* φωνῇ τῇ ἐθνικῇ, *scripti cum sint, à nobis intelligi non possunt.* Facta est igitur ista translatio è dialecto à Syriaca diuersa, quamque Syri intelligere non poterant; quamuis affinis iis esset; hæc autem lingua Hebræa est, plura sunt quæ hoc ipsum confirment, nec opus est in his amplius morari; causa autem, cur Septuaginta non semper hæreant Hebræo textui, sed alicubi addant, alicubi demant, ex Augustino supra indicauimus, & à multis ea adfertur, quod Deus nollet Gentibus, imprimisque Ptolemæo Regi quædam de Christo, aliisque rebus mysteria detegi, cuiusmodi erat, Personarum in Deo pluralitas, Christi diuinitas, &c. quod ante Christum non expediret hæc Gentilibus euulgari, quandoquidem nec ipsi Iudæi, exceptis pauculis melius instructis ea intelligerent; maximè vero, quod sibi persuasissent Gentiles, Iudæos plures Deos colere, & agnoscere. Ita Hieronymus præfatione in Pentateuchum: *Iudæi*, inquit, *prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolemæus, vnius Dei cultor, etiam apud Hebræos duplicem Diuinitatem deprehenderet: quod maximè idcirco faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Denique vbicumque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre & Filio, & Spiritu sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt; vt & Regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.* Item Præfatione in Isaiam loquens de eo Propheta: *Ita*, inquit, *vniuersa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere. Vnde coniicio, noluisse tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè Ethnicis prodere, ne sanctum canibus, &*

margarit as

margaritas porcis darent: qua cum hanc editionem legeritis, ab illis animaduertis abscondita. Item proœmio in Traditiones Hebraicas in Genesim: *Neque vero*(inquit)*Septuaginta Interpretum, vt inuidi latrant, errores arguimus: nec nostrum laborem, illorum reprehensionem putamus: cum illi Ptolemæo Regi Alexandriæ, mystica quæque in Scripturis sanctis prodere noluerint, & maximè ea quæ Christi aduentum pollicebantur: ne viderentur Iudæi, & alterum Deum colere: quos ille Platonis sectator magni idcirco faciebat, quia vnum Deum colere dicerentur* Hinc Septuaginta locum illum Isaiæ capite nono, vbi versio nostra iuxta Hebræa habet: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis;* quibus verbis apette prodebatur Christi Diuinitas; ita ipsi paucis posteriora reddiderunt: *Et vocatur nomen eius magni Consilij Angelus*; Quam tamen versionem non imptobat, sed probat potius Ecclesia in officio Ecclesiastico, in introitu Missæ, festo Circũcisionis Domini. Hæc & alia videri apud Bonfrerium & Ioannem Morinũ possunt.

CAPVT VIII.

Septuaginta & S. Hieronymus peritißimi linguæ Hebreæ cæteris præferendi?



QVOD autem idem verbum Hebræum diuersimodè interpretentur Septuaginta, quam Vulgatus, accidit ex fœcunditate significationum vocum Hebræarum, quas satis perspectas ipsi habuerunt: quippe Esdram sacræ Scripturæ interpretem proximè secuti sunt, atque si Iudæis credimus, Synagogæ magnæ Assessorum Esdræ Collegarum magna pars tum viuebat, populumque Iudaicum regebat. Quapropter de natiua dictionum Hebraicarum significatione ex Septuaginta translatione elicita, ne Iudæi quidem dubitare possunt. Quapropter nullius error est, cum Hieronymus, & Septuaginta diuersè eamdem voculam reddunt. Vtrolibet modo apte reddita est: nam & Hieronymus quoque Hebraicæ linguæ peritissimus, quocum nullus post hac comparandus est: namque vt obiter hoc moneam Rabbini Thalmudistæ insigni inopia Hebraicarum significationum laborarunt, quod satis colligitur ex tractatu Rosch Hascana siue de anni principio capite tertio, vbi hæc risu non indigna habentur: *Quis est sensus istius dictionis Iobela? significat arietem. Hac est autem traditio: Dixit R. Akiba, cum ambularem per Arabiam vocabant Arietem, Iobela. Dixit præterea R. Akiba cum ambularem per Galliam, appellabant menstruatam Galmuda. Quid est Galmuda? Ablactata (Ghemula) à marito suo. Retulit iterum R. Akiba, cum ambularem per Africam, appellabant nummum Kesita, Quid inde explicationis colligis? Centum Kesitas seu numos legis centum esse oues. Dixit Rabbi, cum ambularem per oppida maritima Palestina, appellabant possessionis pretium Kira. Quid inde colligitur? explicationem* (istius Hemistichij Genesis quinquagesimo) אשר כריתי לי *esse, quod acquisiui mihi. Dixit R. Simeon filius Lakis: Cum ambularem per fines Ken-Nesarta appellabant Sponsam, Nimphe, & gallum Sicui. Quam scripturam explicas per hæc: Sponsa Nymphe est?* יפה נוף משוש כל־ הארץ Psalmo quadragesimo septimo versu secundo hoc est, iuxta illos, pulchra Sponsa gaudium vniuersæ terræ) *Et per hæc, Gallus dicitur Sicui? Dixit R. Iehuda: dixit Rab, & interrogauit, respondit verò R. Iosue F. Leui, quæ est illa lectio? Quis posuit in tuchot sapientiam, aut quis dedit τῷ sicui intelligentiam? in tuchoth sapientiam, ecce renes: vel quis dedit τῷ sicui intelligentiam? hic est Gallus. Contigit quoque quodam in loco, vt occurreret ei quidam homo, qui dixit illi, Kabhan aliquis: Nesciebat autem quid illi diceret. Venit interpretationem interrogaturus, dixerunt illi, furem esse. Tum ille regessit id quod scriptum est tertio Machabæorum Hajkbahh. Nunquid rapiet homo Deum, &c. Dixit Raba de Barnes R. Ase, si perfecta est hæc interpretatio, erit etiam vera, hic rapuit te, in quo rapuit te, siue furatus est te, & quare furatus est te? atque ex hac voce explicabuntur. Existimabat enim vocem ab Arabe prolatam prohibitionis esse. Nesciebant Magistri nostri quid esset Strughin: Audierunt ancillam quandam domus cuiusdam Rabbini conspicientem Rabbinos intrantes solitarios, & à se inuicem separatos, illisque dicentem, quousque ingredimini Sirughin, Sirughin? Nesciebant Magistri nostri, quid esset Chaluglugoth: die quodam audierunt ancillam domus cuiusdam Rabbini videntem quemdam hominem portulacas segregantem, quæ dixit illi: quousque tu Chaluglugoth segregabis? Nesciebant*

bant Magistri nostri quid esset סלסלה *Prouerbiorum quarto: quadā die audierunt ancillam cuiusdam domus Rabbini dicentem cuidam homini ianuam versanti, & aliquid circa eam inuestiganti: quovsque tu Mesalsel ad ianuā. Nesciebant Magistri nostri quid esset* טאטאתיה *Isaiæ decimo quarto. Quodam die audierunt ancillam domus cuiusdam Rabbini dicentem sodali sua accipe* טאטיתא *tatitha (id est scopas) & verre domum. Nesciebant Rabbini quid esset, mitte super Dominum* יהבך *Iehabca, & enutriet te: Dixit Raba die quodam Bar filius Chona ibat simul cum Mercatore quodam, decidit sacculus eius, tum dixit illi, accipe onus tuum, & impone Camelo.* Satis hinc colligitur parum fidendum esse ipsis Rabbinis, ipsorumque lexicis post Septuaginta, & Hieronymum. Rabbi Kimhi Princeps Grammaticorum Hebræorum in præfatione in dictionatium seu librum Radicum hæc habet: *Incipiam in hac secunda libri parte qua spectat res ipsas; explicare omnem dictionem difficilem, qua reperitur in lege, Prophetis, & Hagiographis expressa. Ad illius etiam explicationem cui in Scriptura non inueniam socium, adducam exempla ex Mischna & Ghemara, ex lingua Graca & Arabica. Omnes enim super linguam Hebraam instituta sunt, eo quod ipsa prima est & perfecta: Verum imminuta est apud nos propter captiuitatis nostra longitudinem. Sic etiam deprehendimus Magistros nostros linguam de lingua didicisse, cum dicunt* (in Talmude) *Nesciebant Magistri nostri quid esset* וטאטאתיה כמטאטי השמד *(locus ex Esaia decimo quarto versu vigesimo tertio): Audierunt ancillam cuiusdam Rabbini dicentem cuidam mulieri, accipe scopas, & scopa domum. Nesciebant quoque Magistri nostri quid esset* השלך על יי יהבך *Psalmo quinquagesimo quarto versu vigesimo tertio) Audierunt quendam Arabem Mercatorem dicentem cuidam homini, accipe onus tuum, & impone Camelo. Praterea stabilierunt nonnulla pracepta super linguam alienam. Vt cum dicunt, quis est sensus istius dictionis Iobel? Significat illa Arietem. Dixit enim R. Akiba, cum ambularem per Arabiam vocabant Arietem Iobelu. Ita quoque de quatuor cellulis, qua sunt in Thephillin* (membranulæ sunt, quas fronti precantes alligant) *dixerunt Totaphot dicta esse eo quod tot lingua Ægyptiaca duo significat, phot quoque duo lingua Africana. Sic quoque dixerunt, discebant linguam è lingua, vt R. Chija filius Rabab, & R. Simeon filius Rabbi, & R. Simeon filius Calaphtha, qui exploraturi interpretationem eiusmodi vocum in Arabiam peregrinationem susceperunt, vt illas ediscerent.* Porro sanctus Hieronymus sexcentis annis ante inuenta à Iudæis dictionaria & Grammaticas trāslationem suam edidit, & eruditis præceptoribus institutus est, Rabbinis celeberrimis ære magno ab eo conductis, iisque Tiberiensibus, apud quos, testibus omnibus Iudæis, quandiu floruerunt Academiæ Iudaicæ, semper viguit linguæ Hebrææ puritas & elegantia. Tum præcedentibus authenticis monumentis adiutus, iis in Græcam linguam versionibus quæ ducentis, & aliquot annis ante ipsum partim ab ipsis Iudæis, partim ab Hebraismi studiosissimis hominibus factæ fuerant. Tum eo tempore, si Iudæorum fabulis creditur, quo Collegarum Esdræ discipuli Iudæos adhuc regebant. Si vero veritati historicæ, tempore quo nonnullorum Sacerdotum, qui templo ante ipsius excidium ministrauerant discipuli adhuc in viuis erant, & de locis Scripturæ difficilioribus consuli poterant.

Alia quæ circa Septuaginta interpretationem desiderabuntur, explanantur in iis auctoribus, qui ex instituto ea considerant, Augustinus Iustinianus libro peculiari de interpretatione Septuagint. Leo Castro in suis Prolegomenis de translatione sacræ Scripturæ in Isaiam. Ioannes Vvouerius Syntagmate de Græca & Latina Bibliorum interpretatione, & nuperrimè Ioannes Morinus libro primo exercitationum Biblicarum, Leonardus Marius, & noster Bonfrerius in Prolegomenis ad sacram Scripturam. Nos dicta annotasse satis sit: nec enim libenter impendimur, vbi eruditis nouam non impendimus vtilitatem.

CAPVT IX.

Noui Testamenti scriptores solent ex duobus locis veteris testamenti vnum conflare. Explicatur arduus locus Matth. 27.



ILLVD quoque animaduertendum censeo noui Testamenti Scriptores solitos ex variis Prophetis vnicum compingere testimonium, quasi vnius esset simplex dictum Ignorantia huius moris impingere fecit viros eruditissimos vt putarent ex apocryphis libris aut aliis quam qui extant ea testimonia desumpta, cum integram eiusmodi

modi sententiam in vno Propheta, aut Prophetæ loco haud inueniant. Eam consuetudinem aliquot demonstremus exemplis. Capite 1. Actuum Apostolorum ex diuersis Psalmis Petrus vnum fecit testimonium, ex Psalmo 68. sumpsit illud: *Erat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea.* Et ex Psalmo 108. *Et Episcopatum eius accipiat alter.* Et idem Petrus epist. 1. capite 2. dixit: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali.* Altera pars sumpta est ex Psalmo 117. altera ex Isaia cap. 8. & Paulus ad Romanos cap. 3. ex multis Psalmis vnum coagmentauit quasi corpus: sumpsit enim illud: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Ex Psalmo 13. & alios octo versus, qui incipiunt: *Sepulchrum patens, &c.* ex variis Psalmis. Imo & Christus ex Isaiæ 56. & Ieremiæ cap. 7. composuit testimonium illud Matthæi cap. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Et illud testimonium Matthæi cap. 21. *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit, &c.* ex Isaiæ cap. 62. & ex Zacharia fuit conflatum. Illud etiam vsitatum, vt cùm verba, aut testimonia duorum sunt, aut altero omisso, alterius tantum nomen exprimatur, aut totum testimonium, quasi vnius tantum esset, significetur. Prioris partis exemplum est apud Marcum cap. 1. *Sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Prior pars Malachiæ est, posterior Isaiæ, & tamen omisso Malachiâ, vnus nominatur Isaias. Nec refert quod in quibusdam Græcis codicibus non citetur Isaias, sed tantum dicatur ἐν τοῖς προφήταις. nam multo meliorem lectionem meritò arbitratur Maldonatus, quam in vulgata habemus editione, *sicut scriptum est in Isaia Propheta.* Primùm, quia omnes Latini codices ita habent: Deinde quia non omnes Græci aliter habent: quin ex Hieronymo constat libro de optimo genere interpretandi ea ætate omnes etiam codices Græcos ita legisse, quemadmodum nunc Latini omnes legũt. Cùm enim quæstionem proposuisset, quomodo hoc loco legeretur, *Sicut scriptum est in Isaia Propheta, Ecce ego mitto Angelum meum*; quod non in Isaia sed in Malachia scribitur nouissimo duodecim Prophetarum, non respondit Græcè legi, sicut scriptum est in Prophetis: *Sed soluat* (inquit) *hanc quæstiunculam imperita præsumptio, & ego erroris veniam deprecabor, quasi solui non possit.* Præterea, quia & Syriacus interpres ita legit. Deinde quod nulli prorsus auctores Latini legant *in Prophetis.* Nam Irenæus Latinus, qui libro 3. capite 11. semel tantum ita legit, eodem capite, & capite 18. legit, *in Isaia Propheta*, vt facilè intelligi possit, cùm *in Prophetis* legit, aut lapsum fuisse memoriâ, aut sententiam, non verba recitare voluisse. Contrà verò auctores antiqui Græci ita etiam legunt, vt Chrysostomus, aut quisquis auctor est homiliæ primæ in Marcum: & alij eo vetustiores, vt alicubi testatur Epiphanius. Denique credibilius est aliquem, cùm videret duorum Prophetarum testimonia citari, vt Porphyrij obiectioni responderet, qui, vt Chrysostomus & Hieronymus tradunt, hunc Christianis locum obiectabat, vt Euangelistarum argueret ignorantiam: pro *Isaia* scripsisse *in Prophetis*, quàm contrà, pro *Prophetis*, scripsisse aliquem *in Isaia.* Matthæus quidē & Lucas de eadem re loquentes, non dicunt *in Prophetis*, sed *in Isaia*; sed in promptu ratio est non duorũ Prophetarum, sed vnius tantum Isaiæ testimonium afferebant. Posterioris exemplum habetur cap. 21. Matthæi: nam cùm illud testimoniũ: *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam*, sumptum sit, & ex Zacharia cap. 9. & Isaia cap. 26. in singulari tamen dicitur à Matthæo, *vt adimpleretur quod scriptum est per Prophetam, dicentem.* Ex his expeditam solutionem reperiemus arduo illi loco Matthæi 27. capite: *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerant à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Quod vaticinium non tam Hieremiæ quàm Zachariæ adscribitur cap. 11. Hæc dubitatio grauis & vetus interpretibus est: quoniam nihil cõmune habere videtur hoc testimonium cum Hieremiæ loco, nisi nomē agri: nam apud Hieremiam nihil est de pretio appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel, nihil de figulo, neque triginta argenteis emit Hieremias agrum illum, sed decem argenteis, & septem stateribus. Locus Hieremię hic est: *Ait ad me* (Hanameel) *posside agrum meum qui est in Anatoth in terra Beniamin, quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus vt possideas, intellexi autem, quod verbum Domini esset, & emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anatoth. Et appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos, & scripsi in libro & signaui, & adhibui testes, & appendi argentum in statera.* Vt hunc nodum soluant, mirè interpretes dissident. Sunt qui putent Matthæi testimonium Ieremiæ quidē esse, non ex his, quos nunc habeamus, sed ex his qui perierint, eius libris à Mattheo desumptũ. Multa enim

veteres scripsisse Prophetas, quæ non extãt ex libris Regum & Paralipomenõ multis locis apparet, nominatim verò Ieremiã alios præter eos, quos habemus scripsisse, libros auctor librorum Machabæorum lib.2.cap.1.testis est. Sunt qui suspicentur in his etiã prophetiis Ieremiæ, quas nunc habemus, scriptum hoc fuisse, sed à Iudæis posteà malignè deletum, vt Eusebius etiam arbitratur lib.10.de demonstratione Euangelica cap.4. Anastasius quoque Sinaita hæreticis eam fraudẽ imputauit. Sunt qui ex libris quidem Ieremię, sed apocryphis sumptum esse dicant: nam & Apostolos ex eiusmodi libris testimonia aliquando proferre, sicut D. Paulus 2. ad Timoth.3. quod dicit de Ianne & Mambre ex apocryphis libris sumptum esse creditur. In hac opinione Origenes est, eamque videtur Hieronymus cõfirmare, affirmans Hebræum quẽdam apocryphum Ieremiæ librum sibi legendum tradidisse, vbi hoc testimonium ad verbum reperiebatur. Sunt qui Euangelistã memoriã lapsum existiment, cúmque pro Zacharię nomine nomen illi Ieremiæ occurrisset, id scripsisse: postea verò etiam vel ipsum per se, vel aliorum monitu, quos adhuc eo viuente, eius Euangelium legisse credendum est, & Ieremiæ pro Zachariæ nomen positum animaduertisse, emẽdare tamen noluisse, quod idipsum Spiritu sancto instigante factum crediderit, qui cùm idem omnium Prophetarum ore locutus esset, non referret quid à quo Propheta dictũ sit: singulorum enim Prophetarũ dicta omnium esse cõmunia, ita vt quod ab vno dictum est ab omnibus dictum esse censeatur. Ita Augustinus lib.3.de consensu Euangelistarum cap.8.& Beda in Commentariis. Sed hoc, nescio quo pacto fieri posset saluâ scripturæ fide. Sunt qui scriptorum errore nominum similitudine occasionem dante Ieremiæ nomen pro Zachariæ scriptum fuisse arbitrentur, vt Origenes & Eusebius referunt, & improbare non videntur. At quæ, obsecro, inter Ieremiæ & Zachariæ nomina similitudo est? Sunt qui Zachariam binominẽ fuisse coniiciant, & Ieremiam etiam appellatũ: sed probãda coniectura erat. Sunt qui Ieremiæ prophetiam citari existiment, non quidem scriptam, sed per traditionem acceptam, vt illud quod apud Lucam cap.13 de turri in Siloë Christus citauit. Hoc probarem si nihil esset quod dicere possem probabilius. Maldonatus existimat Euangelistã nullius Prophetæ nomen posuisse, sed tantũ dixisse: Tunc impletũ est quod dictum est per Prophetam, vt multis aliis locis dicere consueuit & hoc ipso cap.27.vers.35. Scriptorẽ verò aliquem, cùm putaret Ieremiæ citari testimonium, eius nomen ad marginẽ adscripsisse, postea aliquẽ alium in contextũ inseruisse. Confirmat hanc coniecturã, quod in Syriaco Euangelio Ieremiæ nomẽ non legatur; quodque August.lib.3.de consensu Euangelistarum cap 7.scribit, suo tempore in multis Latinis etiam codicibus lectum non fuisse. Sed hęc interpretatio non est valde consentanea auctoritati nostræ vulgatæ, præterquã quod obiicit contra hanc opinionẽ Augustinus nihil fuisse causæ, cur Ieremiæ nomen adderetur, fuisse autẽ cur potius deleretur, quod Ieremias falsò citari videri posset. Facilior omnibus enodatio ex dictis constare potest testimoniũ ab Euangelista citatum, ex duobus Prophetis coaluisse, ex Ieremia cap.32.& Zacharia cap.11.& tamen vnus citatur Ieremias. Neque deest causa, cur à Matthæo Ieremias potius nominari debuerit. Rationem enim voluit reddere Euangelista, vt legenti constabit, nõ tam pretij, quo Christus emptus est à Principibus synagogæ, quàm agri eo pretio empti. De agro verò nihil dicit Zacharias, quare eo loco nominandus non fuit: dixit verò Ieremias cap. 32. vbi ante captiuitatem imminente iam vrbi Chaldæorum exercitu iussus est à Deo agrũ emere, in cuius emptione aliquid celari mysterij ipse cognouit. Quomodo autẽ ager à Hieremia emptus typus fuisset eius qui triginta argẽteis ex Christi venditione redactis, emptus à Principibus synagogę, & quare dictus ager figuli, latè & eruditè exponit Magister meus Gaspar Sanchez, quem præcipuũ huius expediti exitus auctorem laudo. Accedit iis, quod in simili difficultate interpretes respondent ad cap. Marci 1. vbi pariter vnus compingitur locus ex duobus Prophetis, Malachia & Isaia, vnicum tamen Isaiam Marcus allegauit. Lyranus & alij respondent solũ nominatum Isaiam, quia eius vltima sunt verba, & solẽt res ex fine nomen accipere. Alij Augustinum secuti, quia & per Isaiam, & per Malachiam idem loquebatur Deus, nihil fuisse discriminis, aut vtrumque aut alterum tantũ nominare, cùm idem semper Deus citetur auctor. Alij, quod probat Maldonatus, dicunt Marcum solũ Isaiam citare voluisse: *Vox clamãtis in deserto*, vt probaret quod paulò antè dixerat, Initium Euangelij IESV Christi: Vox enim illa *in deserto clamantis*, initium fuit Euangelij; sed quia intelligi non poterat id à Propheta de Ioanne dictum fuisse, nisi ex Malachia, adiunxit, quasi explicationẽ Malachiæ testimonium vnum ex vtroque contexens, & solum Isaiam auctorem faciens, quia pars præcipua & in qua tota consistebat vis probationis, quamque potissimũm Euangelista producere volebat, Isaiæ erat. Id ipsum poterat Maldonatus dicere in Matthæi testimonio.

CAPVT

CAPVT X.

Vtrùm in sacris Noui Testamenti literis aliqua ex profanis fuerint desumpta.

Quo pacto Moyses libris profanis potuit vti iuxta sanctum Hieronymum?

NVNC quoque perquirendum, an sacrorum aliquorum pronuntiatorum profana præextiterit origo? Et quidem sacros scriptores ex profanis aliqua citasse negari vllo pacto nequit; siquidem Apostolus testimoniis Arati, Menandri, Epimenidis, siue Callimachi vsus fuerit: quod satis Hieronymus stabilit in epistola ad magnum Oratorem Romanum, vbi ait: *Quis enim nesciat, & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris, & Salomonem Philosophis Tyri, & nonnulla proposuisse, & aliqua respondisse? Vnde in exordio Prouerbiorum commonet, vt intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, & obscurum sermonem, dicta sapientum, & ænigmata, quæ propriè Dialecticorum & Philosophorum sunt. Sed & Paulus Apostolus Epimenidis poeta abusus versiculo est, scribens ad Titum:*

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

id est,

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

Cuius heroici hemistichium postea Callimachus vsurpauit. Nec mirum si apud Latinos metrum non seruet ad verbum expressa translatio, cùm Homerus eâdem linguâ versus in prosam, vix cohæreat. In alia quoque epistola Menandri ponit senarium:

Φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.

id est,

Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala.

Et apud Athenienses in Martis curia disputans, Aratum testem vocat:

—— Ipsius enim & genus sumus.

Quod Græcè dicitur:

—— Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Et est clausula versus heroici. Ac ne parum hoc esset, ductor Christiani exercitus & orator inuictus pro Christo causam agens: etiam inscriptionem fortuitam, arte torquet in argumentum fides. Didicerat enim à vero Dauid extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captiuæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, & vngues corporis amputandos, & sic eam habendam in coniugio. Audiamus quoque Ambrosium libro sexto Commentariorum in Lucam, capite nono, egregiè de huius eruditionis Paulinæ vsu disputantem: *Non statim per crucem possunt aliqui credere salutem mundo refusam. Adstrue ergo historiis Græcorum, hoc fuisse possibile; sicut interdum etiam Apostolus suadet incredulis, nec versus poeticos refugit, vt fabulas destruat Poëtarum. Si enim reuocetur in memoriã, quod legiones sæpè & magnos populos oblatis aliquorũ mortibus historia Græcorum asserant liberatos; si recordetur quod Imperatoris filia propter Græcorum exercitus transferendos, ad sacrificium sit vocata. Si nostrum illud consideremus; quia sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnem emundandum, sicut ad Hebræos scriptum est; si pestilentia regionum aliquibus hominum contracta peccatis, vnius alicuius morte asseritur esse soluta, quod aut relatione præualuit, aut dispositione conualuit, quo facilius in crucem Domini crederetur, procliue erit, vt qui sua negare non possunt, nostra confirment.* Idem Ambrosius libro 3. de fide capite 1. reddens rationem, cur non sit illicitum ad informationem vitæ humanæ comparationem à poeticis fabulis deriuatã inducere; sic scribit: *Et quia Hydræ nominis & Scillæ littoris comparationẽ induximus, vt ostenderemus, vel rediuiua plantaria caueda perfidiæ, vel famosa naufragia, si quis cõtra licitũ putat colorẽ disputationis eiusmodi poeticis fabulis deriuatũ, vt cũ in fide, nihil quod vituperare possit, inuenerit, aliquid in sermone reprehẽdat, agnoscat, nõ solũ sententias, sed etiã versiculos poetarũ, scripturis insertos esse diuinis. Vnde enim illud; Huius & genus sumus; quod Paulus vsu prophetico doctus vsurpat. Nã & gigantes, & vallẽ Titanũ pro-*

phetici sermonis series non refugit. Et Isaias 13. Sirenas & filias Pastorum dixit. Et Ieremias de Babylone memorauit, quod habitabunt in ea filiæ Sirenum, vt ostenderet Babylonis, hoc est, sæcularis confusionis illecebras vetustæ lasciuiæ fabulis cõparandas, quæ velut scopuloso in istius vitæ littore, dulcem resonare quandam sed mortiferam cantilenam ad capiendos animos adolescentium viderentur, quam sapiens etiam ab ipso Poeta Græco inducitur, quasi quibusdam prudentiæ suæ circumdatus, vinculis præteriisse. Porrò libri Hieroglyphici & symbolici intelligendi sunt, ex quibus Hieronymus testatur Moysem aliqua sumpsisse, quorum nonnullum vsum habere potuit ad tot symbola quibus vsus est. Alioqui ante ipsum Alphabetica scriptio communis non erat; & ex ipso omnis literaria profluxit eruditio iuxta Patres.

CAPVT II.

An Apostolus Platonis sententiis fuerit vsus?

SVNT etiam qui ex Platone citasse aliqua Apostolum velint. Planè vt Henricus Stephanus obseruauit, sicut à Diuo Paulo, ita etiam ab illo quidam interior homo, siue internus constituatur: τὸν ἔσω ἄνθρωπον, altero τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον eum appellante. Legimus enim apud Diuum Paulum epistolæ ad Romanos, capite septimo (quo nunc loco ero contentus, quum & alibi verbis illis vtatur:) συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον· βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου. Apud Platonem quoque locus extat, in quo τοῦ ἐντὸς ἀνθρώπου (sicuti dixi) fit mentio. Is est libro nono de Republica, οὐκοῦν αὖ ὁ τὰ δίκαια λέγων λυσιτελεῖν, φαίη ἂν δεῖν ταῦτα πράττειν καὶ ταῦτα λέγειν ὅθεν τοῦ ἀνθρώπου ὁ ἐντὸς ἄνθρωπος ἔσται ἐγκρατέστατος. Est autem hæc Platonis τοῦ ἐντὸς ἀνθρώπου, appellatio consentanea similitudini cuidam, quâ vsus erat in iis, quę proxime præcedunt, atque ad eam refertur: sicut & illa quæ his subiungit, eodem spectant. Quum autem duos proponat, quorum vnus vtile esse dicat iniustè agere, alter contra vtile esse contendat iustè agere, interioris hominis dominatum ex iustis actionibus pendere ait. Cæterùm quum Diuum Paulum sicut Poëtarum Græcorum, ita etiam Philosophorũ libros euoluisse constet, (quod cùm propter alia mirum videri non debet; tum verò propter id quod Strabo de Tarsensibus testatur, eos Philosophiæ, aliarúmque disciplinarum, quæ encyclię vocantur studio Alexandream, atque ipsas adeò Athenas superasse) non incredibile fuerit, fortassis eum in hunc etiam locum aliquando incidisse: longo autem post tempore hanc epistolam scribentem, genus hoc loquendi tenebris in lucem produxisse; id est, tenebricosa doctrina, aut saltem sublustri tantummodo, ac solum malignam quandam lucem habente (vt malignam Lunæ vocat lucem Maro) ad eam traduxisse doctrinam, quæ auctorem habet eum, cuius luce animi nostri magis quàm solari corpora illuminantur. Apostolus igitur per interiorem hominem eam hominis partem intelligit, quâ renouatus est per Spiritum sanctum, sicut per exteriorem (quam subiicit legi membrorum) hominem: quem etiam ψυχικὸν alibi appellat, & opponit τῷ πνευματικῷ: at Plato hominis interioris appellatione, hominem quatenus ratione vtitur: exterioris verò eundem, quatenus affectibus, non ratione regitur, significat: quemadmodum & Aristoteles duas animi partes, vnam λόγον ἔχουσαν, alteram ἄλογον constituit: neque enim Philosophorum mentis acies tam acuta esse potuit, vt præcipuam hominis vitiositatem in ipso λογικῷ inesse perspiceret. Plato autem λογιστικοῦ & ἀλογίστου appellationibus lubenter vtitur (sicut rationem non minus λογισμὸν quàm λόγον vocat) & alicubi τὸ ἐπιθυμητικὸν adiungit τῷ ἀλογίστῳ, vt libro de Republica quarto: τὸ μὲν, inquit, ᾧ λογίζεται, λογιστικὸν προσαγορεύοντες τῆς ψυχῆς τὸ δὲ ᾧ ἐρᾷ τε καὶ πεινῇ καὶ διψῇ, καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται, ἀλόγιστόν τε καὶ ἐπιθυμητικὸν πληρώσεών τινων καὶ ἡδονῶν ἑταῖρον. quo quidem loco non δύο μέρη τῆς ψυχῆς esse dicit, vt Aristoteles, sed δύο εἴδη ἐν ψυχῇ ἐνόντα. Iam verò & quod ad illam Pauli Apostoli repugnantiam attinet, vbi dicit, βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου, talis etiam apud Platonem videtur eodem in loco illorum duorum quæ dixi λογιστικοῦ & ἀλογίστου descriptio, vt ἀντιστρατευόμενα dici possint; quum ait, vnum κελεύειν, vt hoc vel illud faciamus, alterum aut κωλύειν, atque adeò ἀνθέλκειν. Alterius quoque Platonici loci videtur schediasmatum auctori Diuum Paulum recordatum fuisse quum exhortatione quadam vteretur prima ad Corinthios capite nono, in fine. Ibi enim postquam dixit de iis, qui in

stadio

stadio currunt, omnes quidem currere, sed vnicum esse qui brauium consequatur: Corinthiis verò ita esse currendum, vt id adipiscantur: πᾶς δὲ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, ἐκεῖνοι μὲν οὖν ἵνα φθαρτὸν στέφανον λάβωσιν, ἡμεῖς δὲ, ἄφθαρτον. Nam Platoni quoque (quamuis interim non negem potuisse alioqui eadem Diuo Paulo in mentem venire, non lecto illius loco) athletarum exemplum materiam exhortationis præbet, & quidem ad studium adipiscendæ victoriæ, quam itidem athletica victoria multo præstantiorem & optabiliorem esse contendit. Hæc enim sunt eius verba. De legibus libro octauo, postquam mentionem fecit quatuor athletarum, qui celeberrimi fuerunt, τί οὖν; εἰ μὲν ἄρα νίκης ἕνεκα πάλης καὶ δρόμων, καὶ τῶν τοιούτων, ἐτόλμησαν ἀπέχεσθαι λεγομένου πράγματος ὑπὸ τῶν πολλῶν εὐδαίμονος οἱ δὲ ἡμέτεροι παῖδες ἀδυνατήσουσι καρτερεῖν πολὺ καλλίονος ἕνεκα νίκης, vbi quod Plato νίκην, id est, victoriam, appellat Diuus Paulus στέφανον, id est, coronam vocat, id quod præcedit, intelligens ex eo quod sequitur (quod hac de re loquentibus vsitatissimum est) atque vt Plato athletarum continentiam, siue abstinentiam commendans (qui in iis quæ proximè præcedunt, rem eam nominauerat, ex cuius præcipuè abstinentia laudem quatuor eorum celeberrimi merebantur) verbo ἀπέχεσθαι, adiecto illi suo genitiuo, necnon verbo καρτερεῖν vtitur, ita Diuum Paulum verbo ἐγκρατεύεσθαι, quod illa duo comprehendit. At certè quamuis eruditionem sancti Pauli non negem, non est opus ista asserere ex Platone desumpta: Eum tamen vsum habebit hæc commemorasse, vt in nonnullis demonstrem sacræ & Philosophicæ eruditionis concursum.

CAPVT XII.

An Christus ex Platone aliqua pronuntiauerit?

IMo Christi Domini eloquia cum Platonico quondam concurrisse non nemini fortasse posset videri. Similis quidem locus est Platoni libro decimo de Republica, ac in Matthæo capite vigesimo secundo, vbi pronuntiauit Dominus: *Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Huius autem stridoris sub nomine mugitus, ac tenebrarum sub nomine hiatus, dum de inferno loquitur videtur meminisse citato loco Plato, & deinde subdit: *Aridæum, eiusque persimiles manibusque, & pedibus, & ceruice ligatis prosternebant eos, excarnificabantque: & secus viam quamdam ad exteriorem partem raptatos tribulis lacerabant prætereuntibus indicantes, quam illi ob causam talia paterentur, quodve in Tartarum proiiciendi agitarentur.* Vtrobique sumpta est inferni metaphora ex carcerum vsu, quoniam olim extra ciuitatem constituebantur, quemadmodum & iudicia ad ciuitatis portas. Rectè quoque eo habitu pessimi denotantur, ligatis scilicet manibus, & pedibus in infernum mitti, quia iis, vel bona defuêre, operaivel eorum perseuerantia. Plato addidit ligaturam capitis, qua significatur rationis impedimentum, & spiritualis luminis orbitas, quam tamen non expressit Christus, quoniam satis luminis, satis diuinarum rerum cognitionis cœlesti sua doctrina mundo est largitus. Inducit quippe Saluator eum hominem condemnatum, qui particeps nuptiarum vocatus ad fidem fuerat. In hac sententiarum analogia non est opus dicere ex Platone aliquid in Euangelio desumi, sed non dissimilem ac in Euangelio sententiam Platonis inueniri.

CAPVT XIII.

An ex Epicharmo & Menandro aliqua in Euangelio reperiantur?

IDem oportet dici de sententiis Epicharmi, & Menandri quæ Euangelicis respondent. Diuus Matthæus capite sexto egregium Christi narrat pronuntiatum de puritate intentionis, & simplicitate animi: *Si oculus tuus*, inquit, *fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit.* Similis est sententia sapientissimi Epicharmi, à quo plura didicit, & arrogauit sibi Plato. Ille ita monuit:

Καθαρὸν ἂν τὸν νοῦν ἔχῃς ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ.
Pura si mens fuerit, omne corpus est purum tibi.

Per oculum mentem subintellexit Christus, per totum corpus reliqua opera quæ suam lucem,& bonitatem ab animo puro vsurpant;sanus enim & perspicax oculus corpus reliquum quasi perspicax reddit,& oculatũ totum, ac si in singulis artubus insertus oculus præsideret:nãque excubiis fungitur oculus pro illis.Et quãuis careant visu oculorũ beneficio,perinde sunt, ac si viderent. Sic bona & pura mens iis actionib s corporeis, quæ in se mente & bonitate carent,cõmunicat bonitatẽ Rectè enim hanc locũ exposuit Paschasius Ratbert.li.4.in Matth.vbi ait: *De exteriore docet metaphoricè interioris hominis officiũ. Quasi sicut oculis istis carnalibus omnia corporis mẽbra ordinatè ad operationẽ diriguntur: ita intentione mentis,& luce fidei cuncta virtutum genera, & lucidum corpus perficiant, illustrantur. Vbi non nisi vnus,& simplex quæritur oculus,de quo sponsus in Canticis: vulnerasti cor meum Soror mea;vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, vbi purissimum cordis eius lumen expressit. Quia licet plura virtutum genera hinc inde resplendeant, ex vno fidei qui per Charitatem operatur,oculo vulneratur Christus amore dilectionis:nam lucerna lumen in testa est, sic & charitas amoris Christi in fide lucet.*

Ad sententiam Christi de adoratione in spiritu & veritate in omni loco, de qua Ioannes capite quarto,facit etiam Menander.

Πᾶς τόπος εἰς τὸν καλὸν λόγον
Ἱερόν· ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ὁ λαλήσων Θεῷ.
Ad bona verba omnis locus
Pro templo est:mens est quippe,quæ loquitur Deo.

Rectè quoque Thucydides pronunciauit: ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ τὸ τὰ δέοντα πράττειν. *Nihil aliud est dies festus quàm facere quod oportet.* Nihil Christus ex hominibus didicit,nec prophana sapientia opus habuit,vt edoceret diuinam.Iudæis,non Græcis prædicauit; quare nec oportuit aliena eius gentis auctoritate vti.

CAPVT XIV.

An Christus Dominus Terentij verbis vsus fuerit?



NEQVE vero admittendus est Boccatius libro decimo quarto de Genealogia Deorum capite decimo octauo, vbi scripsit Christum Dominum Terentij verbis vsum fuisse aduersus sanctum Paulum in terra prostratum, dum dixit: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare,* subiicit Bocatius: *non puto Dominum à Terentio quantumcumque diu ante fuisset, hæc quæ dicta sunt verba sumpsisse, sed Saluatorem nostrum voluisse verbum suum atque sententiam ore Terentij fuisse prolatam.* Fallitur prorsus,neque enim ea sunt ipsissima Terentij verba:neque loquendi ea formula Terentiana est,sed adagium ipso Terentio antiquius. Namque Terentius in Phormione hæc habet: *Nam quæ inscitia est aduersum stimulum calces.* Quæ Latinè ille scripsit.Lucas vero Græcanicè verba Christi Hebraica, siue potius Syriaca retulit diuersa quidem sententia:nam capite octauo Actuum,& vigesimo sexto hæc habentur σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. *Durum tibi contra stimulos calcitrare.* Porro vetusta parœmia, fuit dicere: *contra stimulum calces* significans frustra repugnare iis,quos vincere nequeasi,aut eos prouocare, qui lacessiti noceant;aut reluctari factis,& incommodum,quod euitare non queas,impatienter ferendo,non solum non effugere,verum etiam conduplicare. Veluti si quis vxorem nactus rixosam,assiduè cum ea litiget,nihil profecturus,nisi quod illam reddat rixosiorem.Plautus in Truculento: *Si stimulos pugnis cædis manibus plus dolet.* Euripides in Bacchis:

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν Θεῷ.
Potius sacra illi fecerim,quam calcibus.
Stimulos ferire coner,iracundia.
Citus in Deum, mortalis ipse cum sum.

Pindarus

Pindarus in Pythiis.

Ποτὶ κέντρον δέ τοι λακτιζέμεν τελέθει.

Id est, *contra stimulum autem calcitrare est.*

Metaphora ducta est à bobus quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt: vnde, & βουκέται dicuntur in prouerbio *πολλοὶ βουκέται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. Multi boum stimulatores, pauci autem terræ aratores.* Simile est illud Ecclesiastici trigesimo octauo: *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorum, & enarratio eius in filiis taurorum.* Quod si quando calcibus repugnent aduersus stimulum, grauius etiam læduntur boues, tantum abest, vt stimulo noceant. Plutarchus cuiusdam meminit Ctesiphontis, Pancratiastæ, qui per iracundiam mulæ calcitranti recalcitrarit. Hactenus ferè Adagiorum scriptor, & Rutilius Benzonius libro primo in Magnificat, capite tertio. In eodem Phormione dixit Terentius, *Sequere me.* Haud proinde tamen dicendum vsurpasse Christum, cùm Apostolorum Principi dixit: *Tu me sequere.*

Cæterum Dominicæ illius sententiæ expositionem ex Hieronymo & Ambrosio lubet hîc adiicere. Ille in caput duodecimum Ecclesiastici illam interpretatus sententiam: *Verba sapientium, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi*: inquit: *Dicuntur verba sapientium pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus, & vt suprà diximus, tardis pœnitentiæ dolores, & vulnus infigere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, ille non est sermo sapientis. Verba quippe sapientium, vt stimuli. Quæ quoniam ad conuersionem prouocant delinquentem, & firma sunt, & à concilio Sanctorum data, atque ab vno pastore concessa, & solidâ radice fundata sunt. Hoc stimulo necdum Paulum, sed adhuc Saulem puto in via confossum erroris audisse: Durum tibi est calcitrare contra stimulum Dei.* Ambrosius epistolâ quâdam ad Constantium Episcopum Arausicorum electum, optimè hanc Christi sententiam explicat, dicens: *Quod si aliqua, vel in populo, vel in aliquibus contumacia, vel culpa est, sint sermones tui huiusmodi, vt audientem stimulent, compungant malè conscium. Sermonet enim sapientium tanquam stimuli. Stimulauit & Dominus IESVS Saulum, cùm esset persecutor. Quàm salutaris fuerit stimulus considera, qui ex persecutore Apostolum fecit dicendo: durum tibi est, vt aduersus stimulum calces.* Et in Psalmo centesimo decimo octauo, exponens versiculum illum: *Confige clauis à timore tuo carnes meas.* Idem Ambrosius sic scribit: *Vt sciamus autem clauos spiritales esse, etiam stimuli spiritales sunt, de quibus scriptum est: Durum tibi est aduersus stimulum calcitrare. Hoc stimulo Paulus stimulatus, surrexit è terra, & se leuauit vt conuersaretur in cælo.*

CAPVT XV.

Ex libris non canonicis veterum scriptorum hagiographi noui Testamenti aliqua scripserunt.

An Eliæ locum mutuauerit Apostolus?

Multa citantur à Patribus, quæ in Scriptura non sunt.

QVæri etiam potest, an ex veterum sanctorum libris, qui non extant aliquid noui Testamenti hagiographi susceperint? Ita prorsus, imò ex iis qui auctoritatem canonicam non habuêre, quique apocryphi dicuntur. Quam sententiam consulciit Syncellus ab castigatore tēporum adductus, cuius locū transferam totum: Ταῦτα μὲν ἐκ τοῦ πρώτου βιβλίου Ενὼχ περὶ τῶν ἐγρηγόρων, εἰ καὶ μὴ τελείως χρὴ προσέχειν ἀποκρύφοις, μάλιστα τοῖς ἁπλουστέροις, διά τε τὸ περιττά τινα, καὶ ἀτριβῆ τῆς ἐκκλησιαστικῆς παραδόσεως ἔχειν, καὶ διὰ τὸ νενοθεῦσθαι αὐτὰ ὑπὸ ἰουδαίων καὶ αἱρετικῶν· πλὴν καὶ ὁ μακάριος Παῦλος, σπανίως ἐχρήσατο πρὸς ἐκ τῶν ἀποκρύφων χρήσεσιν, ὡς ὅταν φησὶν ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους πρώτῃ ἐπιστολῇ. Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, καὶ τὰ ἑξῆς ἐκ Ἠλία ἀποκρύφου. καὶ πάλιν ἐν τῇ πρὸς Γαλάτας ἐκ τῆς Μωυσέως Ἀποκαλύψεως, οὔτε περιτομή τι ἐστὶν οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. καὶ ἐν

τῇ

τῇ πρὸς Ἐφεσίους ἐκ τοῦ Ἱερεμίου λεγομένου ἀποκρύφου, ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. ταῦτα δὲ ἡμῖν εἴρηται οὐ πρὸς ἄδειαν τῶν βουλομένων ἀδιαφόρως ἐντυγχάνειν, μὴ γένοιτο, πολλοὶ γὰρ ἐβλάβησαν ἐν πᾶσιν αὐτοῖς πιστεύοντες. ὅθεν καὶ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία, καὶ ὁ χορὸς τῶν θεοφόρων ἡμῶν πατέρων ἐκώλυσαν ἐντυγχάνειν αὐτοῖς, ὥσπερ τῇ θείᾳ λοιπῇ γραφῇ. καὶ ἡμεῖς τὰς προγραφείσας χρήσεις ὑπὲρ τοῦ δεῖξαι μόνον τὴν τῶν ἐγρηγόρων παράβασιν, καὶ τὴν τῶν γιγάντων ἀσέβειαν, περὶ ἧς καὶ ὁ θεῖος Μωσῆς μέμνηται, καὶ δι᾽ αὐτὰς ὁ κόσμος γέγονε κατακλυσμὸς παρεθέμεθα. *Hæc quidem è primo Enochi libro de Egregoris seu vigilibus, etsi non omni ex parte apocryphis fides habenda sit, præsertim à rudioribus; partim, quod quædam contineant futilia, & aliena à communi Ecclesiæ more, seu traditione, partim quod à Iudæis, & Hæreticis sint deprauata. Enimverò & Diuus Paulus nonnunquam vsus est testimoniis ex Apocryphis quibusdam, veluti cùm prima ad Corinthios dicit: Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descendit: & quæ ex Diui Heliæ apocryphis sequuntur. Idem rursus ad Galatas ex Apocalypsi Moysis: neque circumcisio est aliquid, nec præputium, sed noua creatura. Et ad Ephesios ex Hieremiæ apocryphis quæ appellantur: Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Proinde hæc à nobis dicta sunt, non ad eorum temeritatem confirmandam, qui hæc sine discrimine, & iudicio volunt legere, absit hoc, multi enim dum omnia vera, quæ his continentur, crediderunt, magnum inde detrimentum accepère. Vnde & sancta Dei Ecclesia, & vniuersus Patrum Senatus hæc, perinde ac reliquam sacram Scripturam vulgo legi vetuit, à simplicibus nempe, & indoctis. Nos ergo testimonia suprà tantum scripta ad hoc adhibuimus, vt ostenderemus Egregorum, seu Ducum scelera, & Gigantum impietatem, de qua & diuinus Moyses meminit, cùm propter illa mundum aquis inundatum fuisse scribit.* Hactenus Syncellus. Quamuis in nonnullis videatur falli Namque Henochi nulli alphabetariæ scriptionis libri præcessère, de quo alibi satis disserui. Deinde fallitur Syncellus, quod putauerit Apostolum primâ ad Corinthios, capite secundo allegasse locum ex aliquo Apocrypho; nam Apostolus dixit: *Sicut scriptum est*; qui modus allegandi canonicum aliquod scriptum notare solet. Inuenitur autem scriptum quinquagesimo quarto Isaiæ capite, ex quo dubio procul id accepit Apostolus, potius quàm ex apocrypho aliquo Heliæ libro. Nec opus est dicere illud ab Isaia desumptum ex Heliæ libro. An potius liber apocryphus Heliæ adscriptus ex Isaia id vsurpauit? Porrò Sanctorum veterum dicta aliqua non extantia, in canone potuerunt recentiores hagiographi citare; quia vel per traditionem illa accepère, vel ex aliquo scripto, quamuis alioqui apocrypho, quoad eam tamen sententiam veraci. Sic Damascenus libro quarto, Cassianus capite vigesimo collationis primæ, & Hieronymus in quadam epistola allegant dictum Christi Domini: *Estote boni trapezitæ*, seu *probati nummularij*; cùm tamen in nullo Euangelistarum sit. Idem Hieronymus in caput quintum epistolæ ad Ephesios, laudat hoc Christi consilium: *Nunquam læti sitis, nisi cùm fratrem vestrum videritis in charitate.* In sacro aliquo volumine scriptum nusquam inuenitur. Sanctus Ignatius epistolâ ad Smyrnenses, vtitur illis verbis, tanquam à Christo prolatis: *Ecce homo, & opus coram facie eius.* In libro secundo Diataxis Apostol. capite quadragesimo tertio citatur ista sententia Domini: *Si obliquè in me inceditis, & ego item in vos obliquè incedam.* Sanctus Iustinus in Dialogo aduersus Triphonem, scribit à Domino pronuntiatum: *In quibus te reperiam, in iis te iudicabo* Sanctus Petrus etiam dixit à Christo dictum: *Oportet venire bona: Beatus autem per quem veniunt. Similiter necesse est venire mala: Væ autem per quem veniunt.* Extant hæc libro septimo narrationum in disputationibus sancti Petri cum Simone Mago, quas sanctus Clemens Romanus scripsit in altera editione Recognitionum. Quid? in Actibus Apostolorum referuntur sententiæ Christi Domini, quæ ab Euangelistis non enarrantur, qualis est illa vigesimi Actuum capitis: *Beatius est magis dare quàm accipere.* Item illa capitis primi: *Quia Ioannes quidem baptizauit in aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Prætereà Gregorius Nazianzenus epistolâ primâ ad Cæsarium fratrem, citat hanc sancti Petri sententiam: *Anima ægra vicina est Deo*; quæ in nulla extat Petri canonica epistola. Tertullianus de Carne Christi capite vigesimo tertio, Clemens Alexandrinus septimo Stromatum: ex quibus id accepit Epiphanius, citant Scripturæ dictum: *Vacca peperit, & non peperit*; quod Ezechieli adscribit Tertullianus; In tota tamen Scriptura non inuenitur. S. Clemens Romanus in epistola ad Corinthios, nuper à Patricio Iunio excusa, ex Moyse citat: ἐγὼ δέ εἰμι ἀτμὶς ἀπὸ κύθρας *Ego sum vapor ollæ*; quod in Mosaicis libris non est. Multa eiusmodi citat ibidem Clemens. Habet alia quæ licet ex parte in Septuaginta Interpretum textu, & apud Hebræos deprehendatur, tamen vel de apocryphis, vel de libris, qui amplius non extant, sumpta videntur, eo quod pars altera,

cui

cui quoque Clemens innititur, à Græcis Codicibus abſit ex æquo, & ab Hebræis. Exempli causâ φῶς κυρίου πνοὴ ἀνθρώπων, ὃς ἐρευνᾷ ταμιεῖα κοιλίας, cui aliquid eſt ſimile Prouerbiorū vigeſimo. Præterea, καλέσουσι τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν πίστει, cuius quoque aliquid extat apud Eſaiam capite ſexageſimo. Sed ſenſus integrè ſumptus manifeſtè videtur demonſtrare ſanctum Clementem hæc teſtimonia aliunde decerpſiſſe. Sanctus Chryſoſtomus homilia ſeptima in primam ad Corinthios, & in caput nonū Matthæi, huius rei cauſam imputat librorum Canonicorum amiſſioni, Iudæorumque negligētiæ, qui eorum conſeruationis parum ſoliciti fuerunt, Homilia octaua in ſecundam ad Timotheum. Idem imputat traditioni, quæ multa conſeruauit nunquam ſcripta. Verum hæc ſolutio tantum locum habere poteſt, cum in textu non additur, ſicut ſcriptum eſt, aut quid ſimile. Licet ſanctus Hieronymus nonnunquam Apoſtolos aliquid è libris apocryphis mutuatos eſſe dicere plurimum refugiat; aliàs tamen id ſponte fatetur, vt commentario in caput quintum epiſtolæ ad Epheſios ſuper hæc verba: *Surge qui dormis*, ſic ſcribit: *Qui ſimplici reſponſione contentus eſt, dicet in reconditis cum Prophetis, & his quæ vocantur apocrypha; hæc lecta in medium protuliſſe ſicut in aliis quoque locis illum feciſſe manifeſtum eſt. Non quod apocrypha comprobaret, ſed quod Arati, & Epimenidis, & Menandri verſibus ſit abuſus ad ea quæ voluerat in tempore comprobanda.* Similia in caput primum Epiſtolæ ad Titum, & Catalogo Auctor. Eccleſiaſticor. in Iuda. Beda quoque commentariis in verſum decimum quartum Epiſtolæ Iudæ. Idem fatetur ſanctus Auguſtinus, nonnulla teſtimonia ex apocryphis Scripturis Apoſtolos deſumpſiſſe, vt legere eſt libro decimo quinto de ciuitate Dei, capite vigeſimo tertio, & libro decimo octauo, capite trigeſimo octauo. Iſtorum teſtimoniorum quæ ſcilicet ab Apoſtolis citantur, nec tamen ſcripta reperiuntur catalogum texit Ioſephus quidam in ὑπομνηστικῷ quæſtione centeſima prima, vt refertur à Patricio Iunio ex Bibliotheca Cantabrigienſi in notis ad epiſtolam Clementis, quas conſule: ſed huic catalogo longè plura ſunt addenda quod rectè annotauit Ioannes Morinus.

CAPVT XVI.

An Paulus ex quarto libro Eſdræ quicquam acceperit?

OPPORTVNE hic quærendum eſt, an ex quarto libro Eſdræ aliquid deſumpſerit Apoſtolus. Tantæ quippe autoritatis is liber viſus eſt ſancto Ambroſio, vt eum puret editum ab ipſo Eſdra non ſine diuina reuelatione, aſſerens Paulum Apoſtolum ſecutum eſſe Eſdræ ſententiam in his quæ propè finem prioris Epiſtolæ ad Corinthios de diuerſis ordinibus claritatis & gloriæ electorum reſurgentium ſcripſerat, quam quidem ſententiam Ambroſius ipſe, tanquam teſtimonium grauiſſimæ auctoritatis ad confirmandum dogma de habitaculis ſanctarum animarum poſt corporis ſeparationem accepit, ſic in libro de bono mortis ſcribens: *Animarum autem eſſe habitacula, ſcripturæ teſtimoniis valde probatur. Siquidem & in Eſdræ libris legimus, quia cum venerit iudicij dies reddet terra corpora defunctorum, & habitacula reddent animas, quæ his commendatæ ſunt. Hæ ſunt habitationes, de quibus dicit Dominus, multas manſiones eſſe apud patrem ſuum. Sed & Eſdræ vſus ſum ſcriptis, vt cognoſcant Gentiles ea, quæ in Philoſophiæ libris mirantur, tranſlata eſſe de noſtris.* Et infrà addit: *Quis vtique prior, Eſdras, an Plato? nam Paulus Eſdræ, non Platonis ſecutus eſt dicta. Eſdras enim reuelauit ſecundum collatam in ſe reuelationem, iuſtos cum Chriſto futuros, & cum ſanctis. Hinc & Socrates ille feſtinare ſe dicit ad illos ſuos Deos. Noſtra ſunt vtique, quæ in Philoſophorum literis præſtant. Non vereamur igitur illum debitum omnibus finem in quo Eſdras renouationem ſuæ deuotionis inuenit, dicente ei Domino: Tu enim recipieris cum hominibus, & conuerſaberis reſiduum cum filio meo, & cum ſimilibus tuis.* Hæc Ambroſius.

Verum non ſatis conſtat inde aliquid deſumpſiſſe Apoſtolum; neque enim concurſus ſententiarum ſignum eſt ſcriptorem vltimum ex alio didiciſſe: nam ex tertio eadem ſententia à pluribus tradi poteſt, & plures ſine vllo Magiſtro in eam conuenire. Præterea error eſt, quod videtur probaſſe Ambroſius auctoritate eius libri quarti Eſdræ capite quarto, Nimirum animas ſanctorum detineri quibuſdam abditis promptuariis in inferno, donec

impleatur numerus omnium electorum, veniátque ſupremi iudicij dies, in qua omnes ſimul inde educentur. Et capite quinto eandem ſententiam proſecutus, aſſimilat vltimi iudicij ac retributionis diem coronæ: in qua ſicut neque primum eſt, neque poſtremum, ſed ſimul omnia: ita in retributione æternæ felicitatis priorum animarum velocitas nouiſſimarum tarditatem non præueniet, ſed omnes ſimul, & eodem tempore expectatá beatitudinem conſequentur. Quam ſententiam quamuis D. Ambroſius in libro iam citato viſus ſit approbaſſe: poſteriores tamen Patres in Concilio Florentino reprobarunt. Hæc & alios errores eiuſdem libri annotauit Sixtus, & ſatis eſt infirmandæ eius auctoritati, quod 14 capite ait, docens, quo tempore mundus finem ſit habiturus, tradit adeſſe vltimam ſæculi ſenectutem, ac finem mundanæ durationis, cuius vniuerſum tempus diuiſum eſt in duodecim partes: ex quibus cùm iam præterierint partes decem ac vndecimæ partis dimidium, nihil ſupereſt vltrà, niſi quod reſtat poſt dimidium vndecimæ, hoc eſt, vndecimæ partis reſiduum cum parte duodecima omnium poſtrema. Quæ ſi vera ſint, oportuerat mundum iam deſiiſſe annis abhinc mille quingentis; nã ſi tempus quod à creatione mundi vſque ad Eſdram interceſſit, iuxta diuinæ Scripturæ ſupputationem continet annos circiter ter mille quadringentos ſeptuaginta, & hæc annorum ſumma complectitur decem partes, & dimidiam ex duodecim partibus totius mundanæ ætatis: conſequens eſt, vt reſiduum temporis ab Eſdra ad finem ſæculi quingentorum annorum numerum non excedat. Cùm tamen iam effluxerint ab Eſdra circiter bis mille.

CAPVT XVII.

Quidam ſcriptores noui Teſtamenti aliis eiuſdem ſcriptis vſi ſunt.

An Sanctus Petrus ex Sancto Iuda Thadæo ſententias mutuatus ſit?



CÆTERVM & noui Teſtamenti ſcriptores ſententiis aliorum eiuſdem Teſtamenti hagiographorum vſi ſunt. Plurima ſunt in ſecunda ſancti Petri canonica epiſtola, quæ etiam reperiuntur in Epiſtola ſancti Iudæ Apoſtoli. Decem & octo ſententias parallelas ex vtraque collegit noſter Cornelius. Difficulter explorari poteſt vter ex altero ſuſceperit, an S. Iudas ex ſancto Petro, an è contra S. Petrus ex ſancto Iuda. Baronius, Adamus Sasbout, Lorinus, Iuſtinianus noſter, & alij, ſanctum Iudam ex Beato Petro eas ſententias deſumpſiſſe putant. Verùm Salmeron, Tirinus, & alij ſecus iudicant, ſcilicet ex ſancto Iuda potius ſanctum Petrum accepiſſe, quoniam Epiſtola canonica S. Iudæ ſcripta fuerit, ſaltem ante annum trigeſimum primum à morte Chriſti Domini, quo anno, vt Onuphrius prodit S. Iudas cum fratre ſuo Simone Chananæo martyrium in Perſide eſt paſſus. Atque idcirco ſcripta erit circiter ſexênio ante ſecundam epiſtolam S Petri, vbi ſimiles ſententiæ reperiuntur. Qui contrarium opinantur cogendi ſunt dicere ſanctum Iudam oppetiiſſe mortem nõ anno Chriſti 64. vt voluit Onuphrius in Chronico, ſed poſt ſanctum Petrum, & annum ſexageſimum octauum. Portò in quibuſdam ſententiis quas parallelas exhibuit Cornelius inſignis difficultas eſt. Vna ſententia eſt ex capite ſecundo ſecundæ Petri Epiſtolæ: *Sectas non metuunt introducere blaſphemantes.* Græcè pro voce *ſectas* eſt δόξας: altera eſt in epiſtola Iudæ *maieſtatem blaſphemant.* Græcè quoque pro voce *maieſtatem* eſt δόξας, accedit quod in Petri ſententia deeſt Græcè verbum *introducere.* Sic enim habet δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες, quod Biblia Gottica legunt, *maieſtatem, ſiue maieſtates non metuunt blaſphemantes.* Nihilominus ſi vulgatam verſionem ſpectemus, diuerſæ ſententiæ ſunt ſancti Iudæ & ſancti Petri. Sanctus Iudas enim ait: *Dominationem autem ſpernunt, maieſtatem* (δόξας) *autem blaſphemant*; vbi δόξας verti nequit, *ſectas*; nec enim hæretici ſectas blaſphemant, ſed ambiunt. Sanctus Petrus verò alia interſerit, aitque: Dominationémque contemnunt, audaces ſibi placentes, ſectas (δόξας) non metuunt introducere blaſphemantes. Vbi τὸ ſectas explicat, τὸ audaces ſibi placentes, quod eſt, quàm ſint audaces, & ſibi placentes, liquet ex eo, quod contra communem Eccleſiæ, Patrumque doctrinam & conſenſum, audeant

audeant nouas opiniones ex suo cerebro confictas inducere, itáque sectas facere. Adde, nostrum interpretem, æquè ac Syrum in sancto Iuda legisse δόξαν in singulari, quod maiestatem significat, non sectas; in sancto Petro verò legisse δόξας in plurali, quod sectas significat, non maiestatem, quod rectè annotauit Cornelius.

Reliquæ sententiæ parallelæ hæ sunt.

	In secunda Petri, capite secundo dicitur:	*In Epistola S. Iudæ sic:*	
1	*Vers.* 1. IN vobis erunt Magistri mendaces qui introducēt sectas perditionis. Et ℣. 3. Quibus iudicium olim non cessat.	*Vers.* 4. SVbintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij.	1
2	℣. 1. Et eum qui emit eos Dominum negant.	Solum Dominatorem & Dominum IESVM Christum negantes.	2
3	℣. 2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.	Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.	3
4	℣. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari,	℣. 6. Angelos verò qui non seruauerunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.	4
5	℣. 6. Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.	℣. 7. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.	5
6	℣. 10. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationémque contemnunt.	℣. 8. Similiter & hi carnem quidem maculant, Dominationem autem spernunt.	6
7	℣. 11. Angeli fortitudine, & virtute cùm sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium.	℣. 9. Cùm Michael Archangelus cum Diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus.	7
8	℣. 12. Hi verò, &c. in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.	℣. 10. Hi autem quæcumque quidem ignorant blasphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.	8
9	℣. 13. Coinquinationes & maculæ deliciis affluentes, in conuiuiis suis luxuriantes.	℣. 12. Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes.	9
10	℣. 14. Cor exercitatum auaritiâ habentes. ℣. 3. Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.	℣. 16. Mirantes personas quæstus causa.	10
11	℣. 15. Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.	℣. 11. Errore Balaam mercede effusi sunt.	11
12	℣. 17. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur.	℣. 12. Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, &c. quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.	12
13	℣. 18. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ.	℣. 16. Secundùm desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba.	13
14	℣. 1. Charissimi, &c. memores sitis eorum quæ prædixi verborum, &c. & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Saluatoris.	℣. 17. Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri IESV Christi.	14

15 ỷ. 3. Hoc primum scientes, quod venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes.
16 ỷ. 11. Quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus expectantes, & properantes in aduentum diei Domini.
17 ỷ. 18. Ipsi gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

ỷ. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in nouissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. 15
ỷ. 21. Vosmetipsos in dilectione Dei seruate expectantes misericordiam Domini nostri IESV Christi in vitam æternam. 16
ỷ. 25. Soli Deo Saluatori nostro per IESVM Christum Dominum nostrum gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen. 17

CAPVT XVIII.

Commendatur studium sacræ Scripturæ ex sancto Chrysostomo & sancto Cæsario.


TANDEM postquam nobilissimam & mirandam originem sacræ Scripturæ, finémque deseruerimus, ab vtilitate oportebat eam commendari; in qua re magnoperè se Patres impendunt, & nobiles interpretes. Nec opus est obuia racemare, commendabimus tamen eius lectionem, ad quam Chrysostomus hortatur laudatus ab Anastasio Niceno quæstione septuagesimâ octauâ, qui interpretatus illa Saluatoris verba: *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera:* hæc habet: *Scribam dicit eum, qui per laboriosam diuinarum scripturarum lectionem sibi recondit thesaurum veteris & noui Testamenti, & ex eo expromit tempore disputationis. Quamobrē quicumque sunt imperiti diuinarū Scripturarū non possunt esse patresfamilias, vt qui neque à se habeant, neque ab aliis accipiant, sed se ipsos decipiant pereuntes fame ignorationis. Nam quomodo fieri non potest vt terra nō irrigata, etiāsi millies in eam deiiciantur semina, spicas ferat, ita etiam fieri non potest vt animus diuinis scripturis non irrigatus, etiamsi quispiam mille verba effundat, vllum fructum ostendat. Magnum est ergo malum ignorare scripturas, & sicut bruta animantia circumferri. Etenim oriuntur mala innumerabilia ex ignoratione scripturarum. Hinc germinauit magna pestis hæresum. Hinc vita neglecta, labores inutiles, animæ cæcitas, deceptio Dæmonis. Quomodo enim, qui hac luce sunt priuati, recta non possunt ingredi. Ita etiam qui diuinis sunt priuati Scripturis, & ad earum radios non aspiciunt, sæpè offendunt, & coguntur assiduè peccare, vt qui tenebras difficulter probent & examinent. Propterea exhortans Paulus, dicebat Timotheo:*
1. Tim. 4. *Attende lectioni, adhortationi, doctrinæ. Noli negligere quæ in te est gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij; Hæc meditare vt profectus*
2. ad Timoth. 3. *tuus sit manifestus in omnibus. Attende tibi & doctrinæ. Et, mali autem homines, & præstigiatores proficient in peius errantes, & in errorem inducti. Tu autem mane in iis quæ didicisti, & quæ tibi sunt credita, sciens à quo didiceris, & quod ab infantia sacras literas noueris, quæ te possunt seruare ad salutem, quæ est in Christo IESV. Omnis enim scriptura à Deo inspirata, est vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad disciplinam, quæ est in iustitia, vt perfectus ac integer sit homo Dei, ad omne opus bonum paratus. Et Moyses legem ferens, dicebat: Et erunt verba hæc, quæ mando tibi hodie, in corde tuo, & in anima tua, & proferes ea anima tua, magis autem filiis tuis, & inter eos dices: sedens in domo, & ambulans in via, & cubans in lecto, & surgens. Dominus autem præcipiens dicebat: Scrutamini scripturas, quoniam in eis vitam æternam habetis, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Quamobrem dicit Dauid: Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Vnde rogat dicens: Fac me intelligentem, & scrutabor legem tuam, & custodiam eam in toto corde meo, & in iustificationibus tuis meditabor. Non obliuiscar sermonis tui. Et admirabilia testimonia tua, propterea scrutata est ea anima mea. Et quàm*

dulcia gutturi meo eloquia tua super mel ori meo. Et desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum & suauia supra mel & fauum. Præcepit autem eius quoque filius Salomon sapientissimus ille, dicens: Fili, si quæsieris sapientiam tanquam argentum, & tanquam thesaurum exquisieris eam: tunc intelliges timorem Domini, & agnitionem Domini inuenies, quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie eius cognitio & intelligentia. Et si fueris sapiens, tibi eris sapiens & propinquis; Sin autem euaseris malus, solus hauries mala. Et vidi quod sapientia plus est quàm insipientia, sicut lux plus est quàm tenebræ. Et sapientis oculi sunt in capite eius, & insipientes in tenebris ambulant. Et sapientia hominis illuminabit vultum eius. Et: dixi ergo, sapientia bona est supra potentiam. Et in malignam animam non intrabit sapientia, neque habitabit in corpore obnoxio peccatis; sanctus enim Spiritus disciplinæ effugit dolum, & recedet à cogitationibus insipientibus. Et qui sapientiam & disciplinam aspernatur, est infelix, & vana est spes eius, & labores inutiles, & inutilis finis eius. Et execrandus est ortus eius. Et honorate sapientiam, vt in æternum regnetis; quoniam omnium etiam Dominus dilexit eam, est enim mystes Dei scientiæ, & inuentrix operum eius; quid autem est sapientiá ditius, quæ omnia operatur? Et si quis diligit iustitiam, labores eius sunt virtutes; sapientiam enim & prudentiam docet, & fortitudinem, quibus nihil est hominibus in vita vtilius; si quis autem etiam diligit magnam rerum experientiam, nouit prisca, & futura exquirit, scit strophas verborum, & solutiones ænigmatum signa & prodigia prænoscit & euentus temporum. Similiter autem Sirach quoque dicit: Deus creauit sapientiam, & suppeditabit eam iis qui ipsum diligunt. Et si concupisti sapientiam, serua mandata, & Deus tibi suppeditabit eam: & Fili, à iuuentute tua elige disciplinam, & amplius inuenies sapientiam. Tanquam autem qui arat, & qui seminat accede ad eam, & expecta bonos eius fructus; nam in operatione eius parum laborabis & citò comedes genimina eius: quàm valde est aspera indoctis, & non manet in ipsa excors; sapientia enim secundùm eius nomen, & non est multis manifesta. Audi ergo fili, & eripe meam sententiam, & ne recuses consilium meum, & immitte pedes tuos in compedes eius, & in eius torquem collum tuum, suppone humerum, & porta eam, &c. Egregiè quidem Carpatius de suauitate, & vtilitate sacræ Scripturæ interpretatur illud Canticorum: *Guttur eius dulcedo, & totum desiderabile*, dicens: *Incredibile est nescienti quàm suaue sit de Deo, Optimo, Maximo, ex sacris literis meditari ac loqui. In his enim legendis peccatores de propriis erratis admonentur; quoque modo se castigent, corrigunt, ac emendent, apertissimè docentur; & quidquid homines alter alteri vel dicere verentur, vel ignorant, hoc sacræ literæ & sanctissime audent, & vberrimè nouerunt. Ex his, guttur nostræ mentis admirabili dulcedine repletur in Deum, séque adeò inflammari sentit desiderio æternæ vitæ consequendæ, vt mysticè dulcedo, & totum desiderium guttur sui Sponsi; non dulce, neque desiderabile prædicetur à Sponsa. Est ergo totum desiderium atque dulcedo testamentum Sponsi, eò quòd per illud homines bona omnia docti, qualéque & quantum sit Deus ipse summum bonum intelligentes, ad illud ipsum consequendum ardentissimo desiderio rapiuntur.*

Porrò ineptas aliquorum excusationes, quominus sacræ Scripturæ, & diuinarum rerum lectioni se impendunt, sic quâdam homiliá refellit sanctus Cæsarius Arelatensis: Homil. 10.
Nemo se excusare conetur, vt dicat: Non mihi vacat legere, & ideò non possum Dei præcepta vel agnoscere, vel implere, nec dicat aliquis vestrûm: Non noui literas, ideò mihi non imputabitur quidquid minus de Dei præceptis impleuero. Inanis est & inutilis excusatio ista, fratres charissimi. Primum est, quod lectionem diuinam, etiamsi aliquis nesciens literas, non potest legere, potest tamen legentem libenter audire. Qui verò literas nouit, nunquid potest fieri, quod non inueniat libros, quibus possit scripturam diuinam legere? Tollamus à nobis fabulas vanas, mordaces iocos, sermones otiosos, ac luxuriosos, quantum possumus respuamus, & videamus si nobis non remanet tempus in quo lectioni diuinæ vacare possimus. Fugiamus prandia luxuriosa quæ nos occupant vsque ad vesperam, contemnamus cœnas, quæ nos aliquoties etiam inuitos vsque ad noctem mediam trahunt, in quibus & caro nostra per ebrietatem debilitatur, & anima per turpiloquia, & scurrilitates vulneratur, fortè aut etiam moritur. Istas malas occupationes, quæ & animam & corpus debilitant, fugiamus, & videbimus, quod nobis remanet tempus in quo aliquid de salute animæ cogitemus. Quando noctes longiores sunt, quis erit, qui tantum possit dormire, vel lectionem diuinam vel tribus horis non possit aut ipse legere, aut alios legentes audire? Illi enim lectionem diuinum legere non possunt, qui se, sicut iam dictum est, vsque ad mediam noctem inebriare contendunt. Nos verò si Deo volumus placere, & de salute animæ attentiùs cogitare, sobrietatem debemus diligere, & ebrietatem quasi foueam in-

ferui longè refugere. Attendite, rogo, vos fratres, si hoc dico quod non ignoratis. Noui
aliquos negotiatores, qui cùm literas non nouerint, requirunt sibi mercenarios liter
cum ipsi literas nesciant, aliis scribentibus ratione sua ingentia lucra conquirunt. E
literas nesciunt, conducunt sibi mercenarios literatos, vt acquirant terrenam pec
quicumque es, qui literas non nosti, quare etiam non cum pretio, & mercede rogas
debeat scripturas diuinas relegere, vt ex illis possis pramia aterna conquirere? Pro
tres, qui hoc studiosè requirit, credit quod ille in aternum prodesse possit. Qui v
nem, nec ipse vult legere, nec legentem libenter audire omnino non credit, quod ali
possit acquirere. Vos ergo, fratres, rogo & admoneo, vt quicumque literas scitis
ram diuinam frequentius relegatis. Qui verò non scitis, quando aly legunt
tentius auribus audiatis. Lumen enim anima, & cibus aternus, non est
aliud nisi verbum Dei, sine quo anima non viuere potest, nec vi-
dere; quia quomodo caro nostra moritur, si non ca-
piat cibum, ita & anima nostra ex-
tinguitur, si non accipit di-
uinum verbum.



FINIS.

INDEX



INDEX RERVM AC VERBORVM HVIVS OPERIS.

Numeri paginas indicant.

A.

Cum

Angeli

Index Rerum ac Verborum.

Index Rerum & Verborum.

Ben Syra.

Enoch.

Ezechias

Gerebertus.

I.

Linguæ

Index Rerum ac Verborum.

Naga.

N.

Officium.

O.

P.

Index Rerum ac Verborum.

Index Rerum ac Verborum.

R.

S.

Samson.

Sesath.

T.

V.

FINIS.

